This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

o Germ. g. 110 (2



Digitized by Google

7. Th 2202

<36700075500015

<36700075500015

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

JOANNIS SCHILTERI
JCti olim Argentoratensis

THESAURUS ANTIQUITATUM TEVTONICARUM,

ECCLESIASTICARUM, CIVILIUM, LITERARIARUM.

TOMUS SECUNDUS,

Exhibens

Monumenta Civilia, Historica, Miscella:
Edita, Inedita.

Legem Salicam novo & gemino conspectu cum Notis.
Jus Provinciale Alemannicum denuo e MSS. editum & accurate cum aliis collatum Latineque versum. Bella Caroli M. & Ludovici German. cum Barbaris: Epinikio & aliis Carminibus vetustis vernaculis celebrata. Tirolis & Winsbeckii Paranetica, &c.

Pleraque post Schilterum summa cura recensuit, castigavit, emendavit, Jus Provinciale latine vertit, Singula Notis plurimis illustravit

JOH. GEORGIUS SCHERZIUS, D.
Pandectarum & Juris Publ. in Univ. Argent. P. P.

Accedit
Loco Appendicis ad Tomum I. TATIANI Harmonia IV. Evangeliorum Theotisce ab Anonymo Vetere translata.

Operi undique provisum, ut accurate prodiret.
Præfationem præmisit
JOANNES FRICKIUS.

ULMÆ,
Sumptibus DANIELIS BARTHOLOMÆI,
M DCC XXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google



JOHANNES FRICKIUS
Lectori.

NOn exſpectabis à me, ſat ſcio, Lector Benevole, longam Præfationem, qualem in fronte Operis Schilteriani velut Iſagogicam præmitti è re viſum, re quoque favente ac applaudente, fuit. Nec vero habet opus hedera per nos ſuſpendenda merx rara ſui præſtantia emptorem etiam avidum facile repertura. Nam cui non deſideratus hucusque labor à Viris noſtro majoribus elogio in eruendis ac ornandis Patriarum antiquitatum cimeliis tam dextre, tam ſolide ſuſceptus? Ergo ſolum de monumentis, quæ hoc altero Theſauri Schilteriani Tomo prodeunt, nonnihil, quod noſſe non erit injucundum, & ad inſtitutum inprimis pertinet, mihi præfandum eſt: Si Te prius tamen id monuero, præmiſſas infra ſingulis monumentis Præfationes pluſcula; jam & potiſſima quæque dixiſſe, quæ hic repetere nihil attinet; niſi quod attigiſſe nonnulla leviter, ubi opus videbitur, dividiæ non erit.

Primo igitur Te, Lector Optume, celandum non arbitror, magnum opus animo verſaſſe SCHILTERUM circa Leges veterum Teutocum tum edendas tum illuſtrandas. Nam, illud eſſe haud infimum priſcæ Germanorum tum gravitatis, tum libertatis & gloriæ decus exiſtimabat; quod ſe à Romanorum non jugo ſolum fortiter vindicaverint Teutones, ſed & legum ſuarum atque conſuetudinum antiquiſſimarum collectiones, ne quidem Latinis ſolum libris contineri pertulerint, vernaculum potius ſermonem Latino ſuperaddentes, quo prælegi etiam populo in judiciis leges, & cunctis Imperatorum Regumque ordinationes notæ fieri poſſent. Hinc nata quoque Jura Provinciarum Legesque patrias ad Germanicam Linguam revocata: Idque factum non demum Fridericorum Impp. tempore, quod plerisque viris eruditis videtur, ſed jam ſub Carolingis, in Præfatione ad Codicem Juris Feudalis Alamannici Noſter ſpecioſe contendit. Ceterum de his omnibus prolixius deducendis, juſto fortaſſe commentario ad Legem Salicam, & ad Jus Provinciale multa meditabatur. Imo & majorem longe Legum v. g. Wiſigothicarum, Anglo-Saxonicarum, &c. collectionem in animo habuiſſe videtur. De quibus omnibus cum viris ſummis etiam per Gallias non pauca contulit, partim opera amicorum Clariſſimorum, JO. PHIL. PALTHENII, JOANNIS ROSTGAARDI & LAMPERTI, (qui tum Pariſiis verſabantur) partim Epiſtolis ad Viros Illuſtres, LOUBERIUM, CAROLUM BULTELLUM, & STEPHANUM BALUZIUM, datis: quorum omnium reſponſoriæ manibus ipſorummet ſcriptæ ſuperſunt, quibus & operam Schiltero ſuam prolixe offerunt, & ut ſuas ad monumenta præſtantiſſima commenta-

Schilteri molimina affecta.

Digitized by Google

tiones quantum pote maturet, humaniſſimis verbis inſtant. Ad hoc ipſum Ill. LOUBERIUS Codicem offert Juris Alemannici Feudalis membranaceum, ſi forte adhuc nonnihil prodeſſe aut juvare ad Curas (libro jam edito) ſecundas poſſet: BULTELLUS Codicem Regium indicat, è qua Legis Salicæ exemplum Schilterus obtineret: BALUZIUS de Legibus Wiſigothorum multa è Colbertinis theſauris liberaliter, modo petantur, pollicetur, ROSTGAARDUS Codicem memorat Regium membranaceum Juris Provincialis Alemannici, de quo paullo poſt: præterea de *Legibus Canuti* Anglorum Danorumque Regis multa refert, Codicem earundem nactus in Colbertina Bibliotheca MSC. ab editis *Lambardi*, *Wheloci*, & *Seldeni*, longe diverſum; cujus & Capitum Indicem una mittit, juxta cum Canuti Præfatione, & de omnibus Schilteri ſententiam exquirit. Quis inde non agnoſcat ſerio hæc talia cogitantem, imo molientem Schilterum? qui ad Illuſtriſſimum LOUBERIUM culpam moræ omnem in bibliopolas conjicit, qui convenire non poſſint utrum primo Scriptores ipſos, an Gloſſarium imprimant. (A. 1699. Menſ. Julio.) Verum ſive hæc obſtiterit cauſa, ſive ſenium, & arthritici dolores fere continui juxta cum plurima oculorum cœcutientium debilitate, ſive alia cauſa quæcunque tandem; ſubſtitit intra conatus omnis illa molitio, & una cum ſene optimo tandem exſpiravit: quod non pauci dolebunt, quibus id ſubinde in votis, exſtare copioſius in tabernis librariis, editas emendate Leges Teutonicarum gentium, quæ plurimum æquitatis & juſtitiæ in priſca ſimplicitate oſtendunt, ad uſum frequentiorem.

Hugonis Grotii de Legibus veterum Germanorum effata.

Juvat hic, inſtitutum commemorare HUGONIS GROTII, cui & ipſi olim animus fuit, Collectioni Scriptorum ad Hiſtoriam Gothorum Vandalorum & Langobardorum facientium, (quæ poſt obitum magni autoris Amſtelodami 1655. nitidiſſimo volumine prodiit, in 8.) Leges etiam adjicere Septentrionalium populorum. Hinc in Præfatione p. 63. *Addidi*, inquit, *Hiſtoriis & Leges, editas ſane jam ante, Oſtrogotthorum, Weſtrogotthorum, Wandalorum, Langobardorum; ita perſuaſus, non minus ex legibus quam è rebus geſtis populorum, aut in populis eminentium, ingenia conſpici.* Inde comparationem inſtituit Romanarum legum cum iſtis; & *ſubtilitate* quidem, *inconſtantia*, *mole*, *perplexitate* vincere Romanas, ait; at ſeptentrionales *ſimplicitate brevi & clara*, tum vero *nihil mutata duratione, quæ multum ſecum habeat auctoritatis, Romanis præſtare.* Recenſet deinceps, ut apud complures gentes, fœcundas alioquin Jurisprudentum proventu, prælatæ tamen ad uſum publicum fuerint leges Gothicæ & Langobardicæ, per Hiſpanias inprimis, Regna Siciliæ & Neapolis, denique per Angliam, quæ Normannorum legibus etiam nunc regatur. Porro p. 65. preſſius rationem cum ratione inter legum corpora duo comparat, verbis quæ legi & hic me judice prorſus merentur. " Pertinent leges aut ad publicum, aut ad privatum jus. In „ publico jure primum eſt ipſa conformatio legum, quæ apud Romanos à voluntate „ pendebat principis, hominis unius, falli mutarique facilis. Inde tot repugnantia „ Imperatorum inter ſe edicta. Solus Juſtinianus non tantum vetera novavit pleraque, „ Triboniani ad omnia venalis arbitrio, ſed ipſe de eadem re ter, quater mutavit ſen„ tentiam. Apud veteres illos populos (Teutonum) à principe ordinumque delectis „ bene expenſæ leges tria habebant commoda: 1.) quod nihil publice noxium latere „ poterat inter tot monitores; 2.) quod promto animo ſervabantur, quæ communis „ conſenſus ſanxerat; 3.) quod eadem nunquam, aut nonniſi ſumma cauſa urgente „ mutabantur. Accedit, quod nihil ad ſpeciem, omnia ad utilitatem publicam fuerant „ comparata." Poſt hæc progreditur ad leges ad privatum jus pertinentes circa matrimonia, tutelas, contractus, alienationes, teſtamenta, ſucceſſiones ab inteſtato, poſſidendi ſecuritatem. Ubivis æquitatem plurimam Germanicarum ſanctionum, ac omnino præſtantem demonſtrat. Tum de Judiciis, apud Romanos "Judicia, ait, in immen„ ſum tracta, nec rerum tantum, ſed & vitæ gravi diſpendio inter tam longas cruces: „ apud Septentrionales litigandi temeritas ſponſionibus & pignoribus coërcita; ipſis „ judiciis nihil expeditius. Illud (pergit paullo poſt) ex intima ſapientia petitum, quod „ in delictis duo ſpectabant, læſum jus privati, & læſam ſocietatem publicam, quæ „ legum auctoritate conſtringebatur. Itaque mulctæ duæ pendebantur, quod notatum „ & Tacito; altera ei qui vindicatur, altera Regi aut civitati. Hoc *Freda* dicitur, quia paci publicæ,

Digitized by Google

blicæ, qui peccavit per eam reſtituitur; illud *Wedrigeldium*, i. e. quod pro talione datur, „ &c. Hæc Grotius perpulcre, ni fallor, & eximie: quem adhuc audiemus ferum alias Teutonum morem lites per monomachiam dirimendi, emollientem & excuſantem. Dis- „ plicet nonnullis, inquit, quod quædam cauſarum ambigua ſingulari certamine diſce- „ ptanda permittuntur. Verum, quod Solon dicebat, non optimas ſimpliciter ſe de- „ diſſe leges, ſed optimas earum quas Athenienſes ferre poſſent; idem de aliis Le- „ gum conditoribus cogitandum eſt. Coguntur illi multa non probanda concedere, „ & venenum ſæpe veneno expellere. Minus certe malum erat, duorum periculo „ decertari, præſertim poſtquam ambo moniti eſſent ſerio, ne contra conſcientiam ſu- „ am armis DEum ſibi inimicum accerſerent; quam totas familias committi inter ſe, „ & bellum velut civile excitari. Abſtulit hunc morem Chriſtiana religio: bene: niſi „ nos obſtaremus ipſi, radices, unde pullulant iſta, utinam exſcidiſſet: nam hoc facere „ nata eſt." Dabit mihi veniam lector, ut ſpero, facilem, ſi ex libro magni Grotii raro admodum comparente prolixiora forte huc verba excerpſi, quæ vindicias gentium Teutonicarum adverſus notam barbariei vulgo impactam, haudquaquam profecto proletarias, aut nugaces, ſed illuſtres & ſucci plenas continent.

Non alia mens FRIDERICO LINDENBROGIO, Hamburgenſi JCto magni nominis, ſummo Grotii amico: cui eximiam *Codicis Legum Antiquarum*, Teutonicæ propaginis, editionem acceptam ferimus, Francofurti (ſive potius Hamburgi ſumtu Marniorum Francofurtenſium) 1613. excuſam. Is enim palam honori ducit ſibi, quod tametſi non ſine vigiliis & ſudore multo, ad finem perduxerit opus legum patriarum cultius ac elimatius redditum: ſimul vero demonſtrat, falli fœde, qui antiquas Germanorum Leges per edictum *Lotharii* Imp. *Irnerio* ſuggerente, abrogatas publico edicto, & in locum earundem Juſtinianeas auctoritate Imperiali Germanis obtruſas contendunt. *Hoc quidem illi dicunt*, ait in Prolegomenis: *ſed rectius faciunt, qui fidem illis non habent. In re enim ſeria æque perniciosum eſt, ficta ſtolide credere, quam falſa confingere. Et vellem ſane Edictum hoc Lotharianum aliquis nobis oſtendiſſet. Quod cum hactenus factum non ſit, viderint Romani juris Anteceſſores; dum ſola Principum conniventia Germanicarum legum rite confirmatarum uſus aliquantum ceſſat, an earum authoritas adeo ſit imminuta, ut plane nulla amplius putetur: cum lex non dicatur ſublata per non uſum, ſed per contrarium ei legi uſum. Cujus contrarius uſus non oſtenditur, ea utique perpetim manere putatur, ut, quandocunque caſus evenerit, recte quis ea uti poſſit, etiam poſt mille annos. Idcirco veriſſime concludo, Leges haſce, quatenus id ratio ſuadeat & tempora permittant, non tantum apud Germanos in foro utiliter proferri, ſed juri quoque Romano, pro ſtatu provinciarum, recte præferri poſſe.* Nolo de his eſſe prolixior, ne faſtidium creem nonnullis. Non poſſum tamen, quin Lectorem meum remittam ad eruditum HERMANNI CONRINGII opus *de Origine Juris Germanici*, in quo de ſcriptis Francorum, Alemannorum, Saxonum, Bajuvariorum, &c. Legibus, de earundem indole, valore, mutationibus, ut & de inducto ſenſim ex æquitatis opinione per Italos magis quam per Imperatores Jure Romano ſingularia plurima, ſtudio, ut ſolet, accurato congeſſit. Utinam licuiſſet Schiltero, poſt tot ſummorum virorum annotationes, meſſemque obſervationum ſelectarum ſat largam, ſpicilegium addere ſeſe dignum! Quis dubitet, inde præclara omnia bono literati orbis emanatura fuiſſe? Abſit enimvero, ut proinde perditam rem omnem, & miſeram monumentorum, quæ nunc prodeunt, ſortem omineris, Lector. Non defuit alter, qui in Schilteri locum ſuccederet, fœtumque orbum à parente nunc lambendo à ſordibus perpurgaret, nunc variis modis ornando perpoliret tuo commodo. Age itaque: de ſingulis nunc monumentis dicamus aliqua.

Lindenbrogii de Legibus Germanicis.

Conringii.

Agmen horum ducit LEX SALICA, vetuſtiſſimum Francicæ gentis monumentum: ſed multis obſcuritatibus, ſive verba ſpectes ſive res, involutum, & nimis in campo rerum ampliſſimo parcum. Quantulam enim (recte & ex vero *Conringius lib. cit. c. 34. p. 222.*) leges illæ vitæ negotiorumque partem attingunt, in ſolis fere criminalibus, nec tamen omnibus, hærentes? Et tamen à priſca ſimplicitate, ab auri argentique contemtu (quem Tacitus in Germanis magnis laudibus effert) multum jam mores receſſerant. Utque ferociæ nonnihil Chriſtiana religione detractum fuerit,

Lex Salica.

Digitized by Google

tamen cædibus nulla etiam tum conſtituta fuit capitalis pœna, &c. Talis ergo lex fuit, qualem populus Francorum ferre tum poterat, ſenſim ſenſimque emendandus. Interim ab hac Salica Lege magni plus ſemel montes pendere viſi ſunt. Nam, cum Seculo XIV. currente, Reges Angliæ, Francica matre aut progenie ſati, jura ſucceſſionis ad Galliæ coronam, excluſa ſtirpe Valeſia, poſtularent, velut proximi ſanguine hæredes; jamque armis Anglorum Gallia graviter aliquoties afflicta pene ſuccumberet: Galli tamen reſumtis toties animis & poſtulata Regum Anglorum, & Jus omne ſucceſſionis pertinaciſſime rejecerunt; Salicam proferentes Legem atque eandem ad populum inclamantes, quæ nonniſi mares ad Coronæ ſucceſſionem admitteret. Eſtque hic notatu inprimis dignum, quod, obſervante ad titulum Legis Salicæ Baluzio, ante lites illas Salica Lex pene obliterata inter Gallos jacuerat, etiam vulgo JCtorum vel de nomine ignota. Sed eam videlicet clades publica deinceps velut anchoram ſacram ut è ſitu producta Gallis ſubſidio veniret, effecit. Eo modo tum celebris facta Genti Lex eſt, & magno apparatu laudata, tantummodo ad fines Regni tutandos ab invaſore, ad Coronam maſculinæ Regum ſucceſſioni conſervandam, & ad pellendos exteros. Verum aliud longe fuit inſtitutum ævo noſtro, ſeculo ſuperiore fere medio; cum ad colorem juris Lex Salica ambitioni Galliæ Regis, qui bella cum Hiſpanis & Imperio Romano-Germanico ſucceſſu paullisper feliciore gerebat, præbere juſſa eſt, velut quæ facultatem daret ampliſſimam invadendi provincias omnes illas, quæ ſemel ad Franciæ regnum vetus pertinuere, jure poſtlimini juſtiſſimo titulo repetundas; prorſusque non pateretur, ut præter Franciæ Regem quisquam ſive Regum ſive Principum poſſideret aliquid, quod Salica terra fuit, & trans Rhenum vaſto Caroli M. regno olim ſubjectum fuit. Ita jura omnium aliorum ſubruta, nervique pactionum, & poſſeſſionum omnes, ſimul & ſemel, egregie ſcilicet, inciſivi debantur. Ad hoc ut eo promtius fieret atque ſollertius, adhibiti ſcriptores ingenio, arte multa & doctrina pollentes. Intererat enimvero Regis Hiſpaniarum, & univerſæ AUGUSTISSIMÆ DOMUS AUSTRIACÆ, talia non impune ſcribi; cum neque Franci Occidentales, i. e. Galli, populus ille Salicus unquam fuerint à quibus Lex nomen gerit, illique adeo juris è Lege tantillum non acquirant; nec Galliæ Regum hodie imperantium ſtemma è Carolingica ſucceſſione maſculina demonſtrari, aut ad liquidum perduci queat: nec Provinciæ quas Galli ſcriptis & armis petebant, Terra Salica ſint. Hinc maximis ingeniis exquiſitis utrinque, vaſtus & profundæ doctrinæ labor: lites arduæ & prolixæ, nec minus calidæ: ita tamen, ut cauſſam eorum, qui Auſtriaca jura tuebantur, omnino meliorem & victricem agnoſcas. Pluribus hæc, juxta cum aliis de Gente Saliorum, de Terra Salica, de Legis ætate, duplici editione vetuſta, &c. deducta videbis, Lector, in Præfatione Schilteriana, & noſtro, quod adjecimus, Supplemento; cum fructu perluſtranda ſi lubet. Recenſuimus ibidem editiones præcipuas, ut non opus ſit, eas denuo enumerare. Non tamen celandus eſt amicus, quo parario B. Schilterus noſter ad cognitionem Codicis Regii, è quo nunc prodit Salica Lex, pervenerit. CAROLUS BULTELLUS is fuit, ſupplicum libellorum in Curia Pariſienſi Magiſter: Vir omni genere doctrinæ cumulatiſſime ornatus, & ipſe poſſeſſor, dum viveret, Bibliothecæ copia & delectu eminentis. Monuit literis d. 16. Octobris 1697. humaniſſime ſcriptis, Schilterum, extare Codicem in Bibliotheca Regia n. 5189. ſignatum, & abs ſeſe viſum, qui ad editiones Heroldi atque Wendelini propius accedat, & quo de cum Baluzio ſermonem miſcuerit: qui prius aut eum codicem ignoraſſe videtur, aut propterea in editione Capitularium Francicorum omiſit, quod ex Fuldenſi Bibliotheca ſpes nanciſcendorum Codicum aliorum, queis uſus olim Heroldus fuit, ipſum fefellerat. Quicquid ſit, Bultelli incitamentis inductus facile Semo noſter per V. Cl. Jo. Georgium Schottum, Pariſiis tum ſtudiorum gratia hærentem, & amicum, ad id rogatum, copiam Codicis vetuſtiſſimi nactus eſt: charactere quidem optimo, & textu ad fidem libri accurate deſcriptam; ſed librum ita nudum (nam nihil omnino notarum poſt Schilteri mortem inventum eſſe jam ſupra diximus) huic Theſauro inſerere religio nobis fuit. Acceſſit ergo ad preces Bipliopolæ ſumme induſtrii Vir quidam doctus (ſed qui nomen ſuum efferri præ modeſtia non vult) & inſtituta cum libris HEROLDI & ECCARDI perquam ſedula collatione id præſtitit, ut nunc nihil deſit lectori cupido eorum, quæ tribus diſtinctis admodum & à ſeſe haud parum abeuntibus Legis Salicæ editionibus, plus quam ſemibarbaris adeoque antiquiſſimis, ſive voces

ces Francicas veteres exquiras, ſive res, ſuo quodque loco expreſſa ſunt. Adjecta nobis hortantibus, Latina Legis editio Baluziana cum eruditiſſimis Virorum doctorum notis, quæ non parum ad illuſtrationem Monumenti vetuſtiſſimi conferent, ut opinor. Sed de his plura videri poterunt in Præfatione.

Jus Provinciale Alemannicum.

Sequitur poſt Salicam Legem JUS PROVINCIALE ALEMANNICUM, Liber multis utique ſeculis junior illa; ſed & multis omnino modis concinnior, venuſtior, plenior; nec ipſe tamen interim recentioribus adnumerandus aut excludendus ab ævo medio: ſeculo nimirum decimo tertio collectus: ſive ſub Ottone IV. quod Schilterus vult, ſive ſub Friderico demum ſecundo, quod eruditiſſimo Scherzio magis probatur. Certe Seculo illo melioribus Legibus datum eſſe locum vel unum illud evicerit, CONRINGIO obſervante de O. I. G. p. 223. quod eo urbes plurimæ conditæ, & commercia cum mutuis, tum cum exteris gentibus inſtituta, ex quo tum viribus tum opibus paſſim Germaniæ populi florere cœperunt. Multum quoque caſtigata vetus ferocia Teutonum, & impunitas latrocinandi coërcita paſſim ſevere. Porro nec numero Legum adhuc laboratum, nec vana inter Germaniæ populos promulgatio ſine auctoritate. Raræ etiam lites, & brevi temporis ſpatio circumſcriptæ. Ubique ſervata ſollicite cura æqui & boni. Meretur de hoc argumento legi ante alios CHRISTOPHORUS LEHMANNUS, integerrimus ac longe doctiſſimus *Chronici Spirenſis* auctor *lib. IV. c. 21.* e quo ſequentia verba ex codice veteri Juris Provincialis excerpta huc apponemus. *Diz Buch heiſt das Landrecht Buch: wann alle die Landrecht, die hie angeſchriben ſind, die ſind uber alle Landrecht, und geweret nach geſchriben rechten, und etwa nach gewonheit. - - Recht und gute Gewonheit iſt die, die wider Geiſtliche recht nit iſt, noch wider menſchliche zuchten, trew und ehren, noch wider Seligkeit: &c.* En priſca fides & integritas Germanorum! Quæ exinde amplius elucet; quod, eodem obſervante Lehmanno, tametſi dignitas Imperialis à Carolingis ad Saxones, inde ad Francos Salios, Suevos item, Bavarosque devenerit, nemo tamen Cæſarum Germanicorum vetera, quæ ſub Francis Carolingis valuerant, jura ſuſtuliſſe deprehendatur: quorſum & inſigne teſtimonium allegat è Gotfrido S. Pantaleonis monacho Colonienſi; (quem Freherus in lucem protulit) cujus hæc ſunt de Actis Comitiorum Imperii ſub Ottone IV. an. 1208. Francofurti habitis, verba: *Rex primo, deinde ceteri Principes jurant firmam pacem terra marique conſervandam, omnes injuſtas exactiones vectigalium deponendas; omnia etiam jura à Carolo Magno inſtituta, obſervanda & tenenda.* Ceterum cave ita iſtud accipias, quaſi nihil omnino temporibus inſequutis fuerit ultra id quod Carolus in Statutis præcepit, vel additum vel immutatum. Recte monet Lehmannus, de ſubſtantia legum Carolinarum id accipiendum: *Daſs die Keyſer auſs dem Stamm der Sachſen, item Francken, Bayern und Schwaben die von Kaiſer Carolo M. vernewerte und verbeſſerte Recht und Geſaz der Teutſchen Völker IN IREM WESEN beſtändig erhalten; und in keiner Hiſtori zu finden, daſs ein Kayſer oder König dieſelbe Geſaz und Recht abgeſchafft, oder andere Recht an deren ſtatt anzunehmen gebotten, biſs bey aufrichtung deſs Kammergerichts nach den Römiſchen Rechten.* Potuerunt interim, ſalva Legis antiquæ ſubſtantia, addi pluſcula ſive Cæſarum Principumque voluntate, ſive conſuetudinibus recenter enatis: quæ tamen per errorem ſeculi imperiti pro antiquis & vere Carolingicis vendita ſunt. Verum hæc utcunque ſe habeant, pretioſa tamen profecto ſunt λείψανα Jurisprudentiæ ſimplicis & ingenuæ Majorum noſtrorum, quæ tum in Feudali, tum in Provinciali Jure Alemannico continentur.

Schilteri cura circa Jus Prov.

Feudale, ut nemini poteſt eſſe ignotum, B. noſter Schilterus dudum Argentinæ A. 1696. cum Latina Verſione & Commentario ampliſſimo in lucem volumine ſatis magno edidit, plurimo cum Orbis Literati applauſu. Jus Provinciale aggreſſus idem eſt: ſed, ut ingenue fateamur, progreſſus initiis non reſpondit. Igitur alia via rem perfecit, ac perpolitum Jus ſuis curis reddidit, medios inter labores alios, medias inter valetudinis hebetioris infirmitates Excellentiſſimus SCHERZIUS, quem in Præfatione omnia fuſius docte non minus ac modeſte, ut nunquam non ſolet, exponentem vide ſis. Schiltero ad manus fuere Codices minime ſpernendi: quibus ut & membranaceum Pariſinum adderet *Roſtgaardus* datis ad illum Lutetia literis A. 1698. ſuaſor fuit,

Digitized by Google

initia Codicis minime vulgaris excerpens. Verum obstitere forsan sumtus ad descriptionem impendendi; aut præstantia librorum quos jam possederat, minuit desiderium Codicis Parisini. Interim, cum ab aliquo tempore plures emitterentur in lucem *Speculi Suevici*, aut quod idem est, *Juris Alemannici Provincialis* editiones è MSS. præstantibus hic illic erutæ, inprimis per *Ill. BERGERUM*, & *Cl. SCHANNATUM*: & vero *Perillustris DN. Consul Reipublicæ nostræ*, *DN. RAYMUNDUS KRAFFT de Delmensingen* pro suo erga Remp. Literariam & Viros Doctos incredibili favore Codicem Juris istius membranaceum sane quam pretiosum & venerandum è gazis Bibliothecæ suæ promptissime suppeditasset, qui πολλῶν ἀνάξιος ἄλλων dignus qui omnibus præferatur Celeberrimo Scherzio, cognitori sagacissimo, visus est; post maturam deliberationem Vir iste Juris Consultissimus Amicus noster & Fautor summus, decrevit adhibere quidem in subsidium Schilterianos Codices atque labores; ceterum eligere ob singularem præstantiam Codicem Krafftianum, quem typis unum nitide exscribi curaret: ita tamen, ut simul studio prorsus exquisito congereret & conferret quidquid non bibliotheca solum dives ipsiusmet propria, imo non Argentina solum suppeditabat codicum, sed & ex Alsatia, Francofurto, Basilea Viri Illustres ac suis quisque titulis condecoratissimi, Dn. WALDNERUS *de Freundstein*, Dnn. UFFENBACHIUS, & FESCHIUS liberaliter subministrarunt: Denique ad collationem adsumtum, quidquid aliunde prodiit aut obvenit eximii: ut ad XX. Codices numerus collatorum adcrescat. Ex his omnibus selectæ variæ, non promiscuæ lectiones, sed quæ lucem afferre, aut ad restitutionem textus aliquando corrupti aut nonnihil mutili (uti nihil est ab omni parte beatum) prodesse possent. Hæ cum notis eruditis quibus insertæ sunt, non parum laudis Auctori suo acquirent. Ne vero exteris fortasse, aut etiam aliis nostrorum nonnullis ansa conquerendi daretur de linguæ adhuc durioris adeoque intellectu difficilis asperitate, (de qua familiaribus ad Schilterum literis aliquando Mabillonius post acceptum dono Kœnigshofii Chronicon questus est) Versionem adjecit Scherzius impiger eruditam, Schilterum ad Jus Feudale idem facientem feliciter imitatus.

Et Scherzii, multo accuratiores.

Carmina Germanorum.

Succedunt Legibus Carmina Francorum, vetustissimo Germanicæ gentis more loco historiarum aut annalium, ut pridem Tacitus annotavit, habita: quam certæ fidei, non liquet. Succenset Schilterus Conringio, quod Carmina illa non majorem mereri fidem scripsit, quam fabulas Græcorum Latinorumque Poëtarum, ac se aliud pollicetur demonstraturum: sed nihil præstitit. Interim Conringius fidem non omnem omnino derogat iis, quæ Jornandes è carminibus Ostrogotthicæ gentis suæ, de migratione Gothorum memorat: *Nam hoc unum*, inquit *olim apud Germanos omnes annalium genus fuit*: de *Antiqu. statu Helmstadii p. 65*. Nimirum cum judicio tractari talia voluit Vir summus, nec incredibilia sine teste admitti. Ita igitur & hæc, quæ nunc è Collectione Schilteri edimus accipienda.

Rhythmus Triumphalis.

ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ, i. e. Triumphale carmen, quod primo loco occurrit, historiam sine dubio verissimam & victoriam Ludovici contra Nortmannos canit, ut è luculentissimis B. Schilteri notis patet. Dignissimumque erat monumentum, quod post primam editionem anni 1692. huic quoque Thesauro insereretur, notulis nonnullis auctius. Dictio aspera est & inamœna, si primos sex versiculos exceperis, qui ab inferioris ætatis calamo, nisi me omnia fallunt, fluxere: fortassis ut tædium duræ dictionis quisquis erat interpolator, conatu tamen parum consulto, emolliret.

Carmina de Bello Caroli Hispanico.

At quæ Rhythmum hunc excipiunt Carmina duo de Caroli M. in Hispaniam expeditione, fabulas olent profecto Romanenses palam. Nam, ut millies concedatur, Carolum semel expeditionem in Hispanias suscepisse, quam paucis verbis *Annalium vetustissimus* aliquis *auctor* MSS. apud LAMBECIUM (*Bibl. Vindob. l. II. p. 372.*) memorat hoc modo. *Karlus contra Saracenos Pampalonem civitatem capit. Abitaurus Saracenorum Rex dedit obsides fratrem suum & filium, & reddidit civitates quas tenebat. Inde proficiscitur ad Cæsaris Augustam, adducit secum Ibimlarchi* (corrigit Lamb. *Ibnalarabi*) *Regem Saracenorum.* Admittatur & EGINHARDUS scriptor gravissimus, qui post felices Hispanicæ expeditionis successus redeuntem cum excercitu Carolum Imperatorem in

Digitized by Google

in *ipso Pyrenæi jugo Vasconum ingenti perfidia novissimum agmen cum viris aliquot egregiis* (quos inter & *Rutlandus Britannici littoris præfectus* numeratur) fœde in insidiis trucidatos amisisse refert, *nec factum illud vindicari potuisse :* Non tamen ex his efficietur historia de Rolando tam affabre ficta quæ, nescio qua fortuna favente, per omnes fere gentes Europæas linguis omnibus cantata & celebrata fuit : ut erudite ac eleganter ad Strikerum in Præfatione Scherzius noster ostendit.

Eorum editio gemina.

Merebatur interim ad cognitionem linguæ veteris Francicæ monumentum nec injucundum lectu, nec alias vulgatum, hoc inprimis in Opere legi : & quidem editione gemina : Vetustior ætatis ratione præcedere debebat haud dubie ; si modo integrum exstaret opusculum. At quum non supersit nisi Fragmentm Rhythmi veteris illius, Scherzius Carmen integrum jussit præcedere, tametsi non uno, ut videtur, seculo recentius, & ex illo vetere per STRIKERVM non ignobilem ævi sui Poëtam efformatum, dicam, an renovatum ? Schilterus descriptum è MSS. reliquit utrumque : sed emendavit ex *aliis* Codicibus, & notis ornavit undique Scherzius, quas legisse neminem gustu *rerum* harum nonnihil imbutum pœnitebit.

Paræneticì Goldastiani.

Restat, ut de TYROLIS & WINSBECKIORUM conjugum Paræneticis nonnihil dicamus : Hi sub initium seculi superioris A. 1604. Lindaviæ à Melchiore Goldasto editi è Bibliotheca Schobingeriana, incredibile dictu, quam avide fuerint à summis etiam viris jam à multo tempore quæsiti. Fœtus enimvero sunt Sec. XIII. sub Fridericis Impp. in quorum alterutrius aula Winsbeckius e prima nobilitate vir magnis præfuisse rebus creditur, & Winsbekia Conjux ut illustrium Matronarum decus ob sapientiam culta. Tyrol Scotorum Rex haud dubie dramate poetico fictus, nunquam Scotis imperavit; imo, ut reor, nunquam exstitit : iccirco & minime à Comitatu Tyrolis nomen trahit, quod ridicule fortassis alicui imperito in mentem venire posset : *Dirol* etiam scriptus jam olim reperitur, quid ni & *Tirol* scribi posset ? Cæterum paræneses ipsæ quæ nomen ab eo gerunt, monita continent aulica, politica, ethica, œconomica ; quæ cum multis veterum Græciæ sapientum certare possent. Adeo non barbara fuit natio Germanica ævi medii, sensu pietatis & honestatis plurimo imbuta. Magnus enimvero numerus Poëtarum & carminum istiusmodi Goldasto ad manus fuit, è quibus in notis præstantissima plurima excerpit : daturus etiam libros integros, ni fata obstitissent, dum novercam experirentur fortunam editi Paræneticì, ob imperitiam hominum ingratorum. Jure vero nunc meliora speramus seculo rerum patriarum peritiore juxta & avidiore. Cui ut novum daret incitamentum Scherzius, è Parisino Codice Regio per Illustrem dignatione maxima in Aula Imperiali Virum, JO. CHRIST. BARTENSTENIUM, Mecænatem nostrum, literata peregrinatione tunc temporis Lutetiæ eruditæ forulos undique perreptantem, varias lectiones obtinuit fructo multo, cujus & lectorem in notis participem larga manu facit.

Tatiani Harmonia.

Atque ita defunctus videri possem labore præfandi ad secundum, qui nunc pari nitore, uti primus, parique accuratione prodit, Schilteriani Thesauri tomum. Ast silenda non est Appendix, Tomo primo vendicanda. TATIANI (ut vulgo fertur errore jam à multis inolito seculis) HARMONIA IV. EVANGELIORUM, in Theotiscum translata, olim jam præstantissimo labore, sermonem. Dixi autem in præfatione peculiari quantum satis ad excusandam impressionis tarditatem, causasque moræ quæ in nobis non erat. Summam binis verbis accipe, Lector. Sero post emissum jam anno abhinc tomum primum repertæ B. Schilteri schedæ, quæ Tatianum exhibent, maturiorem editionem non admiserunt. Sed melius erat, produci tarde, quam nunquam. De libro *ipso* quæ sentienda sint, exposuit in Præfatione Schilterus. Verbo dicam. Profecto ad primi ordinis Monumenta Teutonica pertinet opus ex Anglia per *Jo. Phil. Palthenium* allatum felice industria, & ad Schilterum missum. Opus, dicam ? an Operis insigne Fragmentum ? Nam à capite 76. ad 153. desunt omnia. Verum pretiosa tamen erit semper servata è naufragio tabula : honorem Germaniæ veteri Christianæ perennem, nobis delitias sanctas & juges præbitura. Vale Lector, & porro cœptis arduis ac utilissimis ; tum vero & indefesso Bibliopolæ ad ornandum bonum publicum studio, quo

Digitized by Google

ſane alios antecellit, fave: Schilterique Gloſſarium intra proximum ſemeſtre vigiliis multis & cura maxima elimatum, ſi DEUS annuerit Propitius, certo exſpecta. Scribebam Ulmæ, Septembri medio. A. 1727.

L. B.

Ne, quod ſupereſt, ſpatium inani vacuo fœdaretur, lubet ad notam B. Schilteri verſui 40. Epinikii Ludovico R. acclamati p. 13. ſubjectam addere

Excerpta è literis V. Cl. JO. ROSTGAARDI ad Schilterum; ex ἀυλογράφῳ.

quæ difficili loco plurimum adferre lucis videntur. Agitur de miſeria Francorum, ante Ludovici victoriam, multiplici, quam DEus inultam aliquandiu permiſit ac tulit: Poëta autem exponit verſu ægre intelligendo. Igitur ita Roſtgaardus.

„ MAgnam meretur attentionem Commentarius tuus ad hunc verſum
„ *Leid ber thez ingaldiz.*
„ Scribis, vocem *ingaldiz* eſſe *& obſcuriſſimam, & plane ſuſpectam.* Merito quidem,
„ Vir Clariſſime: nam & id ipſum tecum fateor, obſcuriſſimam eſſe, quamdiu unica vox eſſe reputabitur. Illa tamen non omnino inſipidam ſubminiſtrabit interpretationem, ſi more anatomico in tres partes diſſecetur. Id autem ut eo felicius ſuccedat, hoc unicum poſtulo, ut concedatur mihi pro *in* legere *ni*, mutato puncti loco: qui proh dolor! nimis ſæpe in hujus linguæ manuſcriptis librariorum negligentia immutatus eſſe deprehenditur. Hoc itaque conceſſo totum hunc verſum cum proxime præcedenti ita lego:

„ *Was erbolgan Kriſt,*
„ *Leid ber thez, ni gald iz.*

„ & hanc eidem addo interpretationem:

„ *Erat iratus Chriſtus,*
„ *Permiſit illud, nec id puniebat.*

„ Germanice, niſi fallor, diceretur: *Er leid es, und galt (oder vergalt) es nicht.* Anglo-
„ Saxonibus in uſu fuit *geldan*, & in Evangeliis Gothicis occurrit Lucæ XIX. 8. *fianr-*
„ *falth fragilda*, i. e. *quadruplum reddo*, compenſo. Francos vero & Alamannos
„ uſurpaſſe verbum ſimplex *kelten*, & *gelten*, notiſſimum eſt: unde formatum imper-
„ fectum *galt* vel *gald*, *reddebat*, *retribuebat*. Voculam vero *ni* quod attinet, eam
„ pro *non* & *nec* promiſcue adhiberi norunt, quibus vel unicam paginam Alamannice
„ ſcriptam perlegiſſe contigit. Habes mentem meam, Vir Celeberrime, de
„ hujus verſus emendatione. Dabam Lutet. Pariſ.
„ 13. Novembr. 1697.

ANTI-

Digitized by Google

ANTIQUISSIMÆ
LEGIS SALICÆ

Textus Vetuſtior,

Ex

BIBLIOTHECA PARISIENSI

Regia deſcriptus, quo voces Germanicæ quædam retentæ:
ad inſtar Vetuſtiſſimarum Reliquiarum
FRANCICÆ LINGUÆ.

Recenſuit & Editioni paravit

JOHANNES SCHILTERUS JCt. Argent.

Adjuncta eſt accurata ſubnotatio Variationum inſignium
tum ex Editione BASILII JOANNIS HEROLDI,
Quæ in non paucis differt à noſtra:
Tum ex alia vetuſta, quam è Codice GUELPHERBYTANO eruit
Vir Illuſtr. JOANNES GEORG. ECCARDUS.

Accedit ſeorſim

PACTUS LEGIS SALICÆ

Textus Recentior

Ex Editione V. Cl.

STEPHANI BALUZII

Una cum ejusdem, ut &
FRANC. PITHOEI ac HIERON. BIGNONII
Notis, textui cuique ſubjectis.

Editio Nova magno ſtudio adcurata.

ULMÆ,
Sumptibus DANIELIS BARTHOLOMÆI,
M DCC XXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google



JOANNIS SCHILTERI PRÆFATIO

Ad

LEGEM SALICAM.

§. I.

SAla, qui & Isala, fluvius est Germaniæ inferioris, ubi vetustissima Francorum sedes, usque ad Rhenum pertingens, & Bataviam includens. Cum itaque confœderati Franciæ populi diversis sedibus inter sese cohabitarint, diversis quoque cognominibus discriminati fuerunt: unde etiam SALII Franci ab aliis distincti à fluvio fuerunt, peculiaremque provinciam constituerunt, primariam inter reliquas. Saliorum mentio legitur apud Ammianum Marcellinum: in Notitia Imperii: *V. Bignon. ad L. Sal. pr.* & de Saliorum Comitio vetusto, ALDISALE, videatur *Menso Altingius P. I. p. 68. & P. II. Notit. Germ. infer. pag. 5.* SALECI etiam hi Salii dicti, & oppositi Romanis & Barbaris. Lex ipsa Salica tit. 17. §. 2. ait *Si Romanus, Barbarus, Salecum Francum expoliaverit*, &c. qui Salecus §. seq. κατ' ἐξοχὴν dicitur Francus. Otto Frising. L. IV. Chron. c. 32. *Nobilissimi Francorum Salici dicuntur. Salik* etiam est vicus Auchorum in Frisiis. *Alting. Notit. voc. Sala.* Denique posteris SALICI generatim omnes Franci vocitati. *H. Conring. de Origine Jur. Germ. cap. 7. pag. 33.* Unde & Imp. Conradi cognomen Salici vel Saliqui. SALIK etiam est vicus in Frisiis, Alting. d. l. Atque hinc etiam Legis Salicæ nomen & origo.

§. II.

Legis Salicæ mentio fit in ipsius Legis Prologo: *Gens Francorum, custodiens pietatem, dictaverunt SALICAM LEGEM per Proceres ipsius gentis.* Nec enim tunc Regem sibi constituerant: etsi Regis in ipsa Lege fiat mentio, quo de infrà. Pluscula testimonia de Legib. Salicis exhibet Wendelinus: etiam ex ipsius legis titulis *de Natali L. Sal. pag. 177.* Prima incunabula Legis refert H. Conringius ad tempus circa An. CCCCXXII. quòd fere cum Goldasto convenit, qui ponit An. CCCCXXIV. Errat vero Goldastus, dum hanc Legem per Faremundum R. latam refert, cum tunc Faremundus nondum in rerum natura extiterit. Cæterum prologus ille qui in capite Legis apparet una cum revisione Chlotarii Regis factus fuit circa A. C. 590. atque extat inter Kapitularia *Pactus pro tenore pacis dominorum Childeberti & Chlotarii Regum circa A. C. DXCIII.* In quo ipso §. 5. Legis Salicæ mentio habetur, ut ea observetur. Ipsa etiam Lex in veteribus exemplaribus quibusdam hunc habeat titulum: *Pactus Le-*

Digitized by Google

gis Salicæ, quem ſecutus Illuſtris St. Baluzius, & qui optimè convenit legislationi Reip. liberæ aut confœderatæ. Unde autor anonymus de Geſtis Francorum, à Frehero & du-Chesnio editus, quum de electione Faramundi Regis primi refert, ait: Legem Salicam conſiliarios Francorum PRIORES GENTILES adhuc tractaviſſe. Luculentius Ado Viennenſis narrat, Francos in Germanorum oppidis ad Rhenum ſibi Pharamundum Regem ſtatuiſſe, *legibusque ſe ſubdidiſſe, quas PRIORES eorum Wiſvaſtus & Wiſogaſtus, Arogaſtus, Salegaſtus invenerunt.* Sed & ipſe prologus illos quatuor viros appellat Proceres ipſius gentis, *qui tunc temporis*, inquit, *aderant Rectores.* Atque hæc de tempore Legis hujus latæ.

§. III.

De loco natali videamus. Hunc quidem idem Prologus indicat, tres nempe mallos, ſed generatim, veluti tunc celeberrimos. Hos porrò Ado Viennenſis expreſſè inter *Germanorum* oppida conſtituit cum Sigeberto Gemblacenſi. Nec diſſentit Autor de Geſtis Francorum, qui, ut ex MS. Cameracenſi teſtatur Wendelinus, has leges tractatas fuiſſe refert *in villabus quæ ultra Rhenum ſunt.* Scripſit autem ille autor cis Rhenum. Plerique tamen ad Galliam, non Germaniam referunt, atque inter eos noviſſimè Jo. Jac. Chiffletius & Gotteſr. Wendelinus ad Galliam Belgicam, peculiari libro de Natali Solo Legis Salicæ. At hos quidem bellè examinavit & refutavit *H. Conring. de O. J. G. cap. 7.* Ipſe verò Germaniæ natales hos utique vindicat, ſed non eapropter adſtipulatur, Melchiori Goldaſto, qui fide non ſatis æqua, ut Salisburgum (Salzburg) oppidum ad Salam in Franconia ſitum pro natali Legum Salicarum cum aliqua veriſimilitudine venditare poſſet, *Tomo III. Conſtitutionum Imperialium*, Legi, quam una inſerit, titulum hunc præfixit, velut in MS. Codice antiquo repertum: *Faramundi I. Francorum R. Leges Salicæ: In Comitiis quondam Salizenſibus per Francos & eorum Proceres decretæ*, &c. At cum nullus extet Cod. uſpiam tali titulo: & errores in eo multi evincant, confictum eſſe totum intempeſtiva Goldaſti temeritate: qui & Legem Salicam unam in duas non ſolum partes dividit, ſed pro duobus ejusdem libris vendit, ætate diverſa priorem à Pharamundo, A. C. 424. poſteriorem à Clodoveo ſub *Addendorum* nomine in Comitiis Aquisgraneſibus An. 490. promulgatam Omnia ſine teſte, ſine ullo idoneo fundamento. Quapropter & à Wendelino gravis impoſturæ reus agitur Nat. Solo L. Salicæ p. 60. ſq. & vituperatur à Conringio, qui non immerito commentum iſtud pro illaudabili, Goldaſto tamen perquam familiari facinore habet. Marquardi Freheri conjecturam, quà circa Lupodunum oppidum Winheim ſuſpicatur eſſe unam villarum natalitiarum Salicæ Legis, rejicit Conringius, eo, quod reliquas villas indicare haud potuerit. Similiter & Matthiæ van der Hove in Antiquitatibus Batavicis ſententiam reprobat. Unde concludit, non eſſe fortaſſe quod hodie natalitias Salicæ Legis willas certò queamus oſtendere. At enim ipſe mutaſſe deinceps videtur ſententiam, quum per epiſtolam alibi contendat, omnia illa nomina hodieque ſuperare circa Moguntiam & Oppenheimium in ſolo GALLICO; Et Legem Salicam in Ripuariis latam, *Epiſt. VIII. ad Ferdin. Epiſc. Paderb.*

§. IV.

Verùm enim verò, quod pace beatorum Manium dixerim, huic quidem ſententiæ ſubſcribere cohibet, primò quod vetuſtus atque probatæ fidei hiſtoricus, Proſper, cujus verba excerpta nobis reſervavit Sigebertus in Chron. An. 422. teſtatur, Legem Salicam *in villis Germaniæ*, ante tranſitum in Galliam, fuiſſe latam. Adeoque non in Minori, neque ſecunda neque Prima, ſed in Germania propriè dicta ſive Magna & reſpectu Galliæ Transrhenana. Neque in Ripuaria Terra Lex Salica lata, quum hæ duæ leges diſtinctæ ſint. Moguntia verò non ad ſecundam, *ſed Primam* Germaniam recenſita, *Panciroll. in Notit. Imp. occ. p.* 164. 176. 179. Porro Moguntia ejusque ager tunc adhuc ſub imperio Romanorum erat, Sigebertus A. C. 425. *Albanus Epiſc. apud Moguntiam civitatem Galliæ, martyrizatur.* Igitur Germanorum legislationem non conceſſiſſent Romani, neque appetere eam Germani hîc voluiſſent. Cæterum Clodius demum Rex An. 445. de Diſpargo miſſis exploratoribus ad Cameracum tranſiit Rhenum, & latè arma victricia protulit, An. 476. Ibi Treveris fuit Romanis erepta, & tota tandem Gallia An. 489. & 496. & ſq. uſque ad Sequanam & Ligerim, ut ex Idacii Epiſc. Chronico idem refert. Neque officit, quod in ipſa Lege Salica tit. 50. fi. mentio fit Ligeris (non nimium procul diſtantis à Carbonaria, hodie Lajarre, Belgis Leker, *Wendelin. c. X. Nat. Sol. p.* 86.) & Carbonariæ ſylvæ, quæ ſine dubio in Gallia ſita: Nam iſtud fuit augmentum Legis Salicæ, poſtquam Gallia ſub imperium & jurisdictionem Francorum redacta. Fuit enim Lex Salica

multum

Digitized by Google

multum aucta additionibus Regum Francorum. Eadem ratio est, quod etiam Regis in L. Salica Tit. 48. fiat mentio, adjectio enim est à revidentibus Regibus Francorum. Neque viciſſim obstat, quod in tit. 62. de ſucceſſione Fœminarum in Terra Salica, Regni non fiat mentio. Ex eo ipſo enim confirmatur ſententia, legem hanc confectam antequam Franci Regem ſibi conſtituerint. Cæterum vox Terræ Salicæ optimo jure extenſa deinde fuit ad Regiam ſucceſſionem in Regno, quod ipſum Terrâ Salicâ utique conſtat. V. & Gloſſar. voc. Allod. De Diſpargo vid. Gloſſar. noſtr. voce Diſpargus. Unde rectè Lex Salica diſtinguitur in primævam, Transrhenanam, & auctam, Cisrhenanam. Ait quidem Eginhardus, Francos duplicem habere legem; *Franci duas habent Leges plurimis in locis valdè diverſas.* Verùm ſolidè probavit *H. Conring. d. c. VII.* Eginhardum non niſi de duabus diverſisque unius Salicæ Legis editionibus loqui, Prima, quam & popularem dixeris, altera Reviſa & Aucta per Reges, quam ob id Regiam dicere poſſimus: quò etiam referenda ſunt Kapitularia Francorum. Atque hâc ratione admitti poteſt, opinor, ſummi JCti, Jac. Cujacii ſententia, quum *lib.* 1. *tit.* 1. *Feud.* ait: *Separatis libris habetur Lex Salica & Lex Francica: hæc eſt occidentalium, illa orientalium.* Et Otto Friſing. lib. IV. Chron. c. 32. *Hâc* (Lege Salicâ) *nobiliſſimi Francorum* (Orientalium) *qui Salici dicuntur, adhuc utuntur.* Huc etiam facit, quod in libris Feudorum, Matrimonium ad Morganaticam Legi Salicæ adſcribitur. Etſi enim nihil in Lege Salica, nihil in Kapitularibus habetur; comprehendit tamen vox Legis omne jus, etiam non ſcriptum ſeu conſuetudinem. Quomodo etiam Primogenituræ jus ad Francicum rectè refertur. Certè jam ante Cujacium Baſilius Jo. Heroldus in libris Germanicarum Antiquitatum, Legem Salicam à Lege Francorum ſeparavit.

§. V.

Vindicato Germaniæ natali ſolo Legis Salicæ generatim, ſpeciatim quoque inquirendum illud, utrum in Inferiore an Superiore Germania collocandum. Atque vulgaris eſt opinio, de ſuperiore Germania, ejusque parte Franconia, in qua etiam fluvius Sala labitur. Sed hæc colonia tantùm Francorum fuit facta, quum fortè Franci Francofurti trajectum haberent: Non ſolet autem Legislatio univerſalis ejusmodi ἀποβρίπτειν, i. e. parti vel portioni, gentis totius committi. Majori jure prima & primaria ſedes Francorum ad Salam ſeu Iſalam ſibi vindicat hoc natale ſolum: eòque ipſo, quia primariæ ſedi populi alicujus talis legislatio propria eſt; unde & nomen *Aldiſale* veteri Comitio reliquum memoratur. Confirmatur hoc quoque à Nominibus propriis Locorum & Perſonarum in Prologo. Perſonarum h. e. Procerum ipſius Gentis Nomina ita exprimuntur in vetuſtiſſimo Codice MS. Monaſterii S. Galli in Helvetia, ex quo Varias Lectiones ad editionem Wendelini St. Baluzius annotavit, mihique pro ſumma Viri humanitate communicavit: *PROCERES ipſius Gentis, qui tunc temporis aderant RECTORES electi de pluribus viris Quatuor his nominibus: WISOGASTIS, BODOGASTIS, SALEGASTIS, WIDOGASTIS.* Rectores vocantur, ſcilicet Provinciarum ſive pagorum, Gauorum, quos poſtea Comitatus vocavimus: quales Tacit. *de Mor. Germ. c. XII.* deſcribit: *Principes, qui jura per Pagos vicosque reddèrent cum Centenis ſuis.* Vocantur etiam à Sulpicio Alexandro, *excerpente Gregorio Turonenſi l. 2. §. IX.* Duces, & Subreguli ac Regales Genobaudes, Marcomeres & Sunno. Nomina porrò hæc vix verum Regem intelligi admittunt, quod quidem Valeſio placuit, neque neceſſariò præſupponunt, non magis quàm vocabulum Principis apud Tacitum. Imò verò cogitandum adhuc eſt de loco Gregorii *d. §. IX. p.* 62. Is refert de Francis: *Transacto Rheno, Tungriam transmeaſſe, ibique juxta pagos vel civitates, Reges Crinitos ſuper ſe creaviſſe, de prima & ut ita dicam, nobiliori ſuorum familia.* ait: *juxta pagos*, pagatim, quomodo Græci: κατὰ πόλιν, in ſingulis urbibus. Atque an Reges Criniti, non tonſis, ſed Coronatis & unctis opponantur? aut ſaltem Cæſaries non Regum, ſed Nobilitatis Francicæ inſigne? *Wendelin. Gloſſ. v. Crinit.* de Cattis Tacit. c. 31. Vox GAST, Gaſtis, denotavit Priſcis Præfectum, Comitem, Principem. Longobardis *Gaſtaldus.* Et illum ipſum Wiſogaſtum, Wiſigaſtaldum vocant Otho Friſing. & Conradus Vrſpergenſis. V. Gloſſar. noſtr. voc. Gaſt. Unde Feudum Gaſtaldiæ poſtea enatum.

§. VI.

Altera nominis pars Comitatum ſive Provinciam innuit: ſed hæc variat in MSS. Nobis placet antiquiſſima fortè, quæ extat, ex eod. Codice Baluziano, nimirum

SALECHAGINE BODECHAGINE WIDOCHAGINE.

Digitized by Google

In MS. Bibliothecæ Regiæ non multum diverſè:
Salechagme, Bodogagme.
Nam *m* coaluit ex *in.* At in *Ullidochami* omiſit amanuenſis g ante mi, & mi pro in: *uuidochagini.* Alii *Gheue, Hoven*, alii *Heim* inde confecerunt. Omnia perperam. Chagen vel HAGEN denotat Tribunal, locum malli, à Verbo Hagen, Hegen, *do das Lantgerichte gebeget wird*, de quo in Gloſſario. Reliquum videtur ex his Tribunalibus BODOHAGEN. Bodo ſive Boto, Botaw, Botavia, hodie Batavia, ubi Haga Comitum, GrafenHage. Conf. Alting. P. I. pag. 16. SALEHAGIN, Provincia inter Salam & Amaſim. WIDOHAGIN tractus fuerit inter Amaſim & Viſurgim.

§. VII.

In his tribus tribunalibus, ſicut & in quarto, cujus Præfectus WISOGASTIS vocatus, à Wiſonibus Viſurgis accolis fortè, plura fuerunt Malbergia, ſive Judicia ſubordinata, in quibus jura reddita, atque protocolla rerum judicatarum habita, ex quibus illi Quatuorviri Res ſimiliter judicatas collegerunt, de ambiguis deciderunt; idque per tres mallos ſive conventus. Quæris in qua lingua? Reſponſio in promtu; in ſua, Francica, non Latinâ ſeu Provinciali, quam tunc nondum uſurparunt. Firmat hoc ſuo ſuffragio *Dadinus de Alteſerra lib. 3. Rer. Aquitan. c. 9.* Legem Salicam à Francis conditam, Clodoveum R. emendaſſe & Latinitate donaſſe. Itemque *Marc. Ant. Dominicus de Prærogat. Allod. c. VII*, 3. de quo in *Præf. ad J. Feud. Alem.* Idem confirmat vetus editio Legis noſtræ, quam edidit primò laudatus Heroldus ex diverſis MSS. quam exſcripſit Wendelinus; deinde & Codex MS. Bibliothecæ Regiæ, cujus exemplar hîc exhibemus. Etſi enim primæva editio merè in lingua patria publicata non amplius, quod ſciamus, extet; probat tamen intermedia illa, quam diximus, quod vocabula Francica ſeu Germanica ex Malbergicis protocollis ita retinuerit, & in hunc finem primò, ut certiores eſſent Franci, linguam provincialem nondum ſatis capientes, de materiis & argumentis legum atque textuum ad facta propoſita applicandorum. Atque hæc editio jam loco primævæ habenda. Altera hujus Legis ſive Reviſio & Editio ſ. Promulgatio caret iſtis vocabulis Malbergicis, & mere Latina eſt, antiquior tamen Carolo M. quod exinde patet, quia in ea adhuc *Chrenecrudæ* mentio fit, quæ tamen per Childeberti R. decretionem jam tum abrogata fuit. Ratio porrò, quare in illa repetitæ prælectionis editione vocabula Francica omiſſa, ſine dubio ea fuerit, quod non amplius neceſſaria viſa, ad erudiendum Vulgus, quum hoc jam ſatis linguæ provincialis gnarum videretur.

§. VIII.

Porro Malbergica iſta vocabula ſunt juris Salici ex facto reſultantis; eaque vel per res judicatas, ùt tit. XVII, 5. *Malb. chreo mosdo MDCCC. den. qui faciunt Sol. XCV. & in alia ſententia MMD. denar.* &c. ſcil. diverſis caſibus. Vel per vocabula primaria cauſæ in foro Francico uſitata, velut Tit. 3, 11. *Si quis bovem furaverit, Malb. OHSENO.* Tit. 4, 1. *Si quis agnum lactantem furaverit, Malb. LEM.* & §. 3. *Feiſtſchefo & Fettiſchefo.* & innumera exempla produci poſſent. Quod *per res judicatas* dixi, textus autem allegatus vocat *Sententiam*, id alibi *Mens* appellatur. Tit. 2, fi. *Brarecho Malb. Et in alia Mente, Babene.* Tit. XV. de eo qui ux. alienam. *Malb. Abtica. Et in alia Mente: Arbatheus*, &c. Wendelinus in Gloſſar. Atuat. v. Abtica: interpretatur Exemplar, quaſi diverſa fuerint exemplaria protocollorum ex quibus hæ Leges congeſtæ. Sed perperam. Nec enim diverſitas iſta vera redditur, nec Quatuorviri variantes Legis lectiones collegerunt, nec etiam potuerunt ante Legem collectam; quinimò Legem ipſam, & diverſitatem ſententiarum ſeu rerum judicatarum, pro varietate circumſtantiarum recenſent. Etiam *Pacti* vocem uſurpat Lex hac in re, Tit. XI. fi. *In alio Pacto dicit de ipſis* ſcil. Majoriſſa & ancilla miniſteriali, &c. *In alio pacto*, i. e. ſententia vel Statuto Malbergico, quod in Camera Imperiali *Gemeine Beſcheide* appellamus. Cæterum ſomnia mera ſunt, quod idem Wendelinus vocabula illa Francica Malbergis adjecta, putavit eſſe Nomina propria Malbergiorum, i. e. locorum, in quibus Judicia fuerint habita, & ſententiæ pronuntiatæ; Idque arenoſum fundamentum eſt totius operis de Natali ſolo Legis Salicæ. At quum ei impoſſibile eſſet, omnia illa vocabula ad certa loca Belgii applicare, confiteri tandem cogitur, pag. 121. quædam eſſe actionum potius quàm locorum nomina: (quanquàm nec Actionum propriè, ſed rerum & cauſarum dixeris.) quæ variatio ipſa quoque totam opinionem

ejus

Digitized by Google

ejus ſatis facit ſuſpectam. Verior interpretatio ab ipſa Lege nobis ſuggeritur, ita ut Malberg non de certo loco intelligamus, ſed de Jure, eoque Provinciali: Nam & vocatur Landeuua, hodie Landrecht. Tit. XIX, 1. *unusquisque eum mallere debet per Malberg ſeu landeuuas.* Item Tit. XX, 1. Tit. XXI, 1. Tit. XXXI, 2. 4. Cui contradiſtinguitur Burgoſitto, h. e. Burg-Sitten vel Stattrecht. Tit. de caballo adſcenſo. XXVI. *Malberg: Leudardi: & in aliâ mente, Burgoſitto,* &c.

§. IX.

Modò jam dixi, duas eſſe Corporis Juris Salici editiones ſive promulgationes, Veterem quæ Malbergiorum Francicorum terminos retinet & novam, quæ illis deſtituitur. Quam quum Vir CL. nec unquam ſatis laudandus, St. Baluzius Tutelenſis ex plurimis MSS. illo quoque vetuſtiſſimo S. Galli, inter Kapitularia Francorum emendatiſſimam ediderit: nos de priori ſumus ſolliciti, tanquam antiquiſſimo linguæ Francicæ & Germanicæ monumento; præſertim poſtquam induſtria Nobiliſſimi & in his ſtudiis bellè exercitati Juvenis J. Gr. Schotti, J. V. C. in Bibliotheca Regia MS. reperto, accurateque deſcripto, mihi id transmiſit. Hoc exemplar conſiderans equidem, & multum diſcriminis ab Heroldino deprehendens, nefas duxi, idem orbi literato hîc non communicare.

§. X.

Præter illas duas Editiones Legis noſtræ fuerunt etiam aliæ ſub Regibus confectæ, inter quas & talis, quâ tituli utriusque prioris fuerunt concinnius & aptius collocati, ne ſtatim in primordio Res porcina præferretur. Hujus tituli ut ſeſe habeant, ab Amico fuerunt communicati, atque una varia lectio in primo titulo, unde recentior ætas apparet. Sunt autem hi.

INCIPIT TITULI LEGIS SALICÆ.

De mannire.
De eo qui ad mallum venire contempſerit.
De eo qui Graffionem ad res alienas tollendas injuſtæ invitaverit.
De rachinburgiis qui ſecundum legem non judicant.
De eo qui hominem innocentem vel abſentem ſine cauſa ad regem accuſat.
De incendio eccleſiarum vel expoliatione & de homicidiis clericorum.
De eo qui graffionem occiderit.
De homine in hoſte occiſo.
De eo qui villam alienam adſallierit.
De incendiis.
De homicidiis ingenuorum.
De homicidiis in convivio factis.
De homicidiis a contubernio factis.
De conpoſitione homicidii.
De vulneribus.
De debilitatibus.
De chenechruda.
De eo qui hominem ingenuum expoliavit.
De eo qui hominem ingenuum ſine cauſa ligaverit.
De eo qui miſtucum hominem expoliaverit.
De corporibus expoliatis.
De eo qui mulieri ingenuæ manum aut brachium ſtrinxerit.
De ingenuis mulierum raptoribus.
De reippus.
De eo qui alienam filiam deſponſaverit & non vult eam accipere.
De eo qui alienam villam occupaverit vel ſi XII. menſibus eam tenuerit.
De afatomiæ.
De falſo teſtimonio.
De eo qui fidem factam alteri non reddiderit.
De re præſtata.
De manu ab eneo redimenda.
De maleficiis vel herbis.
De his qui pueris vel puellis occiderint vel totonderint.
De alode.
De eo qui ſe de parentela tollere voluerit.
De charoena.
De eo qui alterum herinburgium clamaverint.
De via lacina.
De furtis ingenuorum.
De furtis ſervorum.
De ſervo qui de furto fuerit inculpatus.
De ſervis vel mancipiis furatis.
De his qui aliena mancipia ſollicitaverint.
De cavallis furatis.
De cavallo ſine permiſſo domini ſui aſcenſo.
De cavallo ſcorticato.
De furtis canum.
De venationibus.

Digitized by Google

De furtis avium.
De furtis animalium.
De furtis porcorum.
De furtis ovium.
De furtis caprarum.
De furtis apium.
De furtis arborum.
De furtis in molino comissis.
De furtis diversis.
De vestigio minando.
De intervatis rebus.
De testibus adhibendis.
De damno in messe vel in qualibet clausura.
De sepibus.
De eo qui navem alterius moverit vel furaverit.
De locationibus.
De quadrupedibus qui hominem occiderint.
De homicidiis servorum vel ancillarum.
De adulteriis ancillarum.
De libertis dimissis.
De eo qui hominem de barco vel de furcis deponit.
De conviciis.

Tit. I. aut uxori illius denuntiet, ut ei faciat notum quomodo ab illo est mannitus. Nam si jussione regis occupatus fuerit manniri non potest.

TANTUM SCHILTERUS.

SUPPLEMENTUM
Ad
PRÆFATIONEM SCHILTERI
IN LEGEM SALICAM.

Ulta est multorum eruditorum, eaque ardua tractatio, quin & multis in capitibus concertatio de Salica Lege: adeo, ut nonnullis videatur labor, qui amplius eidem insumitur, fere supervacaneus, & vix operæ pretium effecturus. Enimvero non eapropter frustra bonas horas insumsisse B. Schilterus noster putandus est in apparanda, quantum per fata licuit, nova Legis istius è Codice Regio Paris. editione, & in conficienda præfatione. Quæ tamen cum absoluta non fuerit, & erudita brevitate sua fiat paulo obscurior: tum omittat aliqua lectu non injucunda, licebit nobis in gratiam lectoris addere quæ ad rem pertinere videbuntur.

Saliorum nomen non officii vel dignitatis.

Primo de Saliis Francis unde nomen habeant, adeo non est eadem omnium cum Schiltero nostro mens, ut in alia potius omnia multi abeant, ac diversissima comminiscantur. Certe *Gottefridus Wendelinus*, Canonicus olim Tornacensis, Vir doctissimus, at nimium præfidens, & παράδοξος hac in re, eousque progreditur, in tractatu *de Natali Legis Sal. c. XI. p.* 87. ut contendat: „*Nullam revera fuisse Gentem Salicam*, aut populum hoc nomine, sed in populo „non uno fuisse homines, quibus à vitæ ordine, consuetudine ac dignatione inter suos datum „fuerit, ut *Salii* vel *Salici* vocarentur: quomodo nimirum nullus populus vocatur Sacerdos, „Nobilis, &c. sed in populis sunt Sacerdotes, Nobiles. -- Ita *Salii* dicuntur *à Sala*, h. e. Re„gia seu nobili domo & Palatio: *(dem Saal*, unde & in Belgio *Sael-Recht*,) plane ut Salii ni„hil aliud fuerint, quam Regis sui ministri Aulici ac Palatini: à Sala Salici, Saloduri. Unde „& porro Wendelinus *Soldurios* illos Cæsari commemoratos, Regi suo fidissimos & ad mor„tem usque devotos, non alios putat fuisse, quam *homines Salicos*. Verum, tametsi multa eam in rem ingeniosissima profert etiam in Glossario quod subnectit, operose Wendelinus p. 177. sqq. nimis tamen à vero illum abhorrere, & noster Schilterus notat, & pridem invicte pluribus demonstravit Summus Vir *Herm. Conringius de Orig. Juris Germ. c.* 7. Nempe Vir Doctus conjecturis & etymologiis frustra indulget & abutitur adversus manifestissima testimonia Juliani Imp. qui Salios ἔθνος Σαλίων μοῖραν, *Gentis Salicæ partem* vicisse se, ad Athenienses ipse scribit:

(Opp.

Digitized by Google

(Opp. p. 280.) Ammiani Marcellini, XVII, 8. Zosimi & Libanii, qui omnes Juliano coævi gentem è stemmate Francorum oriundam, Salios appellant. Id quod adeo evidens atque clarum vel ipse Jo. Jacobus Chiffletius, Wendelino licet multo amicissimus, agnovit, ut in Vindiciis Hispanicis c. V. p. 42. ex allegatis Juliani verbis *certo indicio* constare scribat, *partem* Saliorum à Juliano devictam equidem, sed *partem aliam alio loco*, in altera Rheni ripa ad Saliam fluvium, pridem jam *consedisse*: id quod & deinceps in Luminibus Salicis plus semel iterum affirmat. Quid ergo? num & hi forte trans Rhenum erant Regis nescio cujus solum aulici, aut Palatini? Ridiculum. Gentem, populumque fuisse Salios certo certius est, & quidem è Francis unam, ut vel ex ipso Legis titulo liquet, item ex unanimi consensu veterum Scriptorum, quorum testimonia ipse Wendelinus studiose collegit. Hinc & Herm. Conringius non dubitabat affirmare, Saliorum nomen fuisse Francis omnibus commune, tam qui cis, quam qui trans Rhenum habitabant. Franciscus Pithœus idem censuit, & Francos a velocitate pedum, utpote qui cursu inprimis valebant, *Salios* à *saliendo* dictos fuisse suspicabatur: quem & Lindenbrogius sequitur: in suo ad Leg. Sal. Glossario. Ceterum non omittenda est hic omnis mentio *Saliorum Ligurum*, quis Conringius quidem *gentem obscuram* vocat, *& scriptoribus aliis*, præterquam Plinio *indictam*: sed perperam, ut opinor. Nam diu ante Plinium Strabo & Livius eorum meminere; paulo post Florus, item Ptolomæus: quorum testimonia profert eruditissimus Cellarius, monens nomen quidem illorum paulo aliter scribi: dum Salyes, aut Salyi, item Salvii & Salluvii vocantur: sed minime obscuram extitisse gentem: imo vero potentiorem ceteris; quippe quæ fere omnem regionem ab Rhodano per Liguriam usque ad Italiæ fines, & Varum fluvium tenuerit. *Geograph. Antiq. T. I. p. 235. sq.* Nec video quid impediat, quo minus & ex hac gente potuerint ortum trahere jam olim *Salii Gallicani* tum *Juniores*, tum *Seniores*, quos inter subsidiarias cohortes jam Honorii & Gratiani Impp. tempore sub Magistro Peditum intra Gallias militantes, *Notitia Imperii Occid.* liber sub iisdem Imperatoribus scriptus; & à Pancirollo cum Notis erud. editus recensetur. Interim fœde erraverit, qui hos Ligures putaret intelligi in titulo Legum Salicarum. Franci enim erant Salii Legis hujus auctores, dicti etiam aliquando *Saleci*, alio longe loco ac apud Ligures quærendi.

Sed omnino Gentis Francicæ.

Salii Ligures.

Hic vero diversissimæ sunt rursus auctorum sententiæ de terra Legis Salicæ natali: utrum inter Francos Orientales an Occidentales, Germanos an Gallos, cis, an trans Rhenum quærenda sit? Atque ut quæstionis hujus momentum lector intelligat, operæ pretium est animadvertere, ab ea magnos ætate patrum nostrorum montes pependisse. Videlicet, cum fere medio Seculi superioris bellum inter Galliæ Reges Ludovicum XIII. & XIV. ab una, & Hispanos Reges una cum omni Familia Augustissima Imperiali Austriaca ab altera parte acerrimum ac lugubre gereretur: & imprimis Gallica natio, favente fortuna, ut fit, semper audacior ad protendendos regni sui fines Regisque potentiam adaugendam latissime quousque poterat semper intenta, tum temporis etiam Juris prætextum aliquem speciosum quærere magno studio cœpisset; producta fuit in scenam, & *fax bello prælata*, ut Chiffletius scribit, Lex Salica; velut idonea inprimis, quæ validum ampliandis sine fine finibus præsidium ac firmamentum præberet. Argumentum itaque tale nectebant. Apud Francos Lege Salica solis duntaxat masculis hæreditas defertur, & quævis Regii dominii distractio prohibetur. Inde inferebant: Nemini proinde injuriam aut facit aut faciet Franciæ Rex (quem à Francorum Rege & Imperatore Carolo Magno per Hugonem Capetum genus omnino masculum ducere, justoque titulo exinde ad amplissimum Caroli Imperium ut sibi debitum vendicare magno simul molimine contendebant) si jure suo utendo vindicias egerit omnium, quæ jam inde à Caroli M. temporibus Augustissimi Imperatoris coronæ decesserunt. Hinc Lotharingia impetita, & Burgundiæ Comitatus: hinc quæsita dudum Alsatia tali colore. Hæc non acta solum literario certamine innocuo inter eruditos; sed in actionibus Legatorum publicis cum ambitu prolata, in castris etiam per libellos jactitata, mirum quam acriter animos Gallorum ad iras, & arma sub specie juris late circumferenda accendebant. Nam à Francis Occiduis, seu Franco-Gallis hodiernorum Regni Gallici incolarum majoribus, conditam esse Legem Salicam, ut rem certam haud dubii præsupponebant. Hoc fine tanto conatu in Natales Legis istius inquisitum fuit, & sententia pro Gallis lata, à *Jacobo Cassano*, & *Joanne Boucheto*, Gallis eruditis, imprimis autem opere splendido, quod *Assertor Gallicus* vocatur Parisiis è typographia Regia magnifice ornato editoque An. 1646. à *Marco Antonio Dominico*. (quem cave lector quisquis es imperitior, cum celebri Marco Antonio de Dominis forte confundas:) Hæc vicissim occasio, causaque haud sane levis extitit, quæ summum Virum *Joannem*

Terra Natalis Legis Salicæ.

Quæstionis momentum.

Jacobum Chiffletium, Veſontienſem, Regis Hiſpaniæ Philippi IV. Comitem Archiatrorum, ſtimulavit primo, mox accedente Regio juſſu perpulit ad opponenda Gallis ſcripta profundæ eruditionis: *Vindicias Hiſpanicas*, *Lumina Salica*, *Lampades Hiſtoricas*, *Lotharingiam*, *it. Alſatiam vindicatas*: *Lilium Francicum Illuſtratum*, aliaque pluſcula, quibus tam ſtrenue, tantoque apparatu reconditæ doctrinæ & ſtringentium argumentorum pro Francis Ortivis, ita vocat Orientales, pro Lotharingia, pro Alſatia, proque Imperio Rom. egit, ut, fatentibus Gallis ipſismet magnus ſuo merito habeatur. Eadem cauſa Gottefrido Wendelino fuit, ſocias jungendi operas Jacobo Chiffletio ad Salicam Legem à prætenſionibus Gallorum vindicandam: id quod erudito de Natali Salicæ Legis opere haud inſcite præſtitit: tametſi Chiffletio non par, nec admittendus in multis, ut Schilterus annotavit in Præfatione, & nos paulo ante monuimus; tum & infra nonnihil adhuc monituri.

Sententiæ variæ.

Ceterum, uti certum putat noſter Schilterus, Salios à *Sala* ſive *Iſala* Germaniæ inferioris fluvio nobili nomen traxiſſe, ibidemque quærendum Legis Salicæ natale ſolum, argumentis profecto minime contemnendis: quæ & plurimos alios viros doctos moverunt, interque illos Cel. Basnagium in Annalibus Fœder. Belgii ad idem ſtatuendum. Ita Conringius plane ſe incertum profitetur. Wendelinus in Brabantia apud Toxandros vel Taxandros felicius ſe ſedem Saliorum & Legis patriam demonſtraſſe ſibi perſuadet. At cum alii Philippum Cluverium ſecuti Toxandros non in Brabantia nec in finibus Leodicenſium, ſed in Zelandicis inſulis ſedem habuiſſe contendant, & obſtent non pauca alia, Conringio monente; inprimis, multa veterum ſcriptorum ævi medii teſtimonia, quæ fruſtra in dubium vocantur per argumenta etymologiis atque conjecturis innixa: nihil profecto certi nos docuit Wendelinus. Igitur alii Germanorum in media Germania ad Franconiæ ac Thuringiæ notiſſimum amnem Salam rectius natales Salicæ Legis redigi contendunt: quos inter poſt Goldaſtum Illuſtris Eccardus, qui tamen & Harcyniæ Brunſuicenſi plurimum favet. Verum, quid huic ſententiæ opponat noſter Schilterus, vidimus ab initio præfationis. Jo. Jac. Chiffletius Saliorum, qui Legem condidere, terram trans Rhenum, reſpectu Germaniæ, in Auſtraſiæ regno ad Saliam fluvium Mediomatricum: qui per ipſam Metim urbem in Moſellam illabitur: (hodie la Seille dictus) cum Browero credit, cui & adſtipulari Steph. Baluzius Not. ad tit. 49. Leg. Sal. videtur. At huic plurima opponit Conringius de O. J. G. p. 26. nec ferendam ſententiam putat: cui tamen ipſe deinceps acceſſit propemodum: dum in oppidis quibusdam trans Rhenum prope Moguntiacum è nominum ſimilitudine loca Procerum Salicorum conjectat: cui viciſſim iſtud opponit Celeberr. J. Nicol. Hertius, non cogitaſſe Conringium, loca illa circa Mog. & Oppenheimium eo tempore, quo lex Salica condita eſt, adhuc ſub Alemannorum ditione fuiſſe. *Notit. Regni Francor. Vet. c. IV. §. 29.* Poſt tot ergo Sententiarum divortia illud unum nobis certum reſtat, non à Gallis aut Rege demum Clodoveo latam eſſe Legem Salicam, quod Hadrianus Valeſius, Gabr. Daniel aliique volunt, ſed conditam à Francorum Gente adhuc libera, diu ante Clodoveum, non à Rege, ſed à Proceribus Francis ante regnum & prius quam Rhenum transiſſent, in Germania ſeculo V. nondum adulto. In hoc enim & Prologi Legis ipſius uterque, quos habemus, & Hiſtorici vetuſtiſſimi diſerte conſpirant.

Vera & certa.

Probatur paucis.

Eſt ſane jucundum lectu, quod de Francis ſcribit Agathias Hiſtoricus Lib. I. *Non feri ſunt Franci, ut multi barbarorum; ſed inſtitutis legibusque ut plurimum Romanis vivunt, pari nuptiarum, pari contractuum cura &c. Et mirari ſane ſubit tum alia eorum bona, tum juſtitiæ inter ſe concordiæque tutelam. - - Talibus ſe moribus jamdudum in imperio valido ſuſtentant, legibus ſemper iisdem.* Novi hæc ſcripſiſſe Agathiam ſub ſeculi ſexti finem, cum & Chriſtiani eſſent omnes Franci, & ſub Regibus viverent; filiis & nepotibus Clodovei: nam hoc hiſtoricus ipſe refert: nec diffiteor, in eo illum hallucinari, quod Francos ait *legibus ut plurimum Romanis* vixiſſe. At profecto, dum Agathias ad antiquiora tempora provocat, dicitque Francos *iisdem ſemper legibus jamdudum* ſe ſuſtentaſſe, haud obſcure prodere videtur, ſe de veteri gentis adhuc liberæ lege aliquid inaudiviſſe. Hanc autem non aliam eſſe, quam Salicam à Proceribus Francicis ante Regum tempora & auctoritatem, conſenſu publico conditam, è Sigeberto Gemblacenſi fit manifeſtum: qui tametſi multo junior Agathia, utpote Seculi XII. ſcriptor; ſecutus tamen antiquum Proſperi Chronicon (ut obſervant viri doctiſſimi) ex eodem hæc ad A. C. 422. excerpta tradit. *Franci cœperunt uti legibus, & Legem Salicam dictaverunt per quatuor gentis ſuæ Proceres electos de pluribus - - in villis Germaniæ Salecheim* &c. *Hi quatuor*

quatuor Proceres per tres mallos convenientes, causarum origines sollicite tractantes, de singulis discutiendo, sicut Lex Salica declarat, judicare decreverunt. Plura de Proceribus illis eorumque nominibus, item de Villis Germaniæ, ubi sitæ fuerint, nihil nunc attinet addi abs me iis, quæ Schilterus habet, aut quæ disputant alii. Sunt omnia propemodum infinitæ dissensionis. Porro, quod variationes attinet Legis Salicæ, cum nemo dubitet, quin illa interpolationibus, augmentis & additionibus variis subinde abs Regibus fuerit mutata & aucta: unde tam variæ ejus editiones: suffecerit obiter monuisse, vix sperari debere virum aliquem doctum, qui huic quæstioni ab omni parte satisfaciat: h. e. tempora, quo quidque additum Legi sit, sublatis omnibus scrupulis accurate nos edocere possit. De fide Christiana, quæ in Lege Salica vetere, qualem edimus, habentur, noviter adjecta sub regibus facile agnoscuntur, & non sunt admodum sancta aut severa: quippe nequidem homicidia, etiam Grafionum, item Clericorum, aliter nisi pecunia mulctari jubentur. Ut adeo Procopius minime mentiri censendus sit, cum de Francis scribit: *Hi barbari, quanquam Christianum in nomen transgressi, multa retinent pristini moris.* Hist. Goth. Lib. II. p. 287. edit. H. Grot.

Interim, ut omni dubio caret, Legem Salicam perpetui apud Francos usus in foro, etiam sub Regibus præcipui nominis fuisse: quippe quam ex antiquo stemmate Merovingico Childebertus Rex: deinde Karolus M. Imp. Ludovicus, Karolus Calvus, aliique suis in Capitularibus, frequenter nominatim laudant, universalem agnoscunt atque confirmant: Ita quæri solet inter eruditos, num & Regum ipsorummet potestati Salica Lex modum posuerit aliquem regulâ præscriptâ? Affirmant aliqui, nixi L. Salica ipsamet: quæ Tit. LIX. & LXXVI. edit. Heroldi (nostra Tit. XC.) Regi præscribit, quomodo & quatenus potestatem suam exerceat in judicando: nempe ut contumacem *extra Sermonem suum*, i. e. extra protectionem *ponat:* non etiam ut severius puniat. Wendelinus ergo tum ex his tum & ex aliis titulis Legis Salicæ colligit; Regiam dignitatem non multum eminuisse supra Proceres. In Gloss. post Leg. S. voce *Rex*: p. 172. Similiter & Hotomannus penes Ordines ac populum summam rerum fuisse in *Franco-Gallia* sua contendit. Quin & ipse Schilterus noster alibi (*de Libertat. Eccl. Germ. L. III. c. 8. §. 25. p. 391.*) observat, Francorum Ordines habuisse Jus Regibus contradicendi & resistendi, idque ipsis fuisse confirmatum in ipsa Divisione fraterna Regnorum Ludovici Germanici & Caroli Calvi Confluentiæ A. 860. ubi pactis solemnibus uterque Regum promiserit, suis fidelibus *libertatem salvam* fore, ita, ut *unusquisque eorum in suo ordine & statu veraciter sint securi de Rege* ejusve institutis. Quin & amplius deinde promisisse Reges, *communi Statuum Consilio se assensum præbiturum*, ne habeat alioqui *Status contradicentes & resistentes*, sed potius *adjutores & cooperatores.* Videntur hæc utique manifestos ponere limites potestati Regum, ne omne quod voluerant liceret. Idipsum *Agathias* illustri confirmat testimonio, quum ita de Francis scribit: *Histor. l. I. p. 531. ex edit. Latina H. Grotii. Si quod & inter Reges dissidium intervenerit, armantur quidem omnes, velut Marte usuri arbitro, inque campum procedunt. Sed ubi invicem se conspexere populi, desidente æstu ad pacis amorem redeunt; jubentque Reges quæ ambigua habent, jure potius disceptare: aut id si abnuant, ipsos inter se singulari certamine experiri: quod æquum non sit, neque patriis ipsorum moribus congruens, ob privatas ipsorum controversias Rempublicam labefactari, forte & everti. Subito igitur dissolvunt acies: pax iterum & tranquillitas. Tanta subjectis æqui patriæque reverentia: tanta Imperantibus bonitas, & in suos obsequium.* Hæc de Francorum Regibus populoque sub Filiis Clodovei refert Agathias. De Carolingis idem referre non potuisset, quippe quorum intestino sanguine Francia tota fœde maduit. Ergo & de Regum Francorum potestate aliis viris doctis longe alia mens: Monent, non semper deliberationem in Conventibus populi indicare partitionem summæ potestatis sed tantum moderationem: idipsum vero de Francorum Conventibus & libertate merito tenendum. Proferunt ejus rei testem Gregorium Turonensem, qui se ita Chilpericum R. aliquando allocutum memorat: *Si quis è nobis, ô Rex, justitiæ tramitem transcendere voluerit, â te corrigi potest: Si vero tu excesseris, quis Te corripiet? Loquimur enim tibi: sed si volueris, audis: si autem nolueris, quis te condemnabit? nisi is, qui se pronunciavit esse justitiam?* Lib. V. Histor. c. 19. Addunt plurima alia argumenta, quæ supremam Regum potestatem nullis coërcitam Gentis aut Ordinum legibus demonstrant. Vid. *Hertius cit. Notit. Regni Vet. Franc. c. IV. §. 3.* qui ea ex auctoribus variis studiose colligit.

Usus Legis Salicæ.

An posuerit modum Regiæ Potestati?

Ex hac vero quæstione alia consurgit, multo major & illustrior, tum maximis inter viros eruditos partium diversarum contentionibus agitata. Nimirum, an Salica Lex fons verus sit, *Lex de Successione nonnisi masculina*

Digitized by Google

R. Francorum unde hausta?

ſit, & origo Succeſſionis in Regno Francorum Gallorumque nonniſi Maſculinæ; excluſis omnino in perpetuum fœminis? Et num ex illius dictamine tanquam è Regula ſacroſancta & inviolabili inde à primordio primarium iſtud Juris Publici Gallorum caput: *Corona Franciæ de Lancea nunquam cadit in Colum: Lilia non nent:* ductum vere fuerit atque obſervatum? Affirmant id non ſolum, ſed & multo argumentorum apparatu tuentur Galli recentiores, inprimis tum HiſtoriæGentis & Eccleſiæ Francicæ ſcriptores, tum Juris Regii Aſſertores plerique: Ante alios, ut Paulum Æmylium, jam veterem, omittamus, Henr. Spondanus, Carolus le Cointe, Gabr. Daniel; Jac. Caſſanus, Marc. Ant. Dominicus, &c. Negant enimvero ſtrenue & impugnant ſummis viciſſim & ipſi viribus Jo. Jac. Chifletius; & Gottefridus Wendelinus: qui Gallos etiam ſcriptores haud infimi ordinis, Jac. Cujacium, Franciſcum & Antonium Hotomannos, Papyrium Maſſonum, Ludovicum Cantarellum Fabrum, alios, ſtrenue adducunt: quorum teſtimoniis probare conantur, vel, nihil unquam pertinuiſſe ad Gallos, Occidentales Francos, Legem Salicam: vel, ubi receptam à Regibus negare non poſſunt; magno tamen errore à vulgo Gallicanorum Scriptorum Salicam Legem ad Jus Publicum Civitatis atque Imperii, ſimul & hæreditariæ Regni ſucceſſionis trahi: cum omnia S. L. capita non de publico Regni & Civitatis jure, ſed de privato tantum conſtituta fuerint. *Imo Francos ab annis ſolummodo* 150. (ita ſcribebat Canterellus ille Faber allegante Chifletio *Lum. Sal. p.* 225.) *illa novitate ductos nullo veri vel falſi, boni vel mali reſpectu communi voce, morem illum nomine Salicæ Legis donaſſe, tacite abrogata antiquæ Francorum conſuetudinis appellatione, qua ſola maſculinitas firmata eſt, non autem Salica Lege.* Mitto nunc de argumentis aliis magno molimine utrinque petitis; & nunc impugnatis, nunc defenſis, referre ſigillatim plura. Longa eſt hiſtoria, longæ ambages: quæ metas præfationis ſupergrediuntur non uno nomine, tum & longe rectius ex auctoribus ipſis petentur. Nec noſtrum tantas componere lites. Juvat tamen apponere Verba ipſa Legis, quæ tantum litis genuerunt, tantum ſui hodieque famam ſpargunt. Continentur Tituli LXII. *de Alodis* editionis Heroldi; item in Pithœana Lindenbrogii, nec non emendata Baluzii: Antiquiſſima vero Schilteri noſtri refert Legem & ipſa, ſed verbis nonnihil, ut videre eſt, immutatis, tum ſatis barbare prolatis: Tit. XCII. Heroldianæ edit. verba ſunt hæc, poſt multa de hæreditatibus herciſcundis alia, ſub finem tituli. *De terra vero Salica in mulierem nulla portio hæreditatis tranſit, ſed hoc virilis ſexus acquirit, hoc eſt, Filii in ipſa hæreditate ſuccedunt.* Editio recentior Pithœana ſic effert ut Heroldus notat ad marginem: *De terra vero Salica nulla portio hæreditatis mulieri veniat: ſed ad virilem ſexum tota terræ hæreditas perveniat.* Addit Heroldina editio adhuc comma aliud, quod omittunt reliquæ. *Sed ubi inter nepotes aut pronepotes poſt longum tempus de Alode terræ contentio ſuſcitatur, non per ſtirpes, ſed per capita dividantur.* Hoc eſt ergo ſtatutum iſtud Salicæ Legis, quod jam inde ab initio Seculi decimi quarti perpetuo Gallis omnibus pro maſculina Regum ſuorum ad Coronam ſucceſſione in ore fuit: ex quo nimirum poſt Ludovici Hutini mortem, frater illius Philippus Longus, in Comitiis Ordinum Regni Gallici Lutetiæ A. 1316. ſucceſſionem in Regno, excluſa Joanna Ludovici Hutini Filia, obtinuit, non ſolum ex *inveterata conſuetudine moreque regni fœminas ab honore regio repellentis:* ſed & ex titulo *Legis Salicæ*, quæ tum ſolemni Ordinum pronuntiatione pro regula definitiva certaminis omnis in ſucceſſione, ſuſcepta fuit. Atque id decretum nove tunc fuiſſe factum, prorſus in gratiam Philippi, tradunt Gallorum aliqui, Belleforeſtus, Hallianus, &c. fatente in Annalibus Eccleſ. ad An. 1316. n. 5. Henr. Spondano: At ipſe Spondanus aliique plurimi longe diſſidentes Legem Salicam inde ab ipſa regni inſtitutione fuiſſe introductam atque obſervatam contendunt. Illud certum, ab eo tempore, ex quo poſt obitus præmaturos Fratrum duorum Franciæ Regum, Philippi Longi, & Caroli IV. Pulchri, qui ſine maſcula prole An. 1322. & 1328. deceſſerunt uterque: cum Eduardus III. Angliæ R. Sorore Regum horum Iſabella natus, vi magna & immenſo ſanguine fuſo Sibi Suisque ſucceſſionem ad Coronam Gallicam à materno ſtemmate vindicatum iret, idque jus inter poſteros ejus Henricus V. inprimis, Angl. R. non minori fortitudine quam felicitate armorum diutino bello eſſet proſecutus: Gallis ad pertinaciſſimam & invictam tandem Regum ſuorum Stirpis Valeſiæ defenſionem haud parum animi addidiſſe LEGEM SALICAM, quam perpetuo, ut Paulus Æmylius refert, milites inclamabant. Quid mirum ergo, ſi & ſeculis recentioribus ævo noſtro de eadem literis fuit acriter dimicatum? Quam in partem propenderit noſter Schilterus, è Præfatione ipſius §. IV. liquet: nempe mediam. Nihil obſtare cenſet, quo minus Lex de hæredum maſculina in terris Procerum ſucceſſione olim inter Francos Salios lata, etiam à Regibus deinceps Francis accepta credi, tum ad Regiam quoque Succeſſionem extendi queat. Id

quod

Digitized by Google

quod & alius è JCtis noſtratibus Celeberrimis, J. Nicol. Hertius l. c. §. VII. amplectendum putat. Nec procul abeſt Conringius; tametſi mallet (quod & multi Gallorum viri cordati) controverſiam de Succeſſione Regia potius è perpetuo regni uſu, quam è Lege Procerum agraria decidi. de O. J. G. p. 36. Quod reliquum eſt, nemini non hodie liquet, è Lege Salica nihil omnino jurium ad ampliandos Regni ſui fines Gallis accedere: Sed quidquid habent & adepti ſunt verſus Germaniam, illud ex vi Pactorum & Tractatuum recentiorum Weſtphalicorum, Noviomagenſium, &c. obtinere: quemadmodum de Alſatia id jam olim Illuſtris Obrechtus in Prodromo ſuo demonſtravit.

Editiones Legis Salicæ veteres.

Reſtat nunc, ut de præſentis noſtræ editionis ratione aliquid dicamus: prius tamen paucula monituri de vetuſtis editionibus generaliora. Fuiſſe jam antiquis Seculis duplicem Legis Salicæ editionem Schilterus noſter poſt alios monuit in Præfatione: vetuſtiorem nempe, ſemi-Latinam, cui voces Francicæ forenſes crebro immiſtæ: alteram Latiniorem, ſed juniorem ætate, ſub Regibus denuo editam & à verbis illis antiquis Francor. liberam. Illam veterem Baſil. Jo. Heroldus in lucem primus e MSS. Fuldenſi protraxit. Baſil. 1557. in Opere *Originum & Antiquitatum Germanicarum*: alteram, poſt Jo. Tilium, Franciſcus Pithœus. Pariſ. 1602. 8. Jampridem idipſum ante Schilterum Fridericus Lindenbrogius indicaverat, in præfatione præclari Operis quod *Codicem Legum Antiquarum* inſcribit, ediditque Francofurti, 1613. faſſus ſe, *quamvis vetuſtiſſima viderit exemplaria, quæ cum Heroldiana editione pleniſſime conveniebant; aliam tamen* (i. e. Pithœanam) *ſequi maluiſſe; quia recentior apparebat, & ſecundæ prælectionis.* Hæc Vir doctiſſimus pro ingenuo candore ſuo innocue; ut vix crederes ineſſe aliquid cenſura dignum. At Wendelinus neſcio quo ſidere adflatus, vel œſtro percitus, ac præbile, quam fatetur, vix mentis compos, ad hanc Lindenbrogianam periochen exclamat. *O ſcuticam, ut ego te uſurpem lubens! Jecur Criticum, tuam fidem!* Si cauſam quæſieris iræ tantæ? ſubjicit indignabundus. *In tanta vilitate chartarum, in tanta vetuſtatis caritate, dediſſes ſaltem utramque editionem columnatim; beaſſes nos de antiquitate juxta ac de poſteritate ex æquo bene meriturus.* Sed profecto ineptit & nihil agit cum omni clamore ſuo Wendelinus, quippe non animadvertens, tantundem juris fuiſſe Lindenbrogio in eligenda recentiori editione præ veteri, ex cauſis idoneis ad ſcopum ſuum, quo non verba tunc antiqua colligebat, ſed leges; quantum in eligenda antiqua Heroldi, denuoque edenda fine alio ſibi ſumſit Wendelinus. Nam cur non & ipſe una facie ſuo in libro dedit *utramque columnatim?* Niſi quia non lubuit. Reponeret ergo fortaſſe Lindenbrogius, vir ſane minime vulgaris, ad convitia intempeſtiva Critici, ſolum illud Horatianum: *Carmin. L. I. Od. XIII.*

Lindenbrogius vindicatus.

— Væ tuum
Fervens difficili bile tumet jecur.

Sed mittamus injurias Wendelini, qui & alibi ſe iniquiorem præſtat optumo Lindenbrogio *cap. II. de Natali Leg. Sal. p. 60.* quaſi *plagiario à Pithœis manticulato.* Verum honori duxit ſibi palam Vir Germanæ fidei ac integritatis Lindenbrogius, nec minoris nominis apud exteros eruditos, Franciſci Pithœi largam humanitatem in ſuppeditandis ad ſuum Opus libris & adjumentis plurimis; eamque ſua in Præfatione debitis elogiis gratus ornat. Wendelino autem & Chifletio ob id præcipue, niſi fallor, diſplicuit, quod Pithœi ſententiam in interpretanda *Terra Salica* ſecutus, eam non de *Prædiis Nobilium Salicrum* (ut ipſi accipiunt) intelligit, ſed de *Agris ab hoſte devicto captis* accipi vult, *qui deinceps Regi militibusque Saliis ac veteranis fuerint ſive ſorte, ſive aliter aſſignati.* vid. Lindenbr. T. II. p. 1471. Hic præcipuus lapis offenſionis, ut è Chifletii Lumine II. Salico liquet p. 226. Verum è diverticulo in viam, atque ad ea quæ noſtram hanc editionem attinent, antequam finiamus.

Editio noſtra.

Conſtituerat B. Schilterus edere Codicem Salicæ Legis, qualem è Bibliotheca Regia Pariſienſi acceptum, omnium, ob tot vocabula Francica ubivis occurrentia, vetuſtiſſimum credebat: idque monumentum linguæ Gentisque antiquiſſimum abeſſe è Theſauro ſuo noluit omnino; quippe cujus crebra mentio in Gloſſario recurret. Ad textum inſuper notas moliebatur, ſed affectas ſolum quas ipſe indicat, effectas nuſpiam reperimus. Porro magnum videns ſuum inter Codicem & Heroldianam editionem diſcrimen; putavit columnatim hanc quoque apponi poſſe. At enimvero deprehenſum eſt, ob nimias diſcrepantias, non in lectionibus modo variis, ſed & in ipſis titulis, ſive ordinem, ſive numerum, ſive contentas res ipſas combinatas aut diviſas varie, ſpectes; tantum non impoſſibile eſſe columnarium inſtitutum. Cumque interea annis abhinc non ita multis Vir Illuſtris, JO. GEORG. ECCARDUS, denuo recudi curaverit editionem Heroldianam, abs ſe nonnullis in locis reviſam & ampliſſimo commentario illuſtratam: cui adjectus ab eodem eſt è MSSto. Codex Guelpherbytanus; vetuſtum ſane, at æque ut Codex

Digitized by Google

Schilterianus, mire barbarum Legis Salicæ textum ſiſtens : viſum eſt commodo publico non inconſultum, ut ſolus quidem Schilteri Pariſienſis Codex veluti textus Legis Salicæ in fronte paginarum majoribus literis exprimeretur, non vocula non literula immutata : huic vero ſubjiceretur magno ſtudio paginis ſingulis, quidquid eſt variationum vel in editione Heroldi, vel in Codice Guelpherbytano. Et quamvis moleſtiſſimus erat labor, tamen nil moratus tot tædia Vir Doctiſſimus aliquis, noſtrorum Amicorum haudquaquam poſtremus, alacri non minus & indefeſſa induſtria, quam accurata felicitate id præſtitit. Ita, ut notas quidem & commentarios Illuſtr. Eccardi nusquam & nunquam attingeret : ne ſurripuiſſe quidquam vel leviſſimum videretur : textus vero Varietates excerperet diligentia innocua & pro publico ſalubri : ita ut nunc unico velut obtutu tres ſimul Codices pervetuſti ſeſe conſpiciendos ſingulis noſtræ editionis paginis præbeant. Addita eſt in fine inſuper Tabula titulos horum Codicum inter ſeſe apte componens, plurimamque Lectoribus lucem præbitura. Illud enimvero adhuc ſtudioſe monendus es, Lector : Virum illum Doct. ab initio inſtitutæ hujus collationis ad manum non habuiſſe ipſum Baſileenſem Librum Originum ab Heroldo editum : (quem deinceps paulo poſt medium prælo currente nacti ſumus) ſed ſolum copiam ex edit. Eccardiana. Eapropter & cum labor eſſet ſub manibus, *Eccardianam* ſemper vocavit editionem quæ *Heroldi* eſt. Tu igitur, Lector optume, memineris Heroldianam ubivis intelligi ſub Eccardiano nomine : Eccardo interim honos accreſcit ex Guelpherbytano Codice primum producto, tum notis queis præcipuam ſibi famam acquiſivit.

Ad ultimum placuit, ut & editio Baluziana ſeparatim preſſo mox pede ſequeretur : partim quo nihil deeſſet Legi Salicæ : partim, quoniam illuſtre & ſumptuoſum Opus Capitularium Regum Francorum jam paulo rarius eſſe incipit : præcipue vero, quod ex Notis eruditiſſimis Franc. Pithœi (quæ ſub Gloſſarii nomine alias prodierunt) Hieron. Bignonii & ipſius Baluzii, qui amiciſſimus noſtro Schiltero fuit, recondita plurima, & haudquaquam vulgaria modo ad Linguam, modo ad alias antiquitates Francicas pertinentia diſci poſſunt. Eandem ob cauſam noluimus abeſſe Prologum editionis Lindenbrogianæ : quem una cum Annotatione Bignoni ad nomen *Salicæ Legis* mox habes noſtræ Præfationi ſubjectum. Tu Vale, Lector & fruere, noſtrisque ſtudiis fave.

JOANNES FRICKIUS.

HUGO GROTIUS Prolegom. ad Hiſtoriam Gothorum Vandalorum & Langobardorum p. 63. ſq.

NOn minus ex Legibus, quam è rebus geſtis populorum, aut in populis eminentium ingenia conſpiciuntur. Sordebunt Leges Gentium ſeptentrionalium ſola Romana mirantibus. Ego vero in Romanis Legibus ſubtilitatem minima quæque perſequentem, varietatem, inconſtantiam video : tantam denique molem, & in mole perplexitatem, ut nemo tam felicis ſit memoriæ, cui non ſæpe eveniat in Leges incurſare. At Philoſophia legem vult eſſe ſimplicem, brevem, claram ; qualia ſunt patrum familias in familiam ſuam imperia. Tum vero nihil mutata duratio multum ſecum habet auctoritatis. Hæc ego in Septentrionalium noſtrorum [quid obſtat, quo minus addamus nos Francorum veterum & Alemannorum?] Legibus invenire me gaudeo. Atque arbitror, ipſi DEO eam ſimplicitatem præ argutiis placuiſſe.

Prolo-

Digitized by Google

Prologus
LEGIS SALICÆ
Ex Editione Pithœo-Lindenbrogiana.

PLacuit atque convenit inter Francos, & eorum Proceres, ut propter ſervandum inter ſe pacis ſtudium, omnia incrementa veterum rixarum reſecare deberent. Et quia ceteris gentibus juxta ſe poſitis fortitudinis brachio præeminebant: ita etiam legum auctoritate præcellerent; ut juxta qualitatem cauſarum, ſumeret criminalis actio terminum. Extiterunt igitur inter eos electi de pluribus quatuor viri his nominibus; Wiſogaſtus, Bodogaſtus, Salogaſtus, & Widogaſtus, in villis quæ ultra Rhenum ſunt, Salehaim, & Bodohaim, & Widohaim; qui per tres mallos convenientes, omnem cauſarum originem ſollicitè diſcutiendo tractantes de ſingulis judicium decreverunt hoc modo.

Anno ab Incarnatione Domini noſtri JESU CHRISTI, DCC XCVIII. Indictione ſexta, Dominus Karolus Rex Francorum inclytus hunc Libellum Tractatus Legis Salicæ ſcribere ordinavit.

HIERONYMI BIGNONII
Nota in Salicæ Legis Inſcriptionem.

Legis Salicæ] Zoſimus Lib. III. Τὸ Σαλίων ἔθνος φεύγων ἀπόμοιρον. Ammianus Marcellinus lib. 17. de Juliano: *Petit primos omnium Francos, eos videlicet quos conſuetudo Salios appellavit.* Idem Zoſimus lib. 3. Julianum refert Saliorum ope Quados penitus excidiſſe; quos demum in numeros militares adſcripſit: Καίσαρ Σαλίους τὲ, καὶ Κουάδων μοῖραν, καὶ τῶν ἐν τῇ Βαταβίᾳ νήσῳ τινὰς τάγμασιν ἐγκατέλεξεν, ἃ καὶ νῦν ἐφ' ἡμῖν ἔτι δοκεῖ περισώζεσθαι. quos Saliorum ordines *ſuo tempore durare ait.* Ideoque in Notitia utriusque Imperii inter Auxilia Palatina ſæpe Saliorum numeri memorantur: Sub diſpoſitione Magiſtri militum Præſentalis per Orientem *Batavi ſeniores*, *Braccati juniores*, *Salii Conſtantiani.* In Occidente verò ſub diſpoſitione Magiſtri peditum, *Salii Tubantes Auguſtei*, cum eorum clypeis. Ibidemque, Sagittarii Nervii, Salii Gallicani. Et inter equitum vexillationes intra Gallias cum Viro Illuſtri Magiſtro militum Galliarum, *Salii ſeniores*; alibi, *Salii juniores.* Francorum quippe multitudo non in palatio modò, ut ait Ammianus, ea tempeſtate florebat, ſed & auxilia militaria numerosque complebat. Sed unde Saliorum appellationem traxerint ignotum eſt. Nam quod plerique à fluminibus ſic nominatos eſſe contendunt, nec confirmare nec refellere in animo eſt. Tantum dicam, nihil adferri quo mihi quidquam ex his opinionibus probetur. Quod verò doctiſſimus Pithœus & Vignerius de *ſaltu* commenti ſunt, id bellè & acutè magis quam verè dictum. Neque ſuffragatur Ammianus, dum ait conſuetudine Francorum partem Salios vocari,

carl, cum liquidò conſtet conſuetudinem pro more gentis ab illo uſurpatam. Longe itaque Romanas ejusmodi barbararum appellationum etymologias fugere debemus, ne cum illis inceptiamus qui Longobardos à longis barbis dictos ſomniarunt, cum tamen inter Germanicatum gentium barbara vocabula apud Tacitum reperiantur. Idem & de Burgundionibus ſtaruo, qui itidem à Tacito nominantur; quos tamen Jordanus à Burgis Romanis appellatos eſſe contendit. Ut tamen nihil prætermittam, Salicen oppidum Moeſiæ apud Ammianum lib. 31. legitur, unde Salios deducere poſſent qui ſomnia ſua obtrudere geſtiunt, quandoquidem & ex Pannoniis aut etiam ex Scythia Francos oriundos aſſerunt, quidam apud Gregorium. Igitur ſupervacuo labore & anxia curioſitate rejecta, nihil certi de vetuſtiſſimis rebus ſine coætaneis ſcriptoribus poſſe dici pronuntiemus. Porrò hæc lex una ex duabus eſt quibus Franci regebantur, altera verò lex Ribuariorum. Sic accipio Einhardi memorabilem locum de vita Karoli M. Franci *duas habent leges plurimis in locis valde diverſas*; quibus Karolum capitula pleraque addidiſſe ſcribit, quæ quidem hodie extant. Hæc quoque lex eſt qua ſub Friderico Ænobarbo Francorum nobiliſſimos Salicos adhuc uſos fuiſſe teſtatur Ottho Friſingenſis lib. 4. cap. 32. qua uſam fuiſſe Matthildem Comitiſſam in Diplomatibus ſuis apud Sigonium de regno Italiæ lib. 8. ipſa docet, qua tandem vetuſtate abolita, Juris Francici præcipua capita in locum ejus nomenque immigrarunt; præcipuè illud decantatiſſimum quod Regni noſtri velut tutelam continet. De tempore verò quo lata eſt, & quid quoque tempore additum vel immutatum ſit, jam accuratè à nobis alibi diſputatum eſt.

LEX

Digitized by Google

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS



LEX SALICA.

(a) IN CHRISTI NOMINE INCIPIT PROLOGUS LEGIS SALICÆ.

Ens Francorum inclita auctore Deo condita fortis in (b) arma' (c) firma pace freta profundo' in consilio. (d) Corporea nobilitas incolumna candore forma' egregia audax velox & aspera (e) a catholica fide' conversa, immunis ab herese, dum adhuc teneretur a (f) barbaro' inspirante Deo inquirens scientiæ clavem juxta morum suorum (g) qualitatem desiderans justitiam (h) custodens' pietatem dictaverunt Salicam legem (i) per proceres ipsius (k) gentes' qui (l) nunc temporis ejusdem aderant rectores electi de pluribus viris' quatuor his nominibus; (m) Vuisogastis, Bodogastis, Salegastis & Uuidegastis in loca cognominantia Salechagine, Bodogagine, Uuidochami'. Qui per tres mallos convenientes omnes causarum origines sollicite (n) discutiendo tractatis' de singulis judicium decreverunt hoc modo. (o) Ad' ubi Deo favente (p) Rex Francorum Chlodoveus torrens & pulcher primum' recepit Catholicum baptis-

Nota.

Ut uno intuitu cognoscat Lector, quid hæc, quam e Manuscripto producimus, Legis Salicæ editio singulare, & cum antea publicata Basilii Joh. Heroldi editione commune habeat; instituta est Collatio sedula cum eadem, & quidem ut à Celeberrimo Joh. Georg. Eccardo emendata ac notis illustrata denuo in lucem emissa est. Quumque Idem Eccardus una Legem Salicam, in plurimis ab Heroldino exemplari diversam, è Codice M8C. Guelferbytano publicarit, hæc quoque editio ad nostram collata, atque varietas utriusque annotata est, ita quidem ut Heroldino-Eccardiana, abbreviato nomine *Eccard. Ecc.* aut *Eccard. edit.* altera vero, voce *Guelf.* aut *Cod. Guelf.* notata sit. Quod ut in commodum Lectoris cedat precamur.

Ad Prologum.

(a) Totus Prologus deest in Codice Guelf. In Eccard. vero edit. Prologi inscriptio *In nomine*, &c. usque *Salica* omittitur.

(b) Armis. Eccard.

(c) Firma pacis fœdere, profunda. Eccard.

(d) Corpore nobilis & incolumis, candore & forma Eccard.

(e) Nuper ad Catholicam fidem. Eccard.

(f) Barbarie. Ecc.

(g) Qualitatum. Ecc.

(h) Custodiens. Ecc.

(i) *Per* omittit Ecc.

(k) Gentis. Ecc.

(l) Tunc temporis ap. eandem erant Rectores. Sunt autem electi de pluribus viri. Ecc.

(m) Wisogast, Bodogast, Salogast. & Windogast, in locis quibus nomen Salagheve, Bodogheve, & Windogheve. Ecc.

(n) Discurrendo, tractantes. Ecc.

(o) At. Ecc.

(p) Clodoveus comatus & inclytus Rex Francorum primus. Ecc.

Digitized by Google

baptismum & (q) quod minus inſpecto habebat idoneum pro culpis regis Chlodoveo & Childoberto & Chlothario fuit lucidis emendatum. Vivat quis' francos diligit. Chriſtus eorum regnum cuſtodiat (r) rectores eorundem lum'. ſuæ gratiæ repleat exercitum protegat (s) fidem' monumenta tribuat pacis gaudia & felicitatis tempora dominantium Dominus JEſus Chriſtus (t) pietatem concedat'. Hæc (u) eſtque gens fortis dum eſt robore' valida Romanorum jugum duriſſimum de ſuis cervicibus (x) excuſſerunt' pugnando. Atque (y) poſt agnitiones baptismum' ſanctorum martirum corpora quæ Romani igne cremaverunt vel ferro (z) truncaverunt' vel beſtiis (aa) lacerarunt projecerunt Francis ſuper eos aurum & lapides pretioſas ornaverunt'. Tantum. (bb)

(a) INCIP. CAPITULA LEGIS SALICAE.

I. De Manire.
II. De furtis porcorum.
III. De furtis animalium.
IV. De furtis ovium.
V. De furtis caprarum.
VI. De furtis canum.
VII. De furtis avium.
VIII. De furtis arborum.
IX. De furtis apium.
X.

(q) Quicquid minus in pacto habebatur idoneum, per præcelſos Reges Clodoveum & Childebertum & Hlotarium fuit lucidius emendatum & procuratum decretum hoc. Vivat qui. Ecc.

(r) Et Rectores de lumine. Ecc.

(s) Fidei. Ecc.

(t) Pietate conducat. Ecc.

(u) Eſt enim gens, quæ fortis dum eſſet, & robore. Ecc.

(x) Excuſſit. Ecc.

(y) Poſt agnitionem Baptiſmi. Ecc.

(z) Trucidaverunt. Ecc.

(aa) Laceranda projecerunt, ſumptuoſe auro & lapidibus pretioſis exornavit. Ecc.

(bb) His ſequentia addit Eccardiana editio:

De Legum Inventoribus & earum ratione.

„ Moyſes Genti Hebrææ primus omnium Divinas leges „ ſacris litteris explicavit. Phoronæus Rex Græcis pri„ mus Leges & judicia conſtituit. Mercurius Triſmegi„ ſtus primus Leges Ægyptiis tradidit. Solon pri„ mus leges Athenienſibus dedit. Lycurgus pri„ mus Lacedæmoniis Jura ex Apollinis auctoritate con„ finxit. Numa Pompilius, qui Romulo ſucceſſit in „ regnum, primus Leges Romanis edidit. Deinde cum „ Populus Magiſtratus ſeditioſos ferre non poſſet. De„ cemviros Legibus ſcribendis creavit, qui leges ex Solo„ nis in Latinum ſermonem translatas XII. tabulis expo„ ſuerunt: fuerunt autem hi, App. Claudius Sabinus, „ T. L. Genutius, P. Seſtius Vaticanus, T. Veturius „ Cicurinus, C. Julius Tullus, A. Manilius, P. Sul„ pitius Camerinus, Sp. Poſthumius Albus, P. Horatius „ Pulvillus, S. Romilius Vaticanus. Hi Decemviri Le„ gum conſcribendarum electi ſunt. Leges autem redi„ gere in libros primus Conſul Pompejus inſtituere vo„ luit, ſed non perſeveravit obtrectatorum metu. Dein„ de Cæſar cœpit id facere, ſed ante interfectus eſt. Paul„ latim antiquæ leges vetuſtate & incuria exoleverunt: „ quarum etſi nullus jam uſus eſt, notitia tamen neceſſa„ ria videtur. Leges novæ à Conſtantino cœperunt Cæ„ ſare, & reliquis ſuccedentibus: erantque permixtæ & inordinatæ. Poſtea Theodoſius minor Auguſtus ad „ ſimilitudinem Gregoriani & Hermogeniani Codicem „ factum Conſtitutionum à Conſtantini temporibus ſub „ proprio cujusque Imperatoris titulo diſpoſuit: quem „ à ſuo nomine Theodoſianum vocavit. Deinde una„ quæque gens propriam ſibi ex conſuetudine elegit Le„ gem. Longa enim conſuetudo pro lege habetur. Lex „ autem eſt conſtitutio ſcripta. Mos eſt vetuſtate probata „ conſuetudo, ſive Lex non ſcripta: nam Lex à legendo „ vocata, quia ſcripta eſt. Mos autem eſt conſuetudo „ longa de moribus tracta tantundem. Conſuetudo au„ tem eſt jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro „ Lege ſuſcipitur. Lex erit omne quod jam ratione con„ ſtiterit, quod diſciplinæ conveniet, quod ſaluti pro„ ficiat. Vocata autem conſuetudo, quia in communi uſu „ eſt. „

Theodoricus Rex Francorum, cum eſſet Cathalau„ nis, elegit viros ſapientes, qui in regno ſuo legibus „ antiquis eruditi erant; ipſo autem dictante, juſſit „ conſcribere Legem Francorum, Alemannorum & Bo„ jariorum; & unicuique genti, quæ in ejus poteſtate „ erat, ſecundum conſuetudinem ſuam: addiditque ad„ denda, & improviſa & incompoſita reſecavit; & quæ „ erant ſecundum conſuetudinem Paganorum, mutavit „ ſecundum Legem Chriſtianorum. Et quicquid Theo„ doricus Rex propter vetuſtiſſimam Paganorum con„ ſuetudinem emendare non potuit, poſthæc Childeber„ tus Rex inchoavit corrigere: ſed Chlotarius Rex per„ fecit. Hæc omnia Dagobertus Rex glorioſiſſimus, per „ viros illuſtres Claudio, Chadoni, Domagno, & Agil„ loſo renovavit; & omnia vetërum Legum in melius „ tranſtulit: unicuique quoque Genti ſcriptam tradi„ dit. Factæ autem ſunt leges, ut earum metu humana „ coërceretur nequitia, tutaque ſit inter improbos in„ nocentia; & in ipſis improbis formido ſuppliciorum, „ & ut refrænentur nocendi facultates. „

Ad Indicem Titulorum.

(a) Index Titulorum Pactus Legis Salicæ. Ita habet editio Heroldo-Eccardiana. In Guelferbytano vero Codice totus Index Titulorum plane deeſt.

(b) Si

Digitized by Google

X. (*b*) *De damnum in meſſe vel in qualibet clauſura* (*c*).
XI. De ſervis (*d*) *vel mancipiis furatis.*
XII. De furtis ingenuorum vel effracturis.
(*e*) *XIII. de rapto ingenuorum vel mulierum.*
XIV. De eo qui alterius mulierem tollit vivo marito.
XV. De ſupervenientes vel expoliationibus qui hominem ingenuum expoliat.
XVI. Si quis villam alienam adſalierit.
XVII. Si quis hominem mortuum effoderit aut expoliaverit.
XVIII. Si quis corpus in furtu expoliaverit antequam interea mittatur.
XIX. Si quis caſa ſuper hominem dormientem incenderit.
XX. Si quis ſpicarium aut maufalum cum anona incenderit.
XXI. Si quis alterum voluit occidere & colpus fallierit.
XXII. Si quis hominem ingenuum de fuſte percuſſerit.
XXIII. Si quis ad Regem hominem innocentem abſentem accuſaverit.
XXIV. De maleficis qui alteri herbas dederit.
XXV. De manu mulieris ſtringenda.
XXVI. De nave qui ſine permiſſu Domini ſui movunt.
XXVII. De aſco deintus clavo furato.
XXVIII. De furtu in molino commiſſo.
XXIX. De eo qui alterius excluſa rumpit.
XXX. De homicidiis parvulorum.
XXXI. De femina poſtquam infantes habere cœperit occidit.
XXXII. De femina poſt media etate occiderit.
XXXIII. De negligentiis parvulorum.
XXXIV. De puero tonſorato.
XXXV. De adulteriis ancillarum.
XXXVI. De libertis dimiſſis ingenuis.
XXXVII. De furtis diverſis.
XXXVIII. Si quis meſſem alienam meterit.
XXXIX. Si quis de meſſem campo alieno furaverit.
XL. Si quis prato alieno furaverit & ſecaverit.
XLI. Si quis vineam alienam vindemiaverit.
XLII. Si quis in orto alieno ingreſſus fuerit.
XLIII. Si quis retem de aqua furaverit.
XLIV. Si quis de ſcreona qui clavem habet aliquid furaverit.
XLV. Si quis campo alieno araverit & ſeminavit.
XLVI. De elocationibus.

XLVII.

(*b*) Si damnum. Ecc.
(*c*) *Illatum fuerit.* hæc add. Ecc.
(*d*) *Vel* omittit. Ecc.
(*e*) Hactenus tituli in editione Eccardiana eodem ordine quo noſter Codex eos exhibet poſiti ſunt, in reliquis autem inſignis eſt diverſitas ita namque in illa exhibentur.

XIII. *De furtis ſervorum vel effracturis.*
XIV. *De ingenuis hominibus qui mulieres ingenuas rapiunt.*
XV. *De eo qui uxorem tulerit alienam vivo marito.*
XVI. *De ſuperventis.*
XVII. *De Expoliationibus.*
XVIII. *De eo, qui villam alienam adſilierit.*
XIX. *De incendiis.*
XX. *De vulneribus.*
XXI. *De eo, qui hominem innocentem apud Regem accuſaverit.*
XXII. *De Maleficis.*
XXIII. *De manu mulierum non ſtringenda.*
XXIV. *De navibus furatis.*
XXV. *De furtis in Molino commiſſis.*
XXVI. *De caballo aſcenſo.*
XXVII. *De furtis diverſis.*
XXVIII. *De homicidiis parvulorum.*
XXIX. *De adulteriis ancillarum.*
XXX. *De libertis dimiſſis.*
XXXI. *De elocationibus.*
XXXII. *De debilitatibus.*
XXXIII. *De convitiis.*
XXXIV. *De via Latina.*
XXXV. *De ligaminibus Ingenuorum.*
XXXVI. *De venationibus.*
XXXVII. *De ſepibus.*
XXXVIII. *De homicidiis ſervorum, vel expoliationibus.*
XXXIX. *De quadrupedibus qui hominem ledunt.*
XL. *De veſtigio minando.*
XLI. *De furtis caballorum.*
XLII. *De plagiatoribus.*
XLIII. *De ſervo, qui furto fuerit inculpatus.*
XLIV. *De homicidiis ingenuorum.*
XLV. *De homicidiis à contubernio factis.*
XLVI. *De homicidiis in convivio factis.*

Digitized by Google

XLVII. De debilitatibus.
XLVIII. De convitiis.
XLIX. De via lacina.
L. De ligaminibus ingenuorum.
LI. De venationibus.
LII. De Sepibus.
LIII. De homine qui per alienam messem erpicem traxerit.
LIV. Si quis alienam messem expalmitantem transierit.
LV. Si quis pro malo ingenio in curte aut in casa in furtum aliquid miserit.
LVI. De homicidiis servorum vel expoliationibus.
LVII. Si quis servum alienum batterit.
LVIII. Si quis servus hominem alienum occisserit.
LIX. Si quis homo ingenuus litum alienum expoliaverit.
LX. De quadrupedis pecorum si hominem occiserit.
LXI. De vestigio minando.
LXII. De furtis caballorum.
LXIII. De caballo alieno extra promisso Domino suo ascenso vel excortato.
LXIV. De plagatoribus.
LXV. Si quis servus alienus furatus fuerit vendiderit.
LXVI. Si quis hominem ingenuum plagaverit.
LXVII. Si servus inculpatus fuerit in furtu.
LXVIII. De homicidiis ingenuorum.
LXIX. De homicidiis in contuberniis factis.
LXX. De homicidio à contubernio facto.
LXXI. De homine in hoste occiso.
LXXII. De compositione homicidii.
LXXIII. De homine ab inimicis truncato & post interfectum.
LXXIV. De homine de bargo vel de furca dimisso.
LXXV. De expoliata ecclesia.
LXXVI. De basilica incenduta.
LXXVII. De presbyteris vel diaconibus interfectis.
LXXVIII. De Reipuse ut solet homo mori & viduam dimiserit.
LXXIX. De migrantibus.
LXXX. De afaetumie.
LXXXI. De filo torto.
LXXXII. De falso testimonio.
LXXXIII. Si quis alicui fuerit imputatum perjurasset.
LXXXIV. De testibus qui necessitatibus habuerit dare.
LXXXV. De fides factis.
LXXXVI. De eo qui grasionem ad res alienas injustè invitaverit.
LXXXVII. De rem præstata.

LXXXVIII.

XLVII. De Re lpus.
XLVIII. De migrantibus.
XLIX. De adframire.
L. De filtortis qui Salica Lege vivunt.
LI. De falso testimonio.
LII. De testibus adhibendis.
LIII. De fide facta.
LIV. De andocmito.
LV. De rem præstata.
LVI. De manu ab Æneo redimenda.
LVII. De Gravione occiso.
LVIII. De corporibus expoliatis.
LIX. De despectionibus.
LX. De Ratbinburgiis.
LXI. De Chren- crude.
LXII. De Alodiis.
LXIII. De eo, qui se de Parentilla tollere vult.
LXIV. De Harowene.
LXV. De compositione Homicidii.
LXVI. De homine in hoste occiso.
LXVII. De Herburgio.
LXVIII. De caballo excorticato.
LXIX. De eo qui hominem vivum de furca tulerit.
LXX. De eo, qui filiam alienam acquisierit, & se retraxerit.
LXXI. De Basilica incensa.
LXXII. De terra Commendata.
LXXIII. De Cultello Sexacidro.
LXXIV. De Chrevdiba.
LXXV. De muliere gravida occisa.
LXXVI. De Antrussione.
LXXVII. De eo qui in aliena domo resedit.
LXXVIII. In quantas causas Thalaptas debeant jurare.
LXXIX. De delatura.
LXXX. Incipiunt Chunnas.

EPILOGUS.

Ad

Digitized by Google

LXXXVIII. De manu de enio redimenda.
LXXXIX. De eo qui grafionem occiſſerit.
XC. De eo qui ad mallum venire contempſerit.
XCI. De Racimburgiis.
XCII. De alodis.
XCIII. De eo qui ſede parentilla tollere vult.
XCIV. De aroena.
XCV. De ereburgio.
XCVI. De eo qui filia aliena ſponſaverit & ſe retraxerit.
XCVII. De eo qui alterum in puteum aut in pelagum inpinxerit.
XCVIII. De terra condemnata.
XCIX. De crimine crudeque paganorum tempore obſervabunt.
C. Incipiunt chunnas.

a) INCIPIT LEX SALICA PRIMUS TITULUS.

b) I. *De Manire'.*

SI quis ad mallum legibus dominicis mannitus fuerit & non venerit: Si eum *c)* ſunnis' non detinuerit *d)* ſunt din. DC. qui fac'. ſolid. XV. culpabilis judicetur *e)*. Ille vero qui alium mannit & ipſe non venerit ſi eum *c)* ſunnis' non detenuerit *f)* ſunt din. DC. qui fac. ſolid. XV. cui mannuit componat'.

II. *De Furt. porcorum.*

SI quis porcellum lactantem *a)* de franne furaverit' & ei fuerit adprobatum *b)* malb. chrinne chultiſ. din. CXX'. qui faciunt ſolidos III. culpabilis judicetur. *c)*.

Si quis *d)* porcellum' furaverit qui ſine matre vivere poſſit *e)* & ei fuer. adprobatum malb. chrinnis thetica ſ. din. XL'. q. f. ſol. I. culp. iudicetur excepto capitale & dilatura.

f) Si quis porcellum furaverit bimum ingiſmus ſui anni id eſt ſol. LXV. culp. jud. excep. cap. & dil'.

Si

Ad Tit. I.

a) Ita quoque Guelferbyt. Codex Inſcriptionem exhibet, tantum pro verbis *Primus Titulus, Capitolum I.* habet. In Eccardiana vero editione hæc inſcriptio comparet. *In Chriſti nomine incipit Pactus Legis Salicæ. Hi autem ſunt qui Legem Salicam tractaverunt. Wiſogaſt, Arogaſt, Salegaſt, Windogaſt; in Bodham, Salehem, & Widham.*

b) De Mannire. Ecc.

c) Sumis. Ecc. In Cod. Guelf. verba. *Si eum* uſque ad *fac.* deſunt.

d) *Sunt — fac.* deſunt ap. Ecc.

e) Qui faciunt denarios ſexingentos. Hæc add. Ecc.

f) Ei qui manibit, ſimiliter DC. den. qui faciunt ſolidos XV. componat Ecc. Guelf. vero Codex verba *Ille vero,* uſque *componat,* plane omittit. Addunt autem Ecc. & Guelf. Cod. ſequentia. *Ille autem* (hæc omittit Guelf.) *qui alium mannit, cum teſtibus ad domum illius ambulare debet, & ſic eum mannire debet* (debet, omittit Guelf.) *ut* (deeſt ap. Ecc.) *aut uxorem* (uxor, Guelf.) *illius, vel quemcunque de familia illius,* (loco *illius* Guelf. habet *appellit*) *ut ei faciat notum, quomodo* (Guelf. quod) *ab illo mannitus eſt. Nam ſi in Dominica Ambaſcia fuerit occupatus, manniri* (manire, Guelf.) *non poteſt: ſi vero intra pagum* (intro pago, Guelf.) *in ſua ratione fuerit* (fuerit ſuam rationem, Guelf.) *poteſt manniri, ſicut ſuperius dictum eſt.* (ſicut ſuperius diximus manire poteſt. Guelf.)

Ad Tit. II.

a) Furaverit de rhanne prima, aut mediana. Ecc. At Guelf. tantum habet *furaverit*, omiſſis reliquis.

b) Malberg. Rhannechala Lerechala, hoc eſt unum Ahelepte, CXX. denarii. Ecc. Malb. charcalcio ſunt denarius CXX. Guelf.

c) Excepto capitale & delatura: hæc addit Eccard. edit. in qua ſequentes §§. (quorum ultimus tantum in Cod. Guelf. extat) qui in noſtro Codice non habentur, ſuperadduntur. Si vero in tertia rhanne furaverit, (in marg. priſerit) Malb Rhanne Chalteo. DC. den. qui faciunt: ſolid. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura. Si quis porcellum de Sutena furaverit & clavem habuerit. MDCCC. den. qui faciunt ſol. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura. Si quis porcellum de intro porcos, ipſo porcario cuſtodiente, furaverit (de intro porcus furaverit & ei fuerit adprobatum. Guelf.) Malb. Soagne Chalte, in DC. denar. (malb. ſuane calte ſunt dinarius DC. Guelf.) qui faciunt ſolid. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

d) Porcellum de campo. Guelf.

e) Et ei fuerit approbatum, omittit Ecc. & Guelf. ſequentia vero ita exhibet Ecc. Malb. Ymniſith ſive Therteſun in XL. denar. Guelf. vero hoc modo. Malb. in Zymus ſunt denarius XL. Iterum tres §§. addit Eccard. edit. quorum tertius ſolum in Cod. Guelf. extat. Si quis ſcrovam ſubbapatit in furtum. Malber. Varachalt in CCLX. denar. qui faciunt ſol. VII. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura. Si quis ſcrovam cum porcellis furaverit, Malb. Focichalta in DCC. den. qui faciunt ſol. XVII. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura. Si quis porcum anniculum furaverit (cui fuerit adprobatum; add. Guelf.) Malb. in Zymis Ethatia CXX. den. (malb. in Zymis ſunt dinar. LXX. Guelf.) qui faciunt ſol. III. culp. jud. excepto capitale & delatura. Addit Guelf. Qui numerus uſque ad duus porcus convenerit obſervare.

f) Si quis bimum porcum furaverit. Malb. in Zymis Soagni DC. den. qui faciunt ſolidos XV. excepto capitale & delatura. Ita hunc §. exhibet Ecc. In MSC. Guelf. totus §. omiſſus eſt. Subjunguntur vero huic §. in Eccard. editione ſequentes, quorum aliqui etiam in Guelf. Cod. extant.

Digitized by Google

Si q. *g)* verrum' fur. *b)* malb. *i)* Criſtiano' ſ. den. DCC qui f. ſol. XVII. *k)* ſ'. culp. jud. excep. cap. & dil.

l) Si quis ſcrovam ducariam furaver. *m)* mald. reodemia ſ. den. DCC' qui f. ſol. XVII. S. cul. iud. excep. cp. & dil.

n) Si quis majalo ſacrivo fur. & ille qui illum perdidit cum teſtibus potuerit adprobare quod ſacrivos fuiſſet hoc eſt uotivus malb. bracho cahimo ſ. den. DCC'. q. f. ſol. XVII. ſ. *o)* cul. jud. excep. cap. & dil.

p) Si quis majalem qui ſacrivus non fuerit fur. malb. bratho ſive babane ſ. den. DC'. q. f. ſol. XV. *q)* excep. cap. & dil.

r) Si quis degregem quindecim porcus fr. malb. taxata ſ. den. Ī CCCC. q. f. ſol. XXXV. culp. iud. excep. cap. & dil.

s) Si quis XXV. porcus furaverit malb. ſuniſtit ſ. den. $\overline{\text{II}}$ D. q. f. ſol. LXII. S. culp. iud. excep. cap. & dil. qui lex uſque quinquaginta porcus excep. cap. & dil. omnium judicium terminantur'. *t)*

III. *De Furtis animalium.*

SI quis *a)* vitulum lactantem' fur. *b)* malb. *c)* podor aut fricò' ſ. den. CXX. qui faciunt ſol. III. culp. iud. excep. cap. & dil.

d) Si quis *e)* anniculum usque ad bimatum fur. malb. thinzim & podæ' ſunt den. DC. q. f. ſol. XV. culp. iud. excep. cap. & dil.

f) Si quis bovem aut vaccam fur. malb. podor ſ. den. Ī. CCCC. q. f. ſol. XXXV. culp. iud. excep. cap. & dil.

Si

Si quis tres porcos aut amplius furaverit, uſque ad ſex capita, Malb. in Zymis Exachalt. & cepto tua ſeptun chunna, denar. MCCCC. qui faciunt ſol. XXXV. excepto capitale & delatura.

Si quis viginti quinque porcos furaverit, ubi amplius in grege illo (in gregem illum Guelf. §. 12.) non fuerint. Malb. ſonis chalt tua Zymis ſit miha chunna, M. M. D. denar. qui faciunt ſol. LXVII. cum dimidio, culpabilis (malb. ſuneſta ſunt dinarius $\overline{\text{II}}$ D. faciunt ſol. LXII. culpabilis Guelf.) judicetur, excepto capitale & delatura. Hic in Eccard. ſequitur §. qui in noſtro Codice ultimus hujus tituli eſt, deinceps ſqq.

Si vero quinquaginta porcos furaverit, ubi amplius non habuerit, Malb. ſoniſchalt, M. M. D. den. qui faciunt ſolid. LXII. & dimidium culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura. Hic §. in Cod. Guelf. §. 14. ita exhibetur. Si vero L. porci fuerint involati, cui fuerit probatum (malb. ſunneſta) ſunt dinarius $\overline{\text{II}}$D. faciunt ſolid. LXII. excepto capitale & dilatura.

Si quis porcellum tertuſſum (certuſſum porcellum Guelf. §. 6.) furaverit, uſque ad annicolatum furaverit (uſque ad anneculatum. Guelf.) Malb. Dracechalt, CXX. den. (malb. drace, ſunt dinarius CXX. Guelf.) qui faciunt ſol. III. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura. Poſt anniculatum vero qui eum furaverit (qui eum furaverit omittit Guelf. §. 7.) Malb. Dracechalt, DC. den. (malb. drace, ſunt dinarius DC. qui, Guelf.) faciunt ſol. XV. (culpabilis judicetur, add. Guelf.) excepto capitale & delatura.

g) Verrem. Ecc. & Guelf.

h) Cui fuerit adprobatum. add. Guelf.

i) Chriſtiao. Ecc. criſtiau. Guelf.

k) Cum dimidio. Notandum literam S. poſt numerum ſolidorum in noſtro Codice ſemper notare *cum dimidio*: in Codic. vero Guelf. perpetuo dimidii mentionem, æque ac ejus notam, omitti, quod ſemel notaſſe ſufficiet. Id quoque obſervandum, verbum *ſunt*, quod in noſtro MSC. litera S. notatur, & in ſingulis fere paragraphis voci Denar. præmittitur, itidem perpetuo in Ecc. edit. omitti, in Cod. vero Guelf. reperiri.

l) Si ſerova docaria furaverit. Guelf.

m) Malb. Chredunia. DCC. den. Ecc. cui fuerit adprobatum (malb redonii ſunt dinarius DCCC. Guelf.

n) Si quis majalem ſacrifum furaverit, & cum teſtibus, quod ſacrifus fuiſſet, potuiſſet ille, qui perdidit approbare. Malb. Barco Anomeo Anitheotha DCC. den. Ecc. Si quis Majale ſacribo furaverit, & hoc teſtibus quod ſacribus fuit, cui fuerit adprobatum (malb. chuc cham) ſunt dinarius DCC. Guelf.

o) Cum dimidio. Ecc.

p) Alium vero majalem, qui ſacrifus non fuerit ſi quis furaverit, Barecho Malb. & in alia mente Babene, DC. den. Ecc. Iterum de alio majale, qui ſacrifus non fuit, & eum furaverit, cui fuerit adprobatum (malb. barcho) ſunt dinarius DC. Guelf.

q) Culpabilis judicetur. Ecc. & Guelf.

r) Totus hic §. in Eccard. edit. & Guelf. Cod. deeſt.

s) Si quis vero viginti quinque porcos furaverit, & adhuc aliqui remanſerunt, Malb. Texachalt, MCCCC. den. qui faciunt ſolid. XXXV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura. Ita hunc §. exhibet. Eccard. & quidem §. XII.

t) In Cod. Guelf. duo adhuc reperiuntur paragraphi, qui neque in Cod. noſtro, neque in Eccard. edit. habentur, nimirum poſt §. 2. noſtri cod. hic legitur.

Si quis ſeruua in aſſum ſubtulerit (malb. nari calti) ſunt dinarius DC. faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & dilatura.

Et poſt eum qui in noſtro Cod. ultimus eſt, ſequens reperitur.

Si vero amplius ſuper viginti quinque remanſerint, qui non fuerint involati, cui fuerit adprobatum (malb. in Zymus) ſunt dinarius ĪCCCC. faciunt ſol. XXX. culpabilis judicetur, excepto capitale & dilatura.

Ad Tit. III.

a) Vetellum lactentem. Guelf.

b) Add. cui fuerit adprobatum. Guelf.

c) Pedero aut Freodo. Ecc. Protero. Guelf.

d) Totus hic §. deeſt in Guelf. Cod.

e) Anniculum animal furaverit Malb. Ochſajora. Ecc.

f) Hic §. cum ſeq. ap. Ecc. & in Cod. Guelf. omiſſus eſt, ſequentes vero utroque in loco exhibentur.

III. Si quis bimum animal (animalem. Guelf.) furaverit (cui fuerit adprobatum. addit. Guelf.) Malb Zymis pedero Malia M CCCC. den. qui faciunt ſol. XXXV. (Malb. ſcedo, ſunt dinarius DC. faciunt ſol. XV. Guelf.)

IV. Si quis vaccam vitulo (cum vitolum Guelf. §. 3.) furaverit, (cui fuerit adprobatum. add. Guelf.) Malb. Zymis Pedero Malia (malb. protero. Guelf.) MCCCC. Den. qui faciunt ſol. XXXV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

V. Si quis vaccam ſine vitulo furaverit, Malb. Mala. MCC. den. qui faciunt ſol. XXX. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura. Totus §. deeſt in Guelf. Cod. ut & ſequens.

VI. Si quis vaccam domitam furaverit, Malb. Abazym Pedero M CCCC. den. qui faciunt XXXV. ſolid. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VII. Si

Digitized by Google

Si quis taurum grege regente fur. hoc eſt treſpellium qui de treſſullas communis vacas tenuerit & nunquam junctus fuiſſet chegmeneteo ſ. den. Ī DCCC. q. f. ſol. XLV. excep. cap. & dil.

Si quis XII. animalia fur. *g)* malb. ſoniſtit ſ. den. Ī̄ D. q. f. ſol. LXII. S'. culp. iudicetur excep. cap. *b)* & dil. & usque ad XX. unum iudicium terminantur'.

IV. (*a*) *De Furtis ovium.*

SI quis agnum *b)* fur. *c) d)* lem den. VII. q. fac. culp. iud'. excep. cap. & dil.

Si quis anniculum vel bimum *e)* vervicem' fur. *f)* malb. *g)* inyzimus' ſ. den. CXX. q. f. ſol. III. culp. iud. excep. cap. & dil.

Certe *b)* Si duos aut tres fur'. *i)* malb. fretuschaeto ſ. den. Ī CCCC. q. f. ſol. XXXV. culp. iud. excep. cap. & dil. *k)* Qui numerus usque ad XL. vervices convenit obſervare'.

Si quis vervices *l)* XL. aut amplius fur'. malb. *m)* freto' ſ. den. Ī̄ D. q. f. ſol. *n)* LXU'. S. culp. iud. excep. cap. & dil.

V. *De Furtis caprarum.*

SI quis *a)* tres capras fur'. malb. *b)* aper' ſ. den. CXX. q. f. ſol. III. culp. iud. excep. cap. & dil.

Si quis ſuper tres capras fur. malb. *c)* chanchus ſ. den. DC. q. f. ſol. XV. culp. iud. excep. cap. & dil.

VI. *De Furtis canum.*

SI quis *a)* ſeuſum Magiſtrum' fur. malb. *b)* fluuuicus hus cornutu nechanna' ſ. den. DC. q. f. ſol. XV. culp. iud. excep. cap. & dil.

c Si quis veltrum agatario' fur. malb. *d)* chunabana' ſ. den. DC. q. f. ſol. XV. culp. iud. excep. cap. & dil.

Si quis canem paſtoralem *e)* fur' malb. *f)* leudardo' ſ. den. CXX. qui f. ſol. III. culp. iud. excep. cap. & dil. *a)* VII.

VII. Si quis taurum qui gregem regit, & nunquam vinctus fuit, furaverit Malb. Cherecheto. MDCCC. den. qui faciunt ſol. XLV. (Si quis taurum furaverit, qui illum gregem regit, nec unquam junctus fuit, cui fuerit adprobatum, malb. chari ocito, ſunt dinarius Ī CCCC. faciunt ſol. XLV. Guelf. §. 5.) culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VIII. Si quis bimum taurum furaverit, Malb. Traslo, MCCCC. den. qui faciunt ſol. XXXV. excepto capitale & delatura. Deeſt hic §. in Cod. Guelf.

IX. Si quis taurum furaverit, qui de tribus villis communes vaccas tenuerit, hoc eſt, tres-bellio, Malb. Chami Theuto, MDCCC. den. qui faciunt ſolid. XLV. (Si vero taurus ipſe tres villas vacas tenuerit hoc tres pellius, qui eum furaverit, malb. hamachito ſunt dinarius Ī CCCC. faciunt ſol. XLV. Guelf. §. 6.) culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

X. Si quis taurum Regis furaverit, Malb. Chamutevo. MMDC. excepto capitale & delatura. Hic §. in Cod. Guelf. deeſt.

XI. Si quis bovem furaverit, (cui fuerit adprobatum addit. Guelf.) Malb. ochſeno, MCCC. den. (malberg. oboſurio, ſunt dinarius Ī̄ CCCC. Guelf.) qui faciunt ſolid. XXXV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

g) Ut neque unum (ut nec unus Guelf.) exinde remaneat, Malb. Soniſchalt. M. M. D. den. qui faciunt ſol. XLV. cum dimidio. Ecc. (Malb. funeſta ſunt dinarius Ī̄ D. faciunt ſol. LXII. Guelf.)

b) Hæc deſunt in Ecc. ed. & Cod. Guelf. Adduntur vero ſequentia.

XIII. Si vero pluribus XXV. furaverit, &(etſi Guelf. §. 8.) adhuc aliquid remaneant, quæ non fuerunt juncta (remanent, qui non fuerint involati Guelf.) Malb. Soniſchalt, MMD. qui faciunt ſol. LXV. & dimidium, excepto capitale & delatura. (malb. funneſta, ſunt dinarius Ī̄ D. faciunt ſol. LXII. culp. jud. exc. cap. & dilatura. Guelf.)

XIV. Si quis duodecim animalia furaverit, ut ex eis aliqua remaneant, Malb. MCCCC. den. qui faciunt ſolid. XXV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

Ad Tit. IV.

a) De ovibus furatis. Guelf.
b) Lactantem, add. Ecc. & Guelf.
c) Add. cui fuerit adprobatum. Guelf.
d) Malb. Lem. VII. denariis culpabilis. Eccard. Malb. lap. ſunt dinarius VII. faciunt medio triante culpabilis judicetur Guelf. Cod. qui reliqua hujus §. verba, *excep.* &c. omittit.
e) Vervecem. Ecc.
f) Add. & ei fuerit adprobatum. Guelf.
g) In Zymis. Ecc. lampſe. Guelf.
b) Si tres aut amplius verveces fuerint qui furati ſunt. Ecc. Si in tres aut amplius furaverit, cui fuerit approbatum. Guelf.
i) Malb. Feisfecho & Fetischefo. Ecc. Malb. lampſe. Guelf.
k) *Qui* uſque ad fin. §. Hæc deſunt in Eccard. edit.
l) Quinquaginta verveces furaverit, aut amplius Ecc. Si vero lautam amplius furaverit Guelf. Sed hic haud dubie mendum eſt in voce lautam, & legendum L. aut.
m) Sonischalt. Ecc. feto. Guelf.
n) LXII. Guelf. forte tamen & hic numerus mendoſe eſt impreſſus pro LXII. ut eſt in noſtro Codice.

Ad Tit. V.

a) Capram unam, duas vel tres furaverit. Ecc.
b) *Lamp.* Ecc. in margine vero hæc exhibet *Afres* ſive *Lamphebros vel Pectis.* Guelf. habet *lausmata.*
c) Chrenecruda. Ecc. Roſcimada. Guelf.

Ad Tit. VI.

a) Canem ſegufium magiſtro ſuo. Ecc. ſubuſo magiſtro furaverit, cui fuerit adprobatum. Guelf.
b) *Leodaſdi.* Ecc. in marg. addit *Troci Withier cumi.* Guelf. ſolum verbum *Leodardi* habet.

Adduntur in edit. Eccard. duo ſequentes paragraphi, quorum alter & in Cod. Guelf. extat.

II. Si quis ſegufium magiſtrum canem furaverit. Malb. Trowidowano Tvene chunne, MDCCC. den. qui faciunt ſolid. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Si quis canem qui ligamen noverit (ligamine novit Guelf.) poſt ſolis occaſum occiderit (ſicut ſuperius diximus, intemamus. Hæc Guelf. addit, & ſequentia quæ ap. Ecc. occurrunt omittit) Malb. Theophano (in marg. exhibetur vox Reppophano) DC. den. qui faciunt ſol. XV. componat, excepto capitale & delatura.
c) Si vero argutario Ecc. Totus hic §. deeſt in Cod. Guelf.
d) Chunnovano. Ecc.
e) Occiderit aut furaverit, cui adprobatum fuerit. Guelf. Ap. Eccard. totus hic §. omiſſus eſt.
f) Leodardi. Guelf.

Digitized by Google

a) VII. *De Furtis auium.*

SI q. b) acceptorem' de arbore fur. c) malb. d) hocticla' s. den. CXX. qui f. sol. III. culp. iud. excep. cap. & dil.

e) Si q. f) acceptorem' de intro g) claue' fur. h) malb. orto fugia' s. den. IDCCC. q. f. sol. XLV. culp. iud. excp. cap. & dil.

Si q. i) acceptorem' de pertica fur. malb. k) ueganus ante te s. den. DC'. q. fac. sol. XV. culp. iud. excp. cap. & dil.

Si q. l) spreuario' fur. malb. m) sundelino' sunt den. CCXL. q. f. sol. VI. culp. iud. excep. cap. & dil.

Si q. n) anſera domeſtica auaneta fur'. malb. o) ſundelino' ſunt den. CXX. q. fac. ſol. III. cul. iud. excp. cap. & dil.

Si q. p) grui aut cicenum domeſticum fur.' malb. q) hora fuda' s. d. CXX. q. f. ſol. III. cul. iud. excp. cap. & dil.

r) Si q. aucellum detrapa fur. malb. hac falla s. den. DC. q. f. ſol. XV. cul. iud. excep. cap. & dil.

a) VIII. *De Furtis arborum.*

b) SI q. pomario domeſtico capulaverit aut viuolaverit s. den. CXX'. q. f. ſol. III. culp. iud.

c) Si q. pomario domeſtico intus in curte aut in horto l. uinea capulaverit aut fur. s. den. DC. q. fac. s. den. DC. q. f. ſol. XV'. culp. iud.

d) Si q. in ſilva materium alienum capulaverit aut fur. aut incenderit malb. leudardi s. den. DC. q. f. ſol. XV. culp. iud.

Si q. in ſilva alterius ligna fur. malb. leodardi s. den. DC. q. f. ſol. XV. cul. iud.

a) IX. *De Furtis apium.*

b) SI q. apem de intro clauem' fur. c) aut amplius ſi tectus ſuper eas fuerit' malb. d) ante deo elecharde' s. den. I DCCC. q. f. ſol. XLV. cul. iud. excep. cap. & dil.

e) Si q. unum uaſum ad apis aut amplius foras tectum fur. malb. taxata abchratis s. den. DC. q. f. ſol. XV. cul. iud.

X. a)

Ad Tit. VII.

a) In Cod. Guelf. eſt Titulus VIII. & inſcribitur De Avibus.

b) Accipitrem. Ecc. & Guelf.

c) Et ei fuerit adprobatum. Guelf.

d) Ortſocla Ecc. qui in marg. has voces exhibet Malb. Weiano urthefocla, weiano anthedio. Guelf. cod. vero habet vocem *horbut*.

e) Eccard. & Guelf. cod. hunc §. ſequenti poſtponunt.

f) Accipitrem. Ecc. & Guelf.

g) Clavem repoſitum. Ecc.

h) Malb. ortſocla ſive Weiano Pandete Ecc. & ei fuerit adprobatum Malb. na obfocla Guelf.

i) Accipitrem. Ecc. & Guelf.

k) Malb Weiano, ſive ortſocla. DC. den. Ecc. Et ei fuerit approbatum Malb. marahocla, ſunt dinar DC. Guelf.

l) Sparvarium. Ecc.

m) Malb Sucelin. Ecc. Totus hic §. deeſt in Guelf. Cod. Inter hunc & ſequentem §. inſerit Ecc. Si quis Gallum furaverit Malb. Chanaswido, CXX. denariis, qui faciunt ſol. III. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

n) Anſerem aut annatam domeſticam furaverit Ecc. anſare furaverit, & ei fuerit adprobatum Guelf.

o) Sundleno Ecc. Sundoleno Guelf. Denuo paragraphum inſerit edit. Ecc. qui ita ſe habet. Si quis gallinam furaverit, Malb. ſolampinam, CXX. den. qui faciunt ſol. III. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

p) Gruem aut cygnum furaverit domeſticum Ecc. In Cod. Guelf. hic §. deeſt.

q) Ortſocla. Ecc.

r) Hic §. in Cod. Guelf. & Eccard. edit. omiſſus eſt, ſequens autem in hac comparet:

Si quis turturem de trappa furaverit, Malb. Acfalla DC. den. qui faciunt ſolid. culpabilis judicetur. excepto capitale & delatura.

Ad Tit. VIII.

a) Hic totus titulus deeſt in Cod. Guelf.

b) Si quis pomarium domeſticum aut perarium deintus curte aut latus curte furaverit aut capulaverit, CXX. den. Ecc.

c) Si quis pomarium aut quamlibet arborem domeſticam exciderit, aut furatus fuerit in horto, ſimiliter DC. denariis culpabilis judicetur, qui faciunt ſolid. XV. Ecc.

d) Hanc quoque legem de vitibus furatis obſervare juſſimus. Si quis in ſylva alterius materiamen furatus fuerit, aut incenderit, vel concapulaverit, aut ligna alterius furaverit. DC. den. culpab. judicetur, qui faciunt ſolid. XV. excepto capitale & delatura. Hæc Eccard. edit. loco hujus & ſequentis §. exhibet.

Ad Tit. IX.

a) In Cod. Guelf. eſt Titulus VII. & inſcribitur De furtis Abium.

b) Si quis unum vaſum deintus clavem Guelf.

c) Et tectum deſuper habuerit Ecc. & tictum ſuper aperierit, cui fuerit adprobatum. Guelf.

d) Antidio Olethardis. Ecc. antedi leodardi. Guelf.

e) Loco hujus paragraphi hos ſiſtit Eccard. editio.

II. Si quis unam apem, hoc eſt, uno vaſcello. furaverit de ſub tecto, & ſub clave, ubi amplius non fuerint MDCCC. denariis culpabilis judicetur, qui faciunt ſol. XLV. excepto capitale & delatura.

III. Si vero ſeptem aut amplius furaverit & aliqui remaneant, & retro clavem fuerint, Malb. Texara Antidio Alethardis. MDCCC. denariis, qui faciunt ſol. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis unum vas cum apibus inter alia vaſa ſub tecto, aut ſub clave furaverit, cauſam ſuperius comprehenſam convenit obſervare, excepto capitale & delatura.

V. Si vero unum vas cum apibus foris tecto ubi amplius non fuerit, furaverit, cauſam ſuperius comprehenſam componat, excepto capitale & delatura.

VI. Si quis ex plurimis usque ad ſex vaſa foris tecto furaverit DC. den. qui faciunt ſolid. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VII. Si autem ſeptem aut amplius furaverit, ita ut nulla remaneant, MDCCC. den. qui faciunt ſol. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura. Guelferbyt. autem codex hæc exhibet:

Si

Digitized by Google

X. a) *De damno in messe vel in qualibet clausura'.*

SI q. animal aut caballum *b*) vel quemlibet pecus' in messe sua inuenerit *c*) paenitus' vastare non debet. Quod si fecerit *d*) &' confessus fuerit capitale *e*) in' loco restituat *f*) ipsum vero debilem ad se reteneat'.

Si vero confessus non fuerit & ei fuerit adprobatum malb. *g*) leudardi s. den. DC. q. f. sol. XV. *h*) culp. iud. *i*) excep. cap. & dil.

k) Si q. animal aut caballum puncxerit vel iumentum malb. *l*) thradiligia' s. den. DC. q. f. sol. XV. cul. iud. excep. cap. & dil.

Si q. in messe sua pecora aliena inuenerit *m*) qui' pastorem non *n*) habent & eas inclauserit' ut nulli paenitus innotescat & *o*) aliquid' ex ipsis pecorib; perierint malb. *p*) taxata's. den. I CCCC. q. f. sol. XV. culp. iud. excepto capitale & dilatura.

Si q. animal *q*) vel quemlibet' pecus per *r*) sua negligentia' nocuerit & *s*) hoc dominus ei' confessus fuerit, capitale in loco restituat.

Si vero negauerit *t*) & ei fuerit adprobatum' *u*) malb. *x*) leudardi' s. den. DC. q. f. sol. XV. excep. cap. & dil.

y) Si q. alicui porci aut quolibet pecora custodiente pastore' in *z*) messe aliena incurrerent' & *aa*) illo negante si' fuerit adprobatum malb. *bb*) antesito sunt den. DC. q. f. sol. XV. cul. iud. excp. cap. & dil.

cc) Si q. pecora' de damno *dd*) inclausa fuerint *ee*) damno estimato reddat' *ff*) & insuper den. X. soluat'.

gg) Si vero per inimicitia aut per superbia pecora de damno cuius messe uastauerit aut inclausa fuerint expellere aut excutere dum ad damnum illius minauerunt præsumpserit malb. chisto sunt den. DC. q. f. sol. XV. cul. iud.

hh) Si q. saepem alienam aperuerit' & in *ii*) messe aut in quolibet labore, pecora miserit *kk*) si convictus cum testibus fuerit ei cui labor est damno aestimato reddat & insuper malb. leudardi s. den. ICC' q. f. sol. XXX. culp. iud. *ll*)

XI. *De*

Si vero unum vasum cum apis foris casa furaverit, ubi amplius non fuerit, & ei fuerit adprobatum, causam superius compensam sol. XLV. culpabilis judic. exc. cap. & dilat.

Si amplius apepus usque ad VI. furaverit, ut aliquid remaneant, & ei fuerit adprobatum (malb. leodardi) sunt dinarius DC. faciant sol. XV. culp. jud. exc. cap. & dil.

Si vero VI. aut amplius furaverit adhuc, & aliquid remaniant, cui fuerit adprobatum, malb. leodardi, sunt dinarius IDCCC. fac. sol. XLV. culp. jud. exc. cap. & dilat.

Ad Tit. X.

a) Si damnum in messe, vel in qualibet clausura illatum fuerit. Ecc. Tit. IX. de damnum &c. Guelf.

b) Vel quodlibet pecus. Ecc. vel qualibet pecus. Guelf.

c) Penitus eum. Guelf.

d) Et hoc. Guelf.

e) *In* omittit Ecc.

f) Ipse vero debilem ad se recipiat. Ecc. ipsum vero debilem, qui eum percussit, ad se recoligat. Guelf.

g) Leodardi. Ecc. & Guelf.

h) Culp. jud. deest ap. Ecc.

i) Except -- delat. omittit. Guelf.

k) Si vero animal, caballum aut jumentum, in furgum pinxerit. Ecc. Hic totus §. in Cod. Guelf. omissus est.

l) Stalachia Ecc.

m) Quæ. Ecc.

n) Habeant, & in ea incluserit. Ecc.

o) Aliqua. Ecc.

p) Texaca. Ecc.

q) Aut quodlibet. Ecc. animalem aut quodlibet Guelf.

r) Suam negligentiam. Ecc.

s) *Hoc Dominus ei*, omittit Ecc. & Guelf.

t) Et tamen victus fuerit. Ecc.

u) add. Guelf. illum debilem ad se recipiat aut recoligat.

x) Leodardi. Ecc. & Guelf.

y) Si alicujus porci aut quodlibet pecus, pastore illud custodiente. Ecc. Si alicujus porci, aut quemlibet pecora ipsum custodientem. Guelf.

z) Messem alienam cucurrerit Ecc. messe aliena cucurrent. Guelf.

aa) Ipso negante si ei &c. Ecc. & illum necantem, & ei &c. Guelf.

bb) Leodari sive Andesitto ipso negante si adprobatum fuerit, DC. den. Eccard. Leodardi. Guelf. Addit Eccard. edit. Si vero pecora de damno, cum alios labores vastantur, aut includantur aut in domum minantur, & ea quivis expellere aut excutere præsumpserit. Malb. Schoto. DC. den. qui &c. Guelf. vero codex. Si quis vero pecora de damnum ad domo cujus messe vastaverint, minantur, qui eas excutere præsumserit, malb. excuto, sunt din. DC. faciunt sol. XV. culp. judicetur.

cc) Si vero pecora. Ecc. & Guelf.

dd) In clausura. Guelf.

ee) Cujus pecora sunt, æstimatum reddat. Ecc. ille cujus pecora sunt damno, in stematum reddat. Guelf.

ff) Insuper X. denar. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura Ecc. & insuper X. dinarius culpabilis judicetur. Guelf.

gg) Hunc §. omittit Ecc. & Guelf.

hh) Si quis autem per inimicitiam aut per superbiam sepem alienam ruperit. Ecc. §. 8. Si vero per inimicitiam aut per superbia sepem &c. Guelf.

ii) Messem, aut in partum vel in quemlibet laborem. Ecc. messe in prato, in vinea, vel in qualibet laborem. Guelf.

kk) Ille, cujus labor est, testibus eum convincat, ei reputetur damnum, & æstimatum reddet, Malb. Leodardi. Ecc. cujus labor est, si convinctus eum fuerit ad testibus stematum damnum reddat. Malb. Leodardi, & in super dinar. ICC. &c. Guelf.

ll) Excepto capitale & delatura Ecc.

Digitized by Google

XI. *De Seruis a) vel' mancipiis Furatis.*

b) SI q. ſervum aut ancillam fur. *c)* & ei fuerit adprobatum' malb. *d)* theos taxata' s. den Ī CCCC. q. f. ſol. XXXV. culp. iud. *e)*

f) Si q. ſervum perdiderit aut ancilla valentes ſol. XXV. fur. ſi portario ſi uenatore ſi fabro ſi carpentario ſi ſtratore ualente ſol. d. XXX. fur. aut occiſſerit malb. trachra taxaca ſunt den. Ì CCCC q. f. ſol. LX. culp. iud. excep. cap. & dil.

g) Si q. ſervus aut ancilla ad hominem ingenuum de re ſui domini aliquid deportauerit *h)* de taxaca qui hoc recepit malb. theobardo' s. den. DC. q. f. ſol. XV. culp. iud. excep. cap. & dil.

i) Si q. homo ingenuus ſervum alienum intaxaicam ſecum inuolare duxerit aut aliquid cum ipſo bitaxaica negociat malb. cheolaſina s. den. DC'. q. f. ſol. XV. culp. judicetur. *k)*

XII. *De Furtis ingenuorum a) vel' effracturis.*

b) Si q. homo ingenuus *c)* de' foris caſa quod valent duo den. fur. malb. *d)* taxaca' s. den. DC. q. f. ſol. XV. cul. iud. *e)*

f) Si vero foris' caſa quod valent XL. den. fur. *g)* malb. *b)* taxaca' s. den. Ī CCCC. q. f. ſol. XXXV. cul. iud. excp. cap. & dil.

i) Si vero homo ingenuus aliquid de intus caſa fur. aut clauem infrigerit aut adulterauerit aut exinde aliquid in furtum portauerit malb. antheoco s. den. ĪDCCC. q. f. ſol. XLV. culp. iud. excp. cap. & dil.

k) Si q. clauem effrigerit & nihil exinde portaverit malb. norchloc s. den. Ī CCC. q. f. ſol. XXXV. culp'. iud. *l)*

XIII.

Ad Tit. XI.

a) Vel omittitur ap. Ecc. extat vero in Cod. Guelf. in quo hic titulus eſt Xmus.

b) Si quis ſervus aut ancilla, caballum aut jumentum alterius furaverit. Ecc. Si quis ſervum aut ancillam, cavallum vel jumentum furaverit, Guelf.

c) *Et ei - approbatum* deeſt ap. Eccard. legitur tamen in Cod. Guelf. tantum pro *& ei, cui* habetur.

d) Theutha Texaca. Ecc. teodocco. Guelf.

e) Excepto capitale & delatura. add. Ecc.

f) Totus hic §. deeſt in Eccard. ed. & cod. Guelf. ejus autem loco ſequens ap. Ecc. exhibetur.

II. Si quis ſervum alienum furaverit, aut occiderit, aut venderit, aut ingenuum dimiſerit, & ei fuerit adprobatum. Malb. Theu Texaca. MCCCC. den. qui faciunt ſol. XXXV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura. De ancilla vero ſolidos XXX.

g) Cum homine ingenuo de rebus Domini ſui. Ecc. cum ipſum ingenuo de rebus Domini ſui. Guelf.

b) Malb. Leudardi DC. den. &c. ita Ecc. loco *de taxaca - theobardi.* Guelf. vero Codex ita: dum ſunt dinarius, quicquid ille poteſt de mancipia ipſa reſtituat ſicut ſuperius diximus. except. cap. & delat.

i) Si quis ingenuus in texaca ſecum duxerit, aut aliquid cum eo negotiaverit Malb. Theulafina DC. den. Ecc. In Cod. Guelf. hic. §. deeſt.

k) Excepto capitale & delatura. add. Ecc. ed. in qua porro ſequentes adduntur.

V. Si quis ſervum puledrum furaverit, Malb. Uſu Dredo. MDCCC. denar. qui faciunt ſol. XLV. culpabilis judicetur excepto capitale & delatura.

VI. Si quis Majorem, Infeſtorem, Scantionem, Mariſcalcum, Stratorem, Fabrum ferrarium, Aurificem ſive Carpentarium, Vinitorem, vel Porcarium, vel Miniſterialem furaverit, aut occiderit vel vendiderit valentem. ſol. XXV. Malb. Theuca Texara, MCCCC. den. qui faciunt ſol. XXXV. culpabilis judicetur, excepto cap. & delatura.

VII. Si vero majoriſſam aut ancillam miniſterialem valentem ſol. XXV. ſuperiorem cauſam convenit obſervare.

VIII. In alio pacto dicit, de ipſis Malb. Thenca Texaca, Iſmala Texaca, Amba texaca, Amba Othonia, præcia hæc ſol. in ſumma LXXXV. qui faciunt denar. MMMCC. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

Nihil horum in Cod. Guelf. extat, at ſequens §. ibi comparet qui in Ecc. edit. non habetur.

Si quis ancilla prodederit, ſol. XXXV. ſi pro vinitore, ſi fabrum, ſi carpentario valente ſol. XXX. malb. teodouo ſunt dinar. II DCCC LXXX. faciunt ſol. LXXXV. cui fuerit adprobatum culp. judicetur.

Ad Tit. XII.

a) Vel effracturis, omiſſum eſt in Cod. Guelf. in quo hic eſt XI. titulus.

b) Si quis vero ingenuus. Ecc. Si quis ingenuus Guelf.

c) *De*, omittit. Guelf.

d) Leudardi Ecc. Leodardi. Guelf.

e) Excepto capitale & delatura. add. Ecc. & Guelf.

f) Si quis vero de foris. Ecc.

g) Cui fuerit adprobatum, add. Guelf.

b) Texaca. Ecc. Texxagas. Guelf.

i) Ex hoc §. tres in edit. Eccard. ſunt confecti, hoc modo.

Si vero ingenuus de intus caſa furaverit, aut fregerit quod valent duo denar. Malb. Antidio, MDCCC. qui faciunt ſol. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

Si quis vero ſupra quinque denarios furaverit, de intro clavem, MCCCC. den. qui faciunt ſol. XXXV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

Si quis vero ingenuus clavem effregerit, aut adulteraverit, & ſic domum ingreſſus fuerit, & per furtum aliquid tulerit. Malb. Antidio. MDCCC. den. qui faciunt ſol. XLV. culpabliis judicetur, excepto capitale & delatura. Codex vero Guelferb. hæc habet

Si quis ingenuus effracturas fecerit, & ei fuerit adprobatum (Malb. Antedio) ſunt dinar. ĪCC. faciunt ſol. XXX. culpabilis judic. except. cap. & dilat.

Si vero ſuper V. dinarios furaverit, & ei fuerit adprobatum, (Malberg. Antedio) ſunt dinarius DC. faciunt ſolidos XV. culpabilis judicetur, except. cap. & dilatura.

Si vero clavem effregerit aut adulteraverit, & in domum eingreſſus fuerit, & in furtum aliquid tullerit, & ei fuerit adprobatum, (Malb. Antedio) ſunt din. ĪDCCC. faciunt ſolid. XLV. culp. judicetur exc. cap. & dilat.

k) Si vero effregerit, & nihil tulerit, & fugiens evadit propter effracturam tantum MCC. denar. qui faciunt ſolid. XXX. culpab. &c. Ecc. Si vero nihil tullerit, ut fugiens evadat, taliter propter effracturam tantum ĪCCCC. dinar. faciunt ſol. XXXV. culp. Guelf.

l) Excepto capitale & delatura. add. Ecc.

Ad

Digitized by Google

XIII. *De Furtis Seruorum.* a)

SI quis ſervus *b)* de foris caſa quod valent *c)* duo den'. fur. *d)* excp. cap. & dil'. aut *e)* flagellus' CXX. ictos accipiat aut *f)* pro dorſo ſuo CXX. den. q. f. ſol. III. culp. iud.

Si vero *g)* fur'. quod ual. XL. den. *b)* aut caſtretur aut CCXL. den. q. f. ſol. VI. *i)* reddat', dominus vero *k)* ſerui qui furtum' fec. cap. *l)* in loco reſtituat.

XIV. (a) *De Raptu ingenuorum.*

SI *b)* quis' tres homines *c)* ingenua puella' de caſa *d)* aut de ſcreona' rapuerint malb. *e)* antonio ſ. den. Ī CCC. q. f. ſol. XXX'. culp. iud. *f)*

g) Qui' ſuper tres fuerint ducentinos den. q. f. ſol. V. *b)* unusquisque eorum culp. iud. *i)*

k) Illi vero qui cum ſagittas fuerint ternos ſol. conponere faciant unusquisque eorum. Raptor vero $\overline{\text{II}}$D. den. q. f. ſol. LXII. S. cogatur exſoluere.

Si *l)* vero puer *m)* regis' *n)* vel litos' *o)* ingenua femina' traxerit *p)* tunc' de vita conponat.

Si vero *q)* ingenua femina' *r)* qui cumque' de illis ſua voluntate ſecuta fuerit *s)* ingenuitate ſua' *ſ)* perdat'.

Si quis *t)* ſponſam alienam' tullerit & ſibi in conjugium ſociaverit malb. *u)* andratheo' ſ. den. $\overline{\text{II}}$D. q. f. ſol. LXII. ſ. culp. iud.

Si quis *x)* puella deſponſata' *y)* druđti' ducente ad maritum *z)* aliquis eam inuiam adſallierit & ipſam uolentem' mechatus fuerit malb. *aa)* gauge chaldo ſ. den. VIII'. q. f. ſol. CC. culp. iud.

Si quis ingenuus *bb)* ancilla aliena' *cc)* in coniugio' ſociaverit malb. *dd)* honimo ipſi' cum ea in *ee)* ſervitio implicetur'.

ff) Si

Ad Tit. XIII.

a) Vel effracturis add. Cod. Guelf. in quo hic titulus eſt XII. vel effracturis. Ecc.

b) *De*: omittitur ap. Ecc. & Guelf.

c) Pro *duo denarii*. Guelf. habet *dinarius*, & addit, ut & Eccard. & ei fuerit adprobatum.

d) *Except. cap. & del.* Ecc. poſt *culp. judicetur* ponit. Guelf. prorſus omittit.

e) Flagellus. omiſſ. ap. Ecc.

f) Pro dorſo ſuo, deeſt ap. Ecc. in Guelf. Cod. vero poſt approbatum, ita legitur: (Malb. falcono) ſunt din. CXX. faciunt ſol. III. pro dorſum ſuum aut CXX. flagellus ſuſcipiat.

g) Furaverit: omittit. Guelf.

h) Add. involaverit. Guelf.

i) Pro *reddat: culpabilis jud.* habet. Guelf.

k) Ejus. add. Ecc. qui furtum fecit, deeſt in Guelf. Cod.

l) Et delaturam, add. Ecc.

In Eccardiana ſequentia adduntur.

III. Quicunque alienam domum violenter diſturbaverit, & domus ſi pro firmamento liberus habuiſſe probatur, qui hoc fecerit M DCCC. denariis culpabilis judicetur. Et ſi de ipſa domo proinde cum carto aliquid trahere præſumſerit, excepto ſuperiore numero MCC. denar. qui faciunt ſol. XXX. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

Ad Tit. XIV.

a) De ingenuis hominibus, qui mulieres ingenuas rapiunt. Ecc. Tit. XIII. De rapto ingenuorum vel mulierum. Guelf.

b) Qui. Ecc. Guelf. omittit.

c) Ingenuam puellam. Ecc. & Guelf.

d) Aut de ſcreona. deeſt in Guelf.

e) Authuma. MCC. den. qui faciunt ſol. XXX. Ecc. malzania, i. e. millinus docentinus dinarius, quod evenit tricinus ſol. illi tres ſolvabant. Guelf.

f) Excepto capitale & delatura. add. Ecc.

g) Illi vero qui. Ecc. Illi qui. Guelf.

h) Unusquisque eorum. deeſt ap. Ecc. quisque illorum, Guelf.

i) Excepto capitale & delatura. add. Ecc.

k) Hunc §. ita exhibet Eccard. ed. ut in duos diſpeſcat, hoc modo.

Qui cum ſagittis fuerint, unusquisque illorum CXX. den. qui faciunt ſolid. III. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

Raptor vero MMD. den. qui faciunt ſolid. LXII. cum dimidio culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura. Cod. Guelf. autem hoc modo.

Qui cum ſagittos fuerint docentinus dinarius, qui faciunt ſol. ternus culp. judic.

Quisque illorum raptorum vero $\overline{\text{II}}$D. din. faciunt ſol. culp. jud.

In utraque editione porro ſubjungitur ſequens paragr.

Si vero puella quæ trahitur, in verbo Regis fuerit, propter fredum MMD. qui faciunt ſolid. LXII. & dimidium cogatur perſolvere, excepto capitale & delatura. Pro verbis *propter fredum*, usque ad fin. in Cod. Guelf. hæc exhibentur prorſus corrupta. *ereus inde ex iendis ſol.* LXII. *culp. judicitur.*

l) Vero, deeſt in Ecc. ed.

m) Regius. Guelf.

n) Vel Lidus. Ecc. vel letus. Guelf.

o) Ingenuam feminam. Ecc. Ingenua puella. Guelf.

p) Tunc, deeſt ap. Ecc. & Guelf.

q) *Ingenuum*, omiſſo vocab. *femina*. Guelf.

r) Aliquemcunque. Ecc. Quemcunque. Guelf.

s) Ingenuitatem ſuam. Ecc. & Guelf.

ſ) Perdit. Guelf.

t) Puellam ſponſatam. Ecc. Si quam ſponſam aliena. Guelf. Cod. in quo hic §. cum eo qui ultimus hujus tituli in noſtro codice eſt conjungitur.

u) Anaſtheo. Ecc. Antedio. Guelf. In edit. Eccard. ſequens §. additur. Sponſo autem ejus DC. den. qui faciunt ſolid. XV. culpabilis judicetur.

x) Puellam ſponſatam. Ecc. Deeſt hic §. in Cod. Guelf.

y) Druthe. Ecc.

z) Et eam in via aliquis adſallierit, & cum ipſa violenter. Ecc.

aa) Changichaldo. VIII M. den. Ecc.

bb) Ancillam alienam. Ecc. In Cod. Guelf. hic. §. deeſt.

cc) Sibi in conjugium. Ecc.

dd) Honomo. (in marg. legitur Onemo) ipſe. Ecc.

ee) Servitium inclinetur. Ecc. ed. in qua ſequentes paragraphi hunc excipiunt.

Si quis ſororem, aut fratris filiam, aut certe alterius gradus conſobrinam, aut fratris uxorem, aut avunculi, ſceleratis nuptiis ſibi junxerit, huic pœnæ ſubjaceant, ut â tali conſortio ſeparetur, atque etiam ſi filios habuerit, non habeantur legitimi heredes, ſed infamia ſint notati.

Digitized by Google

ff) Si quis uxorem alienam *gg*) tulerit' uivo marito malb. *bb*) abteca. in alia mente abhato uelentemo sol. CC'. cul. iud.

Si quis cum ingenua puella *ii*) sponsata ambo partes conuenerit & in occulto mechati fuerint malb. *finla fina'* [friolasia] s. den. I DCCC. q. f. sol. XLV. culp. jud.

a) XV. *De Superuentis vel expoliationibus.*

SI quis hominem ingenuum *b*) in superuento expoliauerit malb. *c*) musido' s. den. II D. q. f. sol. LXII. s. culp. jud.

d) Si quis Romanus homo barbaro' expoliauerit malb. *e*) musido' s. den. II D. q. f. sol. LXII. s. cul. iud.

f) Si quis francus homo Romano' expol. malb. *g*) musido' s. den. ICC. q. f. sol. XXX. cul. iud.

b) Si quis homo qualicubi migrare disponit & de Rege habet cartas & se habundivit in mallo publico & aliquis extra ordinatione Regis restare aut adsallire eum' præsumpserit malb. *i*) alachra & huvialacina' s. den. VIII M. q. f. sol. CC. cul. iud.

Si quis hominem *k*) ingenuum' dormientem *l*) expoliaverit malb. *m*) prio mosido s. den'. q. f. sol. C. culp. iud.

a) XVI. *De eo qui alterius villam adsallit'.*

SI quis villam alienam adsallierit malb. *b*) alafalmo' s. den. I CC. q. f. sol. XXX. cul. iud.

Si quis villam adsallierit *c*) & hostia frigerit &' canes occiderit aut homines *d*) placaverit aut exinde in cassa aliquid duxerit' malb. *e*) turriphathio' s. den. VIII. q. f. CC. cul. iud.

a) XVII.

Si quis ingenuam feminam, aut puellam contubernio facto, seu in itinere, aut quolibet loco adsalierit, & vim illi inferre præsumpserit, tam unus quam plurimi, qui in ipsa violentia fuerint admixti, CC. solid. unusquisque ipsorum culpabilis judicetur. Etsi adhuc de illo contubernio remanserint, qui scelus istud non admisisse noscuntur, & tamen ibidem fuerint, eorum quilibet pro ipsis XLV. sol. culpabilis judicetur.

ff) Hic & sequens paragraphus in ed. Eccard. ad novum titulum est relatus qui est XV. & inscribitur. *De eo qui uxorem tulerit alienam vivo marito.* In Guelf. vero codice hic paragraphus ultimus est Tituli XIVti. *De superventis vel Expol.*

gg) Tollere voluerit. Guelf.

bb) Abtica, & in alia mente Arbatheus & Lanthamo VIII M. den. qui faciunt sol. CC. Ecc. affaltecha, sunt din. VIII. faciunt sol. CC. cui fuerit adprobatum. Guelf.

Post hunc paragraphum edit. Eccard. sequentem addit.

Si quis cum puella per virtutem mœchatus fuerit, Malb. Thevrora, MMD. denar. qui faciunt sol. LXII. cum dimidio culpabilis judicetur.

ii) Et spontanea voluntate ambarum partium coiverit, & in occulto mœchatus fuerit. Malb. Friolasia. Ecc.

Excipit hunc §. in edit. Eccardiana ultimus Tituli jam indicati XVti. qui ita habet:

Si quis lidam alienam in conjugium sociaverit, MCC. den. qui faciunt solid. XXX. culpabilis judicetur.

Ad Tit. XV.

a) In Cod. Guelf. est Titulus XIV. & inscribitur. De supervenientes & expoliacionibus. In Eccard. editione vero duo sunt Tituli XVItus de Superventis. & XVIItus. De Expoliationibus.

b) In superventum. Guelf. Superventum. Ecc.

c) Mosedo. Ecc. Murdo. Guelf.

d) Si vero Romanus barbarus, Salecum Francum. Ecc. Guelf. totum hunc omittit.

e) Comprehensam convenit observare. Ecc.

f) Si vero Francus Romanum. Ecc.

g) Mosedo. Ecc. Guelf. Codex hunc §. ita exhibet.

Si vero Romanum Franco Saligo expoliaverit, & certa non fuerit, per XXV. se juratores exsolvat, medius tamen electus, se juratores non potuerit invenire (malb. murdo) aut ad inium ambulat aut II D. din. qui faciunt. sol. LXII. culp. jud.

Si vero certa probatio non fuerit, XX. se juratores exsolvat, medius tamen electus, se juratores non potuerit invenire, (malb. murdo) sunt din. I CC. faciunt sol. XXX. si adprobatus fuerit culp. jud.

b) Si quis hominem, qui alicubi migrare disponit, & dirigere habet præceptum Regis, & si aliunde ierit in Mallum publicum, & aliquis extra ordinationem Regis restare eum facit, aut adsalire. Ecc. Si quis hominem, qui admigrare voluerit, & de Rege habuerit præceptum & abundivit in mallum publico & aliquid ex ordinacione Regis arrestare. Guelf.

i) Alacfacis, via Lacina. Ecc. Alachtaco. Guelf.

k) *Ingenuum* deest in Cod. Guelf. & Eccardiana edit. in qua hic §. ultimus est Tituli XVII. Titulus vero XVI. præcedenti §. finitur.

l) *In furtum*: addit. Guelf.

m) Chreo Mosdo IIIIM. den. Ecc. Friomurdum sunt din. IIII. Guelf.

In Cod. Guelf. exhibentur sequentes §. qui nec in nostro Cod. nec in edit. Eccard. extant.

Si quis hominem migrantem adsallierit, & ei fuerit adprobatum sol. CC. culp. jud.

Si quis cum ingenua puella mœchatus fuerit, & ei fuerit adprobatum (malb. virtuane) sunt Din. II D. faciunt sol. LXII. culp. jud.

Si quis cum ingenua puella spontania voluntatem, ambis convenientibus mina (leg. mœchatus fuerit) (malb. frilayso) sunt dinar. ID. faciunt solid. XL. culp. jud.

Ad Tit. XVI.

a) Hic Titulus totus deest in Cod. Guelf. primus sal tem §. sed Titulo XIV. insertus, in eo extat. In Eccard. vero editione est Titulus XVIII. & inscribitur. *De eo qui villam alienam adsalierit.*

b) Alac. Falthio Ecc. In Cod. Guelf. hic §. ita exhibetur. Si quis villa aliena adsallierit, quanti in eum superventum probati fuerint fuisse nuscuntur sexagenis senies sol. culp. iud.

c) Alienam & ibidem ostia fregerit. Ecc.

d) Plagaverit, vel in carro aliquid exinde duxerit. Ecc.

e) Turpha Falchio. Eccardiana edit., in qua additur III. Et quicquid inde abstulit, in locum restituat, & quicunque in ejus contubernio fuisse convicti fuerint, unusquisque eorum MMD. denar. qui faciunt solid. LXII. & dimidium, culpabilis judicetur.

Ad

Digitized by Google

a) XVII. *De homine occiſo & expoliato antequam in terram mittatur'.*

SI quis *b*) corpus ſepultum' effodierit *c*) aut' expoliaverit *d*) uuargus ſit id eſt expelliſſet usque in diem illum quam ipſa cauſa parentibus defuncti faciant emendare & ipſi parentes rogare ad judicem debeant, ut ei liceat inter homines habitare ſi tam. auctor ſceleris malb. turnichal s. den. VIII. q. f. ſol. CC. cul. iud. & qui eum antequam cum parentibus defuncti ſatisfaciat hoſpitium dederit DC. q. f. ſol. XV. cul. jud'.

e) XVIII.

gem noluit audire, & quod ibi laborávit, demittat, & inſuper (malb. uuedreſitelo) ſunt din. I CC. fac. ſol. XXX. culp. jud.

c) Si vero, Guelf. Si quis vero. Ecc.

d) Aliquis intra. Ecc. infra. Guelf.

e) Nullus Ecc. nullius illius. Guelf.

f) Sit &, deeſt in Guelf.

g) Manent, ille maneat. Guelf. confiſtat. Ecc. ed. quæ addit.

Si quis vero aliam in villam alienam migrare antequam conventum fuerit rogaverit, MDCCC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur.

Ad Tit. LXXX.

a) Eſt hic titulus XLIX. in Ecc. edit. & inſcribitur. *De Adframire.* In Cod. Guelf. eſt XLII. cum hac inſcriptione *De adfathamire hoc convenit obſervare.* Iterum juvabit integrum ex utraque edit. producere ut inſignis diverſitas luculentius pateat. In edit. Eccard. ita ſe habet.

Hoc convenit obſervare, ut Tunginus aut Centenarius Mallum indicent, & ſcutum in ipſo Mallo habere debet, & poſtea tres homines tres cauſas demandare debent, poſtea in ipſo mallo requirant hominem, qui ei non pertinet, & ſic fiſtucam in laiſam jactet, & ipſe in cujus laiſam fiſtucam jactaverit, dicat verbum de fortuna ſua, quantum ei voluerit dare, aut ſi totam aut ſi mediam fortunam ſuam cui voluerit dare. Poſtea ipſe, in cujus laiſam fiſtucam jactavit, in caſa ipſius manere debet, & hoſpites tres ſuſcipere: & de facultate ſua quantum ei datur, in poteſtate ſua habere debet. Et poſtea ipſi cui creditum eſt, omnia cum teſtibus collectis iſta agere debet, & ſic poſtea, ante Regem, aut in Mallo legitimo, illi cui fortunam ſuam deputaverit, reddere debet, & accipiat fiſtucam in Mallo ipſo. Et ipſum quem heredem deputavit ante XII. menſes in laiſio ſuo jactet nec minus nec majus, niſi quantum ei creditum eſt: & ſi contra hoc aliquid dicere voluerit, tres teſtes habere debet, qui jurati dicant, quod ibi fuerint in mallo, quod Tunginus aut Centenarius indixerunt. Et quomodo vidiſſent hominem illum, quod fortunam ſuam donavit in laiſo, illius quam jam elegerat fiſtucam jactare, & dominare debent qui fiſtucam in laiſum jactit, nec non & illum in cujus laiſum fiſtucam jactavit, & illum quem heredem appellavit. Similiter nominent alii teſtes jurati, & dicant, quod in caſa illius, qui fortunam ſuam donavit, illi in cujus laiſam fiſtucam jactavit, ibidem manſiſſet, & hoſpites tres vel amplius collegiſſet, & paviſſet & ei ibidem gratias egiſſent, & in beudo ſuo pultes manducaſſent, & teſtes collegiſſent. Iſta omnia alii tres teſtes jurati dicere debent, quoniam in Mallo legitimo vel ante Regem, illi qui accepit in laiſam fiſtucam, fortunam ſuam donavit, & ille acceperit in Mallo, hoc eſt, ante Theada, vel Tunginum fortunam illam, qua heredem eum appellavit, publice coram omnibus hominibus fiſtucam in laiſam ipſe jactaſſet: & hæc omnia novem teſtes debent affirmare.

In Guelf. Codice ſequentem in modum exhibetur.

Ut Tunginus aut Centenarius mallum indicant, & ſcutum in ipſum mallum habere debent & III. hominis III. cauſas in mallum ipſum demandent & poſtia requirant hominum qui ei non perteniat, & fiſtucam in leſu jeſit, & ipſi in cujus leſo fiſtucam jeſtavit de furtunam ſuam quantum dare voluerit aut totam furtunam, cujus voluerit dare ipſo in cujus leſo fiſtuca jactavit, in caſa ſua manire debit & de facultate ſua de quantum ei datur in poteſtate ſua abire debit & poſtea ipſe cui ſcutum creditum eſt ſta omnia cum teſtibus colectis agere debet, & poſtia aut ante regem aut in mallum legitimuim illi cui furtunam ſuam depotavit reddere debit & aceipiat fiſtucam in mallum ipſum ante XII. minſis ille quos eredes depotavit in leſo jaſit, nec minus nec majus, niſi quantum ei creditum eſt & ſic contra hoc aliqui aliquid dicere voluerit, debent III. teſtis jurati dicere, quod ibi fuiſſent in mallum, quem Tunginus aut centenarius mallum indixerunt, quomodo dixiſſent hominem illum, qui furtuna ſua adire noluit, nominare debit, denominat illum, cui feſtucam in læſo jactat, & ſic leſo jactitur & illum, quem heredem apellat, ſimilem nominent & alteri III. teſtis jurati dicere debent, quod in cauſam illius, qui furtuna ſua donavit, in cujus leſo fiſtucam jactata eſt, ibidem manſi & oſpites III. aut amplius collegiſſet & paviſſit & oſpites illi III. aut amplius de ſuſceptionem gratias egiſſet & in beudo pultis manducaſſent & teſtes collegiſſet: & ſta omnia illi alii tres teſtis jurati dicere debent, & de hoc quando in mallum aut ante regem vel in legitimo publici, qui accipit in leſo furtunam ipſi ante regem aut in mallum legitimus publicum hoc eſt in malbergo anteuda aut tuginus furtunam ſuam quod eredis apellavit publici corum hominibus fiſtucam in leſo jactaſſit, hoc eſt IX. teſtimonia vel teſtis ſta omnia debunt adfirmare.

Ad

vel ante regem ille qui accipit in leiſum furtunam ipſe aut ante regem aut in mallum publicum legitimum hoc eſt ancheoda & tunzimo furtunam ſuam quem heredem appellauit publice coram bonis hominibus fiſtucam in leiſum ipſius jactaſſet & hoc novem teſtes iſta omnia debent adfirmare.

a) LXXXI. *De Falſo Teſtimonio'.*

SI quis falſum teſtimonium *b*) prebuerit' DC. den. q. f. ſol. XV. culp. iud.

Si *c*) aliquis alicui iure imputauerit quid perjuraſſet' & non potuerit *d*) adprobare qui inputatum' DC. den. q. f. ſol. XV. culp. iud.

a) LXXXII. *De Filtorto'.*

SI quis *b*) lege Salica vivit' ſervum aut ancillam caballum vel bovem *c*) vel quemlibet' rem *d*) ſuper alterum' agnoverit mittat *e*) eum in tertia manu' & ille *f*) ſuper quem' agnoſcitur *g*) in noctes XL. placitum faciant & in *b*) ipſo placito' *i*) quanti' fuerint qui *k*) rem viderunt vel camiaverunt aut furaſſe homines commoveantur. Hoc eſt ut unus quisque de negotiantibus ſuis alter alterius commoveant & ſi' conmonitus fuerit *l*) & eum ſumnis' non *m*) detenuerit' & ad placitum venire diſtulerit, *n*) ille *o*) qui cum eo negotiatur' mittat tres teſtes quomodo ei *p*) nuntiaſſet ut ad placitum venire debuiſſet' & *q*) alteros tres teſtes quid publice apud eum negotiaſſet' *r*) iſtud' ſi fecerit *s*) exivit' ſe *t*) de latrocinio &' ille qui *u*) non venerit *x*) ille' erit latro *y*) illius qui *z*) res ſuas' agnoſcit *aa*) & pretium reddat illius qui cum eo negotiavit & ad illum' ſecundum legem conponat *bb*) qui res ſuas agnoſcit & pretium reddat'. Iſta omnia *cc*) facere debet' *dd*) in illum mallum' ubi *ee*) ipſe amall. eſſe denoſcitur' ſuper quem res *ff*) illa' agnita fuerit aut *gg*) interciata'. *hh*) Quid ſi transligere aut carbonaria' manent *ii*) ille qui cum res agnoſcitur' in *kk*) noctes' LXXX. lex iſta cuſtodiatur.

LXXXIII.

Ad Tit. LXXXI.

a) In edit. Eccard. eſt LI. titulus, in Cod. Guelf. XLIX. ubi inſcribitur *De falſum teſtimonium.*

b) Preberit vel juraverit (malberg caliſtanio) ſunt. Guelf.

c) Cuicunque aliquid imputatum fuerit, quod aliquid perjuratus ſit. Ecc. In Guelf. hic paragr. deeſt.

d) Adprobari, omiſſis *qui imputatum.* Ecc. edit. quæ ſeq. paragraphum addit.

Si alicui fuerit imputatum, quod ſe perjuraſſet, & hoc qui imputaverit adfirmare poterit, tres de ipſis conjuratoribus perjuri, unusquisque ad illorum DC. denar. qui faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur. Alii vero qui ſuper tres fuerint, finguli quinis ſolidis, id eſt CC. den. culpabiles judicentur, ipſe vero cui imputatum fuerit, excepta cauſa vel capitale & delatura, CC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur.

Hunc paragraphum ita Cod. Guelf. refert.

Si cujuscunque aliquid fuerit inculpatum quod perjuraſſit, & probatus fuerit, juratoris quinus ſol. condemnentur: ipſi vero cujus approbatum fuerit exceptum cap. & cauſa extra hoc ſol. XV. culp. jud.

Ad Tit. LXXXII.

a) In Ecc. edit. eſt L. & inſcribitur. *De Filtortis qui Salica Lege vivunt.* In Cod. Guelf. eſt XLIII. & ibidem inſcribitur. *De Feltortus, qui Lege Salica vivent.*

b) *Lege Salica vivit*, omittitur ap. Ecc. & Guelf.

c) Aut jumentum, aut quamlibet. Ecc.

d) Sub alterius poteſtate. Ecc. Cum alterum. Guelf.

e) Eam in tertiam manum. Ecc. Guelf. tantum *manum* pro *manu* habet, reliqua ut noſter.

f) Apud quem. Ecc. Quod quem. Guelf.

g) Debet adrhamire: & ſi intra Ligerim aut Carbonariam, aut citra mare ambo manent, & qui cognoſcitur, & apud quem cognoſcitur. Hæc inſerit Eccard. Guelf. vero ſequentia. Debet agramire & ſi intra Legere aut Carbonaria ambo manent, qui agnuſcit, & cum quem agnuſcitur.

b) Ipſum placitum. Guelf.

i) Quanticunque. Ecc.

k) Rem ipſam vendiderunt, aut cambiaverunt aut fortaſſe in ſolutionem dederunt, omnes intra placitum iſtum commoneantur: hoc eſt unusquisque cum negotiatoribus ſuis alter alterum admoneat. Si quis vero. Ecc. Caballum ipſum aut vindederint, aut cambiaverunt, aut fortaſſe in ſolitudinem dedirunt, omnia intra placitum ſtum commoneantur, hoc eſt unusquisque cum neguciatoribus, alter alterum admoniat & ſi quis. Guelf.

l) Et ſumis eum. Ecc. & ſunnis. Guelf.

m) Tenuerit. Guelf.

n) *Tunc* inſerit Ecc. & Guelf.

o) Cum quo negotiavit. Ecc. qui cum eum negociaverit. Guelf.

p) Maniaverit, quod ad placitum veniat. Ecc. nonciaſſit, ut in placitum venerit. Guelf.

q) Alios tres ſimiliter habeat, quod publice cum eo negotiarit. Ecc. alterius tres, quod publici ab eum & doniter neguciaſſit. Guelf.

r) Sto. Guelf.

s) Exuit. Ecc. & Guelf.

t) Ad latrocinium. Guelf.

u) Amonitus, inſerit Ecc.

x) Si ſuper eum teſtes juraverint. Ecc. ſuper quem teſtes juraverunt, ille. Guelf.

y) *Et fur.* inſerit Ecc.

z) *Res ſuas*, omittit Guelf.

aa) Et pretium ei reddatur, & omnia. Ecc. pretium reddat illis. Guelf.

bb) Pro *qui res ſuas*, uſque *reddat:* Eccard. ed. tantum habet, *cum quo negotiavit.* Guelf. vero Cod. ſolum *qui res ſuas agnuſcit.*

cc) Debent fieri. Guelf.

dd) In Mallo. Ecc.

ee) Ipſe Rhamallus eſſe videtur. Ecc. eſt ga mallum. Guelf.

ff) Primitus. Ecc. illa primitus. Guelf.

gg) In tercia manu miſſa. Guelf.

hh) Quod ſi trans Ligerim aut Carbonariam ambo. Ecc. Quod intra Legere aut Carbonaria ambo. Guelf.

ii) Cum quibus agnuſcitur. Guelf. Ecc. tantum pro *qui cum: apud quem* habet, reliqua ut noſter Cod.

kk) Noctibus. Ecc.

Digitized by Google

LXXXIII. *De Perjurio.*

SI quis alicui fuerit inputatum quod perjurasset & hoc qui inputat potuerit adprobare qui perjuraverit DC. den. q. f. sol. XV. culp. iud.

Si alicui fuerit inputatum quod perjurasset & hoc qui inputat potuerit adprobare juratore sui qui non solum condempnentur ipsi vero cui adprobatum fuerit excep. cap. & dil. aut que causa sol. XV. culp. iud.

a) LXXXIV. *De Testibus'.*

SI quis *b)* testes necesse habuerit' ut donet & fortasse *c)* ipsi testes voluerint' ad placitum venire ille qui eos *d)* necesse' habet *e)* &' mannire ipsos debet cum testibus ut *f)* eorum quid' viderunt testimonium prebeant.

g) Si' venire nolurint & eos *h)* sunnis' non detenuerit DC. den. q. f. sol. XV. culp. iud. unusquisque illorum.

Si vero presentes fuerint in *i)* testimonio' vocati *k)* iuraverunt ea' que viderunt *l)* & audierunt' *m)* testimonia prebuerint forbanniti' fuerint DC. den. q. f. sol. XV. culp. iud.

a) LXXXV. *De Fides factis'.*

SI quis ingenuus aut *b)* litus' alteri fidem *c)* fecit' tunc *d)* illi cui' fides facta est *e)* in XL. noctes' aut quomodo placitum fecerit *f)* cum testibus *g)* venire debet' vel *h)* qui pretium adpretiare *i)* debeant' *k)* & si noluerit fidem facta solvere' *l)* DC. den. q. f. sol. XV. culp. iud.

m) Si adhuc noluerit conponere debito debet eum admallare ut nestigante hujus rei mallare. Rogo te tunzine ut nestigante gasationem' meum illum qui mihi fidem fecit legitimum *n)* mihi debet *o)* & nominare debet *p)* qualem debitum' unde fidem fecit tunc tunzinus dicere debet *q)* & instigante. Ego Satacium tuum illum' in hoc mallo quod salica lex habet, & tunc ipse cui est fides facta debet testare ut nulli alteri nec solvat nec pignus solutionis donet *r)* ante quod ei impleat' quod fidem fecit & sic *s)* festinantur ad' domum illius qui ei fidem fecit cum testibus ambulare debet & *t)* roget ibi debitum suum solvere' & si hoc noluerit solem ei *u)* culcit' & si ei solem *x)* culcaverit CXX. den. q. f. sol. III. super debitum reddat' & sic usque ad tres vices per tres *y)* mannitis' facere debet & super *z)* ista omnia facta si noluerit *aa)* adhuc' conponere usque ad sol. VIIII. *bb)* debitus' ascendat. *cc)* Istud per singulos dies quod ei sol culcauerit terni soledi de die in diem crescant'.

dd) Si

Ad Tit. LXXXIII.

Hic titulus neque in edit. Eccard. neque in Cod. Guelf. extat. Interim tam in illa, quam in hoc, perjurium ad titulum de falso testimonio est relatum, unde illi paragraphi ibidem sunt additi, quos ad Tit. LXXXI. retulimus, quibuscum adeo facili negotio collationem lector instituere poterit.

Ad Tit. LXXXIV.

a) In Cod. Guelf. est L. in edit. Ecc. LII. Titulus, atque in hac inscribitur. *De Testibus adhibendis.*
b) Testis necesse habet. Ecc.
c) Testis non vult. Ecc.
d) Necessarium. Ecc.
e) *Et* deest ap. Ecc.
f) De eo quod. Ecc.
g) Et si. Eccard.
h) Sumis. Ecc.
i) Testimonium. Ecc.
k) Et ea. Ecc.
l) *Et audierunt*, omittit Ecc.
m) Testimonium præbere noluerint, & perbanniti. Eccard.

In Cod. Guelf. ita hi paragraphi exhibentur.

Si quis testes necesse abuerit, & fortasse testis ad placitum nolunt venire, ille qui eos placuit, necessarium abit fatis facire, manire illos debit, ut ea, quæ noverint jurati dicant: si venire noluerint & eos sunnis non tenuerit DC. din. fac. sol. XV. culp. jud.

Quisquis illorum si vero præsentis fuerint jurati in testimonium vocati & noluerint jurati dicere ea quæ noverunt & ferbanniti fuerent. DC. din. qui faciunt. sol. XV. culp. judic. unusquisque illorum.

Ad Tit. LXXXV.

a) Tit. LIII. *De fide facta.* Ecc. LI. *De fidis factas.* Guelf.
b) Lidus. Ecc. Letus. Guelf.
c) Fecerit. Guelf. & Eccard. ed. quæ addit, & *noluerit solvere.*
d) Ille cui. Ecc. Ille cujus. Guelf.
e) In noctes XIV. sive XL. Ecc.
f) Is qui fidem dedit, ad domum illius, qui fidem accepit. Hæc inserit Ecc. Guelf. vero: ut quando sedem fecit ad domum illius, qui fidem fecit.
g) Venire debet, omittit Guelf.
h) *Cum illis*, inserit Ecc. & Guelf.
i) Debent. Ecc. & Guelf.
k) Si is fidem factam noluerit solvere. Ecc.
l) *Malb. huc chram mito sunt*, inserit Guelf.
m) Si vero adhuc supra dictum debitum solvere noluerit, debet eum manire, & Nestigantio sic admallare; Rogo te Tunzino, ut Neistigante Gassachio. Ecc.
n) Enim, inserit Ecc.
o) Debitum, add. Ecc.
p) Quale debitum debeat, &. Ecc.
q) Ego Nestigantio Gassachio illo tuo. Ecc.
r) Antequam impleat. Ecc.
s) Festinantes ipsa die ad. Ecc.
t) Rogare, ut debitum suum illi solvat. Ecc.
u) Collocet. Ecc.
x) Collocaverit, tres solidos super debitum addat. Ecc.
y) Manitas. Ecc.
z) Tres vices, inserit Ecc.
aa) *Adhuc*, deest ap. Ecc.
bb) Debitum. Ecc.
cc) Id est, ut per singulas admonitiones vel solem collocatum terni solidi accrescant. Ecc.

Varia-

Digitized by Google

dd) Si nec fides facta ad placitum legitimum ſoluere uoluerit' tunc ille cui fides facta eſt ambulet ad grafionem illius loci in cujus pago manet *ee*) & prehendat fiſtucam' dicat verbum. Tu grafio rogo *ff*) tibi' homo ille qui mihi fidem fecit *gg*) que legitimum habeo adjectiuum & admallatum in quo lex ſalica continet & ego' ſuper me & ſuper *hh*) fortuna mea pono quid' ſecurus mitto ſuper furtunam ſuam manum, & dicat *ii*) cauſam aut de' quantum ei fidem *kk*) fecit'. Tunc grafio *ll*) colligat ſecum ſeptem racimburgis idoneos & ſic cum eis ambulet ad caſam illius' qui fidem fecit *mm*) & dicat ei voluntatem tuam' ſolue homini illo *nn*) quod ei fidem feciſti & elige *oo*) tecum duos' quos volueris *pp*) idoneos cum racimburgis iſtos de quod ſoluere debes quod adpretrare debent' & hoc quvd debes ſecundum juſtum pretium *qq*) ſatisfacias', quid ſi' audire noluerit preſens *rr*) aut abſens tunc racimburgis adpreciatum precium quantum valuerit debite quem debet & hoc de furtunam illius tollant' & ipſa lege *ss*) quantum debent duas partes illius cujus' cauſa eſt ad ſe revoçet tertiam partem *tt*) grafio' ad ſe recolligat *uu*) tamen ſi fredus jam antea de hac cauſa non fuerit ſolutus'. Si Grafio invitatus fuerit & *xx*) ibidem' non uenerit ſi eum ſunnis non detinuerit aut *yy*) certe' racio dominica *zz*) & ſe diſtulerit & ibidem non ambulet neque alium transmiſerit de vita ſua grafio conponat aut ſe redimat quantum valet'.

a) LXXXVI. *De eo qui grafionem ad res alienas injuſte inuitaverit'.*

SI quis grafionem ad res alienas injuſte *b*) tollendas' invitauerit *c*) antequam gaſacium ſuum per legem habeat malatum', ille qui eum rogat ut injuſte *d*) tollat antequam legitime admalatus fuerit aut fides ei facta fuerit aut injuſte invitauerit' VIII. den. q. f. ſol. CC. culp. iud.

e) Ille qui grafionem rogat injuſte aliquid confiſcare ſi vero grafio invitatus ſupra legem aut debitum juſtum amplius aliquod tollere præſumſit aut ſe redimat'.

a) LXXXVII.

Variationes Codicis Guelf. â verbis: *Si adhuc noluerit* uſque ad *creſcant*, quum commode notari haud potuerint, maluimus omnia illius Codicis, quantumvis perquam corrupta ſint, transſcribere: ita autem ſonant:

Super debitum quod fidem fecerat, ſi adhuc noluerit componere quod debit, ad mallum eum manire debit: rogo te Tungyne ut nexticanti gyus gaſacium meum illum, qui mihi fidem fecit, & debitum debit, & numerare quale debitum dibiat, unde fidem fecerat, tunc Tunginus dicire debit: nexticantigium ego illum in hoc, quod Lex Salica abit, tunc ipſe cui fidis facta eſt, debit teſtare, ut nulli alteri nec ſolvat nec pignus donit ſolucionis niſi ante conponant, quod ei fidem fecit: & cum teſtibus ambulare & rogare debit, ut debitum ſuum ſolvere dibiat, & ſi adhuc noluerit ſolverem, ſolem ei colecit & tunc ſi ei ſolem collegaverit ſol. III. ſuper ſuperiorem debitum adhuc ſolvat ſtut uſque ad III. vicis, per III. non binas facire debit, & ſuper III. ſta omnia facta & noluerit adhuc componere uſque ad ſolem cobitum & ad novem ſol. adſcendat, & ſuper ſingulas admonicionis vel ad ſolem colecato terni ſolidi adcriſcant.

dd) Si vero nec fidem factam ad placitum legitime factum voluerit perſolvere. Ecc.

ee) Accipietque fiſtucam, &. Ecc.

ff) Te. Ecc.

gg) Quem legitime habeo admallatum ſecundum Legem Salicam, & in hoc quod Lex Salica habet & continet, & ego. Ecc.

hh) Fortunam meam pono, quod. Ecc.

ii) De quanta cauſſa. Ecc.

kk) Fecerit. Ecc.

ll) Roget ſeptem Rathimburgios, qui ſecum ambulent ad domum illius. Ecc.

mm) Dicat ſi præſens eſt Voluntate tua. Ecc.

nn) *De eo*, inſerit Ecc.

oo) Duos ex his. Ecc.

pp) Quibus cum quod ſolvere debes, adpretiatio. Ecc.

qq) Solve & ſatisfac. Quod ſi. Ecc.

rr) Aut ſi abſens fuerit, ſtatim Rathimburgii adpretiato pretio, & quod debito ſecundum juſtum pretium ſatisfaciat, & quantum valuerit debitum quod debet, & hoc de fortuna ſua tollat. Ecc.

ss) Duas partes ille, cujus. Ecc.

tt) In Frido Gravio. Ecc.

uu) Si tamen Fridus vim de ipſa cauſſa non fuit ſolutus. Ecc.

xx) *Ibidem*, deeſt ap. Ecc.

yy) Certa. Ecc.

zz) Eum non diſtulerit, ut ibi non ambulet, neque mittat, ut cum juſtitia exigatur debitum, aut ſe redimat, aut de vita componat. Ecc.

Quum in Guelf. Cod. iterum tanta ſit variatio ut fere ad ſingula verba nota fuiſſet opus, maluimus totum iſtius Codicis textum proferre, qui ita ſe habet.

Si quis fidem factam ad placitum noluerit ſolvere, ambulit ad Grafionum loci illius, in cujus pago manit, & præhindat fiſtucam & dicat verbum: tu Grafio, homo ille, qui mihi fidem ficit, quem legitime abio, illum jactibus admallatum in hoc, quod Lex Salica abit & contenit, ego ſuper me & ſuper furtunam meam pono, quod tu ſecurus mitte in furtuna ſua manom, & dicat de cauſam de quantum ei fidem ficit, tunc Grafio collegat VII. Racineburgiis & ſicum ipſis ad domum illius, qui fidem ficit, ambolit, & rogit illus ſibi præſens eſtum fidem ficit: voluntate tua ſolvi homine ſte, quod fidem ficiſti & elegit, ut duus quos volueris edoneis cum Recineburgiis ſtus, de quod ſolvere debit, adpreciare dibiant, & hoc ſoliſtum precium ſatisfacia; quod ſi audire noluerit, præſens auc abſens, tum Racineburgiis adpreciando pretium quantum valuerit debitum quod debit, hoc eſt de fortuna illius tollant & de ipſa legem quem dibit, duas partis ille cujus cauſa eſt ad ſe revocit, tercia parte Grafio rogitus fuerit, ſunnis eum non detenuerit aut certa racio dominica, & diſtulerit ſe ut non ambulit, neque aliquem in rem mittat, qui cum juſticiam exegere dibiat, de vita culpabilis eſſe debiat, aut redemat, quantum valit.

Ad Tit. LXXXVI.

a) In Eccard. edit. eſt Tit. LIV. & inſcribitur *De Admodmito*. In Cod. Guelf. prorſus deeſt.

b) Tollendum. Ecc.

c) Et eum legitime jachtivum aut admallatum non habuerit. Ecc.

d) Aliquid tollat, antequam eum per legem habeat admallatum, aut conſecutum quod ei in mallo fidem feciſſet. Ecc.

e) Si vero Gravio invitatus ad alterius cauſſam ſupra legem aut debitum aliquid præſumpſerit, aut Wereguldum ſuum redimat, aut de vita componat.

Ita hunc paragraphum exhibet Ed. Ecc.

Digitized by Google

a) LXXXVII. *De Rem preſtata'.*

SI quis alteri *b)* de rebus ſuis' aliquid *c)* preſtauerit & ei noluit reddere' ſic eum debet *d)* mallare' *e)* ut cum teſtibus ad caſa ſua cui res preſtauit' accedat & ſic *f)* conteſtatur' quia res meas noluiſti reddere quas tibi *g)* preſtavi'. In hoc eas tene *b)* ut ſuper' nocte proxima *i)* ſicut' lex ſalica *k)* eſt' & ſic ei *l)* ſol culcauerit' & ſi *m)* tunc eas noluerit' reddere *n)* ad alias ſeptem noctibus adhuc cum teſtibus venire debet & roget eum ut debitum ſuum reddat & ſi nec tunc redderit, iterum ei ſol culcit quod ſuper tres vices ſolem ei culcauerit ſemper per ſingulas vices terni ſollidi adcreſcant, & ſi tunc noluerit reddere nec fidem facere ſuper debitum, quem ei preſtiterit, & ſuper ill. novem ſol. qui per tres admonitiones adcreuerunt malb. nectanto DC. den. q. f. ſol. XV. culp. iud'.

a) LXXXVIII. *De manu de enio redimenda.'*

SI quis ad *b)* enio' mallatus fuerit *c)* forſitan conuenerit ille qui mallatus fuerit ut manum' ſuam redimat & *d)* jurato res' donet ſi talis cauſa eſt *e)* undc legitimus' ſol. XV. conponere *f)* debeat' ſol. III. manum ſuam redimat. *g)* Quid ſi amplius dederit fredo ſolvat tanquam ſi de cauſa' convictus fuiſſet. Si *b)* major cauſa eſt unde XXXV. ſol. ſolvat & conuenerit ut manum ſuam redimat ſol. VI. donet quid ſi amplius dederit fredo ſolvat quantum ſe de cauſa illa convictus fuiſſet'.

k) Si vero leodo alteri reputaum & a dinio illum habet mallatum & voluerit manum ſuam redimere & juratus dare' ſol. XXX. donet *l)* quid' ſi amplius dederit fredus de *m)* ipſa lege conponat'.

a) LXXXIX. *De eo qui Grafionem occiſſerit'.*

SI quis grafionem *b)* occiſſerit' XXIIII. den. q. f. ſol. DC. culp. iud.

Si

Ad Tit. LXXXVII.

a) In edit. Eccard. eſt Tit. LV. In Cod. Guelf. LII. ubi inſcribitur *De ando meto.*

b) *De rebus ſuis*, omittit Guelf.

c) Præſtiterit, & ei noluerit reddere. Guelf. præſtiterit, & alius ei reddere noluerit. Ecc.

d) Ad mallum. Guelf.

e) Cum teſtibus ad domum illius, cui rem ſuam præſtitit. Ecc. Secum teſtibus ad domum illius, cui res ſuas preſtetit. Guelf.

f) Conteſtetur ei. Ecc. illi teſtitus. Guelf.

g) Præſtiti Ecc. præſtetiram. Guelf.

h) *Ut ſuper*, deeſt ap. Ecc. & Guelf.

i) Quod, Ecc. & Guelf.

k) Continet. Ecc. & Guelf.

l) Solem collocet. Ecc. ſolem colecit. Guelf.

m) Nec tunc voluerit. Ecc. & Guelf.

n) Adhuc ſuper ſeptem noctes ſimiliter facere debet; & ſi nec tunc voluerint reddere, ad alias VII. noctes ſimiliter facere debet: & ſi nec tunc voluerit reddere, ad alias ſeptem noctes ſimiliter facere debet, & ſi nec tunc voluerit reddere, ad alias VII. noctes id faciat. Poſt quas ad hunc cum teſtibus venire debet, & roget, ut ſibi debitum ſuum reddat, & ſi nec tunc reddiderit, ſolem ei collocet, & ſi per tres vices ſolem collocaverit, & ſi nec tunc reddere voluerit, aut fidem facere, ſuper illos VIIII. ſolidos, qui per tres amonitiones accreverunt, ſuper debitum ſuperius adhuc amplius, Malb. Tauthe DC. den. qui faciunt ſolid. XV. culpab. judic. Ecc. adhuc VII. noctes ſimiliter venit & tunc eum rogit, ut debitum ſuum reddat, & ſi nec tunc voluerit conponere, ſolem ei colecit, quod pro III. vicis ſolem ei collicavit, ſemper per ſingulas vicis ſol. III. hoc eſt per ſingulas admonicionis adcriſcant; ſi noluerit & tunc rogare, nec fidem facire redde de ei quæ præſtetit, ſuper illus VIIII. ſol. collecatum, qui per ſingulas admonicionis creverunt ſol. XXIIII. culp. jud. Guelf.

Ad Tit. LXXXVIII.

a) Eccard. Editionis eſt Titulus LVI. & inſcribitur. *De manu ab Æneo redimenda.* In Guelf. Cod. eſt LIV. cum Inſcriptione. *De manum ad enium redimenda.*

b) Inium. Ecc.

c) Et forſitan convenerit, ut manum. Ecc.

d) Juratores. Ecc.

e) De qua ſi legitime convictus fuiſſet. Ecc.

f) Deberet, tunc CXX. den. qui faciunt. Hæc inſerit Eccard.

g) Quod ſi amplius ad manum ſuam redimendam dederit, fredus exinde ſolvatur Gravioni, quantum de ipſa cauſſa, ſi. Eccard.

b) *Vero*, inſerit Ecc.

i) Unde MCC. den. qui faciunt ſol. XXX. poterat componere, & convenit ut manum ſuam redimat CCXXXX. qui faciunt ſol. VI. manum ſuam redimat. Quod ſi amplius dederat, fredum ſolvat, quantum ſi de cauſſa convictus fuiſſet. Si vero major culpa fuerit, unde ſi probatus fuiſſet MMD. den. qui faciunt ſol. LXII. cum dimidio culp. iud. & convenit ut manum redimat DC. den. qui faciunt ſol. XV. ſolvat, quod ſi amplius dederit, fredus exinde ſolvatur, tantum quantum ſi de cauſa illa probatus fuiſſet. Iſta redemtio uſque ad leudem permanet. Eccard.

k) Si vero leudi alteri imputaverit, & eum ad Æneum habet amallatum, & convenit ut manum ſuamr edimat. Ecc.

l) Quod. Ecc.

m) Ipſo leudi ſolvatur. Ecc.

In Cod. Guelf. integer paragraphus, qui ſub hoc titulo continetur, ita ſe habet.

Si quis ad inium admallatus fuerit, furſitam, ut manum ſuam redimat & juratores donit, ſi talis cauſam eſt, unde legitime ſol. XV. componat, ſi adprobatus fuerit ſol. III. ultime manum redemat, ſi plus ad manum redimenda dederit, fretus Grafionem ſolvatur, quantum de cauſam illa convinctus fuerit, rediturus erit. Si vero cauſam fuerit quæ XXX. ſol. ſi adprobatus fuiſſet, poterat culp. judicare & ſic convenerit, ut manum redemat, ſol. VI. redemat de cauſa illa ſi convictus fuiſſet, rediturus erit ſta redimpejo de manu uſque leudem ſic permanit: ſi vero leudem alter alteri impotaverit, & eum ad inium admallatum abuerit, & convenit, ut juratores donit, & manum ſuam redemere poteſt, ſol. XXX. manum ſuam redemere poteſt, quod plus aliquid dederit, fretus leudi ipſius ſolvatur.

Ad Tit. LXXXIX.

a) Tit. LVII. *De Gravione occiſo.* Ecc. Tit. LV. *De Grafionum occiſum.* Guelf.

b) Occiderit (malb. leodo ſamitem) Guelf.

c) Sag-

Digitized by Google

Si quis c) Sagibaronem' aut grafionem qui puer d) regis fuerit' XII. den. q. f. sol. CCC. culp. iud.

Si quis e) Sagibaronem' qui ingenuus f) est alio Sagibaronem posuit aliquis eum occisserit' XXIIII. den. q. f. sol. DC. culp. iud.

g) Sagibaronem in singulos mallos' plus quam tres esse non debent h) & si de causa aliquid ante illos factum fuerit pœnitus grafionem removere non posset'.

XC. *De eo qui ad mallum venire noluerit.*

SI quis ad mallum venire contempserit aut ei racimburgi iudicatum fuerit adimplere distulerit si nec de compositione nec de neo nec de ulla lege facere voluerit tunc ad Reges presentiam eum mannire debent ut ibidem XII. testes erunt quo per singulas vices jurati tres dicant quod ibi fuerunt ubi Racimburgi iudicaverunt aut deneum ambulaverit aut fidem de conpositione fecerit & ille dispexerit. Item alii tres jurare debent quid ibi fuissent post illa die quando racimburgii judicaverunt aud per neum aut per conpositionem seducerit hoc est de illa die in XL. noc. in mallibergo. Iterum ei solem culcauerit & nullatenus noluit legem implere, tunc eum debet mannire ante Regem hoc est in noc. XIIII. & tres testimonia jurent quod eum manniſſent & si nec tunc venerit ista VIII. testimonia juratis sicut superius diximus dicant similiter. Illa die si non venerit culcit ei solem illa tria testimonia quomodo culcauit solem. Tunc si ista omnia impleuerit qui eum mallat & ille qui admallatur ad nullum placitum venerit & per legem reducere noluerit tunc Rex ad quem mannitus est extra sermonem suum ponet eum tunc ipse culpabilis & homines res suas erunt & quicunque eum aut pauerit aut ad hospitalem colligerit & jam sui uxor sua ppi. ea sol. XV. culp. iud. donec omnia qui ei legibus imputantur conponat.

a) XCI.

---

c) Sagbaronem. Ecc. Saceborone. Guelf.

d) Regius fuerat. Ecc. regiis fuit, occiderit, cui fuerit adprobatum. (malb. leude facce muther) Guelf.

e) Sacebaronem. Ecc. Sacerborone. Guelf.

f) Et se vel alium Sacebaronem posuerit, occiderit. Ecc. & Sacceborne occiderit. Guelf.

g) Sachibarones vero in singulis Mallebergiis. Ecc. Sacebornis vero in singulis malloberges. Guelf.

h) Et si de causa illi aliquid sanum dixerint, penitus Gravio nullam habeat licentiam removendi. Ecc. & de causa de quid de quod fortasse dixerint, hoc Grafionum removeat, unde illi securitatem fecerunt. Guelf.

Ad Tit. XC.

Est hic Titulus LIX. in edit. Ecc. atque inscribitur *De Despectionibus*. In Cod. Guelf. duo Titulorum sunt numeri LVII. & LVIII. quorum prior tantum habet inscriptionem. *De Dispeccionibus*. Ceterum quia utrobique magna â nostro Codice diversitas reperitur utriusque edit. integra verba huc transferre necessum erit. Ita vero in Edit. Eccard. legitur.

Si quis ad Mallum venire despexerit, aut quod ei â Rathimburgiis fuerat indicatum adimplere noluerit, si nec de compositione, nec ad Æneum, nec de ulla lege fidem facere voluerit, tunc ad Regis præsentiam ipse manniri debet, & ibidem cum duodecim testibus ire debet, qui per singula placita jurati dicant, quod ibidem fuissent, ubi Rathiburgi ei indicaverunt, ut ad Æneum ambularet, aut per compositionem fidem faceret, & ille despexerit. Iterum alii tres jurare debent, quod ibidem fuissent, post illam diem, quo ei Rathenburgii indicaverunt, aut per Æneum, aut per compositiones se educeret. Hoc est, de illa die in quadraginta noctes in Mallobergo iterum solem collocaverit, & nullatenus legem voluerit implere. Tunc enim debent mannire ante Regem in XIIII. noctes: & tria testimonia jurando dicant, quod eum manisset: & si nec tunc venerit, ista omnia novem testimonia jurati dicant, sicut superius diximus. Similiter illa die si non venerit, collocent illi solem iterum, & illa tria testimonia quæ ibidem fuerint ubi collocaverit solem. Tunc cum ista omnia impleverit, qui eum admallat, & ille qui admallatur ad nullum placitum venerit, & pro lege se educere noluerit, tunc Rex, ad quem mannitus est, extra sermonem ponet, & ita ille culpabilis & res suæ erunt in fiscó, aut ejus cui fiscus dare voluerit: & quicunque ei aut panem dederit, aut in hospitalitatem collegerit, sive sit uxor sua, aut proxima, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur, donec omnia secundum legem, ea quæ illi injuncta sunt, componat.

Si quis alterum in Mallo per legem vicerit, & is fidem facere dispexerit, aut pretium solvere, tunc Rathinburgii eum debent attendere, secundum legem qualis causa videtur, & ille qui eum mallavit ad casam suam ei nuntiare debet pretium aut debitum, & si tunc ei satisfacere noluerit, tunc per legem debet attendere, & postea Grafio ad casam suam invitari, ut quod lex est, is de causa & rebus suis secundum legem referat.

In Guelf. Cod. sub num. LVII. hæc extant monstrosa.

Si quis in mallum terum per lege conjunxerit, ad fidem facire dispexerit, aut precium solvere, tunc racineburgiis de eum ante audire secundum legem, qualis causa est, & illi, qui eum mallavit ad causa sua, ei n cia redibit precium ante dictum, & tunc ei solvere noluerit tunc per legem debit atendere & postia Grafionum ad casa sua invitare, aut quid lex est de ipsa causa de res suas secundum legem debiat revertisse.

Sub num. LVIII. sequentia exhibentur.

Si quis ad malo ante venire præsumseret, aut quo Racineburgie judicatum fueret, implere contempseret sic nec de eneum nec de compositionem nec de ulla rem fidem ficire vult. tunc ad regi præsencia eum manire debit & ibi XII. testis per singulas vicis III. jurati dicant, quod ibidem fuerunt, & ibi Raciniburgi juraverint aut ad eum ambolabant, aut fidem de compositionem ficiret; & alii III. jurare debent, quod ibidem fuissent pro illo die, quando Racineburgi juraverunt, aut ad enium aut per compoficionem se educirent; hoc de illa die in LX. noctes in mallo iterum & sol coligaverit, & nullatenus legem implere, tunc eum debit manere ante regem in noctes XIIII. & in testimonia jurati sicut superius diximus, fimiliter illa die testimonia, qui ibi fuerunt, ubi collegato sole fista omnia impleverit, qui eum admallat, & ille qui admallatum ad nullo plane placito venire voluerit, tunc exat, qui monitus est, eum extra sermonis ponat, tunc ipse culpabilis & omnes res suas erunt, quicunque aut paviret aut hoc qui tale dediret, si quis uxorem sua propriam sol. XV. culp. iud.

Digitized by Google

a) XCI. *De Racimburgis'.*

SI *b)* Racimburgii' legem *c)* noluerint' dicere in *d)* mallo' reſedentes cum *e)* cauſas' inter duos diſcuſſerint debet eis dicere qui cauſam *f)* querit *g)* dic' nobis Legem Salicam, ſi illi *h)* noluerint dicere tunc iterum *i)* ipſe debet dicere. Ego vobis rogo ut mihi & iſto gaſationem quo legem dicatis bis aut tres hoc debet dicere. Ego vos tancono' usque quo mihi dicatis legem Salicam *k)* quid ſi dicere noluerint ſeptem' de illis *l)* Racimburgis culcati ſole ternos ſol. culp. iud. quid ſi nec' legem dicere voluerint *m)* nec de tribus ſol' fidem facere *n)* unusquisque ſol. XV'. culp. iud.

Si vero illi *o)* Racimburgii legem dixerint eis contradixerint quod legem non dicant contra unumquemque de illius racimburgiis DC. den. q. f. ſol. XV. culp. iud'.

a) XCII'. *De Alodis.*

SI quis mortuus fuerit & *b)* filios' non *c)* demiſerit' *d)* ſi pater aut mater ſuperfuerit ipſi in hereditate ſuccedunt'.

Si pater *e)* aut' mater non *f)* fuerit ſi fratres aut ſorores' dimiſſerit ipſi in *g)* hereditate ſuccedunt'.

Si vero iſti non fuerint tunc *h)* ſorores' matris in hereditate *i)* ſuccedunt' & *k)* poſtea de illis generationibus quicunque *l)* proximiores ſunt' ipſi in hereditate ſuccedant qui ex *m)* parte' genere veniunt de terra vero Salica nulla *n)* in mulieris hereditatis tranſeat portio ſed ad virile ſexus tota terra propria etatis ſue poſſideant'.

a) XCIII'. *De eo qui ſede parentilla b) tollere' vult.*

SI quis de *c)* parentibus' tollere *d)* vult' in mallum *e)* ante tunzinum ambulare' debet & *f)* ibi de quatuor fuſtes alninos' ſuper caput ſuum frangere debet *g)* & illos quatuor partes jactare' debet & *h)* ubi dicere debet quod ſe' de juramento & de hereditate & de tota ratione

---

Ad Tit. XCI.

a) Tit. LX. *De Rathinburgiis.* Ecc. LIX. *De Raciniburgius.* Guelf.

b) Qui Rathinburgii. Ecc.
c) Voluerint. Ecc.
d) Mallebergo. Ecc.
e) Cauſſas. Ecc.
f) Requirit. Ecc.
g) Dicite. Ecc.
h) *Tunc*, inſerit. Ecc.
i) Qui cauſſam requirit, dicit: Vos tangano, ut mihi & iſto legem dicatis. Bis autem tertio hoc debet facere. Si vero illi noluerit dicere, tunc qui cauſam repetit debet dicere. Ego vobis tangano. Ecc.
k) Tunc ſeptem. Ecc.
l) Rathenburgiis, collocato ſole, IX. ſolid. culpabilis unusquisque judicetur. Quod nec. Ecc.
m) Nec ſolvere, nec. Ecc.
n) Tunc ſolem illis iterum collocet, & ſic poſtea XV. unusquisque. Ecc.
o) Rathinburgii non ſecundum Legem judicaverunt Salicam, his contra quos ſententiam, ſolidos XV. ſolvant.

Si vero Rathenburgii illi legem dixerint, & ille contra quem dixerunt, eis contradicat & hoc ſuſtinere noluerit: eos enim contra legem judicaſſe ſibi putat: & id conprobare poterit, unicuique de ſeptem Rathinburgiis DC. denar. qui faciunt ſolid. XV. ſolvat. Ecc.

Cod. Guelf. ita totum paragraphum exhibet, ut vix divinando ſenſum aliquem aſſequi liceat, ita namque ibidem ſcribitur.

Si quis Raciniburgius in mallo ſedentes cauſa fine duus diſcorte lege voluerit dicere vinit; dicite ad illo quicunque cauſa proſequitur: hic vos tangano, ut lege ter ſecando lege Salica, quod nec ille legem dicere noluerit, vir de illis raciniburgiis collecato ſole ternus ſol. ſolvat: quod ſi nec legem dicere volueret nec ternus ſol. ſolvat, fidem ficit, tunc ſol illius culpato eſt quinus din. C. culp. Si vero ipſi Raciniburgiis & non ſecundum legem judicare eum contra quod ſententio dediret ſol. XV. culp. judicitur.

Ad Tit. XCII.

a) Titulus hic eſt LXII. in Ecc. ed. LXI. in Cod. Guelf.
b) Filio. Guelf.
c) Dimiſerit. Ecc.
d) Si matre ſuperfuiret inde hereditatem accipiat. Guelf. Eccard. autem editio cum noſtro Codice conſentit, in hoc tantum diverſa, ut pro *ſuperfuerint ipſi*, *ſuperſtites fuerint*, pro *hereditate ſuccedit*, *ipſam hereditatem ſuccedant* exhibet.
c) Et. Ecc.
f) Superfuerint & fratrem aut ſororem. Ecc.
g) Hereditatem ſuccedant. Ecc. In Guelf. Cod. hic paragr. ita legitur. Si mater non fuiret & frater remanſiret, ipſi hæreditatem accedant.
b) Soror. Ecc.
i) Succedat. Ecc.
k) *Sic*, inſerit Ecc.
l) Proximior fuerit. Ecc.
m) Paterno. Ecc.
n) In mulierem nulla portio hereditatis tranſit, ſed hoc virilis ſexus acquirit, hoc eſt, filii in ipſa hereditate ſuccedunt. Sed ubi inter nepotes, aut pronepotes, poſt longum tempus, de Alode terræ contentio ſuſcitatur, non per ſtirpes, ſed per capita dividantur. Ecc. Guelf. Cod. pro verbis *Si vero iſti*, usque ad finem hujus tituli hæc habet. Si iſta non fuerint tunc ſororis matris in hereditate & inde illis generacionibus quæcunque proximior fuiret, ille hereditatem ſuccidat. De terra vero illa, quod muliere hereditas eſt. Sed ad vero exugu frater fueret, tota terra permaniat.

Ad Tit. XCIII.

a) Titulus eſt LXIII. in edit. Ecc. LXII. in Cod. Guelf.
b) Tolleri. Guelf.
c) Parentilla. Ecc.
d) Se voluerit. Ecc.
e) Aut in Tunchinium admallare. Ecc.
f) Ibidem quatuor fuſtes aluinos. Ecc.
g) In quatuor partes & illas in Mallo jacere. Ecc.
b) Ibi dicere: Quod ſe &. Ecc.

i) Tol-

Digitized by Google

tione illorum *i)* aut ſi aliquid' de ſuis parentibus aut moriatur aut *k)* occidatur' nulla ad illum *l)* nec hereditas nec conpoſitio perueniat.

Si vero aut ille occidatur aut moriatur conpoſitio aut hereditas ad fiſco pertineat'.

a) XCIV. *De Aroena'.*

b) SI quis de manu ad ira per virtutem aliquid tulerit aut rapuerit vel expoliaverit CCXL. den. q. f. ſol. XXX. culp. iud'.

Si vero quicunque deſuper hominem *c)* aliquid de' tertia manu miſerit *d)* & ſuper' virtutem aliquid *e)* ei' tullerit malb. *f)* aroena ĪCCCC'. den. q. f. ſol. XXX. culp. iud.

a) XCV. *De hereburgio'.*

SI quis alterum *b)* herburgio' clamauerit hoc eſt *c)* ſtrioportio' aut illum qui *d)* inio portare' dr. *e)* ubi ſtrias cocinant' & *f)* probare' non potuerit IID. den. q. f. ſol. LXII. ſ. culp. iud.

a) XCVI'. *De eo qui filiam alienam b) ſponſauerit' & ſe retraxerit.*

SI quis filiam alienam *c)* ſponſaverit &' ſe retraxerit & eam *d)* noluerit prehendere' malb. *e)* frifaſtina' IID. den. q. f. ſol. LXII. ſ. culp. iud.

XCVII. *De eo qui alterum in puteum aut in pelago inpinxerit vel in periculo mortis.*

SI quis alterum in puteum aut in pelago inpinxerit vel in periculum mortis & ipſe exinde vivus evaſerit & ipſe cauſam ſuam poſſit mallare malb. challis ob duplio IIII. den. q. f. ſol. C. culp. iud.

XCVIII. *De terra condemnata.*

SI quis terram alienam condemnauerit & ei fuerit adprobatum IID. den. q. f. ſol. LXII. culp. iud.

a) XCIX. *De crinne cruda Quo Paganorum tempus obſeruabant'.*

SI quis hominem *b)* occiſſerit & facultatem' non habuerit unde totam legem *c)* comp'.

XII.

---

i) Tollat: & ſic poſtea ſi aliquis. Ecc.

k) Occidetur. Ecc.

l) Compoſitio hereditatis perveniat. Simili modo, ſi ille moriatur, ad ſuos parentes non pertineat cauſſa nec hereditas ejus, ſed â modo cum duodecim juratoribus ſe exinde educat. Ecc.

In Guelf. Cod. hic paragr. ita ſe habet:

In mallo leuth & het tunzino ambulare debit, & ibid. IIII. fuſtos al ninus, frangere ſuper caput ſuo debit, & illos IIII. partis mallo jactare, & ibi ſidero quod eromento & hereditatem tota ſacionem eo tollat. Sic poſtia aliquis de ſuis parentibus aut moriatur aut occideret nulla adeo nec hereditas nec conpoſicio permanit: ſi vero ſolo moriatur aut occidatur, conpoſicio aut hereditas ad eis permaniat.

Ad Tit. XCIV.

a) Tit. LXIV. *De Haroweno.* Ecc. LXIII. *De Carvenna.* Guelf.

b) Hic paragraphus in ed. Ecc. ita legitur. Si quis alteri de manu aliquid per vim tulerit & raubaverit, aut expoliaverit, MCC. den. qui faciunt ſol. XXX. culpabilis judicetur, & rem pro capitale reſtituat.

c) Aliquid in. Ecc.

d) Et ei per. Ecc.

e) Ei, deeſt ap. Eccard.

f) Charoweno. MCC. Eccard.

In Codice Guelf. ſequentia extant, quæ non intelligo.

Si quis alteri ſuper illo idem mano ſuper illo aliquem inripuit, rem in capite reddat, ſol. XXX. culp. jud.

Si quis hominem dimente expoliaviret ſol. C. culp. jud.

Si quis vero quecunque deſuper hominem intercitum miſeret in violente, quo ſi agnuſciret dic. tollat (malb. caroen) ſol. XXX. componat.

Ad Tit. XCV.

a) Tit. LXVII. *De Hereburgium.* Ecc. LXVI. *De hereburgiis.* Guelf.

b) Barbaro. Guelf. Cherioburgum. Eccard.

c) Strioportium. Eccard. Strioporcio. Guelf.

d) In eo portare. Guelf. Inium portaſſe. Ecc.

e) Abſtrias cucinent. Guelf.

f) Eum convincere. Ecc. Guelf. Cod. pro *ubi ſtrias*, uſque *q. f.* tantum habet *malb.*

Ad Tit. XCVI.

a) Titulus eſt LXX. in edit. Eccard. In Cod. Guelf. totus deeſt.

b) Acquiſierit. Ecc.

c) Ad conjugium quæſierit, præſentibus ſuis & puellæ parentibus, & poſtea. Ecc.

d) Accipere noluerit. Ecc.

e) Frifra ſigena. Ecc.

Ad Tit. XCVII.

In edit. Ecc. hic totus Titulus deeſt, videtur autem in eadem ad Titulum XLIV. relatus, ubi duo paragraphi de hac materia extant quos ſupra ad Tit. LXVIII. not. ad lit. *n)* retulimus. Ita quoque in Cod. Guelf. ſub Tit. XLVIII. hi paragraphi extant.

Si quis hominem in puteo jactaverit & vivus exiet ſua cauſa, malb. ſol. LXII. culp. jud.

Simili modo, qui alium in pellago inpinxerit, malb. ſol. LXII. culp. judicitur.

Ad Tit. XCVIII.

Hic titulus neque in Eccardiana editione, neque in Codice Guelferbytano extat.

Ad Tit. XCIX.

a) In edit. Ecc. eſt Titulus LXI. & inſcribitur. *De Chren ceude.* In Cod. Guelf. eſt LX. ubi inſcribitur. *De Crenecruda.*

b) Occiderit, & in tota facultate. Ecc.

c) Impleat. Ecc.

Digitized by Google

XII. iuratores *d)* donet' quod nec *e)* ſuper terram nes ſubtus terram amplius non habeat niſi quantum donauit de terræ facultate' & poſtea debet in *f)* caſa' intrare *g)* per quatuor angulos terræ' in pugno colligere & *h)* ſic portet in duro pelle hoc eſt in limitare ſtare debet int'. in caſa aſpiciat' & ſic de ſiniſtra manu *i)* de illa terra' trans ſuas ſcapulas iactare ſuper *k)* illum quem proximiorem parentum habet quid iam pro illo mater aut pater vel fratres ſolverint tunc ſuper ſorores matris & ſuper ſuos' filios debet *l)* illa terra' iactare *m)* idem ſuper generationes aut matris' qui proximiores ſunt. *n)* Sic poſtea in camiſa' diſcinctus *o)* diſculoiatur palum' in manu *p)* ſepem ſallire debet & pro medietatem quantum de conpoſitione dederit' aut quantum lex *q)* dicat illi tres ſolvant. *r)* hoc eſt illi alii' de paterna generatione veniunt facere debent. Si vero de illis *s)* quicum qui' pauperior fuerit & non habet unde integrum debitum ſolvat quicunque de illis plus *t)* habet' iterum ſuper illum *u)* chrinne cruda' ille qui pauperior eſt *x)* iacet ut ille tota lege perſolvat. Quid ſi vero nec ipſe habuerit unde tota lege perſolvat' tunc illum qui homicidium fecit *y)* qui eum *z)* ſub' ſua fide habet *aa)* in mallo præſentare debet, & ſic poſtea per quatuor mallos ad ſuam fidem tollat & ſi eum in conpoſitione nullus ad fidem tullerit hoc eſt ut eum redimant de quod non perſoluerit' tunc de vita conponat. *bb)*

a) C. *Incipiunt Chunnas.*

HOc eſt unum thoalaſti ſol. III. culp. iudicetur. Sexan chunna ſol. XV. culp. iud. Thuuualt chunna ſol. XXX. culp. iud. Theuuenechunna ſol. XLV. culp. iud. thothocundi ſitme chunna ſol. LXII. ſ.

Fit tertius chunde ſol. C. culp. iud. Actotetus chunde ſol. CC. culp. iud. Triothus chunde thertechunna ſol. DC. culp. iud. Fit tertos chunde tue apta chunna ſol. DCC. culp. iud. *Expl. chunnas.*

a) Inci-

d) Dabit. Ecc.

c) Subtus terram, nec ſupra terram plus de facultate habeat, quam donavit. Ecc.

f) Caſam ſuam. Ecc.

g) De quatuor angulis terræ pulverem. Ecc.

h) Poſtea in duropello ſtare, & intus caſam cuptare debet. Ecc.

i) De illa terra, omittit Ecc.

k) Proximiorem parentem. Quod ſi jam pater, aut mater, ſeu frater pro illo ſolverunt, ſuper ſororem tunc matris, aut ſuper ejus. Eccard.

l) Illam terram. Eccard.

m) Quod ſi iſti non fuerunt, ſuper tres de generatione patris & matris. Ecc.

n) Et poſtea in camiſia. Ecc.

o) Diſcalceatus, palo. Ecc.

p) Supra ſepem ſalire ut pro medietate quantum pro compoſitione deberet. Ecc.

q) Addicat, Ecc. addit.

r) De materna generatione, hoc & illi alii, qui. Ecc.

s) Quicum qui, omittit Eccard.

t) Alio habet exſolvat, &. Eccard.

u) Chrene chruda. Eccard.

x) Jactet, ut ille totam legem ſolvat: quod ſi hic etiam non habet, ut legem ſolvat, & totam legem componat. Eccard.

y) Tollit, addit Eccard.

z) In. Eccard.

aa) Et per quatuor Mallos præſentem faciat, & ſi eum per compoſitionem aut fidem nullus ſuorum tulerit, hoc eſt, eum redimat, aut pro eo perſolvat. Eccard.

bb) Addit Eccard. At præſentibus temporibus ſi de ſuis propriis rebus non habuerit unde tranſolvere, aut ſe de lege defenſare poſſit, omnis cauſſa ſuperius comprehenſa ad caput ſuum pertinet obſervare.

Guelf. Cod. verba integra hæc ſunt.

Si quis hominem occiſerit & tanta facultatem data non abit, unde tota lege impleat XII. juratores nec ſuper terra nec ſubtus terra plus de facultate non abit quæ donavit & poſtia debit in caſa intrare, de quatuor angulus terra in pogno colegire & ſic poſtia in dorſo ſuper illo limitare ſtare debit, & intus in caſa reſpiciens & ſic de ſenextra mano ſuper illo qui proximiorem parentum habit, quod ſi jam pater aut fratris ſolſerunt, tunc ſuper ſuos filius debit illa terra jactare ſuper III. de generacionem patris & de matris qui proximioris ſunt, & ſic poſtia in carniſam diſcinctus diſcalcius palo in mano ſua ſepe debit ſallire, medietatem quanto de compoſicionem idem aut quanto lex eſt illi III. ſolvant, hoc eſt illi alii de patris geniracionis facire debit, ſuper illo crenecurando ille, qui pauperior eſt jactavit ille totam legem perſolvat; que ſi vero neceſſo abit, unde totam legem ſolvat, tunc illi, qui humicidio ficit, qui eum ſub pede abuit, in mallo præſervare debit, & ſic eum per III. mallus ad ſua fide tollat, & ſi eo in compoſicionem nulla â fide tollerent, hoc eſt, ut eum redimat deque non ſolſit, de ſua vita componat.

Ad Tit. C.

a) In Cod. Guelf. hic tit. non reperitur: at in Eccard. edit. eſt Tit. LXXX. ita autem ibidem exhibetur.

I. Hoc eſt, unum Thon Laſthi, ſolid. III. culpabilis judicetur.
II. Sexan chunna, ſol. XV. culpabilis judicetur.
III. Septun chunna, ſol. XVII. culpabilis judicetur.
IV. Thev Wahlt chunna, ſol. XXX. culpabilis judicetur.
V. Thve ſepten chunna, ſol. XXXV. culp. judicetur.
VI. Thev Wenet chunna, ſol. XLV. culp. judicetur.
VII. Tho, To condi Weth chunna, ſol. LXII. & dimidio culpabilis judicetur.
VIII. Fit Ternu ſunde, ſol. C. culpabilis judicetur.
IX. Acto & uſunde, ſol. CC. culpabilis judicetur.
X. Theio Tho Sunde Ter theo Chunna, ſol. DC. culpabilis judicetur.
XI. Fit Terno Sunde Thve Aptheo chunna, ſol. DCCC. culpabilis judicetur.

Ad

Digitized by Google

a) *Incipit Decretum.*

CHildebertus Rex Francorum *b*) inluſt.' Cum in *c*) Domini nomine' omnes Cal. Marti de *d*) quascunque conditiones' una cum noſtris obtimatibus pertractavimus ad *e*) unamquemque' notitiam *f*) uolemus' pervenire. Ita Deo *g*) propitiante Antonaco' Cal. Marti Anno XX. regni noſtri. Convenit ut nepotes ex filio vel ex filia ad aviaticas res cum *h*) avunculo vel amitas' ſic venirent *i*) tanquam ſi *k*) mater aut pater' vivi fuiſſent *l*) de illos tamen nepotes' iſtud placuit *m*) obſervare que' de filio vel de filia naſcuntur non qui de fratre. In ſequenti hoc convenit una cum *n*) leodos noſtros decrevimus ut nullus inceſtum' uſum ſibi *o*) ſociare conjugibus' hoc eſt *p*) fratris ſui uxorem nec uxoris *q*) ſui' ſororem nec *r*) uxorem aut parentes conſanguineis' *s*) uxorem patris ſi quis acciperit mortem periculum incurrat & de' præteritis *t*) conjunctionibus, quæ inceſte videntur' per prædicationem epiſcoporum iuſſimus *u*) emendare'. Qui vero *x*) Epiſcopo ſuo noluit' audire & *y*) communicatus fuerit perenni conditione' apud dominum *z*) ſuſteneat &' de palatio noſtro ſit omnino extraneus & omnes *aa*) res ſuas parentibus legitimis admittat' *bb*) qui noluit ſacerdotis ſui medicamenta ſuſtinere'. Similiter *cc*) trajecto convenit ut ſervo' campo *dd*) aut quemlibet' res ad unum ducem *ee*) & unum' iudicem pertinentes *ff*) per decim annus unus quisque' inconcuſſo *gg*) poſſidet' nullam habeat licentiam *hh*) tribuimus quod ſi quis præſumpſerit' interciare ſol. XV. ſolvat & rem *ii*) quem ille interciauit ammittat'. de reliquis vero conditionibus omnes omnino *kk*) trecinaria' lex excludit præter *ll*) ſe quod regna hunc uſque detinuit'.

Pari conditione convenit cal. marti omnibus *mm*) adunatis admodum quicumque præſumpſerit raptum facere unde impiiſſimum ultium adcreverat vitæ periculum feriatur' ut nullus de optimatibus noſtris *nn*) præſumat pro ipſo præcare ſed unus quisque admodum inimicum Dei perſequatur'.

Qui vero *oo*) vel edicto noſtro contempnere in cujuslibet iudicis pago primitus admiſſum fuerit, ille judex collictum ſolatium' ipſum raptorem occidat & jaceat *pp*) forbatudus' & ſi ad eccleſiam *qq*) confugium fecerit reddendum' ab Epiſopo *rr*) absque' ulla precatione *ss*) ſeparentur. Certe' ſi ipſa mulier *tt*) raptorem' conſenſerit ambo pariter in exilio transmittantur & ſi foras *uu*) eccleſia' capti fuerint *xx*) ambo' pariter occidantur & *yy*) facultatem eorum' parentibus legitimis *zz*) & quod fiſco noſtro debetur' adquiratur.

De

Ad Decretum.

a) Hoc Decretum neque in edit. Eccard. Heroldina neque in MSC. Guelf. reperitur, ſubjunctum vero eſt Legi Salicæ in editione Lindenbrogii; exhibetur etiam a Baluzio in Capitul. Regum Franc. Tom. I. p. 17. 18. 19. adeoque non poſt legem Salicam, quippe quæ demum pag. 281. ſeqq. extat. Cum his igitur editionibus iſtud conferre, atque varietatem inde notare in Lectoris commodum placuit. Editio Lindenbrogii exhibet hunc titulum: *Decretio Childeberti Regis.* Baluzius eidem titulo addit: *Data circa annum* DXCV.

b) Vir inluſter. Lindenbrog. & Baluz.
c) Dei nomine nos. Lind. & Bal.
d) Quibuscunque conditionibus. L.
e) Unumquemque. L. & B.
f) Volumus. L. & B.
g) Auxiliante Attiniaco. L.
h) Avunculis vel amitis. L. Avunculos vel amitas. B.
i) Inſeritur in edit. Lind. & Bal. *in hæreditatem.*
k) Pater aut mater. L. & B.
l) De illis tamen nepotibus. L.
m) Obſervari, qui. L. & B.
n) Leudis noſtris, ut nullus de crinoſis inceſtum. L. & B.
o) Societ conjugio. L. & B.
p) Edit. Lind. & Bal. inſerunt: *nec.*
q) Suæ. L. & B.
r) Uxorem patris (*Bal.* patrui) ſui, aut parentis conſanguinei. L. & B.
s) Si quis uxorem patris acceperit, mortem (mortis periculum *Bal.*) incurrat. De. L. & B.
t) Vero inceſtis conjunctionibus. L. Vero conjunctionibus, quæ inceſtæ eſſe videntur. B.
u) Emendari. L. & B.
x) Epiſcopum ſuum noluerit. L. & B.
y) Excommunicatus fuerit, perennem condemnationem. L. & B.
z) Subſtineat, & inſuper. L. & B.
aa) Facultates ſuæ legitimis parentibus perveniant. L. facultates ſuas parentibus legitimis amittat. B.
bb) Hæc verba deſunt in edit. Lind.
cc) Trajecti (Trejecto B.) convenit nobis. L. & B.
dd) Ut quaslibet. L. & B.
ee) Vel. L. & B.
ff) Per decem annos quicunque. L. & B.
gg) Poſſedit. L. Jure poſſedit. B.
hh) Intertiandi, niſi tantum cauſa orphanorum, uſque ad XX. annos licentiam tribuamus. Si (tribuimus. Quod ſi B.) quis ſuper hoc judicium præſumpſerit. L. & B.
ii) Intertiatam amittat. L. Quam male intertiavit amittat. B.
kk) Cauſas tricenaria. L. & B.
ll) Id quod in alia regna hucusque detenuit. L. & B.
mm) Nobis adunatis, ut quicunque raptum facere præſumpſerit, periculum mortis incurrat. L. Nobis adunatis, ut quicunque admodum raptum facere præſumſerit, unde impiiſſimus vicius adcreverat, vitæ periculum feriatur. B.
nn) De tam turpiſſimo vitio præſumat rogare, ſed inimicum Dei unusquisque amodo perſequatur. L. De tam turpiſſimo vitio præſumat pro ipſo precare, ſed unusquisque admodum inimicum Dei perſequatur. B.
oo) Edictum noſtrum auſus fuerit irrumpere, judex loci illius ſolatio collecto. L. Edictum noſtrum auſus fuerit contemnere, in cujuslibet judicis pago primitus admiſſum fuerit, ille judex ſolatio collecto. B.
pp) Forbattutus. L. & B.
qq) Confugerit, reddatur. L. Confugium fecerit, reddatur. B.
rr) Et ſine. L. & B.
ss) Exinde ſeparetur. Et. L. Exinde ſeparentur. Certe. B.
tt) Poſtea raptori. L. & B.
uu) Eccleſiam. L. & B.
xx) Hæc vox deeſt in edit. Lind.
yy) Facultates illorum. L. & B.
zz) Dentur, & quod fiſco noſtro debitum eſt. L. Dentur, & quod fiſco noſtro debetur. B.

Digitized by Google

De *a**) homicidis' vero ita juſſimus *a)* obſervare' ut quicunque *b*) auſo' temerario alium ſine cauſa occiderit *c)* vite periculum' feriatur. *d*) Nam non de pretium redemptionis redimat aut conponat forſitan convenit ut ad ſolutionem quisque' deſcendat nullus de parentibus aut amicis ejus quicquam adjuvet *e)* niſi' quæ præſumpſerit ei aliquid adjuvare ſuum *f)* vero ualdum' omnino conpon.

Quia juſtum eſt g) aut qui voluerit occidere diſcat morire'.

De *b*) farefalius' ita convenit ut quicunque in mallo præſumpſerit *i*) furfalium' minare *k*) procul dubium ſuum uuereualdum conponat nihil hominus farfalium reprimatur' forſitan ut adſolet judex *l)* conſenſerit & fortaſſe *m*) acquies cit'. iſtum farfalium cuſtodire vitæ periculum per omnia *n*) ſuſtineat'.

De furibus *o*) & maleficis' ita decrevimus obſervare *p*) aut' ſi quinque aut ſeptem *q*) boni' fidei homines absque inimicitia interpoſita criminoſum cum Sacramenti *r*) interpoſitionem' eſſe dixerint quomodo *s*) ſine lege inuolauit ſine lege moriatur'.

t) Si quis judex comprehenſum latronem *u*) convictus fuerit relaxaſſe' vitam ſuam *x*) admittat & diſciplina in populum' modis omnibus obſeruetur.

Similiter cal. marti *y*) colonia' conuenit & ita banniuimus ut unusquisque judex criminoſum latronem ut audierit ad caſam ſuam ambulet & ipſum ligare faciat ; ita ut ſi francus fuerit ad noſtram præſentiam dirigatur & ſi *z*) de debiliores perſones' fuerit in loco pendatur.

Si quis centenarium aut *aa*) cuilibet judici. noluerit' *bb*) ad' malefactorem *cc)* adjuvare *dd*) LX. ſol. omnis mod. condemnentur' & quicunque ſervum criminoſum habuerit & *ee*) ei judex rogauerit ipſum præſentare & noluerit *ff*) ſuo uuergildo' omnino conponat.

Similiter conuenit ut ſi *gg*) furtus factus' fuerit capitale *hh*) de præſente' centena reſtituat & *ii*) cauſa centenarius' cum centena requirat.

Pari conditione conuenit ut ſi *kk*) centena poſita in veſtigia in alia centena aut quos' fidelium noſtrorum *ll*) ipſum' veſtigium miſerit & *mm*) eum ad alia centena' minime expellere potuer. aut *nn*) convictus' reddat latronem aut capitale *oo*) de præſente reddat & cum duodecim perſonas' ſe ex hoc Sacramento exuat.

Si *pp*) quis ſervus eccleſiaſticus aut fiſco' furtum *qq)* admiſſerit ſimile pœna ſuſtineat' ſicut & reliquorum *rr*) francorum. *ss*)

---

*a**) Homicidiis. B.
a) Obſervari. L. & B.
b) Auſu. L. & B.
c) Vitæ periculo. L.
d) Et nullo pretio ſe redimere unquam valeat. Et ſi convenerit, ut ad compoſitionem quis. L. Et nullo pretio redemtionis ſe redimat aut componat. Et ſi forſitan convenerit, ut ad ſolutionem quisque. B.
e) Si. L.
f) Weregildum. L. Widrigildum. B.
g) Ut qui injuſte novit occidere, diſcat juſte mori. L. & B. Sed B. Pro *mori* legit *morire*.
h) Farfalio. L. Farfaliis. B.
i) Farfalium. L. & B.
k) Sine dubio ſuum Weregildum (Widrigildum B.) componat: quia omnino volumus, ut farfalius reprimatur. Et ſi. L. & B.
l) Edit. Lind. cum Bal. inſerit: *boc*.
m) Acqieſcet. L.
n) Incurrat. L.
o) Malefactoribus. L. & B.
p) Ut. L. & B.
q) Bonæ. L. & B.
r) Interpoſitione. L. & B.
s) Contra legem furtum perpetravit, ſecundum legem moriatur: L.
t) Et ſi. L. & B.
u) Laxaverit. L.
x) Amittat. Et hæc diſciplina in populo. L. & B.
y) Coloniæ. L.
z) Debilior perſona. L. & B.
aa) Quemlibet judicem. L. & B.
bb) Super. L. & B.
cc) Lind. & Bal. inſerunt: ad prindendum.
dd) Sol. LX. omnino condemnetur. L. & B.
ee) Deeſt hæc vox in edit. Lind.
ff Suum Weregildum. L. Suum Widrigildum. B.
gg) Furtum factum. L. & B.
hh) De præſenti. L. & B.
ii) Cauſator centenarium. L. & B.
kk) Una centena in alia centena veſtigium ſequuta fuerit, & invenerit; vel in quibuscunque. L. & B.
ll) Terminis. L. & B.
mm) Ipſum in aliam centenam. L. & B.
nn) Convictum. L.
oo) De præſenti reſtituat, & cum XII. perſonis. L. & B.
pp) Servi Eccleſiarum aut fiſcalini. L. & B.
qq) Admiſerint, ſimilem pœnam ſuſtineant. L. & B.
rr) In edit. Lind. & Bal. inſeritur: ſervi.
ss) Editio Lindenbrogiana & Baluzius ſubjungunt ſequentia: Diem Dominicum (*die Dominico*. Bal.) ſimiliter placuit obſervare, ut quicunque (*ut ſi quiscunque*. Bal.) ingenuus, excepto quod ad coquendum vel ad manducandum pertinet, opera alia (Bal. inſerit: *in die Dominico facere*) præſumpſerit, ſi Salicus fuerit ſol. XV. componat, ſi Romanus VII. ſ. (*ſeptem & dimidium*. B.) Servus vero aut tres ſolidos reddat, aut dorſum ſuum (*de dorſo ſuo*. B.) componat. (Bal. addit: *Aſclipiodus recognovit*.)

De chrenecruda (*chrenechruda*. B.) lex, quam paganorum tempore obſervabant, deinceps nunquam valeat, quia per ipſam cecidit multorum poteſtas. Datum pridie Kal. Mar. anno XX. regni Domini noſtri, Coloniæ feliciter. (Bal. Colonia feliciter. Amen.)

His Lindenbrogius ſequentia addit:

Item confirmatio legis a Regibus, quam Chlodoveus Rex Francorum ſtatuit, & poſtea una cum Francis pertractavit, ut ad titulos aliquid amplius adderet, ſic ut a primo uſque ad ſeptuageſimum octavum perduxerit. Inde vero Childebertus poſt multum tempus tractavit, ut quidquid invenire potuerit, ibi cum ſuis Francis adderet: hoc eſt a LXXVIII. uſque ad LXXXIIII. pervenit, quod ibi digne impoſuiſſe cognoſcitur. Iterum cum hos titulos Clotharius a germano ſuo ſeniore gratanter excepit, ſic & ipſe ſimiliter cum regni ſui ſapientibus invenit, ut a LXXXIIII. adderet, & ita perfectum perduxit: & inde quæ ipſe invenit, ad fratrem ſuum reſcripta direxit. Et ita inter ſe firmaverunt, ut iſta omnia quæ conſtituerunt, inviolabiliter omnique tempore conſervata fuiſſent.

Quan-

Digitized by Google

Quandoquidem vero tam in Eccard. edit. quam in Guelf. Codice ſuperſint Tituli qui in noſtro Codice non reperiuntur, illos quoque addemus, ne aliquid deeſſe videatur collationi plenariæ. Ita autem procedere lubet, ut primo Titulos editionis Eccardianæ proferamus, inſtituta ſimul collatione cum Cod. Guelf. in iis titulis, quos hic cum Eccard. edit. communes habet: Deinceps quæ laudatus Codex præter iſtos exhibet, ſubjungamus.

Tituli Editionis Eccardianæ qui in noſtro Codice non reperiuntur.

TITULUS LVIII.

(In Guelf. Cod. LVI.)

De Corporibus Expoliatis.

SI quis corpus occiſi hominis, antequam in terram mittatur, expoliaverit, Malb. Cheo Moſido. MMD. den. qui faciunt ſolid. LXII. & dimidium culpabilis judicetur. Et antiqua lege, ſi corpus jam ſepultum exfodierit, & expoliaverit, Wargus ſit uſque in diem, qua cum parentibus ipſius defuncti convenit, & ipſi pro eo rogent, ut inter homines liceat ei accedere, & quicunque antea ei aut panem, aut hoſpitale, ſive uxor ſua, ſive proxima, ei dederit, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur. Tandem auctor ex ſcelere qui hoc admiſiſſe probatur. Malb. Turnichale VIIIM. den. qui faciunt ſol. CC. culpabilis judicetur.

II. Si quis hominem mortuum, ſuper alterum in petra, aut in naufo miſerit. Malb. Idulgus, ſol. XXXV. *culpabilis* judicetur.

III. Si quis tombam ſuper mortuum hominem expoliaverit, Malb. Turnichalis, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur.

IV. Si quis Cheriſtaduna ſuper hominem mortuum capulaverit, Malb. Mandoado, aut Silave, quod eſt porticulus, ſuper hominem mortuum dejecerit, de unaquaque Malb. Chreo Burgio, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur.

V. Si quis Baſilicam ſuper hominem mortuum expoliaverit, Malb. Chre ottarſino, MCC. den. qui faciunt ſol. XXX. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

In Cod. Guelf. bi tantum duo paragraphi extant.

Si quis corpos hocciſi hominis, antequam in terra mittatur, in furtum expoliaverit, cui fuerit adprobatum (Malb. muther) ſunt din. II. faciunt ſol. XII. culp. jud.

Si quis hominem ico ſepultum ex poliaverit & ei fuerit adprobatum, malb. muther hoc eſt virgo ſit uſque in diem illa, quam illi cum parentibus ipſius defuncti, ut ipſi conveniant, & ipſi pro erogare dibiant, ut vincto hominem liciat accedirem: & qui ei antequam componat cum parentibus antepene aut tor. qui tale dederit ſol. XV. culp. tamen autorem ex celeris qui admiſiſſet aut expodiſſet turnecale ſol. CC. componat.

TIT. LXXII.

De terra commendata.

Si quis alteri, avicam terram ſuam commendaverit, & ei noluerit reddere, ſi eum admallaverit, & convinxexerit. DC. den, qui faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur.

TIT. LXXIII.

De Cultello Sexxaudro.

Si quis alteri cultellum furaverit, & ei fuerit adprobatum, ipſum in loco reſtituat, & inſuper DC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur.

TIT. LXXIV.

De chreodiba.

(In Cod. Guelf. LXXII. de creobebat.)

I. Si quis hominem ingenuum ſeu in ſylva, ſeu in quolibet (aut qualibet. Guelf.) loco occiderit, (occiſeret. Guelf.) & ad celandum igne combuſſerit (& eum ad celando conbuſiret, Guelf.) XXIIIIM. den. qui faciunt ſol. DC. culpabilis judicetur. (DC. ſol. componat. Guelf.)

II. Si quis Antruſſionem vel feminam taliter interfecerit, aut celaverit, aut igne cremaverit LXIIMD. den. qui faciunt ſol. MDCCC. culpabilis judicetur.

In Guelf. Codice hic paragr. ita legitur.

Si Antruſcionem vel femene tale ordinis interficiat, aut tale rem voluerit vel igne concremaviret. IDCCCC. dinarius componat.

TIT. LXXV.

De muliere gravida occiſa.

I. Si quis mulierem gravidam occiderit, XXIIIIM. den. qui faciunt ſolid. DC. culpabilis judicetur. Et ſi probatum fuerit, quod partus ille puer fuerit, ſimili conditione pro ipſo puero DC. ſolid. culpabilis judicetur.

II. Si quis puellam intra duodecim annos uſque ad duodecimum impletum occiderit, ſol. CC. culpabilis judicetur.

III. Si vero majori ætate uſque ad ſexageſimum annum, quousque partum habere potuerit, occiderit XXIIIIM. den. qui faciunt ſolid. DC. culpabilis judicetur.

IV. Si poſtea fuerit occiſa, quando jam partum amplius habere non potuerit, ſol. CC. culpabilis judicetur.

TIT. LXXVI.

De Antruſſione.

I. Si Antruſſio Antruſſionem de quacunque cauſa admallare noluerit, ubicunque eum invenire potuerit, ſuper ſeptem noctes cum teſtibus eum rogare debet, ut ante Judicem ad Mallobergo de cauſſa quæ imputatur ex hoc reſpondendo debeat convenire. Si eis ibidem non convenerit, aut iſte venire diſtulerit, qui ipſum admallaverit, in nubi eum ſolſatire debet. Sic poſtea iterata vice ad noctes XIIII. eum rogare debet, ut ad illum Mallbergo debeat venire ad dandum reſponſum. Et qui admallatur, ſi eo venerit, tunc qui eum admallavit, ſi cauſſa minor fuerit, aut minus quam XXXV. ſolid. componatur, debet ibi ſextus Wedredo jurare: & ille poſtea qui rogatus fuerat, ſi ſe ex hoc idoneum eſſe cognoſcat, ſe debet poſtea cum duodecim per ſacramenta abſolvere. Si vero major cauſa fuerit, quam XXXV. ſolidis culpabilis inveniatur ſeu adhuc majori numero ſupereſt, ut unde minus quam XLV. ſolidi non judicentur, ipſe qui eum rogavit, cum novo Wedredo debet jurare; & ille qui rogatus eſt, ſi ſe idoneum agnoſcit, ſe cum octavo decimo datis ſacramentis abſolvere debet. Si certe talis fuerit cauſſa unde XLV. ſol. aut amplius usque ad leudem componere debet, ipſe qui eum rogavit, debet duodecimus Wedredo jurare; & ipſe qui rogatus eſt, ſi ſe innocentem eſſe cognoſcit, viceſimus quintus datis ſacramentis abſolvere ſe debet. Si vero de leude eum rogatum habuerit, debet qui eum rogavit cum XII. Wedredo jurare, & ipſas XIIII. noctes Æneum calefacere; & ſi ad ipſum placitum venire deſpexerit, aut manum ſuam in Æneum mittere noluerit, quicumque Antruſco ille de cauſſa ſuperius comprehenſa per ſacramenta abſolvere ſe non potuerit, aut manum ſuam pro leude in Æneum mittere deſpexerit, aut in placitum venire diſtulerit, tunc ille qui eum rogatum habuit, ſolem ei collocare debet, ad ipſam vero diem, in Mallobergo ipſo, in XL. noctibus. Si nec ibi ſe conduxerit, tunc ille qui eum rogatum habuit ſolem collocet: poſtea illum ad præſentiam Regis ad noctes XIV.

Digitized by Google

rogare debet, & ibidem duodecim teſtes ponere; qui per ſingulas vices tres jurati dicant, quod ibi fuiſſent, ubi illi admonitio ad XIV. noctes ſolem collocaſſet, & ille de ſacramento ſe non abſolvat, nec manum ſuam pro leude in Æneum poſuiſſet. Similiter & alii tres teſtes dicant, quod in XL. noctibus ſole ei collocato, & ille nullatenus de Antruſſione Gavialto eſtre legibus dixiſſet. At tertia vice tria teſtimonia ſimiliter dabit, qui dicant qualiter eum ad præſentiam Regis venire rogaſſet: & ſi nec tunc venerit, ipſa novem teſtimonia, ſicut ſuperius diximus, jurati dicant. Similiter illa die, ſi non venerit, collocet ei ſolem & illa tria teſtimonia quæ ibi fuerant quando ſol collocabatur. Si iſta omnia impleverit qui eum admallat, & ille qui admallatur ad nullum placitum venire voluerit, tunc Rex ad quem mannitum eſt, eum extra ſermonem ſuum ponat, & quicunque eum aut paverit, aut hoſpitium illi dederit, ſi fuerit uxor propria, ſol. XV. culpabilis judicetur, donec omnia, quæ illi imputantur, legibus componat.

II Si Antruſſio Antruſſionem pro qualibet cauſa manierit, aut fidejuſſorem quæfierit, & eum ſecundum legem non rogaverit, ſol. XV. culpabilis judicetur, excepto quod prætermittit cauſſa illius, anno integro nullatenus terminetur.

III. Si Antruſſio contra Antruſſionem teſtimonium juraverit, ſol. XV. culpabilis judicetur.

Tit. LXXVII.

De eo qui in aliena domo reſedit.

I. Si quis ſuper ingenuum in domo ſua reſedit, aut alius Ingenuus voluntate ſua lapidem ſuper tectum jactaverit in illius contumeliam, vel aliorum quicunque in domo ſua reſederunt, pro unaquaque perſona quinos denarios ſolid. culpabilis judicetur.

II. Si certum fuerit, qui jactaverit, & illud fecerit. VII. ſol. culpabilis judicetur.

Tit. LXXVIII.

In quantas cauſſas Thalaptas debeant jurare.

(Tit. LXXI. Quantas cauſas jurare licit. Guelf.)

Si amplius juraverit quam tres cauſas, rem illam in capite perdat; & quantum lex de cauſa illa habuerit, culpabilis judicetur: & de illis qui juraverunt tres, qui ſeniores fuerunt, XV. ſol. culpabiles judicentur, & reliqui juratores quinis ſolidis componant. Poſſunt autem jurare de dote, de re in hoſte perdita & de homine qui in ſervitium revocatur.

In Guelf. Cod. hic paragr. ita fiſtitur.

De dote & de res qui in oſte perditas ſunt, de hominem qui in ſervitio revocatur, ſi amplus jurarent quam tres cauſas rem illa in capite reddant & quanto lex de cauſa illa abit culp. illi qui juraviret III. qui ſenis res fuiret D. din. culp. & reliqui juratoris quinus ſol. ſolvant.

Tit. LXXIX.

De Delatura.

I. Si quis hominem occiderit, & quod lex habuit pro eo dederit, ſolid. XXX. pro delatura componat.

II. De puero, aut liberto, ſolid. XV.

III. De furtibus vero aliis, VII. ſol.

IV. Cauſæ vero Dominicæ in triplo componuntur.

EPILOGUS.

Sciendum autem eſt, quod in quibusdam Legibus Salicæ inveniuntur capitula principalia LXV. in aliis LXX. in nonnullis LXXX. etiam paulo plus aut minus. Sunt qui habeant compoſitiones CCCLVIII. ac etiam plus minusve. Inquirendum igitur erit in compoſitionibus Legis Salicæ, quid varietatis, & quem numerum minimum, quem maximum habeant. Diviſiones namque compoſitionum ſunt CCCLVIII., varietates autem XXXI. quæ ita inveniuntur.

Incipiunt autem a VII. denariis; ut,

I. Si quis agnum furaverit. I.
Inde ad X. denarios venit; ut,
II. Si quis alterius meſſem damnaverit. I.
Inde ad ſolidum unum; ut,
III. Qui porcellum, qui ſine matre, & reliqua. I.
Inde ad ſolidum unum & tremiſſem; ut,
IV. Qui alterius ſervum cædit. I.
Inde ad ſolidos tres; ut
V. Si quis tres capras furaverit, & hæc compoſitio in locis habetur. 43. XLIII.
Inde ad III. ſolidos & denarium unum; ut,
VI. Si quis viduam in conjugium ſociare voluerit, & reliqua. I.
Inde ad ſolidos quinque.
VII. Hi ſunt qui raptu ſolvunt compoſitionem, & hæc compoſitio habetur in 2. locis. II.
Inde ad ſolidos ſex.
VIII. Pro redemptione ſervi, ut non caſtretur, & hæc compoſitio in 5. locis habetur. V.
Inde ad ſolidos VII. & denarium; ut
IX. Si quis ſcrovam ſubbatit in furtum. I.
Inde ad ſolidos VIII. ut,
X. Si quis alterum de clauſo pugno, & hæc compoſitio in 5. locis habetur. V.
Inde ad ſolidos XII. & denarium; ut
XI. Si quis miniſterialem in mortis periculo. I.
Inde ad ſolidos XV. ut,
XII. Si quis ſponſam alterius tulerit, hæc compoſitio in locis 93. habetur. XCIII.
Inde ad ſolidos XVII. cum dimidio; ut
XIII. Si quis alterius vaccam furaverit, hæc compoſitio in 4. locis habetur. IV.
Inde ad ſolidos XXII. cum dimidio; ut
XIV. Si quis tributarium Romanum in pelagus. I.
Inde ad ſolidos XXV. ut,
XV. Si quis ſervum miniſterialem occiderit, hæc compoſitio in 2. locis habetur. II.
Inde ad ſolidos XXX. ut,
XVI. Si quis ancillam furaverit, hæc compoſitio in 26. locis habetur. XXVI.
Inde ad ſolidos XXXV. ut,
XVII. Si quis alterius ſervum furaverit, hæc compoſitio in 29. locis habetur. XXIX.
Inde ad ſolidos XLV. ut,
XVIII. Si quis waranionem furaverit, hæc compoſitio in locis 41. habetur. XLI.
Inde ad ſolidos L. ut,
XIX. Si quis Romanum in pelagus. I.
Inde ad ſolidos LXII. & dimidium; ut,
XX. Si quis hominem vult percutere gladio, hæc compoſitio in 38. locis habetur. XXXVIII.
Inde ad ſolidos LXX. ut,
XXI. Si quis ſervum aut ancillam de miniſterio. I.
Inde ad ſolidos LXXV. ut,
XXII. Si quis ſervum miniſtrantem in hoſte occiderit. I.
Inde ad ſolidos XC. ut,
XXIII. Si quis taurum regis furaverit, hæc compoſitio in 3. locis habetur. III.
Inde ad ſolidos C. ut,
XXIV. Si quis Romanum occiderit, hæc compoſitio in 31. locis habetur. XXXI.
Inde ad ſolidos CLXXXVII. & dimidium, ut,
XXV. Si quis mulierem ſtriam clamaverit. I.
Inde ad ſolidos CC. ut,
XXVI. Si quis hominem ingenuum occiderit, hæc compoſitio in XXV. locis habetur. XXV.
Inde ad ſolidos CCC. ut,
XXVII. Si quis Litum in hoſte occiderit, hæc compoſitio in 2. locis habetur. II.
Inde ad ſolidos DC. ut,

XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII. Si quis hominem ingenuum in hoſte, hæc compoſitio in II. locis habetur. XI.
Inde ad ſolidos DCC. ut,
XXIX. Si quis mulierem habentem in utero. I.
Inde ad ſolidos DCCCC. ut,
XXX. Si quis Romanum vel Litum in truſte. I.
Inde ad ſolidos MDCCC. ut,
XXXI. Si quis hominem in truſte dominica, hæc compoſitio in 2. locis habetur. II.

FINIS.

Tituli Codicis Guelferbytani, qui neque in noſtro Codice, neque in Eccardiana editione reperiuntur.

LXVIII. *Explicit Lex I. Incipit II.*

De rebus in Alode patres.

SI quis ſuper alterum de rebus, qui in alode inventa ſunt, interciaviret, debet ille interciatus III. teſtimonia mittere, quod in alode patris hunc inveniſſet, alia trea qualiter patris ipſas inveniſſit; hoc ſi ficeret, poterit rem interciata vindicare, ſi iſtas non ficiret, mittat III. juratoris, quod in alode patris hoc inveniſſet, ſe de hac cauſa liberans; Si hoc non ficerit, ille qui eas interciaviret (ſiltorto) & ſi poſtia quid lex interdocuit, aput quem eas invinit, culp. judicitur.

LXIX. *De - -*

Si quis pater aut parentis quando filiam ſuam ad marito donat, tota extra parte fratris ſuis vindicit, ſimiliter, quando filius ſuus ad capilatorias ficiret, quo quid donato ſuiret, extra parte hoc teniat, & aliquas res dividat.

LXX. *De homine ingenuo occiſo: quomodo parentis ſui comprehindit vitam ſuam.*

Si quis hominem ingenuo occiſeret: & ei fueret adprobatum, parentis diblat, ſecundum legem conponat media compoſitio, filiis alia medietas & inde eis debit ut quarta, ut de illa leude adveniat, aut quarta pars parentibus propinquis debit III. de generationem patris & III. de generationem matris, & mater viva non fuerit media parte de leode illa parentis inter ſe dividant, hoc eſt III. de patrem, proximi tres ſuirent parentis de predictis condicionis prehendant, tertia parte duas partis prehendant, tertia patri ſuo demittant.

LXXIV. *De Pignoratione.*

Si quis debitorem ſuum pignorancia ſine judice pignorare præſumſerit, antequam eum neſtigante higio, & debitum perdat, & inſuper ſimiliter ſi male depignoraverit cum lege conponat, hoc eſt capitalem reddat & inſuper XV. ſol. culp. judicitur.

LXXV. *De homine inter duas villas occiſum.*

Sicut adſolet homo juxta ſtrada aut intra duas villas proximas ſive vicinas fuerit interfectus, ut humicida non apareat, ſic debit judex, hoc eſt Comes aut grafio ad locum accedere, & ibi cornus ſonare, & ſi vinerit, qui corpus cognuſcit occiſi, ſic parentibus in notitia ponatur. Si vero non vinerit, qui corpus, tunc vicini illi in eorum campo vel exitum corpus inventum eſt, debent facere bargum V. pedis in altum & preſencia judicis, ibi levare corpus, & debit judex nunciare & dicere: homo ſte in veſtro agro vel in veſtipolo eſt occiſus, conteſtor, ut usque in VII. noctes non reponatur & de humicidium ſtum uos ad mallum, ut in mallo proximo veniatis & vobis de lege dicatur, quis obſervare debiatis. Tunc vicini illi, quibus nunciatur ante XL. noctis, qui meliores ſunt cum ſexaginus quinus juratoris ſe exuant, quod nec occiſiſſent nec ſciant, qui occiſiſſe. Mino ſilidis vero vicini quinus denus juratoris donent ſinguli, qui id ſuperius diximus, id eſt quod jurant, ſi ſtud ſic ante XL. noctes non ficirent, noverint ſe perſonam mortui requirenti legibus ſatis facire: Si vero jurent, quod ſuperius diximus, & ſe per ſacramento edeniaverint, nulla eis conpoſicio requiratur.

LXXVI. *De muliere cæſam vel excapillatam.*

Si quis mulierem excapillaverit, ut ei obbonis ad terra cadat, ſol. XV. culp. jud.

Si vero vitta ſua ſolſerit ut capilli ad ſcapula ſua tangant XXX. ſol. culp. jud.

Si ſervus mulierem ingenuam percuſſerit aut excapillaverit aut manum ſuam redemat aut ſol. V. reddat.

Si quis mulierem prægnantem in ventre aut in renis percuſſerit pugnum aut calcem & ei pecus non excuciat, & illa propter hoc graviata fuerit quaſi usque ad mortem CC. culp. jud.

Si quis vero pecus mortuum excuſſerit & ipſa evaſerit DC. ſol. culp. jud.

Si vero ipſa mulier propteria mortua fuerit DCCCC. ſol. culp. judicetur.

Si vero mulier, qui mortua eſt pro aliqua cauſa in verbo regis miſſa eſt I CC. ſol. culp. iud. Hæc lex de miletunias, vel letas ſive romanas in medietatem convenit obſervare.

Si quis ancillæ pecus mortuum excuſſerit, ſi puella fuirit LXII. ſol. culp. jud. ſimiliter & M & dinarium. Si vero ancilla ipſa cellarium domini ſui, vel geniceum tenuerit C. ſol. & M & dinarium pro ipſa conponat.

LXXVII. *Pactus Childeberti R.*

De rêtinore pacis. appellavirit & negaverit juraverit juratoris. medius letus quod fuerit, quod obligaviret vero ſit. Sic latro reverendus eſt ſi facoltatem diſtribuit, Malberg parentibus offeratur. Si non redimitur vita correpit de oculte ſine judice conponat. acceperit ſimile latrone ſit.

LXXVIII. *Si hominem ingenuo in furto apellaviret.*

Si quis ingenuus in furtum inculpatus fuerit & deinde manducatur & manum ſuam de quantum in culpa inventus eſt conponat.

LXXVIIII. *Cujus manum ad benium inciderit.*

Servus in furtum inculpatur, requeratur dominum, ut ad XV. noctes in mallum preſentit & ſi dubietas eſt, ad ſortem ponatur, quod ſi placitum ſunnis detricaviret ad alias XV. noctes ita fiat, & proſecutus cauſe de ſuos conſimilis III. elictus alius III. debet, qui ſacramentum firment pro ſuplicacionem debet eum liberare, & ſi dominus non præſentaviret legem. Unde inculpatur, conponat, & ceſſionem de ſervo faciat. Si ſervus minus tremiſſe ſortem mala preferit, dominus ſervi tres ſolidos ſolvat, & ſervus ille CCC. hictus accipiat.

LXXX.

Si quis aliena mancipia injuſte tenuerit & infra dies XL. non eas reddederit, latro manclpiarum teniatur obnoxius. Si lex de hoc quod inculpatur, ad ſortem adjacirit & mala ſortem preſſerit, medietatem ingenui conponant & ſeptem juratoris medius elictus dare debit.

Digitized by Google

LXXXI. *Incipit Liber III.*

Deinde Chlotarius Rex posuit decreta, ut qui ad vigilias hoc est ad qua, & constitutas nocturnas diversi furis non capire & quod deversa interrudentem concludio scelera sua prætermittat, costodias exercerent, centenas fierent. In cujus centena aliquid deperiet caput trustes restituat, vel in alterius centenam vestigium proponat aut deduxerent & ad hoc admuniti sine cleaerent, quinus solidus conponat; capitale tamen, qui prodederat, a centena illa accipiat, & si per trustem invenitur media compositionem trustes ad se recipiat, & capitalem exeat ad latronem.

LXXXII.

Si quis alterius domum, ubi clavis est, furtum invinerit, dominum domui de vita conponat. Se cum furtum, ubicunque capitur, antedicte subjaceat legem. Et de susceptionem inculpatur, ad sortem veniat, & si malam sortem priserit, ita tamen ut utraque partis ternas personas electas, duas nec custodia fieri possit.

LXXXIII.

De servos Ecclesiæ aut vel cujuslibet, si ad quemcunque inculpantur aut ad sortem aut ad plevium promoveantur, aut ipse aut precium reformetur probatio, periculum subjaciunt.

LXXXIV.

Si quis quodlibit de potentis pro suo servo admoniatur, ut per diversa possedent loca, de crimine habere susceptus domino secricius cum testibus cum dicatur, ut intra XV. noctes ipsum ante judicem debiat præsentare, quod si intra statutum tempus intercedentem concludium non ei fecerit ipsi dominus statutus sui justa mode sui culpe inter fretum & feitum conpensetur, servus tum admonitum domino defuerit, capitalem dominus restituat & de servum dominus faciat cessionem futurum & cum inventus fuerit, detur vindictam.

LXXXV.

Si quis occulte rem sive conposicionem at quemlibet latronem acciperet, ut res quem latronis culpam subjaceat, fures tamen judicibus præsentetur. Nullus latronis, ut quemlibet culpabilem occultare presumat. Cui si ficerit, similis illi subjaceat culpæ.

LXXXVI.

Nullus quemlibet culpabilem, sicut cum Episcopis convenit, de atrio ecclesiæ extrahere præsumserit, canonibus feriatur, quod si sunt ecclesiæ, quorum clausæ non sunt ab utrasque partebus parietum terræ expacium aripennis pro adrio observentur, ut nullatinus fugiens foras ante dicta loca properarum cupietatis sedicat, quod non fit & capti fuerint, ad dignum sibi subplicium condemnentur.

LXXXVII.

Si cuilibet servus ad quocunque deserat, confugium fecerit, primum dominus advenerit, cito excusatus redatur, futurum ut si de precium cumvenerit, precius redatur, tamen admunicionem perientes redere noluerit, precium solvat futurum cum inveniret, si placit receptum precium servus dominum refurmetur.

LXXXVIII.

Ut in troste electi centenarius ponantur pro fiscalibus & omnium domibus censimus pro timore pacis jubemus in truste electi centenarius ponantur per eorum ad que solicitudinem pax interdicta observetur, & quia domino propitio germanitas vinculum caritatis costoditur. Centenarius ergo vel qui in troste esse dicuntur, abent latronis persequere vel vestigia adsignata tamen menare & in truste quod defuerint, sicut dictum est, cum sarciatur, ut continuo capitale & qui perpedit, refurmetur, ita tamen ut latronis perquirantur, quem si truste per se invenerent, medietatem conposicionem sibi vindicit, capitale vel dilatura, si fuerit de facultatem latronis ei, qui furtum pertullit, sarciatur. Nam si per se latronem cœperit, integra sibi compositione vel dissulucione vel quicquid dispendite fueret, revocaverit, fretus tamen judecibus, in cujus provencia est latror stratetur requerenti.

LXXXVIIII.

Si quis ad vestigium vel ad latrone prosequendo ire noluerit, si moniti fuerunt, & si eos sunnis non detenuerit sol. XV. culp. jud. & in Dei nomine pro timore pacis constituemus, & in perpetuo volumus costodire, interdicentes.

LXL.

Si quis a judicibus hæc violare præsumserit, vita incurrat periculum & sta omnia ante dicta nostra sicut priora stare jubemus.

LXLI.

Si quis super aliena domum lapide miserit aut jactaverit, cui fuerit adprobatum, pro illius contumilia aut alienorum ingenuorum, si cum ipsum alii fuerint una quodqui per quindicinus sol. culp. jud. Si vero letus fuerit, qui hoc facire presumserit sol. VII. culp. judicitur.

LXLII.

Si quis aliena domum violenter distruerit, que domus superius abuerit, qui hoc facire præsumserit & pro hoc cui fuerit adprobatum sol. XLV. culp. jud.

LXLIII.

Si Salicus salicum violenter castraverit & ei fuerit adprobatum sol. CC. culp. jud. excepta medicatura sol. VIIII.

Explicit Lex Saleca, qui vero cunlacio infra hæ libros IIII. continere viditur.

PRimus Rex Francorum statuit a primo titulum usque LXII. disposuit judicare; postmodo autem tempus cum obtimatis suis a LXIII. titulum usque ad LXXVIII. addedit; sic vero Childebrandus Rex post multum autem tempus pertractavit, quid addere debirit, ita a LXXVIII. usque ad LXXXIII. perinvenit, quod ibidim digne imposuisse noscuntur, & sic fratri suo Clotario hæc scripta transmisit. Post hæc vero Clotharius cum hos titulus a germano suo seniore gratenter excepit, sic postia cum rignum suum pertractavit, ut quid addere debirit ibidem, quid amplius dibiat constituere ab LXXXVIIII. titolus usque ad LXLIII. statuit permanere, & si postea fratre suo rescripta direxit & ita inter eis convincit, ut sta omnia sicut anteriore constructa starent.

** * **
* ** *

Teudericus Rex rignavit annis XVII. Chlodoveos Rex rignavit an. III. Childebertus Rex rignavit annis XVII. Dacobertus Rex rignavit an. V. Hilpericus rex rignavit an. V. Item Teudericus Rex rignavit an. XVII. anno septimo inter alius Rex rignavit. Childericus Rex rignavit an. VIIII. sunt in summa annus LXXVIII.

INDEX

Digitized by Google

COLLATIO
TITULORUM EDITIONIS ECCARDIANÆ ET CODICIS GUELFERBYTANI CUM NOSTRO CODICE.

Ubi notandum, Titulos;

Quibus ê regione numerus noſtri Codicis additus non eſt, ſub finem eſſe ſubjunctos.

Edit. Eccard.	Noſtra.	Cod. Guelf.	Noſter.
I - -	- - I.	I - -	- - I.
II - -	- - II.	II - -	- - II.
III - -	- - III.	III - -	- - III.
IV - -	- - IV.	IV - -	- - IV.
V - -	- - V.	V - -	- - V.
VI - -	- - VI.	VI - -	- - VI.
VII - -	- - VII.	VII - -	- - IX.
VIII - -	- - VIII.	VIII - -	- - VII.
IX - -	- - IX.	IX - -	- - X.
X - -	- - X.	X - -	- - XI.
XI - -	- - XI.	XI - -	- - XII.
XII - -	- - XII.	XII - -	- - XIII.
XIII - -	- - XIII.	XIII - -	- - XIV.
XIV - -	- - XIV.	XIV - -	- XV. conf. XIV.
XV - -	- - XIV.		XVI. XVII.
XVI. XVII -	- - XV. conf. XIV. XVII. XVIII.	XVI - -	- - XIX.
XVIII. -	- - XVI.	XVII - -	- - XXI. XXII.
XIX - -	- - XIX.	XVIII -	- - XXIII.
XX - -	- - XXI. XXII.	XIX - -	- - XXIV.
XXI - -	- - XXIII.	XX - -	- - XXV.
XXII - -	- - XXIV.	XXI - -	- XXVI. XXVII.
XXIII - -	- - XXV.	XXII - -	- XXVIII. XXIX.
XXIV - -	- XXVI. XXVII.	XXIII -	- - LXIII.
XXV -	- XXVIII. XXIX.	XXIV -	- XXX. usque XXXV.
XXVI - -	- - LXIII.	XXV -	- - XXXV.
XXVII -	- XXXVII. usque XLVI.	XXVI -	- - XXXVI.
XXVIII -	- XXX. usque XXXV.	XXVII. a.	- XXXVII. usque XLVI.
XXIX -	- - XXXV.	XXVII. b.	- - XLVI.
XXX - -	- - XXXVI.	XXVIII -	- - XLVII.
XXXI -	- - XLVI.	XXIX -	- - XLVIII.
XXXII -	- - XLVII.	XXX - -	- - XLVIIII.
XXXIII -	- - XLVIII.	XXXI -	- - L.
XXXIV -	- - XLIX.	XXXII -	- - LI.
XXXV -	- - L.	XXXIII -	- LII. usque LVI.
XXXVI -	- - LI.	XXXIV -	- LVI. usque LX.
XXXVII -	- LII. usque LVI.	XXXV -	- - LX.
XXXVIII -	- LVI. usque LX.	XXXVI -	- - LXI.
XXXIX -	- - LX.	XXXVII	- - LXII.
		XXXVIII -	- LXIV. LXV. LXVI.
		XXXIX -	- - LXVII.
		XL - -	- - LXVIII.

Digitized by Google

Eccard. Edit.	Noſtra.	Guelf. Cod.	Noſter.
XL - -	- - LXI.	XLI. - -	- - LXXIX.
XLI - -	- - LXII.	XLII - -	- - LXXX.
XLII - -	LXIV. LXV. LXVI.	XLIII. - -	- - LXXXII.
XLIII -	- - LXVII.	XLIV - -	- - LXIX.
XLIV -	- LXVIII. LXXIII. LXXIV. XCVII.	XLV - -	- - LXX.
		XLVI - -	- - LXXI.
XLV -	- - LXIX.	XLVII -	- - LXXII.
XLVI -	- - LXX.	XLVIII -	- LXXVIII. XCVII.
XLVII -	- - LXXVIII.	XLIX - -	LXXXI. LXXXIII.
XLVIII -	- - LXXIX.	L - - -	- - LXXXIV.
XLIX -	- - LXXX.	LI - -	- - LXXXV.
L - -	- - LXXXII.	LII - -	- - LXXXVII.
LI - -	LXXXI. LXXXIII.	LIV - -	- - LXXXVIII.
LII. - -	- - LXXXIV.	LV - -	- - LXXXIX.
LIII - -	- - LXXXV.	LVI - -	Ecc. LVIII.
LIV - -	- - LXXXVI.	LVII - -	- - XC.
LV - -	- - LXXXVII.	LVIII -	- - XC.
LVI - -	- - LXXXVIII.	LIX - -	- - XCI.
LVII - -	- - LXXXIX.	LX. - -	- - XCIX.
LVIII -		LXI - -	- - XCII.
LIX - -	- - XC.	LXII - -	- - XCIII.
LX - -	- - XCI.	LXIII - -	- - XCIV.
LXI - -	- - XCIX.	LXIV -	- - LXXII.
LXII - -	- - XCII.	LXV - -	- - LXXI.
LXIII -	- - XCIII.	LXVI - -	- - XCV.
LXIV -	- - XCIV.	LXVII -	- - LXIII.
LXV -	- - LXXII.	LXVIII.	
LXVI -	- - LXXI.	LXIX.	
LXVII. -	- - XCV.	LXX.	
LXVIII -	- - LXIII.	LXXI. -	- Ecc. LXXVIII.
LXIX -	- - LXXIV.	LXXII -	- Ecc. LXXIV.
LXX - -	- - XCVI.	LXXIII -	- - LXXIV.
LXXI -	LXXV. LXXVI. LXXVII.	LXXIV.	
LXXII		LXXV.	
LXXIII.		LXXVI.	
LXXIV.		LXXVII.	
LXXV.		LXXVIII.	
LXXVI.		LXXIX.	
LXXVII.		LXXX.	
LXXVIII.		LXXXI. &c.	
LXXIX.			
LXXX.	- - C.		

Digitized by Google



LEX SALICA

Recentior:

Emendata & promulgata juſſu & auctoritate

CAROLI M.

Ex Editione emendatiſſima

STEPHANI BALUZII.

Una cum ejusdem, ut & Pithœi ac Bignonii Notis.

PACTUS LEGIS SALICÆ,*

Anno ab incarnatione Domini noſtri JEſu Chriſti

** DCCXCVIII. Indictione VI. Dominus Karolus Rex Francorum inclitus hunc libellum tractati legis Salicæ ſcribere juſſit.

INCI-

Franc. Pithœi, Hieronymi Bignonii, & Stephani Baluzii Notæ in Legem Salicam.

* *Pactus legis Salicæ.*] Hunc titulum huic legi adſcripſimus, ſecuti auctoritatem quorundam veterum exemplarium. In emendanda porro lege Salica uſi ſumus undecim codicibus antiquiſſimis, quorum quatuor extant in Bibliotheca regia, quintus in Bigotiana, ſextus in Sangallenſi, ſeptimus fuit Sancti Remigii Remenſis, quo uſus quoque eſt Joannes Tilius, octavus ſancti Vincentii Metenſis, nonus ſancti Vincentii Laudunenſis, decimus Launomari Bleſenſis, undecimum, quod Expillii & Leſcurii fuerat, nobis ſubminiſtravit humanitas ampliſſimi viri Hieronymi Bignonii Advocati regii in Parlamento Pariſienſi. Præter hæc, aliud quoque Salicæ legis exemplar habet bibliotheca Thuana, ſed recens, ideoque â nobis omiſſum: Habemus verò nos librum legis Salicæ ex editione Tiliana, in cujus margine Franciſcus Pithœus ſua manu adnõtavit varias lectiones ex Códice quodam Metenſi nobis ignoto, quem ſuum vocat. Venit quoque cum iſta ederentur, in manus meas alterum exemplar earundem legum, in cujus margine idem Franciſcus Pithœus plurimas varias lectiones adnotavit ex codicibus manuſcriptis, notas præterea nonnullas addidit. In tanta veterum exemplarium copia infinitum eſſet adnotare varias lectiones. Satis erit admonere lectorem, textum legis accuratiſſimè emendatum eſſe diligentiſſima collatione eorundem exemplarium; ut ſi quid illic aliter invenerit quam ſcriptum habeatur in ſuperioribus editionibus, judicio factum eſſe arbitretur. Nihil enim conjecturis datum eſt. Duæ autem hactenus Salicæ legis editiones fuere; una vetus quam Baſilius Joannes Herold Baſileæ emiſit anno MDLVII.

Digitized by Google

INCIPIUNT CAPITULA LEGIS SALICÆ.

I. De mannire.
II. De furtis porcorum.
III. De furtis animalium.
IV. De furtis ovium.
V. De furtis caprarum.
VI. De furtis canum.
VII. De furtis avium.
VIII. De furtis arborum.
IX. De furtis apium.
X. De damno in messe, vel in qualibet clausura.
XI. De servis vel mancipiis furatis.
XII. De furtis ingenuorum vel infracturis.
XIII. De furtis servorum vel infracturis.
XIV. De ingenuis hominibus qui ingenuas mulieres rapiunt.
XV. De eo qui hominem ingenuum expoliaverit.
XVI. De eo qui villam alienam adsallierit.
XVII. De eo qui mortuum hominem expoliaverit.
XVIII. De incendiis.
XIX. De vulneribus.
XX. De eo qui hominem innocentem & absentem ad Regem accusaverit.
XXI. De maleficiis.
XXII. De eo qui mulieri ingenuæ manum strinxerit.
XXIII. De eo qui navem sine permissu domini moverit aut furaverit.
XXIV. De furtis in molino commissis.
XXV. De caballo sine permissu domini sui ascenso.
XXVI. De his qui pueros vel puellas occiderint vel totonderint.
XXVII. De adulteriis ancillarum.
XXVIII. De libertis dimissis.
XXIX. De furtis diversis.
XXX. De locationibus.
XXXI. De debilitatibus.
XXXII. De conviciis.

XXXIII.

& post eum Gottefredus Wendelinus anno MDCLIX. Antverpiæ, altera recens, quæ à Tilio primum edita, dein à Pithœo, Lindenbrogio, Bignonio recusa est. Discrepant profecto inter se hæ duæ editiones, non solùm in ordine titulorum, sed etiam in verbis ipsis, ut pridem observatum est à viris eruditissimis. Itaque Franciscus Pithœus uti manu ejus scriptum reperi in libro meo, existimavit Germanicam editionem esse antiquam legem Salicam, Tilianam repetitæ prælectionis. *Valde verò diversa est*, inquit, *hæc editio à Germanica, quæ antiquior videtur, hæc verò repetitæ prælectionis & posterior.* De hac duplici Salicæ legis editione Wendelinus putat intelligendum esse locum illum Eginhardi in vita Karoli M. *Franci duas habent leges plurimis in locis valde diversas.* Sed Hermannus Comes Nuenarius interpretatus est de lege Salica & Ripuaria: *Duas Francos habuisse leges ipsorum auctores testantur, Salicam atque Ripuariam.* Eadem fuit sententia Bignonii, ut videre est in notis ejus pag. 827. Quorum ego sententiæ lubenter accedo. Nam semel emendata & promulgata à Karolo lege Salica, vetere editione tum Franci non utebantur, neque Eginhardus dixisset eo sensu Francos duas habere leges. Certè Wendelinus vi veritatis coactus est scribere, pag. 85. legem Ripuariam à Salica descendere ac plerisque in locis totidem verbis esse exscriptam. Undenam verò dicta sit lex Salica, variæ sunt doctissimorum hominum sententiæ. Vide eundem Wendelinum & Carolum Dufresnium in observationibus ad Joinvillam pag. 241. Sed quicquid sit de nomine, diu viguit usus istius legis in Occidente, uti jam observatum est ab aliis. In probationibus historiæ Bressianæ pag. 5. & 215. animadverto eam adhuc in usu fuisse annis MCLXXXV. & MCCXCVI. apud Lugdunenses & Friburgios. Attamen non ita multò pòst ne nomen quidem ejus vulgo noscebatur inter Francos. Extat in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis opusculum Richardi Scoti scriptum sub regno Joannis Regis, in quo describitur genealogia aliquorum Regum Franciæ, & in fine ista adduntur: *Legem vero Salicam, quam ab omnibus Doctoribus legum, quoscunque novi, petii utrum de ea cognitionem haberent, & tamen mihi nullam penitus respondentes, libentissimè demonstrarem.*

Viderat eam itaque Richardus tametsi vulgus Jurisconsultorum illius ævi eam non nosset.

** DCCXCVIII.] Ita editio Pithœana & nonnulli codices. Sangallensis habet DCCLXXVIII. Bigotianus DCCLXVIII. mendosè utrique. Indictio sexta arguit veram esse lectionem quam nos retinuimus. In codice S. Remigii adscriptus quidem erat annus quo Karolus librum istum scribit jussit, sed cultelli ope erasus est. Deest autem hæc nota in plerisque vetustis codicibus. Baluz.

Digitized by Google

XXXIII. De via lacina.
XXXIV. De eo qui hominem ingenuum ſine cauſa ligaverit.
XXXV. De venationibus.
XXXVI. De ſepibus.
XXXVII. De homicidis ſervorum vel ancillarum.
XXXVIII. De quadrupedibus, ſi hominem occiderint.
XXXIX. De veſtigio minando.
XL. De caballis furatis.
XLI. De his qui aliena mancipia ſollicitaverint.
XLII. De ſervo qui de furto fuerit interpellatus.
XLIII. De homicidiis ingenuorum.
XLIV. De homicidiis a contubernio factis.
XLV. De homicidiis in convivio factis.
XLVI. De reippus.
XLVII. De eo qui villam alienam occupaverit, vel ſi duodecim menſibus eam tenuerit.
XLVIII. De aſſatomiæ.
XLIX. De filtortis, hoc eſt, qualiter homo furatas res intertiare debet.
L. De falſo teſtimonio.
LI. De teſtibus adhibendis.
LII. De eo qui fidem factam alteri reddere noluerit.
LIII. De eo qui Grafionem ad res alienas tollendas injuſtè invitaverit.
LIV. De re præſtata.
LV. De manu ab æneo redimenda.
LVI. De eo qui Grafionem occiderit.
LVII. De corporibus expoliatis.
LVIII. De incendio vel expoliatione Eccleſiæ, ſive homicidiis Clericorum.
LIX. De eo qui ad mallum venire contempſerit.
LX. De Rachinburgiis qui ſecundum legem non judicant.
LXI. De chrenechruda.
LXII. De alode.
LXIII. De eo qui ſe de parentela tollere vult.
LXIV. De charoena.
LXV. De compoſitione homicidii.
LXVI. De homine in hoſte occiſo.
LXVII. De eo qui alterum hereburgium clamaverit.
LXVIII. De caballo excoriato.
LXIX. De eo qui hominem de bargo vel de furca dimiſerit.
LXX. De eo qui filiam alienam quæſierit, & ſe retraxerit.
LXXI. De terra condemnata.

INCIPIT LIBER LEGIS SALICÆ. *

TITULUS I.

De Mannire.

Lib. III. Capitular. c. 45. & VI. 211.

I. SI quis ad mallum legibus dominicis mannitus fuerit, & non venerit, si eum sunnis non detinuerit, sexcentis denariis, qui faciunt solidos quindecim, culpabilis judicetur.

II. Ille vero qui alium mannit, si non venerit, & eum sunnis non detinuerit, ei quem mannivit similiter sexcentos denarios, qui faciunt solidos quindecim, componat.

III. Ille autem qui alium mannit, cum testibus ad domum illius ambulet, & sic eum manniat, aut uxorem illius, vel cuicunque de familia illius denuntiet ut ei faciat notum, quomodo sit ab illo mannitus.

IV. Nam si in jussione Regis fuerit occupatus, manniri non potest.

V. Si vero infra pagum in sua ratione fuerit, potest manniri, sicut superiùs dictum est.

TIT. II.

De furtis porcorum.

I. SI quis porcellum lactantem furaverit de chranne prima, aut de mediana, & inde fuerit convictus, centum viginti denariis, qui faciunt

---

* *Legis Salicæ*] Francorum, quos consuetudo Salios vocitavit, sicut Ammianus Marcellinus scribit. Fortasse â saliendo. Sidonius:

Tibi vincitur illic
Cursu Herulus, Chunnus jaculis,
Francusque natatu.
Sauromata clypeo, Salius pede, falce Gelonus.

Et in prologo harum legum: *Gens Francorum inclyta, fortis in armis, audax, velox, & aspera.* Lex simpliciter dicitur synodis Cabillonensi & Rhemensi. Videantur Ado, Einardus, Ottho Frisingensis, Sigebertus, Trithemius & Nicolaus Vignerius, libello cui titulus est: *Traité de l'état & origine des anciens François.* Franc. Pithœus.

Ad Tit. I.

De mannire] Adnuntiatio apud Pistas DCCCLXIV. cap. VI. *Et quia non habent domos ad quas secundum legem manniri & banniri possint, dicunt quod de mannitione vel bannitione legibus comprobari aut legaliter judicari non possunt.* Hieron. Bignon.

Mallum] Flodoardus ex epistolis Hincmari: *Quia de Presbytero & Ecclesia ad Episcopos & Synod. definitio pertineat, non ad mallum, vel civilium judicum dispositionem.* Vide Glossarium ad Capitularia. Quid enim repetam ea quæ ibi habentur? *Pith.*

Mannitus] monitus, *semont.* Mannitiones, *semonces & adjournemens* Nortmannis. *Pith.*

Si eum sunnis non detinuerit] Editio Germanica legis Salicæ, ut testatur Pithœus. *Si in mallum vocatus fuerit, & is qui vocatus est non venit, si eum infirmitas aut ambascia dominica detinuerit, &c. Ambascia* leg. Burgund. addit. 1. tit. 17. *in ambascia sua asinum alienum detinere pro opera.* Germ. *Ambacht.* inde *Ambasiator.* Petrus de Vineis lib. 1. ep. 8. lib. 3. ep. 82. inde *Ambachti* Gallorum clientes Cæsari. *Bignonius.*

Sunnis] Sic veteres omnes. Nec tamen alibi malè *Sonnis.* Veteres Glossæ. *Sonnis, impedimentum. Essoine, ou empeschement.* Consuetudines Hannonenses Tit. XIX. §. 6. legis Salicæ in editione Germanica: *Si in mallum vocatus fuerit, & is qui vocatus est, non venit, si eum aut infirmitas aut ambascia dominica detinuerit, vel fortè aliquem de proximis mortuum inter domum suam habuerit, per istas sunnis se potest homo excusare, aliàs de vita componat.* Pith.

Denarios] Monetæ minutioris species sunt, & hodie hæ apud nos. *Denier.* Denarius. Unde *denrée, denarata* in adnuntiatione Caroli apud Pistas DCCCLXII. *& fruicts adenerez.* Blesensibus. *Double* unde *doublon,* binio dinummium Ægesippo vet. Gloss. & C. Tit. de Alex. primat. *Liar,* Miliariſium Epiphanio & Cedreno. *Blanc.* Germanis *Weispenning; Bianco* Italis, *Asprum* Græcis. *Katan* Persis. *& Grand Blanc.* ad differentiam *de Sols nerets.* Pith.

Solidos] Solidus lege Salica fuit quadraginta denariorum. quod Pipinus immutavit Canone XLI. Synodi Rhemensis: *Ut Dominus Imperator secundum statutum bonæ memoriæ Pipini misericordiam faciat, ne solidi qui in lege habentur per quadraginta denarios discurrant, quoniam propter eos multa perjuria, multaque falsa testimonia reperiuntur.* Quod tamen omnino non placuit Karolo Magno Capitul. lib. 3. cap. 30. Sed tandem Ludovicus Pius constituit lib. 4. cap. 75. *Ut omnis solutio atque compositio quæ in lege Salica contineretur, inter Francos per duodecim denarios solidos componatur, excepto ubi contentio inter Saxones & Frisones exorta fuerit.* Remanent tamen hodie vestigia solidi istius moribus nostris in mulctis & διστιμοῖς sive laudimiis. *Pith.*

Si in jussione Regis] *Lettres d'Estat.* Marculfus in formula pro causa suspensa. *Cognoscat magnitudo tua, dum nos ad præsens apostolico viro illustri pro nostris utilitatibus illic ambulare præcepimus. Ideo jubemus ut dum in illis partibus fuerit demoratus, omnes causæ suæ, suorumque amicorum aut gasindorum in suspenso debeant residere.* Pith.

Infra pagum] Anonymus de translatione beati Gildasii: *Per illud tempus cum omni reverentia nobis nominatus gloriosus princeps nobilis Ebbo maximam partem pagi Bituricensis sub ditione sua tenebat. Siquidem à Charo fluvio usque ad Vuortempam & Engliam potentissimè principabatur.* Sigebertus anno 759. *Arvernorum pagum depopulatum premit, & multa castella, ipsam urbem Arvernis capit.* Pith.

Ad Tit. II.

Lactantem] Retinui omnium codicum scripturam. Grammaticis quidem lactans dicitur quæ lac præbet, lactens, cui lac præbetur, sed hæc tam anxiè à nostris observata non sunt. *Pith.*

Furaverit] Sic infra passim. hoc tit. & in seqq. ubicunque *furatus fuerit*, legis, in MS. *furaverit* scriptum est. Sic Symmachus lib. 2. ep. 48. Glossarium infra tit. 29. in legibus Bajuvariorum. *Bign.*

Hranne] Hara Varroni R. R. lib. 3. cap. 10. *Bign.*

De branne] Sic veteres tres, & Germana editio *Rhan,* unde Campanis nostris. *Mettre les porcs en rhan,* ut pinguiores fiant. *Pith.*

Excepto]

Digitized by Google

faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si verò in tertia chranne furaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur excepto capitale & delatura.

III. Si quis porcellum de ſude furaverit, qui clavem habet, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis porcellum in campo inter porcos ipſo porcario cuſtodiente furaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

V. Si quis porcellum furaverit qui ſine matre vivere poteſt, quadraginta denariis, qui faciunt *ſolidum* unum, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VI. Si quis ſcrovam ſubbattit in furto, hoc eſt, porcellos à matre ſubtrahit, ducentis octuaginta denariis, qui faciunt ſolidos ſeptem, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VII. Si quis ſcrovam cum porcellis furaverit ſeptingentis denariis, qui faciunt ſolidos decem & ſeptem cum dimidio, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VIII. Si quis porcellum anniculum furaverit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IX. Si quis porcum bimum furaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

X. Si quis tertuſſum porcellum furaverit, uſque ad anniculatum, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XI. Si quis verò porcum poſt anniculatum furaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XII. Si quis verrum furaverit, ſeptingentis denariis, qui faciunt ſolidos decem & ſeptem cum dimidio, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XIII. Si quis ſcrovam ducariam furaverit, ſeptingentis denariis, qui faciunt ſolidos decem & ſeptem cum dimidio, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XIV. Si quis majalem ſacrivum, qui dicitur votivus, furaverit, & hoc cum teſtibus, ille qui eum perdidit potuerit adprobare quòd ſacrivus fuiſſet, ſeptingentis denariis, qui faciunt ſolidos decem & ſeptem cum dimidio, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XV. Si

Excepto capitali & dilatura] Damnum & dilatura leg. Rip. tit. XVII. Præter capitale ſubreptum & præter dilaturam, hæc etiam multa infertur excepto capitali, id eſt, præter ſubreptum vel ejus rei pretium, ut infra tit. XI. dilatura verò eſt id, quod intereſt propter moram, Jacobus Cujacius. non autem pretium delationis aut fredi, ut malè apud Pithœum & Lindenbrogium gloſſæ vett. quibus non eò ſtatim fides habenda, quod illi ſcripſerint. Mihi namque conſtat edita gloſſaria ineptorum hominum & inſciorum opera, à quibus nonniſi veſtigium vocum antiquarum quærendum eſt. Hæc dixiſſe ſufficiat. Nam non ſemel ab illis infrà diſſentimus; nec illi ſumus, qui adeo religiosè editas quisquilias obſervemus, ut integrum judicium non retineamus. *Bign.*

Capitali] Tit. 10. *Si quis animal aut caballum, vel quodlibet pecus in meſſe ſua invenerit, penitùs eum ladere non debet. Quod ſi fecerit, & confeſſus fuerit, capitale in locum reſtituat, ipſum verò debile quod percuſſit, ad ſe recipiat.* Et tit. LXVIII. Caballum ipſum in capite reſtituat. Et tit. 5. & 8. legis Alamannorum. *Pith.*

Delatura] Gloſſ. *Fredo.* Pith.

De Sude] Porcorum ſtabulo. Noſtris *Seu.* Liber de arithmeticis proportionibus, ſive is Gerberti ſit, ſive alterius: *Paterfamilias ſtabilivit curtem novam, quadrangulam, in qua poſuit ſcrovam, qua peperit porcellos ſeptem in media ſude.* Et tit. 18. infr. *Si quis ſudem cum porcis.* Pith.

De ſude furaverit] Obſerva graviùs puniri, qui è ſtabulo ſeu hara ſubripiunt, denique ſi quid clauſum, ut infra ſepe, quam qui in campo, ſic l. ult. §. 1. D. de Abigeis plenius coërcendus &c. quamquam Cujacius hoc tit. & obſ. 6. cap. 8. ex Græcis legat *leniùs* πεφράγμενον, adducto Juſtini loco de Scythis. *Bign.*

Scrovam] Sic veteres quinque. *Pith.*

Subbatit] Gloſſ. *porcellos in ventre matris occidit.* Recapitulatio: *Si quis ſcrofam alterius ſubbatit, ut porcellos non habeat.* Pith.

Tertuſſum] Gloſſ. *qui domi nutritur. Der zu hous.* Pith.

Verrum] Sic omnia exemplaria. *Verrat.* Pith.

Scrovam Ducariam] Gloſſ. *ductricem aliarum ſcrovarum.* Longobardis *ſonopar* ſectarius dicitur ſive dux gregis, aut ducator, ſicut loquitur Tertullianus. Nam ſennetem & ſente armenta ſignificantur in legibus Ripuariorum & Angliorum, unde Seniſcalci nomen, *armentorum miniſtri.* Alamannorum leg. ſub tit. de eo qui paſtores vel artifices occiderit. Sic apud Otfridum *Druhtines ſcalche* Domini miniſtri ſive Apoſtoli. Kero: *ſervus ſcal. ut Adel ſcalke ſervi principis* in Synodo ſub Thaſſilone habita. Theodulphus Antulphum Seneſcalci officio functum ſcribit, quem Sigebertus & Aimoinus præpoſitum menſæ Regis, Regino principem coquorum dicunt. Videndus Hincmarus Rhemenſis admonitione ad Epiſcopos & ad Regem Karolomannum cap. 23. *Pith.*

Scrovam ducariam] Codex Thuani *ſcrofam*, id eſt, ſcrofam quam ceteræ ſequuntur. Virgilius: *Quis pecori imperitet, quem tota armenta ſequantur.* Tertullianus adverſus Judæos: *cùm ducator ejus in ea pati haberet.* Sic ducator navis l. Quemadmodum. §. ſi navis. ad L. Aquil. & quod propiùs ad hunc locum accedit, Gloſſæ vet. Ducale ἀγωγεὺς ὁ τῶν ὑλικῶν. Gloſſæ quippe ad jumenta quæ agmen ducunt reſpiciunt. vide Savaronem in notis ad Sidon. pag. 350. *Bign.*

Sacrivum qui dicitur votivus] Sacrivus Varroni dicitur ad ſacrificium deſtinatus. Tertullianus tamen de ſanguine reprobi bovis mori optantis. Ea verò vox translata eſt ad illos qui locis ſanctis devovebantur, ut apud Gregor. Turon. Porrò ſacrivi iſtud vocabulum reliquum eſt ex ethnicis obſervationibus, quibus tum Salii tenebantur cùm ſcribi leges ſuas juſſerunt; etſi remanſerit tanquam de votivis rebus ageretur, quæ ſanctis quibusdam devotæ ſunt. Et quod heic ex Gregorio Turonenſi affertur, ejus exemplum hodie extat, in agnis ſancti Petri, ex quorum lana fit pallium. Sacrivus porrò pro votivo accipitur in Concilio Antiſſiodor. can. 3. *Non licet inter ſentes aut arbores ſacrivas vel ad fontes vota exolvere.* Bign.

XV. Si quis majalem non ſacrivum furaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XVI. Si quis tres porcos vel ampliùs uſque ad ſex capita furaverit, mille & quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XVII. Si quis de grege quindecim porcos furaverit, & reliqui ibi remanſerint, mille & quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XVIII. Si quis viginti quinque porcos furaverit, & de grege illo ampliùs non fuerit, bis mille quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XIX. Si autem aliqui ex iisdem porcis ſupra viginti quinque porcos remanſerint, & non fuerint furati, mille & quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XX. Si verò quinquaginta porcos furaverit, & aliqui remanſerint, bis mille quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culp. jud. excepto capitale & delatura.

Tit. III.

De furtis animalium.

I. Si quis vitulum lactantem furaverit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si quis anniculum animal, aut bimam vitulam furatus fuerit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Si quis vaccam cum vitulo furaverit, mille & quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis vaccam ſine vitulo furaverit, mille ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, culp. judic. excepto capitale & delatura.

V. Si quis vaccam domitam furaverit, mille & quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VI. Si quis bovem furaverit mille & quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VII. Si quis taurum gregem regentem furaverit, qui de tribus villis communes vaccas tenuerit, hoc eſt, trespellius, mille & octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culp. jud. excepto capitale & delatura.

VIII. Si quis taurum furaverit, qui unum gregem regit & junctus nunquam fuit, mille & quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IX. Si quis bimum taurum furaverit, mille & quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

X. Si quis taurum Regis furaverit ter mille ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos nonaginta, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XI. Si

Sacrivum] Gloſſ. *qui eſt defenſor aliorum porcorum.* Sacrivæ arbores ſynodus Antiſſiodorenſis, cap. 4. Auctor de rectitudine catholicæ fidei: *Fontes & arbores quos ſacrivos vocant ſuccidite.* Porci ſacres Varroni & Feſto dicuntur ad Sacrificium idonei. *Pith.*

Votivus] Gregor. Turonenſ. de miraculis lib. 1. cap. 97. *Anus exigua pauculos Gallinarum pullos habebat, quos ex voto Baſilicani ditioni ſubdiderat.* Idem lib. 2. cap. 31. *Illud memoratis dignum eſt, quæ ſit manſuetudo pecorum in hac Baſilica* (S. Juliani Brivatenſis) *votivorum &c. De his verò quæ votiva ſunt, nulli penitùs quippiam ſubtrahere licet, nullus priusquam ad Baſilicam veniat, aut commutare præſumit aut emere.* Sic & de gloria Confeſſor. cap. 3. Vide de equis à Cæſare Rubiconi conſecratis Sueton. lib. 1. cap. 81. *Bign.*

Qui dicitur votivus] Greg. Turon. 2. mirac. *Quæ ſit manſuetudo pecorum in hac baſilica votivorum, qualiter vituli petulantes, calcitrantes equi, grunnientes ſues, ut limen ſanctum ingreſſi ſunt, conquieſcunt.* Idem: *De his verò quæ votiva ſunt, nulli penitùs quippiam ſubtrahere licet.* Pith.

XV. Porcos] Quidam decem oves gregem eſſe putaverunt, porcos etiam quinque vel quatuor abactos l. ult. D. de Abigeis. *Bign.*

Si quis de grege XV. porcos] Nam & ſues gregatim paſcuntur, in tit. D. ad leg. Aquil. ex Homero. *Bign.*

Ad Tit. III.

Si quis vaccam domitam] An gravidam, quæ tauri ruentis in venerem pondus toleravit? Vide tamen Columellam de domitis bobus. Fortè cicurem & manſuefactam, ut intelligatur de ea, quæ in villa nutritur, non de aliis quæ cum grege in agris vagantur. *Bign.*

Taurum gregem reg.] Virg. Georg. 3. *Quem legere ducem, & pecori dixere magiſtrum.* Seneca Hippolyto act. 1. ſc. 2. *ductor indomiti gregis.* Claudianus de quarto conſulatu Honorii.

Sic paſcua parvus
Vindicat, & nec dum firmatis cornibus audax
Jam regit armentum vitulus.

Seneca ep. 90. Mutis gregibus aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſſima. Non præcedit armenta degener taurus, ſed qui magnitudine ac toris ceteros mares vicit. Vide de ariete gregis ductore Baſilium in pſalm. 28. *Bign.*

Gregem regentem] Atqui armentum eſt, non grex. Sed non mirum ſi id noſtri non curarunt. Nam à Juriſconſultis ipſis non confundi videmus, l. 2. §. 2. D. ad leg. Aquil. l. 22. de leg. 1. *Bign.*

Hoc eſt trespellius] Germana editio: *tresbellio*, id eſt, de tribus villis, *de trois clochers*, ſicut loquuntur conſuetudinarii. Gloſſ. *Clocca, belle*, Cloccarium vel lucar, *bell-bus. Sic trimarchiſia* apud Pauſaniam, quod ſinguli equites Galli conſtarent ex tribus. *Pith.*

Taurum Regis] Sic veteres tres. *Pith.*

Taurum Regis] Vide libros Regum, de Regibus Edon. *Bign.*

Ad

XI. Si quis duodecim animalia furaverit, ut nec unum quidem animal ex eis remanserit, bis mille quingentis denariis, qui faciunt solidos sexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XII. Si autem duodecim furaverit, & super aliqua remanserint, mille quadringentis denariis, qui faciunt solidos triginta quinque culpabilis judicetur excepto capitale & delatura. Et usque ad viginti quinque uno judicio terminantur.

XIII. Si quis viginti quinque animalia furaverit, & super aliqua remanserint bis mille quingentis denariis, qui faciunt solidos sexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

Tit. IV.
De furtis ovium.

I. SI quis agnum lactantem furaverit, septem denariis culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si quis anniculum vel bimum berbicem furaverit, centum viginti denariis, qui faciunt solidos tres, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Si vero duos aut tres furaverit, mille & quadringentis denariis, qui faciunt solidos triginta quinque, culpabilis judicetur excepto capitale & delatura. Qui numerus usque ad quadraginta berbices observetur.

IV. Si quis quinquaginta berbices aut sexaginta vel amplius furaverit, bis mille quingentis denariis, qui faciunt solidos sexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

Tit. V.
De furtis caprarum.

I. SI quis capritum sive capram, aut duas vel tres furatus fuerit, centum viginti denariis, qui faciunt solidos tres culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si vero supra tres capras furaverit, sexcentis denariis, qui faciunt solidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Si quis buccum furaverit, sexcentis denariis qui faciunt solidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

Tit. VI.
De furtis canum.

I. SI quis canem seusium furaverit, aut occiderit, qui magister sit, mille octingentis denariis, qui faciunt solidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si quis verò seusium reliquum aut veltrem porcarium, sive veltrem leporarium, qui &

Ad Tit. IV.

Berbices] *Berbis* Gregor. epist. 16. lib. 8. *Pith.*

Bervices] Paulus Diaconus lib. 5. cap. 40. Ulpianus in l. 2. §. 2. de Abigeis. *Qui porcum, vel capram vel vervicem abduxit.* Vulgata editio habet *vervicem*, sed Florent. *bervicem.* Bign.

Ad Tit. V.

Capritum] Hircum, *cabrit.* Pith.

Si quis buccum] Nostris *bouc* Germ. *bock* Turon. 9. 23. *Buccus validus vocabatur.* Pith.

Ad Tit. VI.

Seusium] Sic veterea omnes. vid. tit. 19. leg. Bojar. tit. 42. leg. Alaman. Videturque nomen istud reponendum tit. 15. Respons. Papiani, cum vetus exemplar habeat, *si Saucuum*, *al. Sacium.* Pith.

Canem Seusium.] Hermannus Nuenarius in lib. de origine Francor. porcarium canem interpretatur, vel doctum ad investigandos apros; fortasse doctus ad venandum aut indagandum. Sidon. Rutilius Itinerar.

Instrumenta parat venandi villicus hospes,
Atque olidum doctas nosse cubile canes.

Germani dicunt *Ein Scus huntd* vel *Schuynhuntd.* At in legibus Alamannorum & Bajuvarior. *Loitibunt* vocatur, quasi manu ducatur, *leithen*, ducere, *hundt*, canis. Nos *limier* ab ea fortassis origine, Exemplar 9. habet *segusium*, omninò rectè, qui canis Gallicus à loco dicitur. Arrian. in cynegetico MS. Vide leg. Burgund. addit. 1. tit. 10. leg. Alamannor. tit. 82. leg. Bajuvar. tit. 19. cap. 1. num. 1. 2. 3. Glossa vet. *Suses*, *magni canes*, Papian. tit. 20. *Bign.*

Qui magister sit] Forte, *dresse à la chasse*, aut qui alios possit ducere. Canis venatitius apud Ruffinum antiquit. Judaicarum lib. 4. cap. 6. Canis doctus leg. Alaman. tit. 79. c. 1. n. 1. Fortasse & canis ductor, ut in leg. Alaman. tit. 28. Boiorum tit. 19. cap. 1. Fridericus Imper. de arte venandi cap. 6. *Bign.*

Seusium reliquum.] Unum ex multis inter ceteros. *Bign.*

Veltrem] vide Franc. Pithœi notas. Joh. Belius indicavit hanc vocem apud Xenophontem in cynegetico latere. *Bign.*

Veltrem] Canis Gallicus. Ovidio & Martiali. Clemens Scotus, sive potius incertus Sancti Galli Monachus in vita Caroli Magni: *Assumsit duos caniculos in manum suam, quos Gallica lingua Veltres vocant, qui agilitate sua vulpes & ceteras minores bestias facillimè capientes. Veltro*, Danti, nostris *vaultroy* dicitur. Et tit. 10. leg. Burgund. Veltrahus. & apud Gratium de venatione:

- - At te leve si qua
Tangit opus pavidosque juvat compellere dorcas
Aut versuta sequi leporis vestigia parvi,
Petronios sic fama canes volucresque Sicambros.
Et pictum macula veltrahum dilige falsa.

Sic enim legendum. Petrunculorum fit mentio eodem titulo legis Burgundionum. *Pith.*

Porcarium] Leg. Alaman. tit. 28. canis porcaritius. *Bign.*

Veltrem Leporatium] vide Lindenbrog. glossar. leg. Burgundionum addit. 1. cap. 10. Alamann. tit. 82. Bajuvar. tit. 19. cap. 1. §. 5. Firmicum tit. 5. cap. 8. *Bign.*

Digitized by Google

& argutarius dicitur, furatus fuerit vel occiderit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Si quis verò canem cuſtodem domus ſive curtis, qui in die ligari ſolet ne damnum faciat, poſt ſolis occaſum ſolutum furatus fuerit vel occiderit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis vero canem paſtoralem furatus fuerit vel occiderit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

Tit. VII.

De furtis avium.

I. SI quis acceptorem de arbore furaverit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si quis acceptorem de pertica furaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Si quis acceptorem intra clavem repoſitum furaverit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis ſparvarium furaverit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

V. Si quis anſerem domeſticam aut anetam furaverit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VI. Si quis gallum aut gallinam furaverit vel cignum aut gruam domeſticam, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VII. Si quis turturem de rete alterius, aut quamlibet aviculam, de quolibet laqueo vel decipula furatus fuerit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

Tit.

Qui & argutarius] *Qui ciat occultos & ſignis arguat hoſtes.* Gratius de venatione. F. Pithœus. Hic tamen de cane leporario agitur, quem argutarii quoque nomine vocitatum docet hic locus, ab argutis naribus & acri olfactu nomen ſortitum. Valerianus Cemel. homil. 10. *Hic in conflictu æmulis curſibus aurito lepori imminet, ille argutis naribus cervi veſtigia latentis inquirit.* ἰυγεὺς Sophocli & Xenophonti in cynegetico. *Bign.*

Argutarius] Sic veteres quatuor. *Qui ſciat occultos, & ſignis arguat hoſtes.* Pith.

Cuſtodem domus] Leg. Alaman. tit. 82. Fris. tit. 4. Bojor. tit. 19. *Bign.*

Curtis] Leg. Alam. *qui curtem defendit.* Petrus Beneventanus: *Curtis vulgare eſt Gallicorum, ſicut manſus Italicorum.* Pith.

Qui in die ligari ſolet. Cato rei ruſt. c. 124. *Bign.*

Canem paſtoralem] Leg. Friſ. tit. 4. Juſtinus in legibus Georgicis vocat κύνα ποιμαινοῦλα Jac. Cujac. Joſeph. lib. 4. c. ult. κύνες ἵλοι. Συμμαχικὸν ἢ ποιμένων φύλακες. Sophocles vocat κύνας βοῶπας, hoc eſt, τῶ ποιμενικοὺς κύνας. *Bign.*

Canem poſtorem] Sic veteres quatuor. *Alias paſtoralem.* vid. tit. XXXII. legis Alamannorum. *Pith.*

De furtis canum] Vide Columellam, lib. 7. cap. 12. Virgil. Georgic. 3. *Nec tibi cura canum fuerit poſtrema.* Bign.

Ad Tit. VII.

Acceptorem] Sic antiqua omnia exemplaria, & tit. 99. leg. Alamannorum. Charifius: *Acceptor quoque & accipiter dicitur.* Virgilius *enim accipiter dixit. Lucillus acceptor.* Gloſs. Acceptor ἱέραξ. *Pith.*

Acceptorem de arbore] Gregor. Turonens. de miracul. lib. 2. cap. 16. in leg. Friſionum tit. 3. num. 3. *canis acceptoritius.* leg. Bojor. tit. 19. cap. 1. 2. leg. Burgund. addit. 1. tit. 11. edit. Til. leg. Alaman. tit. 99. Gloſſæ vett. *acceptor* ἱέραξ. Acceptor & accipiter dicitur. Virgilius enim accipiter dixit. Lucilius acceptor. Soſipater Charifius: *Acceptor domitus* in leg. Ribuar. tit. 36. n. 11. qui idem eſt ac accipiter. Communiter autem accipitrem ſparvarium reddimus, quamquam heic clarè diſtinguantur num. 4. Sed ſcitè heic diſtinguuntur, non malè à vulgo noſtrati conjunguntur. idem enim utriusque genus, quamquam diverſæ ſpecies. In ejusmodi venatione tribus variis avium ſpeciebus utuntur. Aquila, falcone, accipitre. Priores duæ pinnariæ ſunt, ſeu lorariæ: ultima buccellaria, cujus rurſum ſunt quinque ſpecies. Primus eſt *autour* dictus, femina. Secundus *autour* mas & parum capiens. Tertiæ ſpeciei deeſt maſculus. Quarta ſparvarius eſt, & quinta Salech. omnium minimus. *Tardif* artis falconariæ cap. 1. & 8. Porrò *acceptor* ad verbum eſt *autour*. Quarta ſpecies ſparvarius dicitur fringilarius Thuano lib. 1. de re accipitraria, quamquam aſtures vocet Thuanus ex Julio Firmico ibidem, & Volaterranus lib. 25. *Aſtorgios ponit Pauſanias quos Italici aſtores dicunt, aſtures alii vocant.* Ita Fridericus de arte venandi lib. 2. c. 29. *Sparvarii ſunt minores aliis avibus de rapina quibus frequentius utuntur homines, & quia ſecundum formam membrorum & maneriem plumagii ſimiles ſunt auſturibus, licet ſint alterius ſpeciei, tamen illi qui appropinquant formæ membrorum convenienti, & pulchro plumagio, auſturum ſunt laudabiliores.* Bign.

Intra clavem] Obſerva majorem pœnam in furto rei intra clavem ſervatæ, ut infra tit. 2. num. 3. & 4. *Bign.*

Sparvarium] Sic vet. *Eſparvier.* Germ. *Sparwer.* Pith.

Anetam] Sic veteres duo. & tit. 99. leg. Alaman. Gloſſ. *Aneta ened.* In veteri formula: *Similiter & porcellos habent, & unam vaccam, & duas anetas à ceteris ſeparat, & dat illis quotidie abundanter.* Pith.

Anetam] Fortè anſerem feminam, aut anatem, leg. Alaman. tit. 99. num. 19. *Anetapich* in leg. Bajuvar. tit. 20. cap. 3. accipiter anetas capiens. Speculum Saxon. tit. 3. art. 51. *Bign.*

Gallum] Unum exemplar, *coccum.* Gloſſ. *Gallus, cocc. Gallina, henn.* Pith.

Si quis turturem] Duo vetera exemplaria: *ſi quis aucellum de trappa furaverit.* Sicut & Germana editio inde *Trappe & entrapper.* Pith.

Ad

Digitized by Google

TIT. VIII.

De furtis arborum.

I. SI quis pomarium sive quamlibet arborem domesticam extra clausuram exciderit, aut furatus fuerit, centum viginti denariis, qui faciunt solidos tres, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si quis vero pomarium aut quamlibet arborem domesticam infra clausuram exciderit, aut furatus fuerit, sexcentis denariis, qui faciunt solidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Hanc quoque legem & de vitibus furatis observari jussimus.

IV. Si quis in silva alterius materiamen furatus fuerit aut incenderit, vel concapulaverit, aut ligna alterius furaverit, sexcentis denariis, qui faciunt solidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

TIT. IX.

De furtis apium.

I. SI quis unum vas apium de introclave aut sub tecto furaverit, mille octingentis denariis, qui faciunt solidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si quis unum vas cum apibus, ubi ampliùs non fuerit, furaverit, mille octingentis denariis, qui faciunt solidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Si quis unum vas, cum apibus inter alia vasa sub tecto aut sub clave furaverit, causam superiùs comprehensam convenit observare.

IV. Si verò unum vas cum apibus foris tecto, ubi ampliùs non fuerit, furaverit, causam superiùs comprehensam componat.

V. Si quis ex plurimis usque ad sex vasa foris tecto furaverit, sexcentis denariis, qui faciunt solidos quindecim, culpabilis judicetur excepto capitale & delatura.

VI. Si verò septem aut amplius furaverit, & adhuc aliqua remanserint mille octingentis denariis, qui faciunt solidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VII. Si autem septem aut ampliùs furaverit, ita ut nulla remaneant, mille octingentis denariis, qui faciunt solidos quadraginta quinque culpabilis judicetur excepto capitale & delatura.

TIT. X.

De damno in messe, vel in qualibet clausura.

I. SI animal aut caballum vel quodlibet pecus in messe sua invenerit penitus eum lædere non debet.

II. Quod si fecerit & confessus fuerit, capitale in locum restituat, ipsum verò debile, quod percussit, ad se recipiat.

III. Si verò confessus non fuerit, & inde fuerit convictus, sexcentis denariis, qui faciunt solidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis animal aut caballum aut jumentum in furto punxerit, sexcentis denariis, qui faciunt solidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

V. Si quis in messe sua pecora aliena invenerit, quæ pastorem non habeant, & ea inclauserit, & nulli penitus innotescat, & aliqua ex ipsis pecoribus perierint, mille & quadringentis

---

Ad Tit. VIII.

Infra clausuram] De clausura vid. infra tit. X. in rubrica. *Bign.*

Exciderit] Virgilius Eclog. 3. *Atque mala vites incidere falce novellas.* Bign.

Matriamen] Sic veteres tres, & infra tit. XXIX. inde nostris *Marien.* Pith.

Concapulaverit] Sic veteres quatuor. Gloss. *truncaverit vel exciderit*, Tit. 32. editionis Germanicæ de debilitate vet. Gloss. *Scapellare, id est exscindere, frangere.* In legib. Longob. *Si quis caballo alterius caudam capellaverit, id est setas traxerit.* Pith.

Ad Tit. IX.

Vas apium] Apiaria, in leg. Wisig. lib. 8. tit. ult. l. 2. & 3. *Si quis apiaria in civitate aut in villa forsitan construxerit, & alii damnum intulerit, statim moneatur ut eas in aliis locis transferre debeat, ne fortè in eodem loco hominibus aut animalibus damnum inferant.* Leg. 3. *Si quis ingenuus in apiariis furti causa fuerit deprehensus.* Porrò in leg. Bajuvar. tit. 21. c. 8. advertenda hæc: *Si apes, id est, examen alicujus ex apili elapsum fuerit:* Et cap. 9. *Si autem in capturis quæ ad capiendas apes ponuntur, id est, vasculis apum,* (evolaverunt apes, supple) *simili modo,* (ut supra cap. 8.) *interpellat eum cujus est vasculum.* Vide rei rusticæ auctores. *Bign.*

De intro clave] Sic veteres quatuor. *Estant sous clef.* Pith.

Causam] Id est, rem, ut infra tit. XI. n. 2. Vide notas ad Marculfum Lib. 1. Cap. 1. *Bign.*

Ad Tit. X.

Penitus eum lædere] L. 39. D. ad leg. Aquil. Sic illud expellere debet, quomodo si suum deprehendisset, alioqui actio est ex lege Aquilia. Nam si quod damnum ex ea recepit, habet proprias actiones, de pastu scilicet, l. 14. de præscript. verbis. Itaque qui alienum pecus in agro suo deprehenderit, non jure id includit. Hæc Pomponius. Aliud tamen hodie servatur. Nam includimus secundum legem municipalem. vid. *Rat.* in consuetud. Pict. Speculator. tit. de actore. vers. *sed pone juven.* Bartol. ad l. 9. §. 1. de damno infecto. Contra Oldrad. Vid. *Mingon.* ad consuetudines Andeg. Godofred. ad leg. 39. ad leg. Aquil. *Bign.*

Confessus non fuerit] Sumptum ex lege Aquilia in qua inficiatione lis crescit. *Bign.*

Inclauserit] Veteres quatuor *inclausserit.* & inf. *inclausa.* Turon. 3. *Hac nocte cum equos ad claudendum adduxeris.* Pith.

tis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VI. Si quis animal vel quodlibet pecus per ſuam negligentiam nocuerit, & hoc domino ejus confeſſus fuerit; capitale in locum reſtituat, & illud debile ad ſe recolligat.

VII. Si verò negaverit, ſed tamen convictus fuerit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VIII. Si alicujus porci aut quælibet pecora, paſtore cuſtodiente, in meſſem alienam cucurrerint, & ille negando fuerit convictus, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capit. & delatura.

IX. Si qua pecora propter damnum meſſis alienæ inclauſa fuerint, aut minantur, qui ea excutere vel expellere præſumpſerit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

X. Si alicujus pecora propter damnum inclauſa fuerint, damnum æſtimatum reddat & inſuper decem denarios perſolvat.

XI. Si quis propter inimicitiam aut propter ſuperbiam ſepem alienam aperuerit, aut in meſſem, aut in pratum vel in vineam ſive in quemlibet laborem quælibet pecora miſerit, & teſtibus fuerit convictus, ei cujus labor eſt æſtimationem damni reddat, & inſuper mille ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, culpabilis judicetur.

TIT. XI.

De ſervis vel mancipiis furatis.

I. SI quis ſervum aut ancillam alterius furaverit, mille & quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si ſervus aut ancilla cum ipſo ingenuo de rebus domini ſui aliquid portaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura, atque cauſam quam ſuperius diximus.

III. Si quis ſervum alienum occiderit, aut vendiderit, vel ingenuum dimiſerit, mille & quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis homo ingenuus alienum ſervum in texaga ſecum duxerit, aut aliquid cum eo negotiaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

V. Si quis ſervum aut ancillam valentem ſolidos quindecim aut viginti, furaverit aut vendiderit, ſeu porcarium aut fabrum ſive vini-

---

Aut minentur] Paulus Diaconus: *Agere modò ſignificat ante ſe pellere*, id eſt, *minare*. Vetus interpres Actor. cap. 18. *& minavit eos à tribunali*, ἀπήλασεν αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ βήματος. Pith.

Minentur] Hieremias thren. cap. 3. *Me minavit & adduxit in tenebras*. Vide libros Regum. Minare eſt agere. Victor. Uticenſis lib. II. *Illa beatorum turba expellentibus quibusdam Æthiopibus minata eſt foras*. Quæ vox apud nos integra conſervatur. Anianus ad Pauli ſentent. lib. I. tit. 18. actum interpretatur quo pecora minare conſuevimus. Cujac. ad eum locum. Apuleius lib. 9. *Jumenta bibendi cauſa prominabat*. Et lib. 3. *Nos duos aſinos minantes baculis exigunt*. Feſtus: *Agaſones, equos agentes, id eſt, minantes* mox: *Agere modo ſignificat ante ſe pellere, id eſt, minare*, gloſſema videlicet Pauli Diaconi, unde Cujacius dicit ſe aſſentiri Ant. Oiſellio qui in Auſonii Epig. de Myronis *Bucula, me movebat ut ſuam*, legebat, *minabat*. Bign.

Si alicujus pecora] Conveniunt mores. *De labourt.* tit. 3. art. 9. 19. *Pith.*

Spem alienam aperuerit] *Qui cloſt empesche.* Gregorius Turon. de virt. S. Martini: *Primo die Paſchæ juſſus eſt à Domino ſuo, ut agrum circuiret; inventoque aditu unde pecora introibant, dum eum claudere conatur, excæcatus eſt.* Pith.

Sepem] Prudentius Hamartigenia:

Quamvis maceries florentes ambiat hortos
Sepibus & denſis vallentur vitrea rura,
Aut populata rodet gemmantia germina bruchus,
Aut avibus diſcerpta feris lacerabitur uva.

Vide infra tit. 36. de ſepibus, vide Columellam, Catonem, Palladium de maceriis & ſepibus. *Bign.*

In quemlibet laborem] Gregor. Turon. lib. 7. cap. 22. *Nam dum eſſet in libertate, equi ac pecora per ſegetes pauperum vineasque dimittebantur. Quod ſi expellebantur ab his, quorum evertebant laborem, ſtatim à ſuis arcebantur.* Pith.

Clauſura] Leg. Wiſigotthor. lib. 8. tit. 11. *ſi pecus abſquè damno in clauſuram mittatur*, ſupra tit. 8. num. 2. Capitular. lib. V. cap. 279. *domus & villas & ſepta villarum, & piſcatoria manufacta, & quidquid foſſis aut ſepibus, vel etiam alio clauſarum genere præcingitur, clos, cloſture noſtris.* Bign.

Quemlibet laborem] Græcis ἔργον ἐν τοῖς ἔργοις pro in arvis, in cultis, Xenophon in cynegetico, Euſtathius in odyſſ. ξ. Heſiodus ἔργα καὶ ἡμέραι. *Bign.*

Pecora miſerit] Gregorius Turonenſ. de mirac. lib. 1. de Chunis ſeu Hunnis Gallias vaſtantibus. *Hoſtis in circuitu depopulabatur villas, domos, tradebat incendio, agros vineasque pecoribus intromiſſis vaſtabat.* Alioqui ſi aperta eſſet terra, nec ſepe aut vallo defenſa impune erat, ut & conſuetudinibus noſtris. Pithœus. Sic Cicero pro Cæcinna. Si via ſit immunita, jubet lex qua velit *agere jumentum*. Defendere porrò eo ſenſu apud Columellam & in legibus Wiſigotth. *Bign.*

Ad Tit. XI.

Ingenuum dimiſerit] Pro libertate donaverit, ut infra tit. 28. *Bign.*

In texaga] Gloſſ. *Intra tecta.* Pith.

Valent ſol. XV. aut XXV.] Varium mancipiorum fuit pretium, ut & ceterarum rerum venalium, pro tempore ſcilicet & mancipii qualitate. Finge aliud eſſe in novitio, aliud in veteratore, aliud in artifice, in erudito. Vide tit. de ædilitio edicto, & Pignorium de ſervis, communis tamen æſtimatio fuit viginti aureorum. l. 31. D. de minorib. l. 1. Cod. de commun. ſerv. manumiſſ. Gregor. Turon. lib. 3. cap. 15. ſunt XII. ſolidi, leg. Burgund. tit. 57. Concil. Matiſcon. I. ann. 18. Guntchramni R. c. 16. *Sancimus, ut nullus Chriſtianus Judæo deinceps debeat deſervire; ſed datis pro quolibet bono mancipio duodecim ſolidis ipſum mancipium quilibet Chriſtianus, ſed ad ingenuitatem, ſeu ad ſervitium licentiam habeat redimendi.* Bign.

Vini-

Digitized by Google

vinitorem vel molinarium aut carpentarium ſive venatorem aut quemcunque artificem, bis mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſeptuaginta, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VI. Si quis puerum aut puellam de miniſterio dominorum furaverit, mille & quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque in capitale reſtituat, & inſuper mille & quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque.

TIT. XII.

De furtis ingenuorum vel effracturis.

I. SI quis ingenuus foris caſa quod valet duos denarios furaverit ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si vero foris caſa quod valet quadraginta denarios furaverit, mille & quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Si quis ingenuus caſam effregerit, & quod valet duos denarios furaverit, mille & ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si vero quinque aut ſupra quinque denarios furaverit, mille & quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

V. Si quis ingenuus clavem effregerit aut adulteraverit, & ſic domum ingreſſus fuerit, & inde aliquid per furtum tulerit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VI. Si vero nihil tulerit, ſed fugiens evaſerit propter effracturam tantum mille & ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

TIT. XIII.

De furtis Servorum vel infracturis.

I. SI quis ſervus foris caſa quod valet duos denarios furaverit, & inde convictus fuerit, aut flagellis centum viginti ictus accipiat, aut pro dorſo ſuo centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si vero furaverit quod valet quadraginta denarios, aut caſtretur aut ducentos quadraginta denarios, qui faciunt ſolidos ſex, reddat. Dominus autem Servi qui furtum fecerit, capitale in locum reſtituat.

TIT.

Vinitorem] Gloſſ. Vinitor, ἀμπέλων. Turon. 5. 48. *à fiſcalis vinitoris Servo.* Pith.

Sive venatorem] Additur in uno exemplari, *ſive ſcantionem.* Vet. Gloſſ. *Scantio, pincerna.* Inde nobis *Eschanſon*, & in Concilio Toletano, *Comes Scanziarum.* Pith.

De miniſterio] Flodoardus: *Plebeiis quoque quibusdam perſonis, villarum ſcilicet miniſterialibus, pro rebus miniſteriorum ſuorum nonnunquam ſcribens, qualiter res ſibi commiſſas tractare deberent.* Pith.

Ad Tit. XII.

Si quis ingenuus] Heic paſſim duæ tantum hominum ſpecies, ſervi & ingenui, non liberti, nec libertini. *Bign.*

Aut adulteraverit] Gloſſæ interlin. Thu. *& eam furtive aperit.* Videndum an recte. *Bign.*

Ad Tit. XIII.

Aut flagellis] Patibulo condemnabantur ſervi pro furto, aut latrocinio, ni eſſet qui redimeret. Gregor. Turonenſis de miracul. lib. 2. cap. 16. Et etiam aliquando liberi. Idem de mirac. lib. 1. cap. 73. Seneca epiſt. 7. *Latrocinium aliquis fecit, meruit ut ſuſpendatur.* Gregor. Turonens. de gloria confeſſorum cap. 101. Idem de miracul. B. Martini lib. 1. cap. 21. lib. 3. cap. 53. *Bign.*

CXX. ictus accipiat] Nec enim olim arbitrio carnificis, ſicut hodie, cædebantur condemnati ad flagra, quod ex Sacra Scriptura conſtat. Petron. Harmenopulus: διὰ δάϐδων ἀλλαχοῦ σαφρονίζεσθαι. & alius: διὰ κ. μαγγλάβων σαφρονίζεσθαι. quod idem eſt. Gloſſ. μαγγλάβια ἀλλαχοῦ. In legibus Bojariorum: *quadraginta gamactas accipiat & rumpatur dorſum ejus quinquaginta gamactis*, quæ ſunt veteri interpreti *percuſſiones.* Pith.

CXX. Ictus] Franc. Pithoens Capitular. lib. 3. cap. 31. ubi quænam annotavi. Joſephus lib. 4. cap. ult. ὁ δὲ παρὰ ταῦτα ποιήσας πληγὰς μιᾷ λιπόσας τεσσαράκοντα τῷ δημοσίῳ σταῦλα λαβών. &c. *Si quicunque Clericus hoc implere diſtulerit, ſi junior fuerit, uno minus quadraginta ictus accipiat, ſi honoratior, triginta dierum incluſione multetur.* Victor Vticenſis pag. 21. *& fuſtes accipiat.* de quadraginta ictibus vide Buxtorfium. Synag. Jud. pag. 410. *Bign.*

Pro dorſo ſuo] Sic corium ſervi redimere, leg. Friſon. tit 3. num. 4. Sic apud Jurisconſultos ſanguinem ſuum redimere. *Bign.*

Aut caſtretur] Sic tit. 27. & 42. Furcæ affigitur apud Gregorium Turonenſem de virtutibus Sancti Martini, lib. 1. c. 21. & lib. 3. c. 53. *Genitoris* inquit, *civis noſtri ſervus à judice pro furti ſcelere comprehenſus patibulo dijudicatur.* & de glor. confeſſus cap. 101. & de gloria mart. lib. 1. cap. 73. & lib. 6. hiſt. cap. 8. *Pith.*

Digitized by Google

TIT. XIV.

De ingenuis hominibus qui ingenuas mulieres rapiunt.

I. SI tres homines ingenuam puellam de casa aut de Screona rapuerint, unusquisque eorum mille & ducentis denariis, qui faciunt solidos triginta, culpabilis judicetur.

II. Illi alii qui super tres fuerint, unusquisque eorum ducentis denariis, qui faciunt solidos quinque, culpabilis judicetur.

III. Qui cum sagittis fuerint, unusquisque eorum centum viginti denariis, qui faciunt solidos tres, culpabilis judicetur.

IV. Raptor vero bis mille & quingentis denariis, qui faciunt solidos sexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur.

V. Si vero puella quæ trahitur in verbo Regis fuerit, propter fredum bis mille quingentos denarios, qui faciunt solidos sexaginta duos cum dimidio, cogatur persolvere.

VI. Si vero puer Regis vel lidus ingenuam feminam traxerit, de vita componat.

VII. Si vero ingenua femina quemquam de illis sua voluntate secuta fuerit, ingenuitatem suam perdat.

VIII. Si quis sponsam alienam tulerit, & sibi in conjugium copulaverit, bis mille quingentis denariis, qui faciunt solidos sexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur.

IX. Sponso autem ejus sexcentis denariis, qui faciunt solidos quindecim, culpabilis judicetur.

X. Si quis puellam quæ druchte ducitur ad maritum in via adsallierit, & cum ipsa violenter mœchatus fuerit, octo mille denariis, qui faciunt solidos ducentos, culpabilis judicetur.

XI. Si

Ad Tit. XIV.

Screuna] Sic codices veteres quatuor. Alii *screona*, sicut leodes, leudes, beodum, beudum. Tit. 29. leg. Burgund. *Effractores omnes qui aut domos aut scrunias.* Sic quinque *Escrenes* etiam hodie rusticis Campanis dicuntur cameræ illæ demersæ in humum, multo insuper fimo oneratæ, in quibus hyeme puellæ simul convenientes pervigilant ad mediam noctem. *Pith.*

Screona] Cod. Thuani *Screuna.* Non potest esse Scrinium, Fr. Pithœus feliciter interpretatus est cameras in humum demersas, & fœno oneratas in quibus hyeme puellæ conveniunt; idque etiam cum integro nomine apud rusticos Campanos remanere testatur. Quod Germanis consuetum. Tacitus: *Solent & ulteraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hyemi & receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum ejusmodi locis molliunt, & si quando hostis advenit, aperta populatur, abdita autem & defossa aut ignorantur, aut eo ipso fallunt quod quærenda sunt.* Infra tit. 29. n. 33. *Si quis Screonam quæ clavem habet effregerit & aliquid furaverit. Des Accords* librum fecit *Escrenes* à jocis ibi habitis. *Bign.*

Trahitur] Id est rapitur, ut supra num 1. & 4. & infra tit. 29. num. 38. Marculfus lib. 2. cap. 16. & cap. 39. formulæ leg. Rom. cap. 16. Synodus Turonens. II. cap. 21. *Ut nullus ingenuam puellam absque parentum voluntate trahere aut accipere præsumat.* Vide Virgilium 2. Æneid. de Cassandra.

Ecce trahebatur passis Priameia virgo
Crinibus. Bign.

In verbo Regis] Vid. leg. Rib. tit. 35. num. 3. *Bign.*

In verbo Regis] Ribuariorum tit. 37. Greg. Turon. lib. 9. cap. 19. *Brunichildis graviter accepisset, eo quod in ejus verbo Sicharius positus taliter fuerit interfectus.* Et alibi: *Præceptionem tribui jussit, ut in verbo suo posita à nullo unquam parentum defuncti illius in aliquo molestiam pateretur.* Inde hodie, *En parole de Roy.* Pith.

Propter fredum] Greg. Turon. *Quosdam ex eis qui absoluti fuerant ad se venisse, atque compositionem fisco debitam, quam illi fredum vocant, se fuisse eis indultum.* Pith.

Litus] Sic duo exemplaria. ut tit. 1. leg. Frison. & tit. 2. leg. Saxon. *Litus si per jussum vel consilium Domini sui.* Alias *Lidus.* Gloss. *Fiscalinus vel Sanctuarius.* In Synodo Bavarica: *Homo Regis, id est, fiscalinus, vel Ecclesiasticus, vel lidus, interfectus.* Albertus Stadensis: *Plures autem se eis dediderunt proprios, & qui ab eis vere sunt permissi, litones sunt ab eodem vocabulo nuncupati. Inde litones in provincia Saxonum sunt exorti.* In privilegio concesso ab Henrico Imperatore anno 1009. Ecclesiæ Mindensi; *Aut homines ipsius Ecclesiæ francos, liberos, & ecclesiasticos litones maalman, vel servos cujuslibet conditionis, seu colonos contra rationem distringendos.* In privilegio ab Ottone III. Imperatore eidem Ecclesiæ: *aut homines ipsius Ecclesiæ litos vel cujuslibet conditionis servos contra rationem distringendos.* In privilegio concesso ab Ottone I. eidem Ecclesiæ: *Hominibus quoque famulatum ejusdem monasterii facientibus, qui Saxonicè malman dicuntur, prædictum mundeburdum & tuitionem nostram constituimus.* In Constitutionibus Caroli Magni & lib. 3. leg. Longobardorum: *Aldiones ea lege vivant in Italia in servitute Dominorum suorum qua lidi in Francia.* Pith.

Litus] Glossa interlin. Th. *Fiscalinus vel Sanctuarius.* Big.

Ingenuam feminam traxerit] Marculfus in formula. Si aliquis puellam invitam traxerit. *Dulcissimæ conjugi meæ ill. Dum te præter voluntatem parentum tuorum habui desponsatam, & absque tua vel parentum tuorum voluntate raptam scelere meo conjugio sociavi, unde vitæ periculum incurrere debui.* Et charta de agnitione, si servus ingenuam trahit. *Dum hominibus non habetur incognitum, qualiter servus meus ill. te absque tua voluntate rapto scelere in conjugium sociavit, & ob hoc vitæ periculum incurrere potuerat, sed intervenientibus amicis, vel bonis hominibus, convenit inter nos, ut si aliqua procreatio filiorum orta fuerit inter vos, in integra ingenuitate permaneant.* Pith.

De sua voluntate] Marculfus in formulis: *Dictis hominibus non incognitum qualiter servum meum nomine N. voluntarie accepisti maritum, ut te ipsam & agnationem meam in meo inclinare potuerim servitio.* Pith.

Ingenuitatem suam perdat] Senatus-consultum Claudianum. Marculf. lib. 2. cap. 29. *Bign.*

Tulerit] id est abstulerit, ademerit, Glossæ vel barbaræ MSS. *ademtis, tultis.* Notæ ad Marculfum. lib. 1. cap. 18. *Bign.*

Druchte] Gloss. Sponsata. *Druchtines haus*, Templum Domini, apud Otfridum. *Kero* interpret. vocab. barbar. Dominus, *Trubtin.* Sidonius. *Neque patiaris ut te ab hoc proposito propediem conjunx domum feliciter ducenda deflectat.* Pith.

Druchte] Pacta, promissa; à fide, quæ *drouu* Germanis. Aventinus in glossario. *Bign.*

Adsalierit] Infra tit. 15. num. 4. Tertull. lib. 1. ad uxorem. *Bign.*

In ser-

Digitized by Google

XI. Si quis ingenuus ancillam alienam in conjugium acceperit, ipse cum ea in servitium implicetur.

XII Si quis uxorem alienam vivo marito tulerit, octo mille denariis, qui faciunt solidos ducentos, culpabilis judicetur.

XIII. Si quis cum ingenua puella per virtutem mœchatus fuerit, bis mille & quingentis denariis, qui faciunt solidos sexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur.

XIV. Si quis cum ingenua puella desponsata ea consentiente in occulto mœchatus fuerit, mille octingentis denariis, qui faciunt solidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

XV. Si quis lidam alienam in conjugium sociaverit, mille & ducentis denariis, qui faciunt solidos triginta, culpabilis judicetur.

XVI. Si quis sororem aut fratris filiam aut certè alterius gradus consobrinam, aut fratris uxorem, aut avunculi, sceleratis nuptiis sibi junxerit, huic pœna subjaceat, ut à tali consortio separetur. Atque etiamsi filios habuerint, non habeantur legitimi heredes sed infamia sint notati.

TIT. XV.

De eo qui hominem ingenuum expoliaverit.

I. SI quis hominem ingenuum in superventu expoliaverit, bis mille & quingentis denariis,

In servitium implicetur] Infra tit. 27. num. 3. sic apud nos, *en formariage le pire emporte le bon.* Vide Burchardum in lege familiæ. *Bign.*

Per virtutem] Per vim. leg. Alaman. tit. 5. v. 2. & 5. ubi facto opponitur. leg. Longobard. tit. 1. & tit. 17. l. 4. *Et collegerit se una pars cum virtute, & dixerit: Eamus & expellamus eos de ipso loco per virtutem foras.* Tertull. adversus Judæos. *Nam præter, quod omnibus notum est Orientis virtutem* (id est, vires) *auro & argento pollere solitam.* Anastasius Bibliothecarius ex Theophane ad an. Christi DCXXV. *Imperator* (Heraclius) *ordinavit alium Prætorem nomine Bahanem & Theodorum Sacellarium cum virtute Romaica & adversus Arabes misit.* Theophanes dixit μετὰ Ῥωμαϊκῆς δυνάμεως. Eò retulerim illud Virgilii, *Dolus an virtus, quis in hoste requirat?* Et sanè præcipua militaris virtus fortitudo est, unde virtus etiam in malam partem, pro vi, aut pro copiis, nos, *Forces.* Franci quidem fortitudinem præcipuam virtutem habuerunt, & vi virtutis nomen tribuerunt. Prudentius hamartigenia: *Insultat virtute pari, sed dispare fato.* Idem ibidem: *Pœnarum virtutis non intellecta coërcet.* Paulus Warnefrid. lib. 6. cap. 27. *Qui Gisulfus tempore Johannis Papæ cum omni sua virtute Campaniam venit, incendia & depræda-tiones faciens, &c.* Sic Tertullianus de Pallio: *Præsentis imperii præsens virtus.* Per fortiam, leg. Ribuar. leg. Bajuvar. Marculfus lib. 1. cap. 28. *Bign.*

Per virtutem] Sic veteres omnes codices. Vulgat. *Per vim mœchatus fuerit.* Pith.

Sororis] Alias *sororem aut fratris filiam.* Pith.

Certè alterius] Sic vetera quatuor, alia duo *certè alterius.* Pith.

Fratris uxorem] Gregor. Turon. lib. 3. cap. 6. *Pith.* Etsi caput hoc in quibusdam MSS. reperiatur, ut in Cod. Jac. Augusti Thuani, Anton. Oiselii, & in Metensi, abest tamen à plerisque. Regii quidem & phyliracei duo non habent, & rectè. Nemo quippe dixerit hanc legem Salios redolere, sed continuo Romanam esse omnes agnoscent. Unde irrepserit manifestum est. Particula enim est interpretationis Aniani ad leg. 3. Cod. Th. de incestis nuptiis. Sane lege Salica de incestis nuptiis nihil cautum fuisse adfirmare ausim, cum in Decreto suo Childebertus Rex sanctionem ea de re ediderit: *Nullus incestum usum sibi societ conjugio, hoc est, nec fratris sui uxorem, nec uxoris sui sororem, nec uxorem patrui, aut parentis consanguinei. Si quis uxorem patris acceperit, mortem incurrat. De præteritis vero incestis conjunctionibus, per prædicationem Episcoporum jussimus emendari.* Quod malum in Gallia primis Francorum temporibus, ut qui aut pagani adhuc aut recens Christiani fuerint, grassatum fuisse ex repetitis canonum sanctionibus videre est. Synodi Agathensis c. 61. Epaunensis c. 30. Aurelianensis III. c. 10. Arvernensis c. 2. Aurelianensis IV. cap. 27. Turonicæ II. sub Chariberto R. c. 22. in qua referuntur excerpta ex libris sacris, canonibus superioribus, & legibus, quæ huc pertinebant; nominatimque hæc constitutio laudatur: *Itemque ait sacra sententia legum, quæ in hac explanatione omni homini tam docto quàm indocto aperta est, ut quisquis aut sororis aut fratris filium, aut certè gradu* (lege, *ulterioris gradus*) *consobrinam aut fratris uxorem sceleratis nuptiis sibi junxerit, huic pœna subjaceat, & de tali consortio separetur, & reliqua.* Vide Capitul. lib. VI. c. 410. lib. legum Theodosii 3. cap. 12. contra illicita conjugia & de viduis; Synod. Paris. III. c. 4. tomo 2. Concil. pag. 638. *Bign.*

Fratris filiam] Hanc certè conjunctionem Romani quoque aspernati sunt, Senatu licet in gratiam Claudii decernente ut justæ inter patruos, fratrumque filias nuptiæ in posterum statuerentur. Sed, ut Tacitus scribit, nemo repertus est nisi unus talis matrimonii cupitor. Jurisconsulti quidem satis docent reprobata fuisse hæc conjugia, dum quod ejusmodi matrimonii causa datum esset, causa non sequuta condictione fine causa repeti ajunt. Papinianus in l. ult. de condict. fine causa. *Bign.*

Alterius] Oiselii cod. *ulterius.* Legendum ut in Aniano, *ulterioris.* Bign.

Infamia sint notati] Hæc ex Aniani mente, non ex Impp. sententia. Neque enim quid simile in lege ipsa reperire est. Sed ex quo Gothus ille legerat incestis nuptiis contractis neminem ex ejusmodi conjunctione neque uxorem, neque dotem, neque liberos sperare debere, continuò ille spurios infamia notari commentus est, certè præter constitutionis mentem. Spurios sanè illegitimæ conjunctionis & natalium pœnam nota quadam sustinere nemo ambigit. Verè Plutarchus: Τοὺς μηδέποτε ἢ πολέμῳ ἢ ἐν τῷ γεγονέναι ἀνεξάλειπτα παρακολουθοῦντα τὰ τῆς δυσγενείας ὀνείδη παρὰ πόλλα τ βίον καὶ ἀφύκτους τοῖς ἐλέγχοις καὶ λοιδορεῖσθαι βιαιομένους: In eam sententiam videndus Cassiodorus lib. 2. epist. 11. & Josephus lib. 4. cap. ult. Idipsum tradit Calistus PP. in epist. ad fratres per Galliam constitutos, c. 1. ex quo Burchardus lib. 7. c. 1. *Conjunctiones consanguineorum prohibete, quòd eas & divinæ & sæculi prohibent leges &c. Leges verò sæculi infames tales vocant, & ab hereditate repellunt.* Leg. Wisigoth. lib. 3. tit. 5. cap. 1. *Bign.*

Ad Tit. XV.

De eo qui] Vetera duo exemplaria, sicut & Germanica editio, *de superventis & expoliationibus.* Et sanè mirum est, quam malè conveniat in plerisque edito Tiliana cum Germanica. Nec tamen utraque sine veteribus libris, ut putem Tilianam repetitæ prælectionis esse, saltem posteriorem Germanica. *Pith.*

Expoliaverit] *Depouiller.* Salvianus lib. 7. *Punit expoliatores domorum, cum sit expoliator provinciarum.* Bign.

In superventu] Turon. 8. 40. *furta, superventa, pervasiones.* Gloss. ἐπιφοίτησιν *superventum facio.* Tit. 29. leg. Bur-

nariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur.

II. Si Romanus homo Francum expoliaverit, bis mille & quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culp. jud.

III. Si verò Francus Romanum expoliaverit, mille ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, culpabilis judicetur.

IV. Si quis hominem præceptum Regis habentem contra ordinationem Regis adſallire, vel viæ laciniam ei facere præſumpſerit, octo mille denariis, qui faciunt ſolidos ducentos, culpabilis judicetur.

V. Si quis hominem ingenuum dormientem furtu expoliaverit, quatuor mille denariis, qui faciunt ſolidos centum, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

Tit. XVI.

De eo qui villam alienam adſallierit.

I. SI quis villam alienam adſallierit, ipſe & omnes qui convicti fuerint, quod in ejus contubernio fuiſſent, bis mille & quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, unusquisque ipſorum culpabilis judicetur.

II. Si quis villam alienam adſallierit, & ibidem oſtia fregerit, canes occiderit, vel homines plagaverit, aut in carro aliquid inde abduxerit, octo mille denariis, qui faciunt ſolidos ducentos, culpabilis judicetur, & quicquid inde abſtulerit, in locum reſtituat.

III. Et quanticunque in ejus contubernio fuiſſe convicti fuerint, unusquisque illorum bis mille & quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur.

Tit. XVII.

De eo qui mortuum hominem expoliaverit.

I. SI quis hominem mortuum, antequam in terra mittatur, furtu expoliaverit, quatuor mille denariis, qui faciunt ſolidos centum, culpabilis judicetur.

II. Si quis hominem mortuum effodierit, & expoliaverit, octo mille denariis, qui faciunt ſolidos ducentos, culpabilis judicetur. Et poſtea parentes defuncti judicem rogare debent ut inter homines non habitet auctor ſceleris. Et qui ei hoſpitium dederit, antequam parentibus ſatisfaciat, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

III. Si quis mortuum hominem aut in noſſo aut in petra, quæ vaſa ex uſu ſarcophagi dicuntur, ſuper alium miſerit, bis mille & quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſaxaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur.

IV.

Burgund. *Si quis ſuperventu aut latrocinii ſcelere negotiatorem aut aliquem occiderit.* Pith.

Superventu] Paulus Varnefridus pag. 280. *ſuper eos veniens.* Et paſſim in Bibl. *irruit ſuper eos.* Gallicè, courir ſus. Seneca de ira lib. 1. Germanis quid animoſius, quid ad incurſumacrius. *Bign.*

Si vero Francus] Obſerva majorem pœnam adverſus Romanum, quàm adverſus Francum. *Bign.*

Præceptum Regis habentis] Greg. Turon. lib. 9. hiſtoriar. cap. 20. Aimo. 5. c. 36. *Præceptum tamen de confirmatione totius abbatiæ de more Principum fecit.* Odo monachus Foſſatenſis in vita Burcardi Comitis: *Poſt hæc etiam Regis adeuntes præſentiam deprecati ſunt ut hæc dona præcepti ſui auctoritate roboraret & anuli ſui impreſſione munire dignaretur.* Pith.

Adſalire] *Aſſaillir.* Pith.

Viæ laciniam ei facere.] Germanica editio: *Extra ordinationem Regis reſtare aut adſallire præſumpſerit. Arreſter.* Arreſtare in leg. Longobard. lib. 3. tit. 1. l. 78. *Pith.*

Viæ lacinam] Vet. Cod. Thuani, *viæ laciniam.* vide infra tit. 33. *Bign.*

Furtu] Sic veteres omnes, ut inf. tit. 17. *Pith.*

Ad Tit. XVI.

Contubernio] Gloſſ. *auxilio.* Pith.

Unusquisque eorum culpabilis judicetur] Deſunt hæc in antiquiſſimo exemplari. *Pith.*

Villam alienam adſalierit] Vid. l. 11. D. ad leg. Jul. de vi publica. *Bign.*

Et quicquid inde abſtulerit] id eſt, capitale, ut ſupra & infra paſſim. *Bign.*

Ad Tit. XVII.

De ſepulchro violato] Vide infra tit. 57. *Bign.*

Parentes defuncti] Julius Capitol. in Maximino juniore: *Quædam parens ſua libros Homericos dedit:* Lampridius in Alexandro: *amicos & parentes Alexander ſi malos reperit, aut punivit &c.* vide notas ad Marculf. lib. 2. cap. 14. *Bign.*

Ut inter homines non habitet] Vide leg. Ribuar. tit. 87. *Bign.*

Naufo] Sic veteres tres. Gloſſ. *Sarcofago ligneo.* Noſtris *Nau, Noue.* Gregor. Turon. de Glor. confeſſ. *Cùmque ſancta corpora palliis & naufis exornata.* Sic veteres. Nec tamen malè vulgat. edit. *mappis.* Pith.

In noſſo] Gloſſ. interlin. cod. Thuan. *in Sarcophago ligneo.* Bign.

Vaſa dicuntur] Agitur heic de variis ſepulchrorum generibus. Per vaſa autem heic intelligo ſepulchra ſub humo conſtructa ex lapidibus, qnæ etiamnum vaſa à Lemovicibus dicuntur. *Baluz.*

Ariſtatonem] Gloſſ. Staplum ſuper *tumulum miſſum* ut tit. 57. inf. *Palla tegebant tumulum.* Einardus de ſanctis martyribus Marcellino & Petro fol. 528. in editione recentiori: *Lapidem quo ſummitas ſepulchri tegebatur, de loco ſuo levare moliuntur.* Gregor. Turon. de miraculis S. Martini: *de palla quæ ſanctum tegit tumulum,* & lib. 1. mirac. *Pallam holoſericam auroque exornatam ex gemmis, quæ ſanctum tegebat ſepulchrum, temerario auſu deripuit ſeçumque ſuſtulit.* Et de glor. confeſſ. *Palla erat lignea quæ ſanctum confeſſoris tegebat ſepulchrum.* Nobilibus ſuperponebant tapetem. In veteri cartulario: *In redemptionem unius tapetis, quod patri mortuo ſuperpoſitum eſt, ut eſt conſuetudo nobilium.* Pith.

Ariſtatonem] Vide infra tit. LVII. num. 3. Fr. Pithœum. Vide & Lindenbrogium ad Ammianum de purpura avulſa à ſepulchro Domitiani. *Bign.*

Ad

IV. Si quis ariſtatonem ſuper hominem mortuum capulaverit, de uno quoque ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

Tit. XVIII.

De incendiis.

I. SI quis caſam quamlibet intus hominibus dormientibus incenderit, ei cujus caſa fuit, bis mille & quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos & dimidium, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura. Et quanticunque intus fuerint & evaſerint, mallare eum debent. Et unicuique illorum bis mille & quingentos denarios, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos & dimidium, componat, & quicquid *ibi* perdiderint in locum reſtituat. Et ſi *aliquid* intus arſerit, ille qui incendium miſit, parentibus defuncti octo mille denariis, qui faciunt ſolidos ducentos, culpabilis judicetur.

II. Si quis ſpicarium aut maholum cum annona incenderit, bis mille & quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Si quis ſudem cum porcis, ſcuriam cum animalibus vel fenile incenderit, bis mille & quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis concidam vel ſepem alterius capulaverit, vel incenderit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

Tit. XIX.

De vulneribus.

I. SI quis voluerit alterum occidere, & colpus ei fallierit, vel cum ſagitta toxicata eum percutere voluerit, & ei ictus fallierit, bis mille & quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos & dimidium, culpabilis judicetur.

II. Si quis hominem in capite ita plagaverit, ut ſanguis ad terram cadat, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur

III. Si quis hominem in capite ita plagaverit, ut inde tria oſſa exeant, mille ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, culpabilis judicetur.

IV. Si quis hominem in capite ita plagaverit, ut cerebrum appareat, & tria oſſa deſuper cerebro exierint, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

V. Si

Ad Tit. XVIII.

De incendiis] De incendiariis, de arſis. Vide *Beaumanoir* cap. *de haute juſtice*. Bign.

Spicarium] Gloſſ. *Horreum cum tecto*. Germ. *Spicker*. Pith.

Maholum] Sic veteres quatuor. Gloſſ. *Horreum ſine tecto*. Noſtris *Machau*. Pith.

Scuriam] Alaman. *Schure* ſive *ſcheure*. Hincmar. Rhem. adverſ. Hincmar. Laudun. *Inſuper & ſcuriam ipſius intercluſit, & annonam de terris dominicatis collectam ſine licentia ipſius Presbyteri in eam miſit*. Et tit. 4. leg. Bajuvar. *Qui defendere volunt, caſas vel ſcurias ubi fœnum vel granum inveniunt*. Inde noſtris, *Eſcurie* & fortaſſe Gloſſar. B. German. Curia ἵππων βασιλ. Pith.

Fenile] *Fenil*. Gloſſ. *Fenile locus ubi fœnum ponunt*. χορτοφύλακιον, *fenile, feniſecium*. Pith.

Mallare eum debent] Inde *hamallus* tit. 49. *Pith*.

Conciſam] Sic veteres quatuor. vetus chronicon: *Et nimia feſtinatione Saxonum caſas ſeu firmitates ſubito introiit*. Item: *multos Britones conquiſierunt, unà cum caſtellis, & firmitates eorum locis paluſtribus & inceſis*. Quod alius autor ſic: *Et ibi multa caſtella acquiſierunt, & firma & munita paluſtria & inceſa*. Nec tamen omninò malè vetus unum exemplar *concidem* habet. Gregor. Turon. lib. 2. *Franci ſimulato metu ſe in remotiores ſaltus receperant, concidibus per extrema ſilvarum procuratis*. Et, *qui conjunctis arborum truncis vel concidibus ſuperſtantes*. Concedes appellat Cæſar, & Marcellinus: *Concæde* inquit, *arborum denſa undique ſemitis clauſis*. Et alibi: *Difficiles vias & ſuapte natura clivoſas concædibus clauſere ſolerter, arboribus immenſi roboris cæſis*. Pith.

Conciſa] Concædes dicit Tacitus. Sicut Cæſar & Marcellinus. Vide Fr. Pithœum & Spartianum in Hadriano. Deſcribitur à Sangallenſi lib. 2. cap. 2. Paulus Warnefrid. lib. 3. cap. 4. Strabo lib. 4. de Britannis περιφράξαντες δένδρεσι κατεβιβλημένοις &c. *Bign*.

Ad Tit. XIX.

Colpus] Gloſſ. *ictus. Coup*. Pith.

Colpus] Vet. Cod. *colaphus*. Unde noſtris *coup*. Bign.

Fallierit] Fallire à verbo fallere, nobis *faillir*. Bign.

Sagitta toxicata] Venenatis ſagittis uſos olim Gallos, etiam in venatu, Plinius auctor eſt. lib. 27. cap. 11. ut & Cornelius Celſus. A. Gellius ex Plinio & Admiranda ſub nomine Ariſtotelis. quod Germanis in uſu eſſe hodie quoque audivi. Barbaræ gentes ubique fere & olim utebantur, & hodie quoque utuntur. Longum eſſet exempla recenſere. De Getis Ovidius non uno loco, Triſtium lib. 5. de Ponto lib. 1.

Qui mortis ſævo geminent ut vulnere cauſas
Omnia vipereo ſpicula felle linunt.

Romani quin etiam uſu aliquando ſagittis ejusmodi, ni Plinium de omni hominum genere loquutum fuiſſe intelligamus lib. 18. cap. 1. *Nos & ſagittas unginus, & ferro ipſi nocentius aliquid damus*. Porrò in leg. Bajuv. multò minor eſt multa, duodecim ſcilicet ſolidorum, etiam ſi quis non modo ſagittam toxicatam emiſerit, ſed etiam ſi alium vulneraverit, tit. 3. cap. 6. Gregorius Turonenſ. lib. 2. *Sagittas tormentorum ritu effudere illitas herbarum venenis*. Sidonius in panegyrico Majorani verſ. 406.

- - teretes pars explicat arcus,
Spiculáque infuſum ferro latura venenum,
Quæ feriant bis miſſa ſemel.

D. Ambroſius de Tobia cap. 7. *Quaſi ſervus ſagitta toxicata ictus paululum procidens, tandem victus veneno procumbit; aut quaſi piſcis qui fuſcina fuerit infixus, quocunque fugerit, vulnus vehit*. Bign.

Sagitta toxicata] Gregor. Tur. 2. hiſtor. *ſagittas tormentorum ritu effudere inlitas herbarum venenis*. Pith.

Plagaverit] Vetus interpres Juvenal: *Mars cum plagatus eſt à Diomede*. Pith.

Ut ſanguis ad terram cadat] Ribuar. 2. *ut ſanguis exeat, terramque tangat*. Pith.

V. Si vero intra coſtas vulnus intraverit, & uſque ad intranea pervenerit, mille ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, culpabilis judicetur.

VI. Si vero plaga ipſa ſemper currit, & ad ſanitatem non pervenerit, bis mille quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur, excepta medicatura, quæ eſt trecentorum ſexaginta denariorum, qui faciunt ſolidos novem.

VII. Si quis ingenuus ingenuum fuſte percuſſerit, & tamen ſanguis non exierit, uſque ad tres colpos, pro unoquoque ictu centum viginti denarios, qui faciunt ſolidos tres, ſolvat.

VIII. Si vero ſanguis exierit, ita componat, veluti eum de ferramento vulneraſſet, id eſt ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

IX. Si quis alterum clauſa manu, id eſt, pugno percuſſerit, trecentis ſexaginta denariis, qui faciunt ſolidos novem, culpabilis judicetur, videlicet pro uno quoque ictu tres ſolidos reddat.

X. Si quis alterum in via adſallierit, & expoliare tentaverit, & ille fuga evaſerit, bis mille ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, culpabilis judicetur.

XI. Si vero ceperit eum & expoliaverit, bis mille & quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur.

Tit. XX.

De eo qui hominem innocentem & abſentem ad Regem accuſaverit.

I. SI quis hominem innocentem & abſentem de culpis minoribus ad Regem accuſaverit, bis mille & quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos & dimidium, culpabilis judicetur.

II. Si vero tale crimen imputaverit, unde mori debuiſſet, ſi verum fuiſſet, ille qui eum accuſaverit, octo mille denariis, qui faciunt ſolidos ducentos, culpabilis judicetur.

Tit. XXI.

De maleficiis.

I. SI quis alteri herbas dederit bibere & mortuus fuerit, octo mille denariis, qui faciunt ſolidos ducentos, culpabilis judicetur.

II. Si vero biberit, & mortuus non fuerit, bis mille & quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, ille qui dedit pro aliquo maleficio, culpabilis judicetur.

III. Si quis alteri aliquod maleficium ſuperjacta-

Intrania] Sic veteres quinque. Greg. Tur. 4. mirac. Sancti Martini : *Doloris malum in illis intraniorum flexuoſis receſſibus bacchabatur.* In edicto Turci Apronia-ni Præf. Vrb. *reliqua caro cum pelle & interaneis proficiat venditori.* Pith.

Plaga ſemper currit] *La playe court.* Pith.

Adſalierit] Supra tit. XIV. num. 10. tit. XV. n. 4. tit. XVI. n. 1. & 2. Infra tit. XXXVII. n. 2. tit. XLIV. n. 1. Marculfus lib. 1. cap. 29. *Adſaliſſetis & graviter livoraſſetis.* Vide notas. Idem lib. 1. cap. 37. Vide Notas capitul. lib. V. cap. 364. ex legib. Bajuvar. *Bign.*

Ad Tit. XX.

De accuſatoribus calumniantibus.

VIII. Den. &c.] Ergo lege Salica calumniatori mulcta pecuniaria infligitur, lege vero Romana talio. Vide notas ad veteres formulas ſecundum legem Romanam, cap. 29. Anaſtas. Bibliothecar. in Leone IV. pag. 293. & quæ ad eum locum notavi. Poſtea vero ubique fere obſervari cœpit in Gallia. Brito Philippid. pag. 324.

Quædam autem in melius juri contraria mutans
Conſtituit pugiles, ut in omni talio pugna
Sanguinis in cauſis ad pœnas exigat æquas,
Victus ut appellans ſive appellatus eadem
Lege ligaretur, mutilari, aut perdere vitam.
Moris enim extiterat apud illos hactenus ut ſi
Appellans victus in cauſa ſanguinis eſſet,
Sex ſolidos decies cum nummo ſolveret uno,
Et ſic impunis amiſſa lege maneret. &c.

Sed tandem ſublatus eſt, & ad jus Salicum reditum; ſcilicet ut accuſatores calumniari deprehenſi, mulcta pecuniaria & præterea in id quod intereſt condemnentur. *Bign.*

Ad Tit. XXI.

De maleficiis] Seu potius de veneficiis. *Bign.*

Herbas] Vide Gregorium Turonens. pag. 491. veteres formulas incerti auctoris, (ſive appendicem Marculfi) cap. 34. & notas. Id à medicina petitum, quæ remedia ut plurimum ex herbis deducit. Vide Homerum de Machaone. Manilius lib. 3 de medicina :

Et vitæ ſuccos miſcere ſalubres.

At magia ex medicina nata Plin. lib. 30. cap. 1. Claudianus.

Pocula nec triſti gramine miſta bibunt

Virgilius Georg. 3.

Miſcueruntque herbas, & non innoxia verba.

Gratianus Imper. in l. 6. Cod. Th. de indulgentiis criminum : *Qui noxiis quæſita graminibus & diris immurmurata ſecretis, mentis & corporis venena compoſuit.* Bign.

Herbas dederit] Herbarum venena. Gregor. Turon. lib. 2. cap. 9. & cap. 36. lib. 4. de miraculis Sancti Martini : *Ligamina herbarum atque incantationum verba proferebat.* Unde *enherber.* Vetus Poëta :

Souz giſt le frais ſerpent en l'herbe,
Fuyez enfans, car il enherbe. Pith.

VIII. Denarios] Apud Nitardum. in fluvium merguntur. *Gerbergam*, inquit, *more maleficorum in Ararim mergi præcepit.* Pith.

3.] Gregorius Turonens. de miracul. lib. 2. cap. 44. & 45. *Bign.*

Malefic. ſuperjact. fue.] Noſtris, *Jetter du ſort.* Porro jactare pro jacere non novum. Frontinus Agrimenſor. pag. 57. de arboribus imminentibus, quarum fructus in fundum vicini decidunt. *Bign.*

Cum

Digitized by Google

jactatus fuerit, ſive cum ligaturis in quolibet loco miſerit, bis mille & quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur.

IV. Si quis mulieri herbas dederit ut infantes habere non poſſit, bis mille & quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos & dimidium, culpabilis judicetur.

Tit. XXII.

De eo qui mulieri ingenuæ manum ſtrinxerit.

I. SI quis homo ingenuus fœminæ ingenuæ manum aut digitum ſtrinxerit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

II. Si vero brachium ſtrinxerit mille & ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, culpabilis judicetur.

III. Si autem ſuper cubitum manum miſerit, mille quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur.

IV. Si ergo mamillam ſtrinxerit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

Tit. XXIII.

De eo qui navem ſine permiſſu Domini moverit aut furaverit.

I. SI quis ſine permiſſu navim alienam movere præſumpſerit, & cum ea flumen tranſierit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur.

II. Si vero ipſam navem furaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Si quis navem vel aſcum de intro clave furaverit, mille & quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis aſcum de introclave repoſitum & in ſuſpenſo pro ſtudio poſitum furaverit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

Tit. XXIV.

De furtis in molino commiſſis.

I. SI quis ingenuus in molino alieno annonam furaverit, ei cujus molinus eſt, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur. Ei vero cujus annona eſt ſimiliter ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si quis ferramentum de molino alieno furaverit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III.

Super jactatus fuerit] Sic veteres ſex. *Pith.*

Cum ligaturis] Tertullianus pag. 824. *In remediis naturalia plurimum aliquid & magia circumligat, medicina cum ferro & poculo occurrit.* Idem de ſpectaculis: *Magicis devinctionibus perfici.* Bign.

Cum ligaturis] Turon. mirac. 2. cap. 45. *incantationes immurmurat, ſortes jactat, ligaturas collo ſuſpendit.* & de mirac. S. Mart. cap. 26. Hincmarus in geſtis habitis ſuper divortio Thietbergæ ad 15. interrogationem: *Ad hæc non pertinent ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars medicorum commendat, ſive in præcantationibus, ſive in characteribus, vel in quibusdam rebus ſuſpendendis atque ligandis,* quæ verba extant apud Rabanum epiſtola ad Bonoſum. Burchardus lib. 19. collect. canon. *Feciſti ligaturas & incantationes.* Pith.

Miſerit] Mittere pro ponere. *Bign.*

Ut infantes habere non poſſit.] ἀβόρτιον Plin. lib. 29. cap. 4. ubi de Phalangio: *Vis ea annua eſt, quam ſolam ex omni atocio dixiſſe fas ſit, quoniam aliquarum fœcunditas plena liberis tali venia indiget.* Fallitur vero Plinius. Apud Chriſtianos certe abominandum illud eſt. Tertullianus, Minutius, Arnobius. Idem Plinius lib. 27. cap. 8. *Fœcunditatem reſtituere ademptam beneficiis.* Bign.

Ad Tit. XXII.

Super Cubitum] Nam ut Tacitus ait: *partem veſtitus ſuperioris in manicas non extendunt, nuda brachia ac lacertos.* Bign.

Credo non tam heic agi de dolore, quam de pulſata verecundia & immodeſta contrectatione & impudica. Vide Herodotum de Legatis Perſarum apud Macedones. *Bign.*

Mamillam ſtrinxerit] Editio Alamannica, *capulaverit.* vid. tit. leg. Lang. *De paupere.* Burchard. decret. lib. 19. *Pith.*

Mamillam ſtrinxerit] Ovidius:

Forma mamillarum quam fuit apta premi.

Injuriarum apud Romanos actio competit. *Bign.*

Ad Tit. XXIII.

Argumentum eſt hic titulus ſcriptam eſſe legem cum adhuc paludicolæ eſſent Franci, cui uſui aſcus; & cum mare vel flumina accolerent in Belgio, ubi aquæ multæ. *Bign.*

Vel aſcum] Hodie *naſcon* vel *aſcon* alveolus cujus in paludibus frequens uſus. Vide Rapini epigramma. Forte heic ab utribus quibus flumina permeari ſæpe dictum eſt. Marcell. Notitia. *Bign.*

Ad Tit. XXIV.

Ingenuus] Id eſt, liber. Marculfus lib. 2. cap. 32. & Notæ. Gregorius Turonens. lib. 8. cap. 41. *Bign.*

In molino annonam] Greg. Turon. de virtut. S. Martini. *Quidam non metuens, neque honorans diem ſanctum Dominicæ reſurrectionis, accepta annona ad molam vadit, impoſitoque tritico, molam manu vertere, cœpit.* Et de glor. confeſſ. cap. 107. *Pith.*

Annonam] Gregorius Turonens. lib. 8. cap. 42. *Ita ut annonas, fœnum, vinum, & quicquid reperire potuiſſet &c.* Capitul. lib. 4. cap. 25. Gloſſæ *annona* σιτηρέσιον. Nam de annona militari agitur, ſed ab eadem origine, Inde eſt *area annonaria.* leg. Burgund. tit. 23. cap. 2. qui

III. Si quis ſcluſam de farinario alieno ruperit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

TIT. XXV.

De caballo ſine permiſſu Domini ſui aſcenſo.

SI quis caballum alienum ſine permiſſu Domini ſui aſcenderit, & eum caballicaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim culpabilis judicetur. Et pro eo quia deſcenderit, ſimiliter aliis ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

TIT. XXVI.

De his qui pueros vel puellas occiderint, vel totonderint.

I. SI quis puerum infra duodecim annos ſive crinitum, ſive incrinitum occiderit, viginti quatuor mille denariis, qui faciunt ſolidos ſexcentos, culpabilis judicetur.

III. Si quis puerum crinitum ſine voluntate parentum totonderit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

III.

---

annonam dederit ſervo fugitivo. leg. Longob. lib. 1. tit. 25. l. 25. annona ad caballos. Capitul. lib. 4. cap. 73. vid. lib. 1. cap. 112. 125. leg. Wiſigot. lib. 12. tit. 1. l. 2. lib. 9. tit. 2. l. 6. *Bign.*

Scluſam] Caſſiodorus Senator lib. 2. c. 19. *Univerſis Gothis & Romanis, & his qui portubus & cluſuris præſunt.* Balſamon ad epiſt. Baſilii ad Amphiloch. cap. 55. *Clauſura S. Baſilii* ἰς τὴν κλειστούραν τῦ ἁγίου Βασιλείυ. Translatio martyrum Georgii, Aurelii, & Nataliæ pag. 47. *Ne forte eis improviſis, aut legatio fraudulenta fiat, aut certe magis hoſtilis impetus ſuperveniens cunctarum ad ſeſe viarum aditus continuis ſatagat obſirmare cuſtodiis, atque ea permaxime loca quæ ab anguſti tramite callis excluſas appellant.* Bign.

Si quis ſcluſam] Escluze. Inde ὀχυρώματα *cluſuræ*, ſive *ſcluſæ*. Anonymus in Pipino: *Aſtulphus Rex Longobardorum ſupradictam juſtitiam vetando Scluſas Longobardorum petiit.* quas Aimoinus vocat *clauſuras*. Pith.

De farinario] Marculf. *pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, farinariis, adjacentiis, appenditiis.* Odo Foſſatens. monachus in vita Burcardi Comitis: *Item prope caſtrum farinarium quod vocatur Toluia.* Pith.

Ad Tit. XXV.

Pro eo quia deſtenderit] Sic veteres omnes. Tilius, *pro equa quam aſcenderit.* Pith.

Ad Tit. XXVI.

Sive crinitum] *Quilibet capillatorum* in Edicto Theodorici R. cap. 145. Decretum Childeberti R. cap. 3. *ut nullus de crinoſis.* Quod tamen abeſt à MS. regiis & 9. 9. Agathias tamen lib. 1. cap. 5. ſolos Reges Francorum cæſariem prolixam gerere ſcribit, ſubditos omnes circumtonſos eſſe, nec illis longiorem comam concedi. Quod ita accipiendum cenſeo, ut Romanos tantummodo tonſos fuiſſe intelligamus, aut Reges quidem longam geſtaſſe Cæſariem, ſed crinium flagellis diſcriminatam & optime comptam, quod aliis non licuit. Capillati Alpium populi, Plinio. Inde & comata Gallia eidem lib. 4. cap. 17. Capilli apud quasdam gentes probro. Idem Plin. lib. 6. cap. 13. Majores crines & indumenta pellium inhibentur, l. ult. cod. Th. de habitu quo uti oportet int. urb. Claudianus de quarto conſulatu Honorii.

Ante Ducem noſtrum flavam ſparſere Sicambri
Cæſariem.

Idem de Bello Getico:

Crinigeri ſedere patres, pellita Getarum.
Curia, quos plagis decorat numeroſa cicatrix.

Sidonius lib. 1. epiſt. 2. lib. 3. ep. 3. lib. 5. ep. 13. Iſidorus lib. 16. cap. 13. Jornandes in hiſtoria Gotth. Gregor. Turonens. lib. 6. cap. 24. lib. 8. cap. 10. de vita patrum cap. 12. Claudianus in Eutropium lib. 1.

Militet ut noſtris detonſa Sicambria ſignis.

Idem de laudibus Stiliconis lib. 1.

Ingentia quondam
Nomina crinigero flaventes vertice Reges.

Ibidem: *Nec fida valenti*
Dextera duxiſſet rutilantes crinibus alas.

Bign.

Totonderit] Tondere videlicet deturpare, decusque capitis auferre. Ovidius:

Turpe pecus mutilum eſt, & ſine crine caput.

Unde decalvatio pœna in lege Wiſigott. & Capitul. Caroli M. De cura capillorum apud veteres, etiam apud barbaras gentes. Tertullianus de Pallio: *Numidas etiam equis cæſariatos juxta cutem tonſor, & cultri vertex ſolus immunis.* Franci vero ſpecialiter capillum curabant, quo ſcilicet diſtinguerentur à Romanis ſubditis. Fere olim Galli comati, capillati. Alpium populi Plinio. Poſſet tentari hunc locum accipi debere de clericatu. Nam & tum Epiſcopi ſæpe inconſultis parentibus comam juvenibus tondebant, ut ad clericatum eos aggregarent. Quidam & invitos aliquando tondebant. Nam & ſæpe vis fiebat, ut quis Clericus ordinaretur. Vide inſigne exemplum in epiſtola Paulini, quæ eſt inter epiſtolas B. Auguſtini ep. 35. pag. 145. *Nam ego etſi à Delphino Burdegaliæ baptizatus, à Lampio apud Barcilonam in Hiſpania per vim inflammatæ ſubito plebis ſacratus ſim, tamen Ambroſii ſemper & dilectione ad fidem nutritus ſum & nunc in Sacerdotii ordine confoveor.* Gregor. Turonens. lib. 7. cap. 31. *Quia invitum aliquando eum totonderat, inhians facultati ejus.* Quaſi Epiſcopi Clericorum heredes fierent, quod notandum, & plenius expendendum. Conciliis itaque id prohibitum eſt. Vide & Capitul. lib. 5. c. 212. Prior tamen interpretatio magis arridet, ut quaſi de atroci injuria puero & parentibus facta agatur, cum decus capitis præcipuum coma ſit, unde & Clericis comam alere Synodis prohibeatur, quaſi in notam ſervitutis illud fieri videatur. Vid. leg. Burg. tit. 6. num. 4. & diſcute. *Bign.*

Sive

Digitized by Google

III. Si vero puellam totonderit, bis mille quingentis denariis, qui faciunt solidos sexaginta duos & dimidium, culpabilis judicetur.

IV. Si quis feminam gravidam occiderit, viginti octo mille denariis, qui faciunt solidos septingentos, culpabilis judicetur.

V. Si quis infantem in ventre matris suæ, aut natum antequam nomen habeat, infra novem noctes occiderit, quatuor mille denariis, qui faciunt solidos centum, culpabilis judicetur.

VI. Si quis puellam ingenuam infra annos antequam infantes possit habere occiderit, octo mille denariis, qui faciunt solidos ducentos, culpabilis judicetur.

VII. Si quis feminam ingenuam, postquam infantes cœperit habere, occiderit, viginti quatuor mille denariis, qui faciunt solidos sexcentos, culpabilis judicetur.

VIII. Si quis feminam postquam infantes habere non potuerit, occiderit, octo mille denariis, qui faciunt solidos ducentos, culpabilis judicetur.

IX. Si quis puer infra duodecim annos aliquam culpam commiserit, fredus ei non requiratur.

Tit. XXVII.

De adulteriis ancillarum.

I. Si quis ingenuus cum ancilla aliena mœchatus fuerit, sexcentis denariis, qui faciunt solidos quindecim, culpabilis judicetur.

II. Si quis verò cum Regis ancilla mœchatus fuerit, septingentis denariis, qui faciunt solidos triginta, culpabilis judicetur.

III. Si quis francus alienam ancillam sibi publicè junxerit, ipse cum ea in servitio permaneat.

IV. Si servus cum ancilla aliena mœchatus fuerit, & de ipso crimine ancilla mortua fuerit, servus ipse aut castretur, aut ducentis quadraginta denariis, qui faciunt solidos sex, culpabilis judicetur. Dominus verò servi capitale in locum restituat.

V. Si autem ancilla propter hoc mortua non fuerit, servus ipse aut centum viginti ictus accipiat, aut centum viginti denarios, qui faciunt solidos tres, domino ancillæ cogatur persolvere.

VI. Si servus ancillam alienam sine voluntate domini sui sibi in conjugium copulaverit, centum viginti denariis, qui faciunt solidos tres, culpabilis judicetur, aut centum viginti ictus accipiat.

Tit.

Sive crinitum] Lucanus: *Crinibus in nodum totis venere Sicambri.* apud Romanos usque ad pubertatem comæ nutriri consueverant. *Pith.*

Vnum è crinitis] Agathias. 8. 9. *Pith.*

Totonderit] An respicit ad illum morem de quo Otto Frising. lib. 1. c. 16. & veteres annales. *Karolus*, inquiunt, *Francorum Princeps filium suum ad Liuthprandum misit, ut more fidelium Christianorum ejus capillum primus adtonderet, & pater illi spiritualis existeret.* An ad Clericatum? Greg. Tur. 3. *hist.* 19. *& sibi propria manu capillos incidens Clericus factus est.* Et lib. 4. cap. 4. Vide tit. 6. leg. Burgundionum. Marculfus in præcepto de clericatu: *Veniens ille ad nostram præsentiam petiit serenitati nostræ ut licentiam tribuere deberemus, qualiter comam capitis sui ad onus clericatus deponere deberet*, sequitur paulo post: *Præcipientes ergo jubemus, ut si memoratus ille de capite suo bene ingenuus esse videtur, & in polypticho censitus non est, licentiam habeat comam capitis sui tonsurare.* Greg. Turon. lib. 9. c. 38. *Drocheltum incisis capillis & auribus ad vineam exercendam delegavit.* Pith.

Infra IX. Noctes] Sic veteres omnes. Pueris ergo nono die nomina imposuerunt, sicut & Romani Festus. *Lustrici.* Inde vir & uxor inter se solidum capere poterant si duos trimos vel si tres post nonum diem amisissent. lib. 2. leg. Wisig. tit. 4. §. 17. 18. Vlpian. lib. Regul. Alii septimo; quidam decimo, Aristot. Harpocrat. Schol. Aristoph. Suidas. Galli vero omnes spatia omnis temporis non numero dierum sed noctium siniebant, ut noctem dies sequeretur; ut docui Glossario ad Capitula Caroli Magni. *Pith.*

Postquam infantes habere cœpit] Rib. 12. *Postquam parturire cœperit, usque ad quadragesimum annum.* Pith.

IIII. Den.] Non igitur multa plectitur qua qui virum occiderit, quod est contra jus Romanum. *leg. pen. C. ad l. Cornel.* Pith.

Fredus ei non requiratur] XII. Tab. Impuberes si furtum fecerint, Prætoris arbitratu verberantur. *Pith.*

Ad Tit. XXVII.

De adulteriis ancillarum] Adulterium heic impropriè cum ancilla. Vide l. 6. D. ad leg. Jul. de adulter. Sic accipitur apud Ambrosium de Abrahamo lib. 1. cap. 4. *Omne stuprum adulterium est; & quicquid in ea quæ non sit legitima uxor commissum fuerit, adulterii crimine damnatur.* Sic fortasse Gregorius Turonens. lib. 9. cap. 37. *Et licet esset vorax cibi ac potator vini extra modum quàm sacerdotalem cautelam decet, tamen nullum de eo adulterium quispiam est locutus.* Sic etiam fortè eodem lib. c. 34. in fine. *Bign.*

Aliena ancilla] Jure Romano tenetur injuriarum actione. *L. inter liberas D. ad leg. Jul. de adult.* & aliam reformare cogendus est. *Paul. 1. sentent. tit. 12.* Pith.

Regis ancilla] In leg. Longob. lib. 2. tit. 9. l. 2. Rotharis Regis mulier libera, quæ se servo conjunxit, potest impunè à parentibus, id est, proximis occidi intra annum. Post annum licet Gastaldio Regis, aut actori, aut Sculdasio, ipsam in curtem Regis ducere, & intra pensiles ancillas constituere, id est, quæ pensum faciunt. & leg. 3. Luitprandi eadem de re: *Sit ancilla palatii, & ipse servus similiter ad palatium replicetur; & filii qui ex eis nati fuerint, curti regiæ omnimodo serviant.* Ubi quod palatium dixit, mox curtem appellat. Ancilla regia in legibus Ribuar. tit. 58. Ita Lindenbrogius vel Tilii 60. num. 9. servi Regis passim, & fisci. *Bign.*

Publicè junxerit] Id est, uxorem duxerit. *Bign.*

In servitio permaneat] Supra tit. 14. num. 11. *Bign.*

Ipse cum ea in servitio] SC. Claudiano mulier, quæ se alieno servo jungit, ancilla fit. *Vlp. tit. XI. lib. sing. regular.* Pith.

Castretur] Vt qua parte peccavit eadem multetur. Niceph. hist. II. εἰ γὰρ τις ἁμαρτάνει εἰ δοῦλῳ τῷ παιδίσκῃ. *Pith.*

Castretur] Castrationis pœna servo, non in adulterio tantùm, sed & in furto, infrà tit. 42. n. 4. κλοπάτου caulis abscissione puniti. Attaliates pag. 63. Juris Græco-Romani. *Bign.*

Ancillam alienam] Foras nubere. Tertullianus ad uxorem lib. 3. *Foras nubere servis suis interdicunt. Formariage* in constitutionibus nostris. *Bign.*

Digitized by Google

Tit. XXVIII.

De libertis dimiſſis.

I. Si quis lidum alienum, qui cum domino ſuo in hoſte fuerit, ſine conſilio domini ſui ante Regem per denarium ingenuum dimiſerit, quatuor mille denariis, qui faciunt ſolidos centum, culpabilis judicetur. res verò ipſius lidi legitimo domino reſtituantur.

II. Si quis ſervum alienum ante Regem per denarium ingenuum dimiſerit, mille & quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur, & capitale in locum reſtituat, & res ſervi ipſius proprius dominus recipiat.

Tit. XXIX.

De furtis diverſis.

I. Si quis tintinnum de porcina aliena furaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

II. Si vero de pecoribus tintinnum furaverit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur.

III. Si quis ſchillam de caballis furaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

IV. Si quis pedicam de caballis furaverit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur.

V. Si caballi ipſi perierint, capitale in locum reſtituat.

VI. Si quis meſſem alienam per furtum metere aut reffare præſumpſerit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

VII. Si quis hortum alienum ad furtum faciendum ingreſſus fuerit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

VIII. Si quis impotos de melario, aut de pirario tulerit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur.

IX. Si vero in horto fuerint, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

X. Si quis melarium aut pirarium decorticaverit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur.

XI. Si

Ad Tit. XXVIII.

De libertis dimiſſis] De eo qui alienum ſervum manumiſerit. *Bign.*

In hoſte] *En l'hoſt.* Inde *hoſtage.* Pith.

Ante Regem per denar.] Marculfus lib. 1. cap. 22. ubi nonnulla notavimus, & vetus inſtrumentum denariale Caroli Calvi adduximus ex tabulario S. Martini Turonenſis. Wilhelmus Heda in Hiſtoria Epiſcoporum Trajectenſium. p. 249. n. 13. *Egiboldus natione Friſias unanimi omnium voto XIII. Epiſcopus ſurrogatur in locum Odibaldi, vir non contemnendæ vitæ, literis clarus, & ipſi Zuentiboldo Regi acceptus, qui ejus contuitu famulam quandam datis, ut lex Salica docet, in commutatione duobus mancipiis prius & poſtea ſecundùm legem Francorum denarium ejus excutiens, hoc modo ſervitutis vinculo liberavit, & donavit ingenuitati. Actum Niumagæ.* Synodus Lemovicenſis. MS. dicta tertia. *Bign.*

Per denarium.] Præcepti denarialis formula extat in explicatione obſcuriorum vocabulorum capitularium. In veteri chartula Eccleſiæ Lugdunenſis: *Servum juris veſtri manu propria, & manu illius excutientes denarium, ſecundùm legem Salicam liberum, cum omnibus, quæ habet vel adquiſierit, fecimus.* In veteri formula: *Inde quemdam ſervum N. ut eum ob mercedis augmentum liberum dimitteremus rogarunt. Nos verò manu propria noſtra excutientes de manu ſupradicti N. denarium vel nummum, vel argenteum vel aureum vel dragmam vel ſeſtertium vel minam, ſecundùm legem Salicam, eum liberum dimiſimus, & ab omni jugo ſervitutis abſolvimus.* Pith.

IV. Denarios &c.] Quo caſu nota libertatem manere, ſeu favore libertatis, ſeu quia ante Regem celebrata eſt, & mulctam tantùm inferri cum peculio. *Bign.*

Ad Tit. XXIX.

Tintinnum] Nonius, & Iſidorus lib. 3. cap. 22. Phædrus libro 2. *Clarumque collo jactans tintinnabulum.* leg. Goth. lib. 12. tit. 2. l. 2. Burgund. tit. 4. c. 5. Bojorum c. 8. tit. 2. §. 1. Fortunatus lib. 2. de B. Medardo. Greges tinnibulatos dixit Sidonius lib. 2. ep. 2. Walafridus Strabo:

Mala fidem, tintinna ſonant documenta ſaluto.

Leg. Wiſigotth. lib. 7. tit. 2. l. 11. leg. Burgund. Longobard. lib. 1. tit. 25. l. 31. Meminit & Ado Viennenſis. Cauſa in bobus ne in ſilvis aberrando amittantur; in equis præcipue ſagenariis, ut & hodie, & in multis onerariis, quò tinnitu mulceantur, & ſono laborem leniant, in muſicæ modum ita ferunt. Adeo muſica brutis etiam imperat. Agatharchides lib. 5. de mari rubro cap. 30. Θερμαῖναι μὲ πλῆθος ἰαυλοῖς ἴχνος συνεπόμενον· καίονται δὲ ἐξιδιοσαι ἐκ τῶν ἀμῶνων κνώντων ὅπως ὁ ἐπ' αὐτῶν ψόφος διώκῃ τὰ θηρία. Malè interpres, *ut tinnitus horum fures arceat fugetque.* Vide in hiſtoria Francor. de ſtratagemate per tintinnum. Aimoin. lib. 4. c. 81. *Bign.*

De pecoribus tintinum.] Clementianus Fortunatus:

Tintinnum rapit alter inops, magis improbus ille,
Qui jumentorum colla tenere ſolet. Pith.

Skellam] Sic quinque exemplaria, non *ſellam*, ut editum erat antea. *Tintinnabulum*, Alamannis, *Skel.* Toloſanis *Esquila.* In vita B. Anſelmi: *Unum eorum ſumpta in manibus corda pro excitandis fratribus, ſcillam pulſantem ad ejus ſonitum.* Durandus 1. de Offic. cap. 4. *Notaſex eſſe genera tintinabulorum, quibus in Eccleſia pulſatur; ſquilla, cymbalum &c. Squilla pulſatur in triclinio, id eſt, refectorio.* Aimoinus lib. 3. cap. 82. *Pith.*

Skellam de caballis] Scella, vel Scilla, equorum clitelliarorum tintinnabulum, qua voce Aquitani adhuc utuntur. Græcis κώδων, cujus etiam furem in legibus Georgicis Juſtinianus coërcet. *Esquil.* Toloſatibus. Squillam pro tintinnabulo & nola vocat Petrarcha in poëmatibus Italicis, & Itali etiam hodie *Squillare.* Bign.

Reffare] Editio Baſilienſis: *Repaſcere.* Aliàs *tripaverit aut meterit.* Gloſſ. *Raptor, reofere. Meſſor, Riftere.* Et hodie Germanis *Reupfen.* Gallicè *Raffler*, vellere eſt. *Pith.*

Inpotos] Sic veteres quinque. An inde *impffen* Alamannis, *Enter* noſtris. Gloſſ. *fructus pœſtin.* Pith.

Milario] Sic veteres quinque. Gloſſ. Malarium pomum. Vet. donat. inſtrum. & 2. *melarios in ipſo loco.* Pith.

Si

Digitized by Google

XI. Si verò in horto fuerint, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culp. jud.

XII. Si quis cultellum alienum furaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

XIII. Si quis in napinam, in fabariam, in piſariam, in lenticulariam vel in his ſimilia ad furtum faciendum ingreſſus fuerit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culp. jud.

XIV. Si quis in campo alieno linum furaverit, & hoc in caballo aut in carro duxerit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

XV. Si vero tantum tulerit, quantum in dorſo ſuo portare potuerit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culp. judicetur.

XVI. Si quis in agro alieno arborem inſertam exciderit, mille ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, culpabilis judicetur.

XVII. Si quis campum alienum araverit & ſeminaverit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

XVIII. Si verò tantum araverit, & non ſeminaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

XIX. Si quis aratrum in campum alienum intrare prohibuerit, vel arantem foras jactaverit vel teſtaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

XX. Si quis pratum alienum ſecaverit, laborem ſuum perdat, & inſuper ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

XXI. Et ſi inde fœnum ad domum ſuam in carro duxerit, & diſcarricaverit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XXII. Si vero tantum tulerit, quantum in dorſo ſuo portare potuerit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XXIII. Si quis vineam alienam per furtum vindemiaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

XXIV. Et ſi inde vinum in carro ad domum ſuam adduxerit, & diſcarricaverit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XXV. De meſſibus autem ſimiliter convenit obſervare.

XXVI. Si quis clauſuram alienam ruperit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

XXVII. Si quis in ſilva materiamen alienum aut incenderit, aut capulaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culp. jud.

XXVIII. Si quis materiamen de una parte dolatum furaverit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur.

XXIX. Si quis arborem poſt annum quam fuerit ſignata capulare præſumpſerit, nullam exinde habeat culpam.

XXX. Si infra annum quis eam capulaverit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur.

XXXI. Si quis rete ad anguillas capiendas de flumine furaverit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

XXXII.

Si verò in horto] Major pœna ſi arborum furtum in horto fiat, ut ſupra vide. *Bign.*

Decorticaverit] Exemplar primum. *excervicaverit.* Pith.

Cultellum] Noſtris *Coultre.* Pith.

Cultellum] Vide Gloſſas Agrimens. p. 172. *Bign.*

Napinam] Columella lib. 11. cap. 2. Sic rapinam facere, id eſt, rapos ſerere, uſurpatur in l. 88. §. matre. D. de leg. 2. Columella lib. 2. cap. 2. Cato rei ruſt. cap. 31. Pictavis *nabine*, locus napis conſitus, ut monuit Joh. Belius amicus cariſſimus. *Bign.*

Arborem inſertam] Servius Georgic. 2. verſ. *Et ſæpe alterius. Sanè inſitas arbores dicimus, inſertas vero cauſas, aut fabulas.* Ovid.

Firmaque adoptivas poſſidet arbor opes.

De adoptione Suetonius: *Inſertus eſt eadem figura.* Vide auctores rei ruſticæ. *Bign.*

Si quis aratrum.] Gallos adinveniſſe formam aratri cum rotis, teſtatur Plinius lib. 18. cap. 18. *Pith.*

Teſtaverit] Sic veteres omnes libri præter unum, qui habet, *ſi quis aratrum de campo alieno anteoſtaverit, aut jactaverit, aut teſtaverit.* Baſilienſis: *aratrum anteortaverit, aut jactaverit.* Pith.

Deſcargaverit] *Deſcharge.* Pith.

Si vero tantum tulerit] Licet tamen viam tranſeunti pabuli nonnihil equo carpere. Leg. 1. Long. De tranſeunt. Leg. Neapol. lib. 3. tit. 58. Jure Saxonico lib. 2. Speculi. *Pith.*

Poſt annum quam fuerit ſignata] In diplom. Ludovici II. apud Lazium. *Ex parte Auſtri uſque ad medium montis Slavonum Colmiza dicta; ubi duabus arboribus ſigna certa ſunt.* Et in Chronico Laureshamenſi, ex donatione Cancronis: *De illo rubero ut per Agilofum & ſuos conſortes pro ſigna inciſa.* Et paulo poſt: *ſicut ipſa inciſio arborum in ipſa die facta eſt, quæ vulgo lachus appellatur ſive diviſio.* Inde *Laye. S. Germain en Laye* Pith.

Signata] An de ſigno, quod imponebatur ad limites notandos, qua de re Siculus Flaccus: *Si notatæ arbores in regionibus finales obſervabuntur, intuendæ ſunt notæ.* Leg. Longob. lib. 1. tit. 26. l. 3. *Si quis liber homo arborem ubi theclatura facta eſt, inter fines diſcernendos inciderit.* Vide Reſponſ. Papiani tit. 39. leg. Viſigotth. lib. 10. tit. 3. l. 3. Bajuvar. tit. XI. cap. 3. num. 2. Et ita Lindenbrogius putat. cujus ſententiæ non accedo. Nam heic de finibus nullum verbum, & de anno quod additur contrarium evincit. Vide an huc faciat, quod eſt in leg. Viſigotth. lib. 8. tit. 6. ult. l. 1. in legib. Bojor. tit. 9. cap. 12. *Signum quod propter defenſionem ponitur &c.* Bign.

Rete ad ang. cap.] *Hord.* locus apud nos dicitur in flumine, ubi retia tenduntur ad anguillas capiendas. Vide Martin. *Bign.*

Digitized by Google

XXXII. Si quis ſtatuam aut tremaclum vel vertivolum de flumine furaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

XXXIII. Si quis Screonam qnæ clavem habet effregerit, & aliquid furaverit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

XXXIV. Et ſi inde nihil tulerit, pro ſola effractura ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

XXXV. Si vero Screonam quæ ſine clave eſt, effregerit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

XXXVI. Si quis cum ſervo alieno ſine conſenſu domini ſui aliquid negotiaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

XXXVII. Si quis mulieri brachile furaverit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur.

XXXVIII. Si quis caſam alienam ſine permiſſu poſſeſſoris tranſierit, mille ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta culpabilis judicetur.

Tit. XXX.

De Locationibus.

I. Si quis furtim aliquem locaverit, ut hominem interficiat, & pretium propter hoc dederit, bis mille & quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur.

II. Similiter & ille qui pretium accepit, ut hominem occideret, bis mille & quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur.

III. Si vero per tertium locatio ipſa fuerit transmiſſa, bis mille & quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur. Sic dans, accipiens, portans, unusquisque illorum culpabilis judicetur.

Tit. XXXI.

De Debilitatibus.

I. Si quis alteri manum aut pedem truncaverit, vel oculum effodierit, aut auriculam vel naſum amputaverit, quatuor mille denariis, qui faciunt ſolidos centum, culpabilis judicetur.

II. Si vero manus ipſa ibidem mancata pependerit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

III. Si vero manus ipſa perexcuſſa fuerit, bis mille quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos & dimidium, culpabilis judicetur.

IV. Si quis pollicem de manu vel de pede excuſſerit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur,

V. Si vero ipſe pollex mancatus pependerit, mille ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, culpabilis judicetur.

VI. Si ſecundum digitum, quo ſagittatur, excuſſerit, mille quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur.

VII. Si quis tres ſequentes digitos pariter uno ictu excuſſerit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

VIII. Si quis medium digitum excuſſerit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur,

IX. Si quis quartum digitum excuſſerit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

X. Si minimum excuſſerit, ſimiliter ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

XI. Si quis pedem alterius capulaverit, & ibi mancatus remanſerit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

XII.

Statuam] Sic veteres ſeptem. Alii *ſtavam*. noſtris *eſtave*. Genus majoris retis. Palum. Germ. *Staf*. Pith.

Tremaculum] Sic veteres quinque. Alii *Tramaculam*, *Tramaculum*, *Trimaclem*, *Vremalium*. *Tremail* noſtris. Pith.

Tremaculum] Tramail. *Bign.*

Vertivolum] Sic veteres quinque, duo *Vertuolum*, al. *Verticulum*, Noſtris *Verueil*, Genus piſcatorii retis; quo cum intravit piſcis, exire non poteſt. *Pith.*

Vertivolum] Verreul. *Bign.*

Brachile] *Bracelet*. Tacitus de moribus Germanorum. *Nec alius feminis quam viris habitus; partemque veſtitus ſuperioris in manicas non extendunt, nuda brachia ac lacertos.* Pith.

Si quis caſam] Sic veteres ſeptem. Tacitus de moribus Germanorum: *Ne cæmentorum quidem apud illos, aut tegularum uſus. Materia ad omnia utuntur informi.* Pith.

Caſam alien. trax.] Caſam alienam trahere. Sic Gregorius Turonens. lib. 9. cap. 35. *auferre villam*. Quamvis abolita ſit Maſſurii Sabini ſententia, qui putabat fundi furtum fieri poſſe. Inſtit. lib. 4. tit. 1. Trahere autem rapere eſt, & invadere, ſupra tit. 14. n. 5. Sic Hieronymus ep. 3. ad Heliodorum: *Marcomani trahunt, vaſtant, rapiunt.* Bign.

Ad Tit. XXX.

Locaverit ut hom. interf.] Juvenalis ſat. 13.
Si flectas oculos majora ad crimina, confer Conductum Latronum. Bign.

Ad Tit. XXXI.

Truncaverit] Baſil. edit. *capolaverit*. Pith.

Digitum quo ſagittatur] Ribuar. tit. 5. *digitus unde ſagittatur*. Pith.

Si vero pollex mancatus pependerit] Rib. 5. *Quod ſi pollix mancus pendiderit*. Pith.

Ad

XII. Si vero pes ipſe perexcuſſus fuerit, bis mille & quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur.

XIII. Si quis alteri oculum evellerit, bis mille quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur.

XIV. Si quis naſum excuſſerit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

XV. Si quis auriculam excuſſerit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

XVI. Si quis linguam alterius amputaverit, ut loqui non poſſit, quatuor mille denariis, qui faciunt ſolidos centum, culpabilis judicetur.

XVII. Si quis dentem excuſſerit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

XVIII. Si quis ingenuus ingenuum caſtraverit, aut virilia truncaverit ut mancus fiat, quatuor mille denariis, qui faciunt ſolidos centum, culpabilis judicetur.

XIX. Si vero ad integrum tulerit, octo mille denariis, qui faciunt ſolidos ducentos, culpabilis judicetur.

TIT. XXXII.

De conviciis.

I. SI quis alterum cenitum clamaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

II. Si quis alterum concagatum clamaverit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur.

III. Si quis alterum vulpeculam clamaverit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur.

IV. Si quis alterum leporem clamaverit, ducentis quadraginta denariis, qui faciunt ſolidos ſex, culpabilis judicetur.

V. Si quæ mulier ingenua, aut vir mulierem meretricem clamaverit, & non potuerit adprobare, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

VI. Si quis alteri imputaverit, quod ſcutum ſuum projeciſſet in hoſte, vel fugiendo præ timore, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur.

VII. Si quis alterum delatorem clamaverit, & non potuerit comprobare, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

VIII.

Ad Tit. XXXII.

Cenitum] Gloſſ. *oculum erutum habentem*, *Borgne.* Pith.

Cenitum] Si fides gloſſ. apud Pithoeum, cocles cenitus eſt. Sed vereor ne aliud heic intelligatur. Fortaſſe heic cenitus eſt eadem inflexione qua concagatus num. ſequenti, is qui aliquando cœno & ſordibus ad ſummam ignominiam perfuſus eſt à populo. Quod injuriæ genus apud Francos in uſu. Vide l. 1. D. de extraord. criminib. §. 1. Eccleſiaſtici cap. 2. verſ. 1. & 2. Auctor Etymologici οἱ Αττικοὶ ἐπί τινι ἀμαξιμαῖ ἀλόντα πολλῷ χρίοντες ἐδημοσίουν. Alibi ibidem auctor: οἱ Ἀχαιοὶ ὅτε ἤθελον ὑβρίσαι τινὰ καὶ ἀμπαίξαι, πολὺ ἔχριον τὸ πρόσωπον ἀὐλῷ. Vide Gregor. Turon. lib. 7. cap. 14. leg. Longob. lib. 1. tit. 16. l. 8. ubi de ſponſa. Perverſi homines aquam ſordidam & ſtercoratam ſuper ipſam jactaſſent. *Bign.*

Concagatum] Gloſſ. *Sordidatum.* Honos auribus. *foireux, breneux.* Pith.

Concagatum] Gallis *conchié*, Honos auribus, *chiard.* κοπρίας. Scaliger ad Feſtum, Caſaubonus ad Suetonium. Imo non de vitio corporis, ſed de injuria ab alio illata. Gloſſar. Pithoei: *conchagatum, ſordidatum.* Bign.

Vulpiculam] Renard. Greg. Tur. 8. hiſt. cap. 6. *Multas eis perfidias & perjuria exprobravit, vocans eos ſæpius vulpes ingenioſas.* In vita S. Remigii: *Juſſit nominari vulpeculam; quod cur ita eum nominari voluerit, qui fraudes & ſignificationes ipſius animalis cognoſcit, ſatis advertit.* Pith.

Vulpiculam] Herodes a Domino noſtro ita vocatus. Luc. 13. *Bign.*

Leporem] Sidonius, *cum fiunt in prætoriis leones, in caſtris lepores.* Euſebius in Chronico: *Cornificius poëta militibus deſtitutus interiit, quos ſæpe fugientes galeatos lepores appellarat.* Pith.

Leporem] Timidum videlicet & fugacem. Græci proverbialiter δειλίας λαγῷ φεγγός. Annales Fuldenſes Carolum Calvum leporem vocant. Vide. Magnum certe apud Francos convicium fuiſſe hinc apparet, quod fugam ſibi exprobari non patiebantur, quam dedecus extremum eſſe exiſtimabant. De Gallis Ælianus de varia hiſtoria lib. 12. Ὅτως δὲ δισχερὲς νομίζουσι τὸ φεύγειν, ὡς μηδὲ ἐν τῶν ἀμείνων καλουμένων ἢ ἀμπιπλασῶν πολλάκις ἀποδυράσκειν. Nicolaus Damaſcenus Hiſtoriarum ſcriptor Auguſto & Herodi acceptiſſimus ἐν συναγωγῇ apud Abbatem Maximum eclog. c IV. Κελτοὶ οἱ τῷ ἀσκιατῷ γαλιτιῶντες, δισχερὲς ἡγοῦμενοι τοῖχον καλαπίπτοντα ἢ ὀϊκίαν φεύγειν. πλημμυρίδος δὲ ἐν τῷ ἔξω θαλάττης ἐπεχομένης, μοῦ ὅπλον ἀπαντῶντες ὑπομένουσιν ὡς καλαλύζοντας, ἐνὲ μὴ δοκῶσι φεύγοντες ἢ θάνατον φοβεῖσθαι. Strabo lib. 7. ἀροβίαν οἱ Κελτοὶ ἀσκοῦντες, καλαλύζεσθαι τὰς οἰκίας ὑπομένουσιν. quæ tamen ridet Strabo. Idipſum de Francis nominatim affirmat Laonicus Chalcondyles hiſtor. lib. II. pag. 59. Κελτοὺς δὲ φασὶ τοὺς φεύγειν αὐλὸς ἐν ταῖς μάχαις ἐ Νόμος νομίζειν ἀλλὰ μαχομένους τελευτᾶσαι ἢ ἀπὸ τούτου Κελτοὶ σφᾶς ἐξεῖσι, περοίχειν τῶν ἄλλων χειρίστους, ἢ ἀτιμοτάτους. τὸ δὲ ἀπόλλων. *Bign.*

Si quæ mulier] Abeſt hic paragraphus in omnibus exemplaribus, præterquam in vetuſtiori. *Pith.*

Meretricem clamaverit] Vide conſuetud. Campaniæ vett. p. 456. art. 45. *Bign.*

Quod ſcutum ſuum projeciſſet.] Videndus Agathias libro ſecundo. Gallos ſcuta patria thireos vocaſſe ſcribit Pauſanias. Hodie *Targes.* Tacitus de moribus Germanorum: *Scutum reliquiſſe præcipuum flagitium; nec aut ſacris adeſſe, aut concilium inire ignominioſo fas; multique ſuperſtites bellorum, infamiam laqueo finierunt.* Pith.

Delatorem] Gloſſ. *Mendacem vel latratorem.* Pith. Non de injuria tantum hic agitur, ut vulgo dicimus, ſed de injuria quæ fit per convicia. Vide de judicio injuriarum apud Athenienſes. *Bign.*

Delatorem] Convicium illis temporibus non leve. Nam delatores, quibus alioqui præmia magna decernebantur, & à Tiberio cuſtodia legum dicti apud Tacitum, ni fallor, ſub malis Principibus ſæviebant. Plinius panegyrico: *Vidimus delatorum indicium quaſi graſſatorum,*

Digitized by Google

VIII. Si quis alterum falsatorem clamaverit, & non potuerit comprobare, sexcentis denariis, qui faciunt solidos quindecim, culp. jud.

IX. Si quis compari suo pittum excusserit, centum viginti denariis, qui faciunt solidos tres, culpabilis judicetur, aut similem illi reddat, vel cum duodecim juret, quod similem illi restituisset.

Tit. XXXIII.

De via lacina.

I. Si quis baroni viam suam obstaverit, aut eum impinxerit, sexcentis denariis, qui faciunt solidos quindecim, culpabilis judicetur.

II Si quis mulieri ingenuæ viam suam obstaverit, vel eam impinxerit, mille octingentis denariis, qui faciunt solidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

III. Si quis viam quæ ad farinarium ducit, clauserit, sexcentis denariis, qui faciunt solidos quindecim, culpabilis judicetur.

Tit. XXXIV.

De eo qui hominem ingenuum sine causa ligaverit.

I. Si quis hominem ingenuum sine causa ligaverit, mille ducentis denariis, qui faciunt solidos triginta, culpabilis judicetur.

II. Si verò eum ligatum in aliquam partem duxerit, mille octingentis denariis, qui faciunt solidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

III. Si Romanus Francum ligaverit sine causa, mille ducentis denariis, qui faciunt solidos triginta, culpabilis judicetur.

IV. Si autem Francus Romanum ligaverit sine causa, sexcentis denariis, qui faciunt solidos quindecim, culpabilis judicetur.

V. Si quis hominem noxium ligatum per vim tulerit Grafioni, vitam suam redimat.

Tit. XXXV.

De venationibus.

I. Si quis de diversis venationibus aliquid aut furaverit, aut celaverit, mille octingentis denariis, qui faciunt solidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur. Quam legem tam de venationibus, quàm de piscationibus convenit observare.

II. Si quis cervum domesticum signum habentem

---

quasi latronum. Itaque id genus hominum omnes adversati, detestati, unde infamia; etsi initio bono publico essent introducti, ut & accusationes, quemadmodum Cicero in Verrem plene tractat. Martialis: *turba gravis paci &c.* Postea ex consuetudine fraudis & calumniæ etiam Principibus exosi. *Execrabiles nuntiatores* dicuntur, qui fisco deferunt. *l. 4. Cod. de delatorib. lib. 10.* Itaque calumniantes ferro puniti. *l. 5.* eodem, & illis aliquando lingua evulsa, lib. 2. Cod. Th. de petitionibus & ultrò datis & delatoribus. Atque adeò in bonis caussis, si idem delator tertio fuerit, capite punitur. l. 12. 13. 28. Cod. Th. eodem quod scilicet jam deferendi studium quasi artem exercere videatur. Unde apparet delatoris nomen in convicium transiisse quemadmodum latronis. Convicium est & injuria aliquem delatorem appellare, l. 3. Cod. de injuriis. Denique l. Græca 7. Cod. de delatoribus statuit eum qui tyrannos deferat μισθὸ μηνυτὴν κακῶδες, sed calumniatorem. Non tamen eo facto delatio abolita; translata ea in palatinos, qui obtentu officii posterioribus Romani Imperii temporibus impunè grassati sunt. l. 7. Græca. & l. 2. Cod. eodem. Tacitus lib. 4. *Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum, per præmia eliciebantur.* Delatores strangulantur Capitul. lib. 7. cap. 177. eis lingua capulatur, aut convictis caput amputatur, ibidem cap. 360. Malè glossæ interlin. Thuan. delatorem hoc loco interpretantur *mendacem vel latratorem* ἴουσ, *raporteur* apud nos. *Bign.*

Ad Tit. XXXIII.

De via lacina] De via clausa infra eod. tit. n. 3. supra tit. 15. num. 4. Vide leg. Ribuar. tit. 82. Vid. Agrimensores pag. 125. & in Glossa Rigatii. *Bign.*

Via lacina] Sic veteres quatuor, *Alicui viam suam obstare.* lib. 1. hic & tit. 82. leg. Ripuar. Viam contradicere. tit. 66. leg. Alam. Longobard. Vecorint. *Pith.*

Baroni] Gloss. *Baro* ἀνὴρ. Tit. 76. leg. Alaman. *si quis mortaudit Baronem.* Cæsarius in vita Engelberti Archiepiscopi Colonienfis: *Ex Teutonico enim latinoque compositus. Engelbertus vocabatur, angelicam sonat libertatem.* Kero *liberorum, barono.* Inde Barones homines Regis, sive qui hominium Regi debent. *Pith.*

Impinxerit] Vid. Glossar. Agrimensorum pag. 180. *Bign.*

Clauserit] Hieremias thren. cap. 3. *conclusit vias meas lapidibus quadris; semitas meas subvertit.* Bign.

Ad Tit. XXXIV.

Hominem ingenuum sine causa ligaverit] Tacitus de moribus Germanorum: *Aleam sobrii inter seria exercent, & novissimo jactu de libertate & de corpore contendunt. Victus voluntariam servitutem adit. Quamvis junior, quamvis robustior, alligari se ac vinciri patitur.* Pith.

Sine causa ligaverit] Additur sine causa, id est, innocentem. Alioqui licebat unicuique furem aut alium quemlibet reum privata auctoritate comprehendere & ligare, ut postea à judice condemnaretur. Quod si vel ipse qui ligaverat, vel alius eum solvisset, pœna legitima mulctabatur. leg. Ribuar. tit. 73. Nam & privati tenebantur latrones insequi in sua vicinia. Decretum Childeberti cap. 12. & 13. decretum Chlotarii cap. 16. Locus Taciti de alea notatus à *Fr. Pithœo* nil ad rem. *Bign.*

Romanus] In Præfat. leg. Burgund. in præfatione edicti Theodorici: *Barbari Romanique.* Vide notas ad Marculfum lib. 1. cap. 40.

Si autem Francus] Observa minorem pœnam in Franco, ut supra cap. 15. Aliud in leg. Ribuaria, ubi majore mulcta Ribuarius quam Romanus damnatur. Sic in decreto Childeberti n. 7. *Bign.*

Hominem noxium ligatum] Gregorius Turon. de miraculis S. Martini lib. 1. cap. 17. & lib. 4. cap. 16. & cap. 35. *Pith.*

Ad Tit. XXXV.

Aut celaverit] Ergo aut de regia venatione generali, vere aut autumno, ut in annalibus vetustis (quod vix credo) aut de quadam venatione, quam in communi Franci faciebant, quemadmodum de quibusdam populis Aristoteles narrat, & itineraria recentia. *Bign.*

Cervum domesticum] Institut. lib. 2. tit. 1. *Bign.*

Signum

Digitized by Google

bentem aut occiderit, aut furaverit, qui ad venationem faciendam manſuetus factus eſt, & cum teſtibus comprobare dominus ejus potuerit, quod eum in venatione habuiſſet, & cum ipſo duas feras aut tres occidiſſet, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

III. Si quis vero cervum domeſticum, qui in venatione adhuc non fuit, aut occiderit, aut furaverit, mille quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culp. jud.

IV. Si quis cervum, quem alterius canes moverunt aut laſſaverunt, occiderit aut celaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

V. Si quis aprum laſſum, quem alieni canes moverunt, occiderit vel furaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

TIT. XXXVI.
De ſepibus.

I. SI quis tres virgas cum quibus ſepis ſuperligata eſt, vel retortas quibus ſepis continetur, capulaverit, aut tres cambortas excervicaverit, ſexcentis denarlis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

II. Si quis per meſſem alienam poſtquam germina produxerit, herpicem traxerit, aut cum carro ſine via tranſierit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur.

III. Si quis per meſſem alienam, poſtquam in culmum erigitur, ſine via cum carro tranſierit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

IV. Si quis per malum ingenium in curtem alterius, vel in caſam, vel ubicunque miſerit aliquid quod furatum eſt, neſciente domino cujus poſſeſſio eſt, & ibidem inventum fuerit, ille qui per malum ingenium hoc miſerit, bis mille quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur.

V. Si quis in curte alterius poſt ſolis occaſum in furtum ingreſſus fuerit, & ibidem fuerit inventus, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

TIT.

Signum habentem] Id eſt nolam. Ita enim campanæ Eccleſiarum vocabantur. *Bign.*

Ad venationem faciendam manſuefactus] Fortaſſe ut quemadmodum aucupes illice utuntur, ita & cervis cicuribus Franci venando uterentur, quo ceteros attrahere poſſent.

Nam memini me uſpiam legiſſe ejusmodi venationis modum, de anatibus qui alios inducunt in decipulas in Piſtonibus docuit Belius. *Bign.*

Cervum quem alterius canes] Contra Juſtinianus Inſtit. lib. 2. tit. 1. §. *Illud quæſitum.* Bign.

Ad Tit. XXXVI.

Retortas] *Unde ſepes continetur.* Ribuar. tit. 45. *ſuperiores virgæ, quæ ſepis continent firmitatem.* Et tit. 74. *Si quis hominem intertiaverit, & infra placitum mortuus fuerit in quadrivio cum retorta in pede.* Sic quinque. vid. tit. 17. leg. Bajuv. Chron. Caſin. lib. 2. cap. 62. *Duo nigerrimi ſpiritus retortas ex agreſtibus vitibus facientes, eumque per guttur ligantes in ipſa lacus profunda miſerunt.* In chartulario Majoris Monaſterii: *& de ſilvæ boſco dedit monachis quantum eis in omnibus ſufficiat, ſimiliter quoque retortas, & rollones, ſtimulos quoque & cavillas, & bucias, & ſi quid aliud in rurali opere eis neceſſe fuerit.* Pith.

Vel retortas] Leg. Ribuar. tit. 43. & 72. n. 1. 3. Conſtitution. Neapolitanæ: *Tortam vel virgam de nemore incidere*, lib. 3. tit. 38. cap. 4. Italis *ritorta.* Proverbium vulgare, *la rehorte vaut mieux que le fagot*, cum appendix rem ipſam excedit. Docuit Belius. *Bign.*

Cambortas] Gloſſ. *quæ ſepem deſuper firmant.* Eadem origine forſitan, qua *Camboritum* Britannis. *Baculus incurvatus* in vita B. Notkeri. Walafrid. Strabus in vita B. Galli cap. 23. *accepit à fratribus epiſtolam ad B. Gallum continentem venerandi tranſitum Columbani. Qui & baculum ipſius, quem vulgo Cambotam vocant, per manum Diaconi transmiſerit.* Eckerhardus in vita B. Notkeri: *Feſtinatò autem aram Sancti Galli adientes, Cambotam quam ſanctus magiſter Columbanus per Manoaldum Diaconum miſerat, &c. Cum autem illum baculo ſancto.* Pith.

Herpicem] Servius in Virgil. 1. Georg. *Vimineasque trahit crates. Ad agrorum ſc. exæquationem, quam ruſtici byrpicem vocant. Herce.* Pith.

Herpicem traxerit] Varro lib. 4. *Irpices regula cum pluribus dentibus, quam item ut plauſtrum boves tradunt, ut eruant quæ in terra ſunt.* videlicet ad occandum. Id notaverat Jac. Cujacius. nobis *herce.* quaſi *herpce* ἁπ. λεγ. Euripides Cyclope. *Bign.*

Poſtquam in culmum erigitur] Vide Ciceron. de ſenectute. *Bign.*

Per malum ingenium] Par malengin. *Pith.*

Poſſeſſio eſt] Agrimenſores pag. 299. *Poſſeſſiones ſunt agri latè patentes, publici privatique, quos initio non mancipatione, ſed quisque ut potuit, occupavit, unde & nuncupati. Fundus dictus quod in eo fundatur vel ſtabiliatur patrimonium.* Confer Siculum Flacum pag. 4. Impp. Arcadius, & Honorius in l. 11. Cod. de Epiſcop. & Cleric. *In Eccleſiis quæ in poſſeſſionibus, uti fieri adſolet, diverſorum, vicis etiam vel quibuslibet locis ſunt conſtitutæ, Clerici non ex alia poſſeſſione vel vico, ſed ex eo ubi Eccleſiam eſſe conſtiterit ordinantur*, & reliqua, quæ vide. Jornandes de rebus Getic. p. 2. *Traprobane quoque in qua exceptis oppidis & poſſeſſionibus dicunt munitiſſimas urbes, &c.* Inde poſſeſſores in Cod. Th. & apud Caſſiodorum, *Honoratis poſſeſſoribus & curialibus*, ad differentiam inquilinorum & colonorum, cujusmodi erat ferè plebecula. Originem inde ducere libet, quod major pars agrorum fuerit publicata, cùm devicta fuit à populo Rom. quæcunque provincia. Itaque agri publici proprietas reipublicæ; poſſeſſio, privatorum. Id aliquatenus colligo ex Ciceronis Agraria 2. *Qui agrum Recentoricum poſſident, vetuſtate poſſeſſionis ſe, non jure, miſericordia Senatus, non agri conditione defendunt. Nam illum agrum publicum eſſe fatentur; ſed moveri poſſeſſionibus, amiciſſimis ſedibus negant oportere.* Vnde adſignatio agrorum quæ militibus fiebat, ex ejusmodi agris fiebat; ne quis putet proprietarios pulſos. Sueton. lib. 1. cap. 38. *Adſignavit agros, ſed non continuos, ne quis poſſeſſorum expelleretur.* Jurisconſulti de agro militibus adſignato: *Modico honoris gratia poſſeſſori dato.* Sed diſcutiendum ampliùs, nam aqua adhuc hæret. Vide tit. 43. num. 7. Symmachi notas p. 288. *Bign.*

Digitized by Google

TIT. XXXVII.

De homicidiis ſervorum vel ancillarum.

I. SI quis ſervus ſervum aut ancillam ſibi conſimilem occiderit, homicidam illum domini inter ſe dividant.

II. Si quis ingenuus ſervum alienum adſallierit & expoliaverit, & convictus fuerit, quod ei plus quam quadraginta denarii valeant, tuliſſet, mille ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, culpabilis judicetur.

III. Si verò minus quam quadraginta denarii valent tulerit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

IV. Si quis ſervum alienum flagellaverit, & in quadraginta noctibus operari non potuerit, quadraginta denariis, qui faciunt ſolidum unum & triante uno, quod eſt tertia pars ſolidi, culpabilis judicetur.

V. Si quis homo ingenuus lidum alienum expoliaverit, mille quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur.

VI. Si quis ſervum alienum mortuum per furtum expoliaverit, & ſpolia ipſa plus quàm quadraginta denarii valeant, mille quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur.

VII. Si autem ſpolia minus quam quadraginta denarii valeant, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

VIII. Si ſervus ingenuum hominem occiderit, ipſe homicida pro medietate compoſitionis hominis occiſi parentibus tradatur, & aliam medietatem dominus ſervi ſe noverit ſolvituram. Aut ſi legem intellexerit, poterit ſe obmallare, ut leudem non ſolvat.

TIT. XXXVIII.

De quadrupedibus, ſi hominem occiderint.

I. SI quis homo à quolibet pecude domeſtico fuerit occiſus, & hoc parentes illius teſtibus potuerint comprobare, quod dominus pecudis antea legem non adimpleverit, medietatem compoſitionis dominus ipſius quadrupedis cogatur exſolvere; ipſum verò quadrupedem, qui eſt auctor criminis, pro medietate compoſitionis reſtituat requirenti, eo videlicet modo, ſi dominus quadrupedis non intellexerit ſecundùm legem ſe defendere.

TIT. XXXIX.

De veſtigio minando.

I. SI quis bovem aut caballum vel quodlibet animal ſibi furatum perdiderit, & eum per veſtigium ſequendo fuerit conſecutus infra tres noctes, & ille qui eum ducit, ſe comparaſſe aut concambiaſſe dixerit vel proclamaverit,

---

Ad Tit. XXXVII.

Trienti uno, quod eſt tertia pars ſolidi] Sic veteres omnes. Gregor. Turon. de vita S. Mart. *Unum trientem mercedis intuitu detulit.* & cap. 19. lib. 2. de gloria martyrum: *Quidam alteri trientem præſtiterat.* Et de gloria confeſſ. *Invenies unum trientem ipſum donans vinum dignum epulis pauperum comparabis.* & cap. 109. *Igitur de hoc triente vinum comparat.* Idem hiſt. lib. 3. cap. 13. *Pith.*

Medietate compoſitionis] Vide tit. 65. n. 1. & 2. *Bign.*

Legem intellexerit] Intellexerit ſecundùm legem ſe defendere, tit. 38. *s'il ſe trait & recourt à loy*, ſicut moribus Leodienſibus habetur. *Pith.*

Legem intellexerit] Tit. 38. prox. in fine. *Bign.*

Obmallare] Marculfi formula, ut cauſas auctorum adſumendas ſuorum aliquis licentiam habeat. *Ne aliquis per quodlibet ingenium de ipſis rebus eum inquietare voluerit, licentiam habeat in vice auctorum ſuorum ipſe vel advocatus ſuus, ejus cauſas adſumere, &c. Præcipientes ergo jubemus ut memoratus Pontifex, aut Abbas vel Abbatiſſa ſeu advocatus ejus, invicem auctorum cauſas ipſius licentiam habeat adſumendi vel obmallandi.* Et alibi: *Fidelis Deo propitio noſter ille ad noſtram veniens præſentiam ſuggeſſit nobis eò quod propter ſimplicitatem ſuam cauſas ſuas minime perſequi vel homallare poſſit. Ideò clementiam noſtram petiit ut illuſter vir ille omnes cauſas ſuas in vice ipſius tam in pago, quàm in palatio noſtro admallandum vel proſequendum recipere deberet, quod in præſens per fiſtucam eas eidem viſus eſt commendaſſe.* Pith.

Ad Tit. XXXVIII.

Medietatem compoſitionis] Baſilienſis editio: *Medietatem de ipſa leudi componat, & pro alia medietate ipſum quadrupedem homini donet.* Tit. 48. Ribuar. *in medietatem weregeldi ſuſcipiatur.* Pith.

Non intellex. ſecund. leg.] Suprà tit. prox. in fine. *Bign.*

Ad Tit. XXXIX.

De veſtigio minando] Gregor. Turon. c. 81. de glor. confeſſ. *Alterius hominis, malitia furis boves abſtulerat, qui adprehenſo veſtigio & inter infuſos aqua viarum tramites ad profundas luti voragines perdito.* Pith.

De veſtigio minando] Vid. Gregor. Turonenſ. de gloria confeſſor. cap. 81. Decretionem Clotarii n. 2. 16. *Bign.*

Veſtigium ſequendo] Livius lib. 1. de Hercule & Caco. *Ipſa veſtigia quærentem dominum eò deductura erant, averſos boves eximium quemque*, &c. Jamblichus apud Photium num. 94. perſecutionem Rhodanes & Synonidis à Dama Enucho factam memorat; & pag. 239. ἰδίωτον κατ' ἴχνη Ροδάνης καὶ Συνωνίδος, συνεργοὶς αὐτὸς μικάζοντες ἴνας τὰ λεχθέν. Inde inveſtigare ἀνιχνίευειν. *Bign.*

Infra tres noctes] Ribuar. 49. *Et tertio die in domo cujuslibet, vel in quolibet loco eum invenerit.* Pith.

Concambiaſſe] Priſcianus. Al. *Camiaſſe.* Marculf. *Concamio de villa: Aliqua loca inter ſe concamiare debeant.* Et: *Concamio de terra aut vinea.* Pith.

Procla-

Digitized by Google

rit, ille qui per veſtigium ſequitur, res ſuas debet per tertiam manum adhramire. Si vero jam tribus noctibus exactis, qui res ſuas quæſierit & invenerit, ille apud quem inveniuntur, ſi eas emiſſe, aut concambiaſſe ſe dixerit, liceat ei adhramire. Quod ſi ille qui per veſtigium ſequitur, quod ſe agnoſcere dicit illo alio reclamante per tertiam manum adhramire noluerit, nec ſolem ſecundum legem culcaverit, ſed ei violenter quod ſe agnoſcere dicit tuliſſe convincitur, mille ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, culpabilis judicetur.

TIT. XL.

De caballis furatis.

I. SI quis caballum qui carrucam trahit furaverit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si quis Waranionem homini Franco furaverit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Si quis caballum ſpadatum furaverit, mille quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis Waranionem Regis furaverit, ter mille ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos nonaginta, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

V. Si quis admiſſarium cum grege, hoc eſt cum ſeptem aut duodecim equabus furaverit, bis mille quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VI. Si autem de grege minus fuerit usque ad ſex capita & pretium & cauſam ſuperius intimatam convenit obſervare.

VII. Si quis poledrum anniculum vel bimum furaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VIII. Si vero ſequentem poledrum furaverit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IX.

Proclamaverit] In lege familiæ data à Burchardo Epiſcopo Wormatienſi: *Si quis ex familia S. Petri ad ſociam ſuam legitime venerit, quicquid in dotem dederit, & hoc ipſa annum & diem nonproclamatum poſſidet, ſi vir prior moritur, uxor ejus totam habeat dotem usque ad finem vitæ ſuæ.* Libro 2. de feud. tit. 27. §. 4. *Pith.*

Sequitur] *Suit ſes beſtes.* Morib. Biturices. *Pith.*

Adrhamire] *Jurare*, Noſtris *Arramir*. In inſtrumento de concordia cum Tetbaldo filio Leterii Vindoc. *Pro his rebus acquirendis arramivimus bellum in curia Vindonicenſi.* al. *arravimus.* vide Gloſſarium ad Capitularia. *Pith.*

Adrhamire] Vide notas ad veteres formulas (ſive appendicem Marculfi) c. 1. Adrhamire ab affirmare, ut putat Belius infra tit. 49. Vide Gloſſarium Pithoei ad capitularia ubi adferuntur verſus. Sed fallitur Pithoeus dum jurare exponit. quod ipſi verſus ab illo adducti evincunt: *Molt les oyſſez arramir, ſerement faire & foy plevir.* Ubi diverſa videntur adrhamitio & Sacramentum. Forte illud quod vernacule dicimus *arrer* ab arra data. Inſtrumentum Tetbaldi apud Pithoeum ad hunc locum. *Bign.*

Res ſuas quæſierit & invenerit] Rib. titul. 49. *Quod ſi in domo fuerit, & ei ſcrutinium cujus eſt domus contradixerit, fur habeatur.* Pith.

Illo alio reclamante] Inde *Reclain.* Pith.

Solem culcaverit] Infra tit. 42. n. 9. & 52. n. 2. *adjurnatus* Capitul. lib. 5. c. 303. *De hominibus eccleſiaſticis ſeu fiſcalinis qui non erant adjurnati quando Cenomanico pago fuimus.* Auglo-Saxonice. *Andagar. Bign.*

Secundum Legem culcaverit] Sic ſeptem exemplaria. Al. *collocaverit.* ut tit. 421 inf. & alibi ſæpe. Noſtris *adjourner, ou donner jour.* Nam ſol occaſus ſuprema tempeſtas erat. Gregor. Turon. 7. hiſt. cap. 23. *Injurioſus tamen ad placitum in conſpectu Regis Childeberti advenit, & per triduum usque ad occaſum ſolis obſervavit. Sed cum hic veniſſet, neque de cauſa hac ab ullo interpellatus fuiſſet, ad propria rediit.* Pith.

Ad Tit. XL.

Carrugam] Sic quatuor. Al. *carruam, charruë.* Greg. Turon. 2. miracul. cap. 14. *præparatis carrucis compoſitoque plauſtro.* Pith.

Waranionem] Sic veteres quatuor. An inde *baras?* Tit. 12. leg. Bajuvariorum angargñaco dicitur equus qui in hoſte utilis non eſt. *Pith.*

Spadatum] Caſtratum. Equorum plurimi ex uſu caſtrantur, ne aut feminarum uſu exagitati cunctentur, aut in ſubſidiis ferocientes prodant hinnitu denſiore vectores. Ammianus Marcellinus. *Pith.*

Spadatum] Id eſt, ſpadonem factum, ſeu caſtratum, infra n. 13. Horum equorum Germanicis gentibus frequens uſus, quod ſint laboris & æſtus patientiſſimi, maxime vero in bellis. Ammianus Marcellinus lib. 17. de Quadis & Sarmatis in ea Sarmatiæ parte quæ ſecundam proſpectat Hannoniam. *Equorum plurimi ex uſu caſtrati, ne aut feminarum viſu exagitati raptentur, aut in ſubſidiis ferocientes prodant hinnitu denſiore vectores.* Equi ita mutili hodie ex Sarmatia & Ungaria in Gallias adducuntur multi, unde communi nomine originis ejusmodi *Vngres* vocamus. *Bign.*

Admiſſarium] Sic veteres octo. Gloſſar. *qui omni tempore cum equabus eſt.* Ivo Carnotens. epiſt. 8. In conventione pacis inter Elſatiæ proceres & civitates; *Equi autem admiſſarii, quod vulgariter Stuot vocatur, & vineæ & ſegetes ſub hac pacis conditione perpetuo permaneant.* Ribuar. tit. 5. *Si ingenuus ſoneſti, id eſt, duodecim equas cum amiſſario, ſex ſcruvas cum verre, vel duodecim vaccas cum tauro furatus fuerit.* Marculfus 1 *Armentorum cum ipſo amiſſario caballoſtantos.* Equus ad ſtallum dicitur lib. 8. Wiſig. tit. 4. §. 4. Sic enim veteres libri. *Eſtalon.* Pith.

Admiſſarium] Leg. Alaman. tit. 69. Varro de re ruſt. lib. 2. cap. 2. *Bign.*

Poledrum] Pullum equinum alias *puledrum* quæ vox integra Italis uſurpatur *Pulledro, Poutre,* Ronſardo & Amioto de femina. Poudreau de maſculo. *Bign.*

Si quis puledrum] Sic quatuor. Al. *poletrum.* ut in

IX. Si quis jumenta aliena tribatterit, & evaſerint, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

X. Si autem mortua inde fuerint, mille ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, culpabilis judicetur.

XI. Si quis equam prægnantem furaverit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

XII. Si quis jumentum aut caballum furaverit, mille quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XIII. Si quis admiſſarium alienum ſine conſenſu domini ſui ſpadaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur; & per unum quodque jumentum, quæ ille continere conſueverat, trien componat, quod eſt tertia pars ſolidi, id eſt tredecim denarii & tertia pars unius denarii.

XIV. Si quis per ſuperbiam, aut per inimicitiam caballos aut jumenta aliena tribatterit vel debilitaverit, mille ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, culpabilis judicetur.

XV. Si quis caballum alienum ſine conſenſu domini ſui excurtaverit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur.

XVI. Si quis caballum alienum excorticaverit, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur.

TIT. XLI.

De his qui aliena mancipia ſollicitaverint.

I. SI quis mancipium alienum ſollicitaverit, & convictus fuerit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

II. Si quis ſervum alienum plagiaverit, id eſt per circumventionem de ſervitio domini ſui abſtraxerit, & trans mare, ſive in quamlibet regionem ipſum duxerit, & ibidem à domino ſuo inventus fuerit, & ipſum à quo in patria plagiatus eſt in mallo publico nominaverit, & tres ibidem teſtes dominus habere debet, & iterum cum ſervus ipſe de trans mare vel qualibet regione fuerit revocatus, in altero mallo debet nominare qui eum plagiaverit, & ibidem ſimiliter tres teſtes debent eſſe. Ad tertium vero mallum ſimiliter fieri debet, ut novem teſtes jurent quod ſervum ipſum æqualiter ſemper ſuper plagiatorem dicentem audiſſent. Sic poſtea qui eum plagiaverit, mille quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura. Ea tamen ratione, ut nomina hominum & villarum æqualiter per totos tres mallos debeat nominare.

III. Si quis hominem ingenuum plagiaverit, vel vendiderit, & poſtea in patriam reverſus fuerit, quatuor mille denariis, qui faciunt ſolidos centum, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis hominem ingenuum vendiderit, & poſtea in patriam ad propria reverſus non fuerit, octo mille denariis, qui faciunt ſolidos ducentos, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

TIT. XLII.

De ſervo qui de furto fuerit interpellatus.

I. SI cujus ſervus de furtu fuerit interpellatus, ſi talis cauſa eſt unde ingenuus ſexcentos denarios, qui faciunt ſolidos quindecim, componere debeat, ſervus ſuper ſcamnum tenſus centum viginti ictus accipiat.

II. Si

---

legib. Wiſigott. lib. 8. *poudre ou poutre*, Gloſſ. Pullus, πῶλος. *Pith.*

Tribatterit] Sic quatuor veteres. Al. *trebatterit*, *debilitaverit*, aut *percuſſerit*. In editione Germanica tit. 28. *Si quis feminam ingenuam gravidam trabatit, & ipſa femina fuerit mortua.* Pith.

Spadaverit] Id eſt, ſpadonem fecerit. Jac. Cujacius. Spadones à Spada Perſiæ urbe, in qua primi eunuchi facti, ſi Stephano fides: Σπάδα πόλις περσικὴ ἐν ᾗ πρῶτα εὐνουχισμὸς γέγονεν. Concilium apud Theodonis villam: *Si quis Presbyterum calumniatus fuerit & ſpadaverit.* Alio capite; *Si quis Presbyterum malè tractaverit & ſpadaverit.* Anton. Auguſtinus emendat. Gratiani lib. 2. dialog. 11. legendum cenſet *ſpathaverit.* Male vulgo ſpaffaverit. *Bign.*

Triaen componat] Sic exemplaria quatuor. Alia duo: *Triante uno.* Pith.

Triaen componat] Sic vetus codex Thuani. Legendum *triente*: niſi legas triene. De triente vide Gregor. Turonens. de gloria confeſſor. cap. 109. & alibi vet. formul. Lindenbrogii. 143. *Bign.*

Excurtaverit] Sic quinque alia: *Scurtaverit.* Tit. 4. lib. 8. leg. Wiſigott. §. 3. *Si quis alieni caballi comam turpaverit, aut caudam curtaverit.* Pith.

Excorticaverit] Sic quinque. Alia duo: *excoriaverit.* Plenius unum exemplar: *Si quis caballum mortuum ſine permiſſu domini ſui excorticaverit.* Pith.

Ad Tit. XLII.

Super Scamnum tenſus] Ad malam manſionem extenſus, l. 7. D. depoſit. Euſeb. τὰς ἐν ξύλῳ διαδόσεις τῶν ποδῶν. Gregor. Turon. Hiſtor. l. 5. cap. 49. Geſta Francorum: *Chramnus ſuper ſcamnum tenſus orario ſuggillatus eſt.* Aimoin. lib. 2. cap. 30. *Pith.*

Et

Digitized by Google

II. Si vero antequam torqueatur fuerit confessus, & domino ejus ita placuerit, centum viginti denarios, qui faciunt solidos tres, pro dorso suo reddat, & capitale dominus servi in locum restituat.

III. Si autem talis culpa fuerit, de qua ingenuus mille quadringentos denarios, qui faciunt solidos triginta quinque, componere debeat, similiter servus centum viginti ictus accipiat tensus.

IV. Et si in ipso supplicio fuerit confessus, aut castretur, aut ducentos quadraginta denarios, qui faciunt solidos sex, solvat; dominus verò servi capitale in locum restituat requirenti.

V. Et si servus confessus non fuerit, & ille qui eum torquet, adhuc ipsum servum torquere voluerit, etiam nolenti domino servi pignus donare debet, & ipsum servum ad majora supplicia retinere. Et si postea servus ad majora supplicia traditus confessus non fuerit, qui eum torquebat, ipsum habeat; dominus verò servi de quo jam pignus acceperat, pretium pro ipso servo suo suscipiat.

VI. Si vero supra dominum servus confessus fuerit, nunquam illi credatur.

VII. Si verò in majori crimine servus inculpatus fuerit, de quo ingenuus mille octingentis denariis, qui faciunt solidos quadraginta quinque, posset culpabilis judicari, & inter supplicia confessus fuerit, capitali sententia feriatur.

VIII. Si autem servus de quolibet crimine inculpatus fuerit, & dominus servi ipsius præsens adfuerit, ab eo qui repetit admoneatur ut servum suum ad justa supplicia dare non differat. Et qui repetit, virgas paratas habere debet, quæ in similitudinem minimi digiti grossitudinem habeant; & scamnum paratum habere debet, ubi servum ipsum tendere possit.

IX. Quòd si dominus servi supplicia distulerit, & servus præsens fuerit, continuò ipse qui repetit, domino servi solem collocet, & ad septem noctes placitum concedat, ut servum ad supplicia tradat.

X. Si infra septem noctes servum ad supplicia distulerit tradere, solem ei iterato is qui repetit collocet, & sic iterum ad alias septem noctes placitum tribuat, id est ut quatuordecim noctes à prima admonitione compleantur.

XI. Quod si impletis quatuordecim noctibus servum noluerit ad supplicia dare, omnem causam & compositionem dominus in se excipiat, hoc est, ut si talis causa fuerit de qua ingenuus sexcentos denarios, qui faciunt solidos quindecim, componere debeat, tantum ipse dominus servi reddat.

XII. Si verò major culpa fuerit, de qua ingenuus mille octingentos denarios, qui faciunt solidos quadraginta quinque, componere debeat, & dominus servum non repræsentaverit, ipsum numerum solidorum reddat, & capitale in locum restituat.

XIII. Quòd si adhuc major culpa fuerit, quæ servo requiritur, dominus servi non ut servus, sed ut ingenuus totam legem super se solvitu-rus accipiat.

XIV. Si autem servus absens fuerit, dominum servi is qui repetit admonere debet secretiùs, ut servum suum infra septem noctes præsentem faciat. Quod si non fecerit, tunc repetens solem illi cum testibus collocet. Et si infra alias septem noctes ipsum servum non præsentaverit, iterum repetens cum testibus solem ei

---

Et in ipso supplicio] Supplicium pro tormento ut infra num. 5. 8. Anianus in Caji epitome apud Aleandrum. pag. 9. b. *Bign.*

Castretur] Vide Sigonium de regno Italiæ lib. 6. ad annum 933. pag. 159. Castratur autem servus in adulterio supra tit. 27. num. 4. *Bign.*

Virgas parat. hab.] Fustuarium supplicium Senatori lib. 4. epist. 10. Nam in leg. Burgund. tit. 6. num. 11. *acceptis CCC. fustibus damnetur.* Ita leges illæ interpretantur, quod aliæ frequentius dicunt CCC. *aut CXX. ictibus.* Vide pactum pro tenore pacis Dom. Childeberti & Clotharii R. art. 6. supra tit. 13. num. 1. Gregor. Turonens. lib. 1. cap. 41. *Monachos ad malitiam cogi jubet, nolentes fustibus præcipit verberari.* cap. 34. *tam diu fustibus cæditur quoadusque putaretur exanimis.* Vide Victorem Utic. pag. 7. 14. 21. 31. 36. Sed ibi de flagellis, quæ sunt diversa. Vid. l. 1. Cod. de cursu publico lib. 12. & discute. *Bign.*

Minimi dig. grossit.] Caroli Calvi adnuntiatio apud Pistas an. DCCC LXIV. cap. 15. *Si vero servi Ecclesiastici, aut Comitum, aut vasallorum nostrorum hoc facere præsumpserint, quia in præfato capitulari continetur ut sexaginta ictibus vapulent, & hac occasione indiscreti homines modum in disciplina non faciebant, constituimus fidelium nostrorum consensu atque consilio, ut quorumcunque coloni & servi pro hoc convicti non cum grossa fuste, sed nudi cum virgis vapulent: & in civitatibus atque vicis seu villis Episcopi per suos ministros vel Presbyteros providentiam hanc cum reip. ministris accipiant, nec in hac causa modus disciplinæ transgrediatur.* Bign.

Et Scamn. parat.] Tormenti & quæstionis genus Turcis etiam nunc in usu; quòd cum homines tendat, equuleum possumus appellare. Nam & medici unum ex instrumentis, quibus utuntur ad ossa componenda scamnum vocant. Celsus lib. 8. cap. 20. de femore luxato: *Etiamnum valentiùs intenditur membrum super scamnum, cui ab utraque parte axes sunt, ad quos habenæ illæ diligantur; qui ut in torcularibus conversi rumpere quoque, si quis perseveraverit, non solum extendere nervos & musculos possunt.* Hippocrates docuerat ἀεὶ ἀρθρων. Tensionem ad trocleas vocat Gregor. Turonens. lib. 5. cap. 49. quem vide lib. 6. cap. 8. & 35. lib. 7. cap. 32. vide Magium de tintinnabulis, & Gallonium. Abdias supposititius lib. 9. pag. 110. b. *Rex iratus jussit eum extensum torqueri & cæsum recludi carcere.* Martyrolog. Notkeri IV. id. Martii. p. 792. *Apud Nicomediam B. Petri Martyris jubente Diocletiano, eo quòd de suppliciis martyribus irrogatis (nam unus erat ex sodalibus Dorothei & Gorgonii martyrum, qui in cubiculo Regis erant) liberius causaretur, in equuleo suspensus, & flagris toto laniatus corpore, aceto & sale perfunditur.* Idem idib. Martii de S. Matrona, quæ ancilla erat: *in scamno extensa atque ligata.* Greg. Turonens. lib. 5. cap. 28. ad stipitem extendi. Ammian. Marcellin. lib. 14. *Eusebius verò objecta fidentius negans, suspensus in eodem gradu constantiæ stetit.* Vide notas Lindenbrogii pag. 22. *Bign.*

Noctes] Vide notas ad Marculfum (sive appendicem Marculfi) cap. 2. Id quia nox die prior. An vero quia non à dite oriundi, ut Cæsar; sed à septentrione ubi hyems ferè continua, & longæ noctes, ut ab ea diei par-

ei collocet, & tertia vice adhuc ſeptem noctes placitum illi concedat, id eſt, ut totus numerus ad viginti unam noctem perveniat. Quòd ſi poſt tria placita ſervum noluerit ligatum ad ſupplicia dare, & per ſingula placita ſolem ei collocaverit, tunc dominus ſervi omnem repetitionem, ſicut ſuperius diximus, non ut ſervus, ſed quaſi ingenuus hoc commiſiſſet, talem compoſitionem repetenti reſtituat.

XV. Si vero ancilla in tali crimine inculpatur de quo ſervus caſtrari debuerat, ducentos quadraginta denarios, qui faciunt ſolidos ſex, pro ipſa dominus reddat, aut ducentos quadraginta ictus accipiat flagellorum.

Tit. XLIII.

De homicidiis ingenuorum.

I. Si quis ingenuus hominem Francum aut barbarum occiderit, qui lege Salica vivit, octo mille denariis, qui faciunt ſolidos ducentos, culpabilis judicetur.

II. Si vero eum in puteum aut ſub aquam miſerit, viginti quatuor mille denariis, qui faciunt ſolidos ſexcentos, culpabilis judicetur.

III. Si autem de ramis vel de hallis aut de qualibet re eum cooperuerit aut incenderit, viginti quatuor mille denariis, qui faciunt ſolidos ſexcentos, culpabilis judicetur.

IV. Si quis eum occiderit, qui in truſte dominica eſt, viginti quatuor mille denariis, qui faciunt ſolidos ſexcentos, culpabilis judicetur.

V. Si verò in puteum aut ſub aquam miſerit, aut de hallis vel de ramis eum cooperuerit, aut incenderit, ſeptuaginta duobus mille denariis, qui faciunt ſolidos mille octingentos, culpabilis judicetur.

VI. Si quis Romanum hominem convivam Regis occiderit, duodecim mille denariis, qui faciunt ſolidos trecentos, culpabilis judicetur.

VII. Si Romanus homo poſſeſſor, id eſt, qui res in pago ubi commanet proprias poſſidet, occiſus fuerit, is qui eum occidiſſe convincitur, quatuor mille denariis, qui faciunt ſolidos centum, culpabilis judicetur.

VIII. Si quis Romanum tributarium occiderit, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

IX. Si

---

te denominarent ex qua plurimum apud eos conſtabat. Etſi in compenſationem longiores dies iidem illi habuerint. Inde Cimmeriorum fabulam fluxiſſe reor. & quod N. Paulus etiam fabulatur de tenebrarum regione. Quamquam niſi fallat memoria illi Haythonus Armenius concinat, pleniùs diſcutiendum. In legib. Canuti R. cap. 10. *Poſt duodecim hyemes.* Anglo-Saxones numeraſſe annos per hyemes palam eſt, ex quibus annus illis conſtabat. Bajuvarii per autumnos numerabant, l. Bajuvar. tit. 7. cap. 19. num. 4. Adde Juvenalem Satyr. 6. *Quinque per autumnos.* Servius ad Eclogam 1. *Poſt aliquot ariſtas: quaſi ruſticus per ariſtas numerat annos] Aux baux; neuf années & neuf cueillettes.* Bign.

Ad Tit. XLIII.

Barbarum] Gregorius Turonenſ. lib. 3. c. 15. *Bign.*

Sol. DC.] Marculfus lib. 1. cap. 18. cum notis. Paulus Warnefr. lib. 3. cap. 31. *Data eſt redemptio pro capite uniuscujusque vivi ſolidi ſexcenti.* Bign.

De hallis] Tit. 69. Ripuar. Gloſſ. ſiccis *ramis.* Inde *Halle de Mars.* Et quæ à Philippo Auguſto Lutetiæ ædificatæ ſunt, *Les Halles.* Rigord. *Pith.*

In truſte] Antruſtionem Regis, dabatur duploma cujus formula hæc eſt. *Rectum eſt ut qui nobis fidem pollicentur inleſam, noſtro tueamur auxilio. Et quia ille noſter fidelis Domino propitio veniens in palatio noſtro, una cum arimania ſua, in manu noſtra truſtem & fidelitatem nobis viſus eſt conjuraſſe, propterea per præſens præceptum decernimus ac jubemus, ut deinceps memoratus ille in numero antruſtionum computetur, & ſi quis fortaſſe eum interficere præſumpſerit, noverit ſe virgeldo ſuo ſolidos ſexcentos culpabilem eſſe.* Germanis *trew.* *Pith.*

In Truſte Domin.] *Amtruſtio* in Cod. reg. Marculfus lib. 1. cap. 18. cum notis: ubi *truſtem, id eſt fidem.* Decretio Clotarii R. cap. 3. *Bign.*

Convivam Regis] Venantius Honorius Clementianus Fortunatus Presbyter Italicus de Conda Domeſtico.

Nunc etiam placidi Sigeberti Regis amore
Sunt data ſervitiis libera dona tuis.
Juſſit & egregios inter reſidere potentes,
Convivam reddens proficiente gradu.
Rex potior reliquis merito meliora paravit;
Et quod majus habet, hoc tua cauſa docet.

Gregor. Turon. lib. 7. cap. 16. de prætexato: *Poſt reditum verò ſuum ad urbem Pariſiacam advenit, ac ſe Guntheramo Regi repræſentavit, exorans ut cauſam ſuam diligenter exquireret. Aſſerebat enim Regina eum non debere recipi, qui fuiſſet per judicium quadraginta quinque Epiſcoporum à Sacerdotali officio ſegregatus.* Sequitur deinde: *Et ſic à Rege ſuſceptus, atque convivio ejus adſcitus, ad urbem ſuam regreſſus eſt.* Ut jure ſe tueatur Ivo epiſt. 123. Capitularibus regalibus quòd Gervaſium ad communionem in Paſchali Curia ſuſcepiſſet. *Pith.*

Convivam Regis] Suetonius in Veſpaſiano cap. 2. Martialis lib. 9. epig. 93. Marcellinus lib. 15. Senator lib. 1. cap. 43. Lex Burgund. tit. 38. n. 2. Claudianus in Eutropium lib. 2.

- - Claro quod nobilis ortu
Conviva eſt domini.

Jornandes de rebus Geticis cap. 33. de Berimundo: *ſuſceptus eſt cum filio ſuo à Rege Theoderico honorificè nimis, adeo ut nec conſilio ſuo expertem nec convivio faceret alienum.* Gallice *commenſal.* Vetus cod. Jac. Aug. Thuani habet, *in convivium.* Bign.

Poſſeſſor] *Ingenuus.* Greg. Turon. 3. de mir. S. Martini cap. 23. *Erant enim ingenui & poſſeſſionem propriam poſſidentes.* Pith.

Poſſeſſor] Vide ſupra ad Tit. 36. num. 4. & Gregor. Turonenſ. lib. 5. c. 28. *Bign.*

Romanum tributarium] Gloſſ. *Et Stopharius nominatur, qui cenſum Regi ſolvit.* Nec enim Franci ingenui pendebant tributum. Turon. lib. 7. cap. 16. In exemplari de donationibus factis Eccleſiæ Salisburgenſi: *Tradiditque tributales Romanos ad eundem locum in diverſis locis colonos centum ſedecim.* Tom. 6. Caniſii pag. 1151. Ibidem: *Dedit qui dicuntur Romanos tributales* LXXX. pag. 1152. *Alii erant exercitales.* ibid. *Pith.*

In

Digitized by Google

IX. Si quis hominem invenerit in quadrivio ſine manibus & ſine pedibus, quem inimici ſui detruncatum dimiſerint, & eum vita privaverit, quatuor mille denariis, qui faciunt ſolidos centum, culpabilis judicetur.

X. Si quis hominem ingenuum in puteum aut in pelagus, aut in quodlibet præcipitium, ubi periculum mortis eſſe poſſit, impinxerit, & ille qui projectus eſt, quolibet modo ab eodem periculo vivus evaſerit, ille qui eum impinxerit, quatuor mille denariis, qui faciunt ſolidos centum, culpabilis judicetur.

XI. Si autem qui præcipitatus eſt mortuus fuerit, tota leude ſua componatur. Atque ita unaquæque perſona, quæ majori minorive compoſitione componi debuerat, ſi de præcipitio periculum mortis evaſerit, medietate leudis ſuæ componatur qua componi debuerat ſi mortuus fuiſſet. Nam etſi mortuus fuerit unusquisque ſecundùm modum leudis ſuæ componatur.

XII. Si quis hominem ingenuum cuilibet ſocio ſuo de quolibet crimine accuſaverit, & per ejus commotionem ſive mendacium ille qui accuſatus eſt occiſus fuerit, ſi ei adprobatum fuerit, medietatem leudis ejus componat. Ille verò qui eum occidit ſecundùm legem pleniter eum componat.

TIT. XLIV.

De homicidiis à contubernio factis.

I. SI quis collecto contubernio hominem ingenuum in domo ſua adſallierit, & ibidem eum occiderit, viginti quatuor mille denariis, qui faciunt ſolidos ſexcentos, culpabilis judicetur.

II. Si verò in truſte dominica ille qui occiſus eſt fuerat, ſeptuaginta duobus mille denariis, qui faciunt ſolidos mille octingentos, culpabilis judicetur.

III. Quod ſi corpus occiſi hominis tres plagas vel ampliùs habuerit, tres qui inculpantur, & quòd in eo contubernio fuiſſent, convincuntur, legem ſuperius comprehenſam ſingillatim cogantur exſolvere. Alii verò tres de eodem contubernio ter mille ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos nonaginta, unusquisque illorum culpabilis judicetur. Et tres adhuc in tertio loco de eodem contubernio, mille octingentis denariis, qui faciunt ſolidos quadraginta quinque, ſinguli eorum cogantur exſolvere.

IV. Si verò Romanus vel lidus in tali contubernio occiſus fuerit, hujus compoſitionis medietas ſolvatur.

TIT. XLV.

De homicidiis in convivio factis.

I. SI in convivio ubi quatuor aut quinque fuerint homines, unus ex ipſis interfectus fuerit, illi qui remanent, aut unum convictum reddant, aut omnes mortis illius compoſitionem conjectent. Quæ lex usque ad ſeptem qui fuerint in convivio illo convenit obſervari.

II. Si vero in illo convivio plus quam ſeptem fuerint, non omnes teneantur obnoxii, ſed

---

In quadrivio] Auſonius.

Abjecta in triviis inhumati glabra jacebat
Teſta hominis. Pith.

Sine manibus & pedibus] Gregor. Turon. hiſt. lib. 8. cap. 29. *Truncatis manibus auribusque & naribus, variis ſunt mortibus interempti.* lib. 10. cap. 15. *Aliis manibus, nonnullis auribus naribusque deciſis, ſeditio depreſſa quievit.* Et lib. 10. cap. 17. *Alios manibus inciſis relinquunt, nonnullos auribus naribusque amputatis ad ridiculum laxaverunt.* & cap. 11. 18. *Pith.*

In puteum] Tur. 7. 23. 373. *Judæi cum duobus Chriſtianis ab injurioſis hominibus interfecti in puteum, qui propinquus erat domui ejus, projecti ſunt.* Ado: *Comprehenſus à Chlodomero cum uxore & filiis ſuis necatur, & in puteum projectus occultatur.* Pith.

Tota leude ſua componatur] Tit. 55. & tit. 7. leg. Angl. & tit. 2. leg. Fiſion. in capitulis Caroli Magni in Sylvaco editis: *Si latro ibi occiſus fuerit, qui eum occiderit, leudem inde non ſolvit, & nullus illi inde faidam portare præſumat.* Vetus formula: *ſic ab ipſis fuit judicatum, ut illam leudem, ut lex erat, ſolvere deberet.* Pith.

Ad Tit. XLIV.

Contubernio] Sidonius lib. 3. epiſt. 9. *Inter armatos tumultuoſos, virtute, numero, contubernio contumaces.* Ita emendavi. Marculfus lib. 2. cap. 16. Contubernium autem hoc non eſt auxilium, ut malè Lindenbrogius, ſed cœtus eſt, manus, quo per turbam vis fieret, quod nomen inde deductum eſſe opinor, quòd contubernium extrema & minima centuriæ particula erat, quæ ducem haberet, cui præerat decanus, ſive caput contubernii. Vegetius lib. 2. cap. 8. & 13. apud Cæſarem & Suetonium paſſim. At ſi quis decem virorum cœtum coëgiſſet, turba erat & de vi tenebatur. l. 4. §. 2. D. vi bonorum raptor. Unde & ibi Bartolus ex decem populum conſtare exiſtimavit. Et ſi diligentiùs hoc caput legis Salicæ diſcutias num. 3. novem in contubernio ordine terno adſignari invenies. Porrò qui convocata ſeditione villas expugnaverint, lege Julia de vi tenebantur; & qui hominem obſederit, incluſerit concurſu & turba. l. 3. §. 2. l. 5. D. ad leg. Jul. de vi publica. *Bign.*

In domo ſua adſallierit] Marculfus: *Qualiter vos nulla movente cauſa in via adſalliſſetis & graviter livoraſſetis.* Pith.

Medietas ſolvatur] Medietas tantùm compoſitionis, & pœna minor Romano aut liberto occiſo à Francis. *Bign.*

Ad Tit. XLV.

Si in convivio] Pœnitentiale Romanum cap. 15. ex Concilio apud Wermerias. *Pith.*

Plusquam ſeptem] Æquitas ſumma. Turba enim potius eſſe videtur quam convivium. Inhumanum autem fuiſſet ab uno in turba commiſſum ceteros luere. Auſonius in Ephemer.

Digitized by Google

fed quibus fuerit imputatum, illi ſecundum legem componant.

III. Si quis foris caſa, ſive iter agens, ſeu in agro poſitus, à contubernio fuerit occiſus, & tres plagas vel amplius habuerit, tres de eodem contubernio qui convicti fuerint, ſingillatim mortis illius compoſitionem componant, & tres alii de ipſo contubernio mille ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, unusquisque illorum culpabilis judicetur. Et tres adhuc alii de ipſo contubernio ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, ſinguli eorum culpabiles judicentur.

TIT. XLVI.

De reippus.

I. SI quis homo moriens viduam dimiſerit, & eam quis in conjugium voluerit accipere, antequam eam accipiat, Tunginus aut Centenarius mallum indicent, & in ipſo mallo ſcutum habere debent & tres homines cauſas tres demandare. Et tunc ille qui viduam accipere vult, cum tribus teſtibus qui adprobare debent, tres ſolidos æque penſantes & denarium habere debet. Et hoc facto, ſi eis convenit, viduam accipiat.

II. Si vero iſta non fecerit, & ſic eam acceperit, ille cui reippus debetur, bis mille & quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur.

III. Si autem quæ ſuperius diximus omnia ſecundum legem impleverit, & tres ſolidos & denarium ille cui reippus debetur acceperit, tunc eam legitime accipiat.

IV. Hoc diſcernendum videtur, cui reippus debeatur.

V. Si nepos fuerit ſororis filius ſenior, ille reippum accipiat.

VI. Si vero nepos non fuerit, neptis filius ſenior ille accipiat.

VII. Quod ſi neptis filius non fuerit, conſobrinæ filius qui ex materno genere venit, ipſe accipiat.

VIII. Si autem nec conſobrinæ filius fuerit, tunc avunculus frater matris reippum accipiat.

IX. Si vero avunculus non fuerit, tunc frater illius qui ipſam mulierem antè habuerat, ſi in hereditatem defuncti fratris, id eſt, mariti mulieris illius, venturus non eſt, ipſe reippum accipiat.

X. Quod ſi nec ipſe fuerit, tunc qui proximior fuerit poſt ſuperius nominatos, qui ſingillatim ſecundum parentelam dicti ſunt, usque ad ſextum genuculum, ſi in hereditatem illius mariti defuncti non accedat, ipſe reippum accipiat.

XI. Si

Sex enim convivium
Cum Rege juſtum, ſi ſuper convicium eſt.

Regem convivii intelligit, ut ſint numero ſeptem. Convicium περιβόησις vociferatio multorum incondite clamantium. Capitolinus in Vero: *Septem convivium, novem vero convicium.* Varro apud Gellium lib. 13. cap. 11. *Plures eſſe non convenit, quod turba eſt turbulenta.* Archeſtratus Syracuſius vetus Poëta in γαστρονομία apud Athenæum lib. 1. pag. 3. non amplius quam quinque convivas admittit:

Πρὸς δὲ μιᾷ πλείας ἀνιτέον ἀβροδαίτῃ ἑταίρῃ.
Ἑξάσιν δ' ἢ ἧσσις, ἢ τέσσαρες οἱ ξυνέταιλοι.
Ἢ τῶν πλήθ' γὰρ μὲν πλείους, ἄδεα· ἢ δ' ἂν εἴη
Μισθοφόρων ἀσπαξίβιον σκιὴ σφαλιωτῶν.

Apte itaque alludit Archeſtratus ad tentorium ſub quo unum decem hominum contubernium. Vide Vegetium. Quamquam in Platonis Sympoſio viginti fuerint convivæ. *Bign.*

Ligno ſuſpenditur alte
Erecto clypeus. Tum præco regius omnes
Convocat à Dominis feudalia jura tenentes.

An quod armati in Concilium venirent? Liv. lib. XXI. de Gallis. Tacitus de moribus Germanorum. *Pith.*

Tres homines] Infra tit. LVI. num. 4. *Bign.*

Tres homines] Tit. 48. & tit. 56. *Sagibarones plus quam tres eſſe non debent.* Pith.

Tres ſolidos æquè penſantes] Majores noſtri, ſicut & nos hodie, uxores ſibi emebant ſolido & denario. Fredegarius Scholaſticus: *Legatos ad Gunebaldum dirigit petens ut Chrotildem neptem ſuam ei in conjugium ſociandam traderet. Quod ille denegare metuens, & ſperans amicitiam cum Chlodoveo inire, eam daturum ſpopondit. Legati offerentes, ſolido & denario, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovei ſponſant, placitum ad præſens petentes, ut ipſam ad conjugium traderet Chlodoveo.* Marculfus in formulis: *N. filius N. puellam ingenuam nomine N. illius filiam per ſolidum & denarium ſecundùm legem Salicam & antiquam conſuetudinem deſponſavit.* Propterea uxor in poteſtatem viri cedit, nec liberam habet rerum adminiſtrationem. quod & Gallis in uſu fuiſſe teſtatur Cæſar. *Pith.*

Habere debet] Additur in duobus: *Et tres erunt qui ſolidos penſare vel probare debent.* Quaſi libripendes intervenerint. *Pith.*

Cui reippus debeatur] Nec enim debetur ei qui in hereditatem defuncti mariti ſuccedit. *Pith.*

Parentillam] Vide infra tit. LXIII. ubi nota ex Jornande. Fortunatus pag. 99.

Juncta parentali culmine Roma fuit.

Leg. Burgund. tit. 85. art. 1. Capitolinus in Gordiano: *Duxit uxorem filiam Miſithei doctiſſimi viri, quem cauſa eloquentiæ dignum parentela ſua putavit, & Præfectum ſtatim fecit.* Bign.

Poſt ſextum Genuculum] Synod. Apripp. can. 6. Meldens. can. 7. *usque ad ſeptimum gradum.* Pith.

Cauſa

Ad Tit. XLVI.

De Reippus] Gloſſ. *de ſponſalitiis viduarum.* Pretium emptionis viduæ matrimonii cauſa tit. 41. leg. Saxon. *Pith.*

Tunginus] Gloſſ. *Judex qui poſt Comitem eſt. Degan.* Sollenſib. & in priſcis Anglorum legibus. Thegn. *Pith.*

Scutum habere debet] Tit. 48. *Scutum in ipſo mallo habeat.* Inde apud Ottonem de geſtis Friderici lib. 1. cap. 12. *Eſt autem conſuetudinis Regum Francorum, quæ & Teutonum, ut quotiescunque ad ſumendam imperii Coronam militem ad transalpizandum coëgerint, in prædicto campo manſionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto ſcutum ſuſpenditur.* Guntherus.

Digitized by Google

XI. Si autem nullus nisi post sextum genuculum proximus fuerit, in fiscum ipse reippus vel causa quæ inde orta fuerit colligatur.

Tit. XLVII.

De eo qui villam alienam occupaverit, vel si duodecim mensibus eam tenuerit.

I. SI quis super alterum in villam migrare voluerit, & aliqui de his qui in villa consistunt, eum suscipere voluerint, & vel unus ex ipsis extiterit qui contradicat, migrandi licentiam ibidem non habeat.

II. Si vero contra interdictum unius vel duorum in villa consedere præsumpserit, tunc interdictor testari debet illi cum testibus, ut infra decem noctes inde exeat. Et si noluerit, iterum ad ipsum cum testibus veniat, & testetur illi ut infrà alias decem noctes secedat. Quòd si noluerit, iterum tertio placito, ut infra decem noctes exeat, denuntiet. Si vero triginta noctes impletæ fuerint, & nec tunc voluerit exire, statim illum manniat ad mallum; & testes suos, qui ad ipsa placita fuerunt secum præstos habeat. Si autem ipse cui testatum est venire noluerit, & eum aliqua sunnis non detinuerit, & secundùm legem supradictam testatus fuerit, tunc ipse qui ei testatus est, super fortuna sua ponat, & Grafionem roget ut accedat ad locum, & ipsum inde expellat. Et si ibi aliquid elaboravit, quia legem noluit audire, amittat, & insuper mille ducentis denariis, qui faciunt solidos triginta, culpabilis judicetur.

III. Si verò quis alium in villam alienam migrare rogaverit antequam conventum fuerit, mille octingentis denariis, qui faciunt solidos quadraginta quinque, culpabilis jùdicetur.

IV. Si autem quis migraverit in villam alienam, & ei aliquid infra duodecim menses secundùm legem contestatum non fuerit, securus ibidem consistat sicut & alii vicini.

Tit. XLVIII.

De affatomiæ.

I. HOc convenit observare, ut Tunginus vel Centenarius mallum indicent, & scutum in ipso mallo habeant, & tres homines causas tres demandare debent in ipso mallo, & requiratur postea homo qui ei non pertinet, & sic festucam in laisum jactet; & ipse in cujus laisum festucam jactaverit dicat verbum de fortuna sua, quantum ei voluerit dare. Postea ipse in cujus laisum festucam jactaverit, in

---

Causa] Gloss. *Pœna propter solemnia non servata.* Pith. *Causa quæ inde orta fuerit.*] Id est pœna solemnium non servatorum. P. P. MS. *Bign.*

Ad Tit. XLVII.

De eo qui villam] *De complainte en cas de saisine & nouvelleté dedans l'an.* Vt fallantur qui D. Ludovicum Regem aut Simonem de Bucy jus istud antè nescitum intra Franciam proquiritasse tradunt. *Pith.*

Si vero XXX. noctes impletæ fuerint] Jure Romano cùm in rem aliquam agerent litigatores & pœna sacramenti peterent, poscebant judicem, qui dabatur post tricesimum diem. Ascon. 3. in Verrem. *Pith.*

Præstos habeat] Sic veteres tres. Gloss. *præsentes.* Alii duo: *Præstus:* Jure Romano superstitibus, id est, testibus præsentibus, ii inter quos controversia erat, vindicias sumere jubebantur. *Pith.*

Supra fortuna sua] *A ses perils & fortunes.* Pith.

Vt accedat ad locum] *Execution & fournissement de complainte sur le lieu.* cap. 12. consuetud. Insulan. Gellius. lib. 20. cap. 9. *Pith.*

Elaboravit.] Turon. cap. 82. de gloria Confess. *Cumque alterum vas apium vellet auferre, ait Sacerdos: Sufficiat nunc fili istud, alterum verò ei qui ipsum laboravit reserva.* Marculfus in formulis. *Tam de alode aut de comparato vel de quolibet adtractu, ubicunque habere videor, & quod pariter in conjugium positi laboravimus.* Et canone 14. Synodi Triburiensis: *Si verò in qualibet silva, vel deserto loco aliquod desertum collaboraverit.* Pith.

Ad Tit. XLVIII.

De affatomiæ] Sic veteres quinque. Gloss. *De donationibus quæ fiunt festuca in sinum ei cui donabatur projecta.* Marculfus in formula affatimiæ. *Dulcissimis nepotibus meis illis, ego avus. Dum cognitum est qualiter genitor vester filius meus, compellente fine naturæ de hac luce decessit, & vos in alode minimè accedere poteratis, ideò pensantes causam consanguinitatis dono vobis per hanc affatimiam pro omni portione in pago illo, centena illa, quidquid in jam dicto loco &c.* Idem: *quicquid jam dicto loco genitor vester filius meus dividere & exæquare deberet, vos quoque nepotes mei per hanc affatimiam post obitum meum dividere & exæquare faciatis.* Pith.

De afatomie] Forma est & modus possessionis transferendæ ex causa possessionis. Videantur veteres formulæ incerti auctoris (sive appendix Marculfi) cap. 19. 20. 43. 57. & legis Romanæ cap. 15. Edictum Theodorici R. cap. 53. *Tres sufficiant curiales, dumnodo vicinis scientibus impleatur corporalis introductionis effectus.* Vide ex consuetudinibus nostris Raguellum pag. 507. in verbo *saisine.* Videatur Andegavensis consuetudo, & acta possessionis. Traditio in donationibus necessariò requirebatur. Vide l. 1. Cod. Th. de donationibus in verbo: *Abscessu donantis.* l. 8. eod. Adfatimire, & adfatimus, leg. Ribuar. tit. 51. pag. 28. edit. Til. epistolæ adfatimæ Vet. form. Lindenbrogii 50. pag. 523. donatio est, ut videtur Francisco Pithœo. *Bign.*

Festucam] Aliquot Codices, *fistucam*, Symbolum traditionis. Marculfus: *Consignavit & tradidit & vestivit, & per durpilum & festucam sibi foras exitum alienum vel spoliatum in omnibus esse dixit.* Et alibi: *quod in præsente & per fistucam eas eidem visus est commendasse.* Idem: *Inter se visi sunt divisisse vel exæquasse, & invicem pars partem tradidisse & per fistucam omnia partitum partisse. Inde exfestucare* Henrico IV. Imperatori Sigeberto & Ottoni Frisingensi & formulariis nostris. *bailler un festu en signe de deguerpissement.* Pith.

In laisum] Gloss. *in sinum.* Marculfus de læsoverpo per manum Regis: *Villas nuncupatas N. sitas in pago illo sua spontanea voluntate nobis per fistucam visus est laisoverpisse vel condonasse.* Inde *tendre le giron.* Pith.

Digitized by Google

in casa ipsius manere & hospites tres suscipere & de facultate sua, quantum ei datur in potestate sua habere debet; & postea ipse cui creditum est, ista omnia, cum testibus collectis agere debet. Postea aut ante Regem aut in mallo legitimo illi cui fortunam suam deputavit reddere debet; & accipiat postea festucam in mallo ipso ante duodecim menses ipse quem heredem deputavit, in laisum suum jactet, & nec minus, nec majus, nisi quantum ei creditum est. Et si contra hoc aliquid dicere voluerit, debent tres testes jurati dicere, quod ibi fuissent in mallo ubi Tunginus vel Centenarius indixerunt, & quod vidissent hominem illum, qui fortunam suam dedit, in laisum illius quem jam elegerat festucam jactare, & nominare illum debent, qui fortunam suam in laisum electi jactavit. nec non & illum in cujus laisum festucam jactavit, & heredem appellavit, similiter nominent. Et alteri tres testes jurati debent dicere quòd in casa illius hominis, qui fortunam suam donavit, ille in cujus laisum festucam jactavit, ibidem mansisset, & hospites tres vel ampliùs collegisset & pavisset, & ei ibidem gratias egissent, & in beo de suo pultes manducassent, & testes collegissent. Ista omnia alii tres testes jurati dicere debent, quoniam in mallo legitimo vel ante Regem ille qui accepit in laisum suum fortunam in mallo publico, hoc est, ante Theada vel Tunginum, fortunam illam, quem heredem appellavit, publicè coram omnibus festucam in laisum ipsius jactasset. Et hæc omnia novem testes debent adfirmare.

Tit. XLIX.

De filtortis, hoc est, qualiter homo furatas res intertiare debet.

I. Si quis qui lege Salica vivit servum aut ancillam, caballum vel bovem, seu jumentum, seu quamlibet rem suam, sub alterius potestate agnoverit, mittat eam in tertiam manum; & ille apud quem agnoscitur debet adhramire. Et si intra Ligerim aut Carbonariam ambo manent, & qui agnoscit, & apud quem agnoscitur, in noctes quadraginta placitum faciant. Et in ipso placito quanticunque fuerint qui rem intertiatam vendiderint, aut cambiaverint, aut fortasse in solutionem dederint, omnes intra placitum istum commoneantur ut unusquisque cum negotiatoribus suis alter alterum admoneat. Si quis vero commonitus fuerit, & aliqua

In casa ipsius manere] Greg. Turon. 4. de mirac. S. Martini c. 12. *Pith.*

In potestate sua] *Car donner & retenir ne vaut.* Pith.

Ante XII. menses] *Temps d'infinuation.* Pith.

Beudo] Al. *Beodo. à sa table* Vet. Glossar. *Mensa, beod; Refectorium, Beodden.* Inde opinor: *Vnir & mettre à sa table.* Pith.

Theada] Veteres *Theoda.* Al. *Theuda.* Gloss. Lipsii: *theado, gentes, nationes, Thiadon.* Pith.

Ante Regem aut in mallo publico] Donationis per manum Regis formula extat apud Marculfum, Moribus Bolonienf. & Pontifens. *Avant que le donataire puisse joüir du don à luy fuit, & en faire son acqueſt, faut qu'il apprehende par mise de fait & justice competente.* Pith.

Ad Tit. XLIX.

De filtortis.] Gloss. *de intertiatis rebus.* Pith.

Intertiare] Franc. Pith. Gloss. Capitularium ἴντρειτος *sequester.* ἴντρειτος *intertius.* Glossæ Latino-Græcæ, *sequester,* μισίτης, ἴντρειτος συνθηκοφύλαξ. Capitul. lib. 3. cap. 46. lib. 6. cap. 214. *Bign.*

In tertiam manum.] *En main tierce.* Pith.

Adrhamire] *Adhramire* supra tit. XXXVIII. Capitul. lib. 4. cap. 29. quod caput tribuitur Pipino Regi Italiæ in leg. Longob. lib. 1. tit. 25. l. 76. Et quod in Capitul. lib. 3. cap. 58. in titulo dicitur *de sacramentis in palatio adhramitis*, in veteri MS. capitulorum apud Aquas an. IX. sic exprimitur, *de sacramentis in palatio faciendis.* Sed hoc parum ad rem facit. Hoc autem caput Imp. Karolo tribuitur leg. Longobard. lib. 2. tit. 55. l. 20. fide formulas veteres cap. 1. 2. *Bign.*

Carbonariam] Quæ est inter Cameracum & Tornacum. Tritenheim. ex Hunnibaldo. Sulpit. Alexand. apud Gregor. Turonenf. lib. 2. cap. 8. 9. Sigebert. ann. 880. *Camaracum obsedit & cepit. Inde movens per Carbonariam silvam ad Tornacum festinans, iter direxit in Thoringiam.* Pith.

Carbonariam] Gregor. Turonenf. lib. 2. cap. 8. Nithardus lib. 2. *Quamobrem cum paucis Karolus hoc iter accelerans ab Aquitania Carisiacum venit & à Carbonariis & infrà ad se venientes benignè susceptt. Mox cum Lodharius à Ludhovico reverteretur & omnes citra Carbonarias ad illum venirent, Mosa trajecta ratum duxit, ut Sequanam usque procederet.* Idem lib. 4. cap. 366. *Bign.*

Ligerim aut Carbonariam] Heroldus post hæc addit. *aut citra mare.* Sed nos, secuti consensum veterum codicum & editionum posteriorum sustulimus hanc clausulam. Ligerim hoc loco Wendelinus pag. 86. & 166. interpretatur fluvium Belgicæ in Hasbania, qui Lachara vocatur apud Doubletum in antiquitatibus S. Dionysii pag. 724. Ego facilius crediderim, heic agi de Lesura fluvio Treverorum, quem hodie Leserem vocant, quatuor milliaribus Germanicis ab Augusta Trevirorum. Hunc fluvium ego reperio Ligerim vocatum in præcepto Dagoberti Regis pro Ecclesia Trevirensi, quod à Willelmo Kyriandro editum est in commentariis de Augusta Treverorum pag. 74. itemque in alio præcepto Regis Pippini ibidem relato pag. 78. cujus vero fragmentum refert Christophorus Browerus libro septimo annalium Trevirensium pag. 378. posterioris editionis. Diversus ab hoc est Ligeris fluvius in libro tertio Capitularium cap. 74. *Baluz.*

Noctes XL.] Sic tit. 52. & in Constitutionibus Caroli Magni: *Postquam Comes & pagenses de qualibet expeditione hostili reversi fuerint ex eo die supra quadraginta noctes, sit bannus rescissus, quod lingua Theutisca scatlegi, id est, armorum depositio, vocatur.* Pith.

Rem intertiatam] Chose entiercée. Aurelianus. In legibus Eduardi Regis Angl. *si quispiam aliquid intertiet, super aliquem, & intertiatus non poterit warantum suum habere, erit forisfactura sua.* Pith.

Vendiderit aut cambiaverit] Unde & Constitutio Caroli Magni: *Nullus comparet caballum nisi illum hominem agnoscat, qui ei vendidit, aut de quo pago est, vel ubi manet, aut quis ejus senior.* Pith.

Quod

Digitized by Google

qua ſunnis eum non detinuerit, & ad placitum venire diſtulerit, tunc ille qui cum eo negotiavit, habeat tres teſtes quod ei nuntiaſſet ut ad placitum venire debuiſſet, & alios tres ſimiliter habeat, quod cum eo publice negotiaſſet. Hoc ſi fecetit, exivit ſe de latrocinio. Ille autem qui admonitus non venerit, ſupet quem teſtes juraverint, erit latro illius qui res ſuas agnoſcit, & ei ſecundum legem ipſas componat, & inſuper pretium illi reddat qui cum eo negotiavit. Iſta omnia ubi ſuus hamallus eſt, ſuper quem res primitus agnita fuerit, aut intertiata, fieri debent. Quod ſi trans Ligerim aut Carbonariam manet ille apud quem res agnoſcitur, in noctibus octuaginta lex iſta cuſtodiatur.

TIT. L.

De falſo teſtimonio.

I. SI quis falſum teſtimonium præbuerit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

II. Quod ſi aliquis alicui imputaverit quod ſe perjuraſſet, & non potuerit adfirmare, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

III. Si alicui fuerit imputatum quod ſe perjuraſſet, & hoc qui imputaverit adfirmare potuerit, tres de ipſis conjuratoribus perjuri unusquisque illorum ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

IV. Alii vero qui ſuper ipſos tres fuerint, quivis ſolidis culpabiles judicentur.

V. Ipſe vero cui imputatum fuerit, excepta cauſa vel capitale & delatura, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

TIT. LI.

De teſtibus adhibendis.

I. SI quis teſtes neceſſarios habuerit, & fortaſſe ipſi ad placitum venire noluerint, ille qui eos neceſſarios habet mannire illos debet cum teſtibus ad placitum ut ea quæ ſciunt jurantes dicant.

II. Si vero noluerint venire & eos ſunnis non detinuerit, unusquisque illorum ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

III. Si vero præſentes fuerint ad teſtimonium vocati, & noluerint jurando dicere ea quæ ſciunt, & forbanniti fuerint, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, unusquisque illorum culpabilis judicetur.

TIT. LII.

De eo qui fidem factam alteri reddere noluerit.

I. SI quis ingenuus aut lidus alteri fidem fecerit, tunc ille cui fides facta eſt, quadraginta noctes, aut quomodo placitum fecit quando fidem ei fecit ad domum illius cum teſtibus ambulare debet, vel cum illis qui pretium adpretiare debent. Et ſi noluerit ſidem factam ſolvere, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

II. Si

Quod ei nunciaſſet] Editio Germanica: *quomodo ei mancaverit.* Pith.

Exivit ſe] Sic veteres tres. Al. *Exuit ſe.* Pith.

Iſta omnia ubi ſuus hamallus eſt] Exemplar unum: *Iſta omnia facere debet in mallo ubi ipſe amallus eſſe dignoſcitur ſuper quem &c.* Aliud: *Iſta omnia in mallo debent fieri ubi illi eſt hamallus.* id eſt, *qui ſuſcipit cauſam ad mallandum in vicem alterius.* Tit. 35. leg. Ripuariorum. *Pith.*

Ad Tit. L.

Adfirmare] Sic veteres ſex. *Pith.*

De ipſis conjuratoribus] Veteres duo, *de ipſis juratoribus.* Marculfus in formulis: *Sed nuncupatus ille nec ad placitum ſuum venit, nec ipſum Sacramentum juravit, neque juratores ſui, nec ullus fuit teſtatus qui ſunia nunciaſſet.* Plaut. Pænul. *Vos juratores eſtis quæſo operam date.* Seneca: *Quis unquam ab hiſtorico juratores exegit.* Nortmannis, *Jureurs.* Pith.

Perjuraſſet] Maxime in cauſis quæ ſub jurejurando finiendæ ſunt. can. 8. Syn. Aurel. *Pith.*

Super iſtos tres] Tres tantum conjuratores gravius reliquis puniuntur; quia cum reo tres præcipue puto proximiores affirmabant, reliquis tantum probabant. Id patet ex formula vet. incerti auctoris 19. ubi tres aloarii & duodecim conlaudantes. Lege autem Alaman. tit. 6. ſolus reus conceptis verbis jurabat, ceteri probabant. Vide notas ad Marculf. lib. 1. cap. 38. & ad appendic. cap. 29. *Bign.*

Ad Tit. LI.

Noluerint venire] De teſtibus cogendis agitur hoc capite, qui nolunt teſtimonii dicendi cauſa in judicio ſiſtere, quo nomine olim Athenis actio prodita. Jul. Pollux lib. 8. Διωμοσμένων δὲ κατὰ τῶν ἰδόντων μὲν, μὴ μαρτυρούντων ὁμολογησάντων, ἐν δὲ τῷ καίρῳ τὴν μαρτυρίαν ἐκλιπόντων ἢ δὲ ὁ βουλόμενος μαρτυρεῖν, ἐκλάτιτον ἀνάγκην τῷ μαρτυρήσαντι προστιθέντες, ἰδοὺ δὲ αὐτὸν ὁ μαρτυρῶν, ὃ ἐξομόσασθαι οὐκ ἐν ἰδόντα ὃ μὴ παρεῖναι ὃ χίλια ἀποτίνων. Æschines περὶ παραπρεσβείας. Quod & jure Romano obſervatum, ut inviti teſtimonium dicerent in cauſis criminalibus tantum, l. 4. 5. 8. & 19. de teſtibus. Ex conſtitutione vero Juſtiniani Græca, l. 16. Cod. eodem, etiam in civilibus cauſis coguntur inviti teſtes eſſe. *Bign.*

Forbanniti] Sic veteres tres. Alia quinque exemplaria *Ferbanniti.* In conſtitutionibus Caroli Magni: *De theloneis qui jam antea forbanniti fuerant, nemo tollat.* Et alibi: *quicunque abbinc inante latronem receperit, maxime autem illum qui forbannitus fuerit.* Pith.

Ad Tit. LII.

De eo qui fidem factam] Gloſſar. *Qui Wadium alteri dat, & poſtea perſolvere ſpreverit.* Al. *De fide facta.*

Digitized by Google

II. Si vero adhuc ſupradictum debitum ſolvere noluerit, debet eum ſic admallare: *Rogo te, judex, ut hominem illum denominatum, gaſachionem meum, qui mihi fidem fecit, de debito tali denominato, ſecundum legem Salicam mihi inde eum adſtringas.* Tunc judex dicere debet: *Ego gaſachium tuum illum in hoc mallo quod lex Salica habet.* Tunc ille cui fides facta eſt debet teſtificari fidejuſſori, ut nulli alteri nec ſolvat nec pignus donet ſolutionis antequam ei impleat unde fidem fecit. Et ſic feſtinanter ad domum illius qui ei fidem fecit cum teſtibus accedat, & roget eum ſolvere debitum ſuum. Quod ſi noluerit, ſolem ei collocet. Et ſi ſolem ei culcaverit, tres ſolidos ſuper debitum ſuum addat. Et ſic usque ad tres vices per tres mannitas facere debet. Iſtis agitur omnibus factis, ſi adhuc noluerit debita conponere, usque ad novem ſolidos debitum aſcendat, id eſt, ut per ſingulas admonitiones vel ſolem culcatum terni ſolidi adcreſcant. Si vero nec fidem factam in placito legitimo ſolvere noluerit, tunc ille cui fides facta eſt, ambulet ad Grafionem loci illius in cujus pago manet, accipiatque feſtucam, & dicat verbum iſtud: *Tu Grafio, rogo te quia ille homo denominatus, qui mihi fidem fecit, quem legitime habeo adjactivum vel admallatum ſecundum legem Salicam, & ego ſuper me & ſuper fortunam meam pono quod ſecurus mitto in fortunam illius manum.* & dicat de quanta cauſa ei fidem fecerat. Tunc Grafio congreget ſecum ſeptem Rachinburgios idoneos, & cum ipſis ad caſam illius fidejuſſoris veniat; & roget eum, ſi præſens eſt, ita dicens: *Per voluntatem tuam ſolve homini iſti de quo ei fidem feciſti, & hoc quod debes ſecundum pretium legitime adpretiatum ſatisfacere ſtude.* Quod ſi tunc adimplere noluerit præſens, aut ſi abſens fuerit, ſtatim Rachinburgii pretium adpretiatum, quantum debitum quod debet, valuerit, de fortuna illius tollant. Et ſi fredus antea de ipſa cauſa non fuerat datus, duas partes ille cujus cauſa eſt ad ſe revocet, & Grafio tertiam partem obtineat.

III. Si

Sicut Baſilienſis editio quam cum hac confer. Tit. 59. nec de ulla lege fidem facere noluerit. *Pith.*

Admallare.] Editio Germanica, *mannire ad mallum.* Marculfus in formula de cauſis alterius recipiendis. *Eo quod propter ſimplicitatem ſuam cauſas ſuas minime poſſit proſequi vel admallare, clementiæ regni noſtri petiit ut inluſtris vir ille omnes cauſas ſuas in vice ipſius tam in pago quam in palatio noſtro admallandum proſequendumque recipere deberet. Pith.*

Admallare] Vide infra ad tit. LIX. Sic infra: *vel admallatus ſecundum legem Salicam.* Tit. LIII. n. 1. *ſecundum legem habeat admallatum.* Inde fortaſſe *bamallus* ſupra tit. XLIX. *Bign.*

Judex] *Tunginus.* Editio Germanica. *Pith.*

Gaſachionem] Al. *Gaſaccbium.* Adverſarium cauſatorem. *Gegenſac. Withefsak.* Pith.

Inde eum adſtringas] In form. Rom. *Inde ego te ex jure manu conſertum voco.* Pith.

Judex] Duo exemplaria, *Tunzinus.* Pith.

Solem culcatum] Solem occaſum, quæ ſcilicet ſuprema tempeſtas obſervabatur, ut infra tit. LXIX. Gregor. Turonens. lib. 7. cap. 23. ubi nos quædam congeſſimus non aliena. Unde & apud Marculfum lib. 1. cap. 37. *ſolſatire.* Romanis quoque idem uſitatum fuiſſe fidem facit lex 12. tab. Illud ipſum ſignificare videtur Homerus Odyſſ. μ.

Ημος τ' ἰκὶ δόρπον ἀνὴρ ἀγορηθὲν ἀνίξῃ
Κρίνων νείκεα πολλὰ δικαζομένων ἀζηῶν.

quibus verbis tempus veſperi deſignavit. καὶ μάλιστα τὸ τὴν ἑσπέραν ἐπιτεῖναι, ut Strabo interpretatur lib. 1. Vide ſupra tit. XXXIX. infra LIV. & LX. Speculum Saxonicum lib. 3. cap. 40. Juvenalis ſat. 13.

Hæc quota pars ſcelerum quæ cuſtos Gallicus urbis
Usque à lucifero donec lux occidat audit.

Nortmannis hodie *clameur couchée.* Quod ſupra eſt, *ſolem ei collocet*, & infra, *ſolem collocatum*, id eſt diem conſtitutum, *jour aſſigné*, unde *ajourner*, diem dicere. Sol pro die. Archilocus, & ex eo Ronſardus. *Bign.*

Debitum aſcendat] *La debte monte à neuf ſols.* Pith.

Per tres mannitas] Trinundino Rom. *Pith.*

Per ſingulas admonitiones] Pour chacun defaut. *Pith.*

Singulas Admonit.] *Tria edicta.* P. P. MS. *Pour chacun defaut.* F. Pithœus. *Doublement & tiercement*, in ordinationibus Regiis. *Bign.*

Adjactivum] Videnda Notitia de jactivis. Marculfus in formulis. *Dum & illuſtris vir ill. Comes palatii noſtri teſtimoniavit quod ante dictus ille placitum ſuum legibus cuſtodivit. & eum adjectivit, vel ſolſaltivit, & ipſe placitum ſuum cuſtodire neglexit. Jectivus ſive negligens.* In formula quam adſcripſi tit. de Racinburg. infra & alibi apud Marculfum. *Ut dum ipſe tale Sacramentum habuit adfirmatum, & ipſum nullatenus juravit, nec ipſe nec juratores ſui, ſed exinde ſe jectivum dimiſit.* Et in adnunciatione Caroli apud Piſtas: *Etſi Sacramenta legalia in primo die Lunæ poſt Paſcha juranda devenerint, aut in aliis feriis, quando mallum tenere debuerit, mittet quisque Comes miſſum ſuum, qui ipſa Sacramenta auſcultet, ne ipſi homines jectivi inveniantur, & ipſe ſic mallum ſuum teneat ut Barrigildi.* Et *jectare* in Conſtitutionibus Caroli Magni: *Ut nullus præſumat hominem ad judicium ſine cauſa jectare, niſi judicatum fuerit.* Pith.

Adjactivum] Vide notas ad Marculfum lib. 1. cap. 37. & Appendic. cap. 22. *Bign.*

Racinburgos] Gloſſæ interlinear. *judices.* Bign.

Racinburgios] Sic veteres tres. Gloſſ. *Judices.* Kero. *cauſa, Rabcha.* Tit. 57. leg. Ripuar. & in formulis Salic. *Ideo venientes pariter illo mallo ante illum comitem vel reliquos Racinburgios.* An. *Rechtburgen?* Pith.

Pretiatum] Preciari apud Caſſiodor. lib. 2. cap. 22. Sic depretiari Tertullian. adverſus Marcion. lib. 1. cap. 6. *Bign.*

Adpretiatum] Leg. Alamann. tit. 75. *Illam optimam vaccam quatuor tremiſſes licet adpreciare.* Capitul. lib. 5. cap. 366. *Si quis alterius caballo aut bovi vel cuilibet quadrupedi unum oculum excuſſerit, adpreciet illud pecus quid valet, & tertiam partem componat.* Quod caput deſumptum eſt ex legib. Bajuvar. tit. 13. cap. 8. pag. 87. edit. Tilia. *Bign.*

De fortuna ipſius tollant] Alioquin licuit res adverſarii poſſidere, donec ſatisfeciſſet. Gregor. Turon. 4. 46. *Pith.*

Grafio]

Digitized by Google

III. Si autem Grafio ibi invitatus non venerit, & ſunnis eum aliqua non detinuerit, aut certa ratio dominica, & ſi diſtulerit ut ibi non ambulet, neque mittat ut cum juſtitia exigatur debitum, aut ſe redimat, aut de vita componat.

Tit. LIII.

De eo qui Grafionem ad res alienas tollendas injuſte invitaverit.

I. SI quis Grafionem ad res alienas injuſte tollendas invitaverit, antequam gaſachium ſuum ſecundum legem habeat admallatum, octo mille denariis, qui faciunt ſolidos ducentos, culpabilis judicetur.

II. Si vero Grafio invitatus contra legem ſuper debitum juſtum aliquid amplius tulerit, aut ſe redimat, aut de vita componat.

Tit. LIV.

De re præſtata.

I. SI quis alteri de rebus ſuis aliquid præſtiterit, & ei reddere noluerit, ſic eum debet mallare. Cum teſtibus ad domum illius cui res præſtavit accedat, & ſic conteſtetur ei. *Quia res meas noluiſti reddere, quas tibi præſtiti, in hoc eas tene nocte proxima quod lex Salica continet.* & ſic ei ſolem collocet. Si nec tunc voluerit reddere, adhuc ſuper ſeptem noctes ſimiliter conteſtetur, ſicut antea fecit, ut nocte proxima ſecundum quod lex Salica continet res ſuas tenere debeat. Quod ſi nec tunc voluerit reddere, iterum poſt alias ſeptem noctes ad eum ſimiliter cum teſtibus veniat, & roget ut debitum ſuum reddat. Ergo ſi tunc noluerit reddere nec fidem facere reddendi, ſupra debitum quod ei præſtitum eſt, & ſuper illos novem ſolidos qui per tres admonitiones accreverunt, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

Tit. LV.

De manu ab æneo redimenda.

I. SI quis ad æneum mallatus fuerit, & forſitan convenerit ut ille qui admallatus eſt manum ſuam redimat & juratores donet, ſi talis cauſa eſt de qua legitime, ſi convictus fuiſſet, ſexcentos denarios, qui faciunt ſolidos quindecim, componere debeat, tunc centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, manum ſuam redimat.

II. Si vero plus ad manum ſuam redimendam dederit, fredus Grafioni ſolvatur tamquam ſi de ipſa cauſa convictus fuiſſet.

III. Si

Grafio] Gloſſæ interlineares *Comes*. Bign.

Certa ratio dominica.] Vetus Codex Thuan. *certe*. vid. ſupra tit. 1. num. 4. & 5. *Bign.*

Neque mitt. ut cum juſt.] *Refus de faire juſtice.* infra tit. LX. *Bign.*

Aut de vita componat] Vide præfationem Burgund. leg. Marculſus in formula : Qui ſe in ſervitio alterius obnoxiat. *Dum inſtigante adverſario, & fragilitate mea prævalente, in caſus graves cecidi, unde mortis periculum incurrere potueram; ſed dum veſtra pietas me jam morti adjudicatum de pecunia veſtra redemiſtis, vel pro mea culpa res veſtras quamplures dediſtis, & ego de rebus meis, unde veſtra beneficia rependere debuiſſem, non habeo, ideo pro hoc ſtatum meum vobis viſus ſum obnoxiviſſe, ita ut ab hoc de veſtro ſervitio penitus non diſcedam.* Pith.

Ad Tit. LIII.

Vide leg. Ribuar. tit. 53. pag. 26. edit. Til. & tabul. S. Dionyſii in fol. min. *Bign.*

De eo qui Grafionem] Vetus unum, *de andoctemito*. Editio Baſilienſis : *de andocmito*. Sugger. de poſſeſſion. monaſt. B. Dionyſii : *Ab oppreſſione exactorum regiorum, quos dicunt Graffiones.* Pith.

Grafionem] Paulus Warnefr. lib. 5. cap. 36. pag. 303. vide nota ad vet. formulas, (ſive appendicem Marculfi) cap. 7. Judex fiſcalis dicitur in textu leg. Ribuar. tit. 55. pag. 29. edit. Til. *Si quis judicem fiſcalem, quem Comitem vocant, interfecerit; DC. ſol. multetur.* Deinde quia illa freda exigebant leg. Ribuar. c. cult. exactores regii dicuntur à Suggero loco à Fr. Pithoeo allato. Ideo autem mihi videtur dici judex fiſcalis Comes, ad differentiam magiſtratuum municipalium. Illi enim etiam tum judicabant, ut patet variis ex locis, præcipue ex Gregor. Turonenſ. lib. 1. de miraculis cap. 33. *Decretum eſt ſententia primorum urbis.* Sunt & multa hujus rei alia exempla. De Comitibus autem vide notas ad Marculfum lib. 1. cap. 8. *Bign.*

Gaſachium [Gloſſæ interlinear. cod. Thuan. *cauſatorem*. Bign.

Admallatum] Additur in duobus exemplaribus, *vel adjectivum*. Aliud exemplar habet : *antequam legitime admallatus, aut fides ei facta fuerit.* Editio Baſilienſis : *Antequam eum per legem habeat admallatum aut conſecutum, quod ei in mallo fidem feciſſet.* Pith.

Aut ſe redimat] Editio Baſilienſis : *Aut Weregildeum ſuum redimat.* Pith.

Ad Tit. LIV.

De re præſtata] *Al. de præſtata. Du preſt.* Pith.

De re præſtata] De rebus creditis. noſtris, *Depreſt.* Optatus lib. 3. pag. 35. b. *Præcedente terrore creditores periculis vallabantur; & qui pro præſtitis ſuis rogari meruerant, metu mortis humiles impellerentur in preces.* Juretus ad Symmach. pag. 263. 264. *Bign.*

Solem collocet] Gregorius Turonenſis lib. 7. cap. 23. *Injurioſus ad placitum in conſpectu Regis Childeberti advenit, & per triduum usque occaſum ſolis obſervavit.* Pith.

Super illos &c.] Unde & moribus Ambianenſium multam fiſco inferunt qui ad diem non ſolverunt. *Pith.*

Ad Tit. LV.

De æneo] *Gloſſ. de caldario.* Gloſs. χαλκῦον, olla, æneum, miliarium. Gregor. Turon. 8. hiſtor. cap. 6.

Digitized by Google

III. Si vero talis cauſa fuerit de qua, ſi convictus fuiſſet, mille quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, debuiſſet ſolvere, & convenit ut manum ſuam redimat & juratores donet, novem ſolidis manum ſuam redimat.

IV. Quod ſi amplius dederit, fredus Grafioni ſolvatur tamquam ſi de ipſa cauſa convictus fuiſſet.

V. Quod ſi major culpa fuerit, de qua ſexaginta duos ſolidos cum dimidio ſolvere, ſi convictus fuiſſet, deberet, & convenit ut manum ſuam redimat, cum ſolidis quindecim manum ſuam redimat.

VI. Et ſi amplius dederit, fredus Grafioni ſolvatur tamquam ſi de ipſa cauſa convictus fuiſſet. Iſta redemptio usque ad leudem ſic permaneat.

VII. Si autem leudem alter alteri imputavetit, & eum ad æneum admallatum habet, & convenit ut manum ſuam redimat & juratores donet, cum ſolidis triginta manum ſuam redimat.

VIII. Et ſi amplius dederit, fredum Grafioni perſolvat tamquam ſi de ipſa cauſa convictus extitiſſet.

TIT. LVI.

De eo qui Grafionem occiderit.

I. SI quis Grafionem occiderit, viginti quatuor mille denariis, qui faciunt ſolidos ſexcentos, culpabilis judicetur.

II. Si quis Sagibaronem, qui puer Regis fuerat, occiderit, duodecim mille denariis, qui faciunt ſolidos trecentos, culpabilis judicetur.

III. Si

---

conſpicio eminus æneum ſuper ignem poſitum fervere vehementer. In formula conſecrationis ejusmodi aquæ: *Ut ſi hic homo pro hac reputationis cauſa, furto videlicet, vel homicidio, aut adulterio, vel luxuria aut pro qualibet cauſa culpa modo ad præſens manum ſuam in hanc aquam igne ferventem miſerit.* Unde in conſuet. Nort. *Se purger par eau & par igniſe.* & leg. Wiſigott. *Examen Caldariæ.* Et communis apud nos loquutio. *J'en mettrois la main au feu.* Pith.

Ad æneum] Gloſſ. interlinearis, *id eſt, ad judicium.* Aimoinus lib. 5. cap. 34. Art. 39. Jur. Sax. *vel in aquam bullientem brachium usque ad cubitum imponant.* Pith.

Æneum] Examen aquæ ferventis. leg. Wiſigotthor. lib. 6. tit. 1. c. 3. Adnuntiatio Caroli Calvi apud Piſtas an. DCCC LXIII. cap. 20. *Si colonus vel ſervus inde reputatus fuerit, aut judicio Dei inde examinet; aut ſi convictus fuerit, hoc ut ſupra diximus, unde menſuram adulteravit perdat, inſuper & virgis nudo corio vapulet.* Capitulat. lib. 4. cap. 13. Erat & aquæ frigidæ judicium, de quo Gregor. Turonens. lib. 1. cap. 69. & 70. de muliere adulterii à marito accuſata, quæ Lugduni ſententia judicis in Ararim probationis cauſa demerſa eſt. De utroque Hincmarus de divortio Lotharii & Thetbergæ ad VI. interrog. *Sexta interrogatio. Quidam dicunt nullius eſſe auctoritatis ſive credulitatis judicium quod fieri ſolet per aquam calidam ſive frigidam, neque per ferrum calidum, ſed adinventiones ſunt humani arbitrii, in quibus ſæpe per maleficia falſitas locum obtinet veritatis, & ideo credenda eſſe non debent. Hincmarus. Chriſtianitas ex antiquo, quæ inter acta eſt & agenda judicia, ſanxit & frequentavit judicium quod fit per aquam &c.* Et paulo poſt. *Quapropter fieri aquam ignitam ad hæc duo copulata in unum indaganda judicia, illud videlicet quod jam per aquam factum eſt, & illud per ignem fiendum eſt, licet ſint pro temporum varietate diſparia, ſed unum ſunt operationis myſterio, in quibus Sancti liberantur inleſi, & reprobi puniuntur addicti Eccleſiæ, quam deſignavit arca diluvii, creditur tradidiſſe auctoritas &c.* Deinde: *conſtat nimirum, ut inquiunt, quia in aqua ignita coquuntur culpabiles, & innoxii liberantur incocti, quia de igne Sodomitico Lot juſtus evaſit intuſtus &c.* Vide quæ apud Hincmarum poſt hæc ſequuntur pag. 350. & pag. 357. *Aut Sacramento aut Dei judicio expurgate &c.* Eodem pertinet quod refert Gregor. Turonens. de miracul. lib. 1. cap. 81. de altercatione Presbyteri Arriani cum Diacono Catholico pro fide catholica: *Accenditur ignis, æneus ſuperponitur, fervet valde, annulus in unda ferventi projicitur &c.* Inſignis locus, & qui omnino legem Salicam illuſtrat, & vetuſtiſſimam ejusce judicii formam docet. ut & de gloria confeſſor. cap. 14. Videndus idem Gregorius hiſtoriæ lib. 2. cap. 1. de S. Briccio Turonenſi Epiſcopo. De ignitis vomeribus varii meminere. Leges vett. Capitula. Jvo Carnotenſis, Burchardus, Pithoeus & Juretus. De aliis quoque purgationum generibus, juramento, duello, pane hordaceo, caſeo, crucis, nos quædam ſcripſimus. De ferro candenti vide Gregorium Logothetam pag. 41. ubi etiam de duello. Additur de purgatione ferri igniti. ἐκ τοῦ τὰς βασιλικὰς καλάδεσεις, βαρβαρικῶν δὲ παραδόσεως πάρεδλας. mox dicitur, eum qui ex barbaris originem ducit, barbarico judicio uti debere. Vide & N. B. Eadem de re Pachymerius lib. 1. Catacuzenus lib. 3. cap. 27. Hæc omnia judicia reprobavit Eccleſia. Agobardus contra ſcripſit. pag. 287. de aquæ judicio videndus item Adhemarus, & ex eo Sirmondus ad Goffridum. Porro noſtra memoria paucis abhinc annis ſolebant judices reos maleficii accuſatos mergere, pro certo habentes incertum crimen hac ratione patefieri. quod ſcelus merito ſecundum Eccleſiæ canones ampliſſimi ordinis decreta reſecarunt. Sic accipio Nithardum, dum ait, Gerbergam ut veneficam aquis præfocatam, quia ſcilicet rea fuiſſe merſione apparuerat. Vnde fortaſſe.

Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.

Leg. Longob. lib. 1. tit. 33. cap. 1. *Si quis ſervum alienum ſine voluntate domini ſui in ſacramentum miſerit, aut manum in caldaria mittere fecerit.* Æneum pro aheno. Vide Ezechielem 24. *Æneum in quo eſt ærugo &c.* Salvianus pag. 252. Infra tit. 67. num. 1. *Æneum portare ubi ſtriæ concinunt.* Pactum Childeberti & Clotarii num. 4. *Ad æneum provocatus manum incenderit.* In Decretione Clotarii num. 8. *Ad ſortem veniat, aut ad plebejum promoveatur.* Forte legendum eſt, *æneum* non *plebejum.* Tit. LIX. infra: Ut per æneum aut per compoſitionem ſe educeret. *Bign.*

Ad Tit. LVI.

Sagibaronem] Gloſſ. *dicuntur quaſi Senatores.* Al. *Sachbarones, hommes de loy ou de cauſes.* Artic. 85. Conſuet. Hanno. Senatorum urbis Arvernæ meminit Gregor. Turonen. de glor. confeſſ. cap. 5. 42. 65. & 206. Senatorum Bituricenſium lib. 1. c. 31. Turonenſium lib. 2. c. 26. hiſtoriar. In Synodo Aquisgranenſi: *Senatores univerſi regni Francorum perficere ſe acclamaverunt.* Pith.

Sagibar. qui puer R. fuer.] Ille qui judicia Regis exequebatur. Vid. leg. Burgund. de Wittiscalcis tit. 76. edit. Til. Saiones apud Caſſiodorum. Sed tamen hi judicabant, infra vers. 4. viriſagi. P.P. MS. *Bign.*

Sagi-

Digitized by Google

III. Si quis ſagibaronem qui ingenuus eſt, & ſe ſagibaronem poſuit, occiderit, viginti quatuor mille denariis, qui faciunt ſolidos ſexcentos, culpabilis judicetur.

IV. Sagibarones in ſingulis mallobergiis, id eſt, ubi plebs quæ ad unum mallum convenire ſolet, plus quàm tres eſſe non debent. Et ſi cauſa aliqua ante illos ſecundùm legem fuerit definita, ante Grafionem removere eam non licet.

Tit. LVII.

De corporibus expoliatis.

I. Si quis corpus hominis mortui, antequam in terra mittatur, per furtum expoliaverit, bis mille quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur.

II. Si quis tumulum ſuper hominem mortuum expoliaverit, vel diſſipaverit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culp. jud.

III. Si quis ariſtatonem, hoc eſt, ſtapplum qui ſuper mortuum miſſus eſt, capulaverit, aut mandualem, quod eſt ea ſtructura ſive ſelave, qui eſt ponticulus, ſicut more antiquorum faciendum fuit, qui hoc deſtruxerit, aut mortuum exinde expoliaverit, de unaquaque de iſtis ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

IV. Si quis hominem mortuum ſuper alium in naufo vel in petra miſerit, mille quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur.

V. Si quis corpus jam ſepultum effodierit, aut expoliaverit, wargus ſit, hoc eſt, expulſus de eodem pago uſque dum cum parentibus defuncti convenerit, ut & ipſi parentes rogati ſint pro eo ut liceat ei infra patriam eſſe. Et qui-

---

Sagibarones] Viros ætate & ſapientia maturos interpretor, quibus controverſias definiendi facultas erat, adeo ut nec poſtea ab his Comes ſeu Grafio appellari poſſit, quemadmodum heic ſtatuitur. Periti ſcilicet legum, quos poſtea *homines legales* dixerunt; quorum & conſuetudinario veteri jure non minima auctoritas in plerisque cauſis, ut apud Matthæum Paris. & alios paſſim videre eſt. Illud ipſum eſt quod *judicium civium* vocat Gregor. Turon. lib. 7. cap. 47. Dehinc & ex his delecti videntur qui legis Doctores in Adhemari Chronico, ſub Ludovico Balbo, cujus particulam edidit Pithœus ſub nomine *Fragmenti hiſtoriæ Aquitanicæ*, de Vulgrino Aquitaniæ Duce, qui contra Nortmannos Martiliacum caſtrum conſtruxit, ibique miſit *Robertum Gisdebertum legis doctum* (al. peritum) *& amicum ſuum fideliſſimum nomine Ranulfum, fecitque eum Vicecomitem ſuum.* Adrevaldus de miracul. S. Benedicti lib. 1. cap. 25. *Viſum eſt miſſis dominicis placitum Aurelianis mutare. Venientes igitur ad conditum locum magiſtri & judices, utraque ex parte acerrimè decertabant. Aderant namquè legum doctores tam ex Aurelianenſi quàm ex Waſtinenſi provincia &c.* In diplomate Pipini Majoris domus pro S. Dionyſio: *Ubicunque eorum juſtitiam invenimus, ſicut prædeceſſores noſtri, ſeu Comites palatii noſtri, vel reliqui legis Doctores judicaverunt.* Prima pars hujus vocis *ſagibarones*, ad *ſaiones* accedit, de quibus paſſim Caſſiodorus, leges Wiſigotthor. & concilia Toletana. *Bign.*

Mallobergiis] Id eſt, locis tectis, inquit Belius, quia ſtatutum eſt conſtitutionibus Caroli M. ut locus malli ſub tecto foret. Capitul. lib. 3. c. 57. lib. 4. cap. 28. in fine. *La Cour de Maubergeau à Potiers.* Bign.

Id eſt plebs quæ ad unum mallum convenire ſolet] Tacitus de moribus Germanorum: *Eliguntur in iisdem conciliis & principes, qui jura per pagos vicòsque reddunt. Centeni ſingulis ex plebe Comites, conſilium ſimul & auctoritas, adſunt.* Pith.

Plusquam tres eſſe n. deb.] Supra tit. XLVI. num. 1. *Bign.*

Ante Grafionem.] Qui cum ſeptem judicat, ſupra tit. LII. num. 2. Sagibarones verò numero tres. *Bign.*

Ad Tit. LVII.

Vide ſupra tit. XVII. de ſepulchro violato. *Bign.*

Tumulum] Gloſſ. *Tumbam.* Jornandes in hiſtor. Gotthor. *Noctuque ſecreto cadaver eſt terræ reconditum, cujus coopercula primum auro, ſecundò argento, tertiò ferri rigore communiunt.* Pith.

Ariſtatonem] Pag. 687. tit. 17. ſuprà Pallio cadavera tegebantur. Apulejus 1. Floridor. *Pith.*

Mandualem] Gloſſ. *Cancellum qui deſuper tumulum ſtat.* Einhardus lib. 1. de translatione beatorum martyrum Marcellini & Petri: *Sacra beatorum martyrum corpora notto recondita in abſida Baſilicæ locavimus, & ſicut in Francia mos eſt, ſuperpoſito culmine ligneo linteis ac ſericis palliis ornandi gratia conteximus, apponentes altare, ac duo vexilla dominicæ paſſionis, quæ in via feretrum præcedere ſolebant, hinc atque hinc erigentes, locum illum divinis officiis celebrandis aptum facere curavimus.* Pith.

Selave] Alemannis columella *ſeule* dicitur, & tit. 7. leg. Baioar. *ſul.* Inde *Hermſul*, Mercurii columna. *Pith.*

Ponticulus] In vita beati Evermari. *Poſt exequias accuratiori ſepultura cohoneſtantes dimidio clypeo corpori ejus ſuperpoſito, & altera clypei parte ei ſuppoſita.* In epiſtola Theodulphi Aurelianenſis. & can. 9. ſynodi Meldenſis: *Tumuli qui apparent profundius in terram mittantur, & pavimento deſuper facto, nullo tumulorum veſtigio apparente, &c.* Einardus ſuprà pag. 687. tit. 17. In Gloſſ. Lipſii: *Slapigravi, ſepulchro.* Pith.

Ponticulus] Mos antiquæ ſepulturæ de quâ & de poſitione columbæ, vide Paulum Warnefridum lib. 5. cap. 34. *Bign.*

Super alium.] Sic intelligo Sidonium lib. 3. epiſt. 12. *Quid plura jam niger ceſpes ex viridi jam ſupra antiquum ſepulchrum glebæ recentes.* Nec audiendus Savaro pag. 203. ad verbum *torſi latrones* tamquam illi ſpoliandi mortuos cauſa ſepulchrum violaſſent. Nam vetus erat ſepulchrum avi multò ante mortui. Videſis epiſtolam. *Bign.*

Corpus jam ſepultum] Nam veſtitum ſepeliebant cum ornamentis. Gregor. Turonenſ. lib. 6. c. ult. *Ablutumque veſtimentis melioribus induit.* Amalarius lib. 4. cap. 41. Idem Gregor. lib. 8. cap. 21. *Sepulta eſt cum grandibus ornamentis & multo auro.* Paulò poſt: *Detexerunt ſepulchrum, tollentes & auferentes omnia ornamenta corporis defuncti quæ reperire potuerunt.* Idem alibi: *Exinde veſtitus atque ablutus in Eccleſiam defertur.* Et: *Adfuit quædam matrona, quæ ablutam dignis veſtiit veſtimentis.* Pith.

Wargus.] Hoc eſt, *dejectus & expulſus.* Sic vet. Gloſſ. & tit. 87. leg. Ripuar. *Vagus & profugus ſuper terram*, ut habetur cap. 4. Geneſis. Inde apud Sidonium lib. 6. ep. 3. *Vargus, Bandoüiller.* Pith.

Wargus] Gloſſæ interlin. Thuan. *dejectus.* Vide leg. Ribuar. tit. 87. *Bign.*

Wargus ſit] Vargi ſunt (inquit Savaro ad epiſtolam quartam libri ſexti Sidonii) cœli ſolique patrii profugi

quicunque antea panem & hoſpitalitatem ei dederit, etiamſi uxor ejus hoc fecerit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

VI. Auctor verò ſceleris hujus, ſi ipſe hoc fecit, & comprobatus fuerit, vel alium ad iſtud faciendum locaverit, octo mille denariis, qui faciunt ſolidos ducentos, culpabilis judicetur.

VII. Si quis domum in modum baſilicæ factam ſuper hominem mortuum expoliaverit, mille ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, culpabilis judicetur.

TIT. LVIII.

De incendio vel expoliatione Eccleſiæ, ſive homicidiis Clericorum.

I. SI quis Eccleſiam ſanctificatam, vel ubi reliquiæ Sanctorum reconditæ ſunt, incenderit, vel infra ipſa Eccleſia aliquam expoliationem de altari aut infra Eccleſiam aliquid tulerit, octo mille denariis, qui faciunt ſolidos ducentos, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si quis Diaconem interfecerit, duodecim mille denariis, qui faciunt ſolidos quadringentos, culpabilis judicetur.

III. Si quis Presbyterum interfecerit, viginti quatuor mille denariis, qui faciunt ſolidos ſexcentos, culpabilis judicetur.

TIT. LIX.

De eo qui ad mallum venire contempſerit.

SI quis ad mallum venire contempſerit, & quod ei à Rachinburgiis judicatum fuerit implere diſtulerit, ſi nec de compoſitione nec de ulla lege fidem facere voluerit, tunc ad Regis præſentiam ipſum mannire debet, & ibidem duodecim teſtes eſſe debent, qui per ſingula placita jurando dicant quod ibidem fuiſſent ubi Rachinburgii ei judicaſſent, & ille decretum judicum contempſiſſet. Iterum alii tres jurare debent, quod ibidem fuiſſent poſt illam diem in qua ei Rachinburgii judicaverunt, ut aut per æneum aut per compoſitionem ſe educeret; hoc

---

& extorres, quibus aqua & igni interdictum eſt. quod pluribus illic probat vir eruditiſſimus. Nimirum, ut ait ibidem Sirmondus, ex profugis exulibus indigenæ fiunt latrones. *Baluz.*

Quicunque hoſpitalitatem dederit] Παρέχει στέγην apud Plutarch. in Cicerone. Alioquin quemcunque mortalium arcere tecto nefas habebant majores noſtri. Cæſar. lib. 6. Tacitus de moribus Germanorum. *Pith.*

Hoſpitalitatem.] Hoſpitalitas Francorum. Videatur lex Burgund. Joſeph. lib. 4. cap. ult. pag. 109. Heic eſt aquæ & ignis interdictio. Sic infrà tit. LIX. *Panem dederit aut in hoſpitium collegerit.* Bign.

In modum Baſilicæ] Gregor. Turonen. de glor. martyr. *Baſilicam ſuper tumulum ſancti magnam ædificavit.* & 2. hiſtor. cap. 14. Idem de glor. confeſſ. cap. 51. & 105. *Pith.*

Factum] Sic veteres quinque. *Pith.*

Expoliaverit] Turonenſ. de gloria confeſſor. cap. 62. Franciſcus Pithœus ad verbum: *Corpus jam ſepultum*, & tit. XVII. B. Baſilius. Πρὸς τοὺς πλουτοῦντας pag. 286. τάχα σε οὐδὲ περιστελοῦσι οἱ οἰκέται τῷ τελευταίῳ κόσμῳ, ἀλλ' ἀφοσιώσονται τὴν ταφὴν τοῖς κληρονόμοις λοιπὸν ἀφορχωρήσαντες καὶ τὴν ὕνοιαν. ἢ ποῦ γὰρ καλαφιλοσοφήσουσί σου τότε. ἀπεροκαλία φησὶ καλλωπίζειν τάφον, καὶ πολυτελῶς ἐκκομίζειν ἡ οἰκίτι αἰσθανόμενον. Τί δὲ ὄφελος τοὺς περιβόλους κοσμεῖσθαι τῷ πολυτελεῖ καὶ ἐνθέτῳ περιβολῇ, ἢ συγκαλαύπτειν τῷ τάφῳ τὰ πολυτίμητα τῆς ἐσθῆτος. τί δὲ μνήμαλος ἐπισήμου, καὶ ταφῆς πολυτελοῦς, καὶ δαπάνης ἀκεραίου ὄφελος. B. Ambroſius de Nabuthe cap. 1. *Eruderato paulò poſt tumulum; & ſi cognoſcis egentem argue; niſi forte hoc ſolum quod cum divite plura pereunt. Sericæ veſtes, & auro intexta velamina quibus divitiis corpus ambitur, damna viventium, non ſubſidia defunctorum ſunt.* Junge l. 14. §. 5. de religios. & ſumpt. funer. Vbi de ornamentis. Gregor. Turonenſ. lib. 8. cap. 21. leg. Wiſigotth. lib. 11. tit. 2. l. 1. Bojorum. tit. 8. cap. 4. vide Savaronem ad Sidonium. pag. 161. Lindenbrogium ad Ammianum Marcellinum lib. 16. Quintilianum declamat. 371. Paulum Diaconum lib. 4. cap. 49. Sidonius lib. 3. ep. 3. *Nec elutis veſtimenta, nec veſtitis ſepulchra tribuebant, juſte ſic mortuis talia juſta ſolventes.* l. 14. §. 4. D. de religios. l. 29. de in rem verſo. Propriè tamen ad pœnam heic ſubjectam attinet, l. 3. §. 7. de ſepulchro violato. Vide locum. & l. ult. de auro argento mundo. Lactantius lib. 2. cap. 4. Arnobius lib. 5. Mos ille in vulgo obſoletus, in funeribus Epiſcoporum & Presbyterorum retinetur. Vide gravamina de Alliaco à P. Avenionenſibus. Vide Novell. 19. Leonis ſapientis, Photium Nomocan. tit. 13. cap. 23. tit. 19. cap. 27. l. 2. Cod. Th. de ſepulcro violat. l. 5. Cod. eod. l. 3. 7. 8. Cod. Th. de indulgentiis criminum, Valentis Novellam de ſepulcr. Concil. Toletan. IV. Can. 45. Savaronem ad Sidon. pag. 211. *Bign.*

Ad Tit. LVIII.

De incendio vel expoliatione Eccleſiæ.] *Hæc capitula Domnus Ludovicus Imp. anno imperii ſui quinto cum univerſo cœtu populi in Aquisgrani palatio promulgavit, atque legi Salicæ addere præcepit. Ipſaque poſtea cum in Theodonis villa generalem conventum habuiſſet, ulteriùs capitula appellanda eſſe prohibuit, ſed ut lex tantum diceretur voluit.* Pith.

Vel ubi reliquiæ] Gregor. Turon. 2. mirac. cap. 40. *Pith.*

De altari.] 1. q. 3. c. *Quæſitum.* & c. *gravem* de exceſſ. Prælat. *Pith.*

Si quis diaconem.] Ita in omnibus. *Pith.*

Ad Tit. LIX.

In XL. noctes.] In formula relationis cum judicio: *Sed poſtea taliter in jam dicto loco ipſi illi judicatum fuit, ut in noctes quadraginta apud homines XXXVI. manu ſua trigeſima ſeptima in Eccleſia illa, in loco nuncupante illo, conjurare debeat.* Pith.

Qui eum admallat] Supra tit. LII. n. 1. *admallatus*, leg. Ribuar. tit. 32. 3. *Conjurare debet quòd eum ad ſtrudem legitimam admallatum habet.* in edit. Til. tit. eſt 34. num. 4. pag. 19. Marculfus lib. 1. cap. 21. *admallandum proſequendumque.* Notæ ibidem leg. Ribuar. tit. 52. num. 3. pag. 54. & tit. 53. n. 1. edit. Til. *Bign.*

Res

Digitized by Google

hoc eſt, de illa die in quadraginta noctes in mallo iterum ſolem culcaverit, & nullatenus legem implere voluerit, tunc eum debet mannire ante Regis præſentiam in quatuordecim noctes; & tria teſtimonia jurando dicant quod eum manniſſet. Quod ſi nec tunc venerit, & iſta omnia novem teſtimonia conjurando quæ ſuperius diximus vera eſſe dixerint, ſimiliter ei iterum ſolem culcet, & illos tres teſtes ibidem habeat. Ubi culcaverit ſolem, & iſta omnia compleverit, qui eum admallat, & ille qui admallatur, ad nullum placitum venire, nec per legem ſe educere noluerit, tunc Rex ad quem mannitus eſt extra ſermonem ſuum eum eſſe dejudicet; & ita ille culpabilis & omnes res ſuæ erunt in fiſco, aut cui fiſcus dare voluerit. Et quicunque ei panem dederit aut in hoſpitium collegerit, etiamſi uxor ejus propria ſit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur, donec omnia quæ ei legibus imputantur, ſecundum legem componat.

Tit. LX.

De Rachinburgiis qui ſecundum legem non judicant.

I. SI quidem Rachinburgii in mallo reſidentes, cum cauſa diſcuſſa fuerit inter duos cauſatores, admoniti ab eo qui cauſam requirit ut legem Salicam dicant, & ſi legem dicere noluerint, tunc ab eo qui cauſam requirit ſint iterum admoniti usque in tertia vice. Quod ſi dicere noluerint, tunc dicat ille qui cauſam requirit: *Ego vos tangano usque dum vos inter me & contra cauſatorem meum legem judicetis.* Et ſi tunc dicendi ſe legem diſtulerint, ſole culcato ſeptem de illis unusquisque centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur.

II. Et ſi adhuc tunc Rachinburgii deſpexerint, nec legem dicere voluerint, neque de tribus ſolidis compoſitionem facere, tunc unusquisque illorum ſeptem culcato ſole ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

III. Similiter ſi comprobati fuerint legem non judicaſſe, ſeptem ex eis unusquisque ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

IV. Si autem Rachinburgii legem judicaverint, & cui judicatum fuerit hoc ſuſtinere noluerit, & dicit contra legem judicaſſe ſibi, & hoc comprobare non potuerit, contra unumquemque de ſeptem Rachinburgiis ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.

Tit. LXI.

De chrenechruda.

SI quis hominem occiderit, & in tota facultate ſua non habuerit, unde totam legem implere valeat, duodecim juratores donet, ut nec ſuper terram nec ſub terra amplius de facultate non habeat niſi quod donatum habet. Poſtea intrare debet in caſam ſuam, & de quatuor

---

Res extra ſermonem ſuum eum eſſe dijudicet.] Extra mundeburdem. Marculfus in formula de mundeburde Regis: *Sub ſermone*, inquit, *noſtro & mundeburde quietus reſideat.* Et alibi: *Sub ſermone tuitionis noſtræ fuimus recepiſſe.* Pith.

Per legem ſe educere] Veteres quinque, per legem ſe edicere noluerit. *Pith.*

Et quicunque ei panem dederit] Cæſar. 6. de bell. Gall. *Sacrificiis interdicunt. Hæc pœna eſt apud eos graviſſima. Quibus ita interdictum eſt, ii numero impiorum ac ſceleratorum habentur, ab iis omnes decedunt, aditum eorum, ſermonem defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque bis petentibus jus redditur, neque bonos ullus communicatur.* Pith.

Etiamſi uxor ejus] Uxor recipiens maritum punitur. *Bign.*

Ad Tit. LX.

De Racinburgiis] Gloſſ. Keronis: *Cauſa, Rabcha.* In formula cautionis de infracturis: *Contigit quod cellarium vel ſpicarium veſtrum infregi, & exinde annonam vel aliam raupam in ſolidos tantum furavi, dum & vos & advocatus veſter exinde ante illum Comitem interpellare feciſti, & ego hanc cauſam nullatenus potui denegare, ſic ab ipſis Racinburgiis judicatum, ut per Wadium meum eam contra vos, hoc eſt, componere vel ſatisfacere debeam &c. Sed dum ipſos ſolidos minime habui unde transſolvere debeam, ſic mihi aptificavit, ut brachium in collum poſui, & per comam capitis mei coram præſentibus hominibus tradere feci, in ea ratione ut interim quod ipſos ſolidos veſtros reddere potuero, & ſervitium veſtrum & opera qualecumque vos vel juniores veſtri injunxeritis, facere & adimplere debeam; & ſi exinde negligens vel jactivus apparuero, ſpondeo me contra vos ut talem diſciplinam ſupra dorſum meum facere jubeatis quam ſuper reliquos ſervos veſtros.* Bith.

Ego vos tangano] *Adjuro, interpello.* Ribuar. tit. 30. *Et ſine tangano loquatur & dicat: Ego ignoro utrum ſervus meus culp. an innocens de hoc extiterit.* Et tit. 60. *Tabularium interpellatum in judicio non tanganet, & nec alſaccia requirat, & ſacramenta absque tangano conjurent.* In fœdere Ludovici & Caroli apud Nitardum *plaid. Thing.* Gloſſa vetus: *placitum, plait, vel gedinge; placitare, Dengen.* Germ. *dingen*, accuſare dicitur. *Pith.*

Ego vos tangano &c.] *Dény de juſtice*, ut ſupra de Grafione tit. LII. Vide Præfat. leg. Burgund. P.P. MS. *Bign.*

Cauſatorem] Gregor. Turonens. lib. 10. cap. 9. *cauſaturus acceſſit.* lib. 9. cap. 3. *Exponens cauſas* lib. 10. cap. 4. *cauſatus cum ſocio.* Decretio Childeberti R. num. 12. *Cuſator centenarium cum centena requirat.* Bign.

Legem judicetis] Inde *Jugement de loy.* Hannoniens. mor. cap. 17. & Mont. cap. 2. & 15. *Pith.*

Contra unumquemque] *Amende de fol, appel*, ut Ribuar. tit. 57. *Pith.*

Ad Tit. LXI.

De chrenecruda] De ceſſione bonorum. *Bign.*

Nec ſubtus terram] Theſaurum aut quid aliud denotat. *Bign.*

Digitized by Google

tuor angulis de terra illa in pugno ſuo colligere, & ſtare in durpilo, hoc eſt, in liminare, & intus captare, & cum ſiniſtra manu de illa terra ultra ſuas ſcapulas jactare ſuper quem proximiorem parentem habet. Quod ſi jam pater aut mater vel frater ſolverint, tunc ſuper ſororem matris aut ſuper ſuos filios debet illam terram jactare, id eſt, ſuper tres de generatione matris qui proximiores ſunt. Et poſtea in camiſia diſcinctus & diſcalceatus, cum palo in manu ſupra ſepem ſallire debet, ut pro medietate, quantum de compoſitione diger eſt, aut quantum lex dicat, illi tres ſolvant. Idem illi alii, qui de paterna generatione veniunt facere debent. Si vero aliquis ex illis pauperior fuerit, & non habet unde ad integrum debitum ſolvat, quicunque de illis amplius habet, iterum ſuper illum chrenechruda ille qui pauperior eſt jactet, & ille totam legem componat. Quid ſi nec ipſe habuerit, ut totam legem perſolvat, tunc illum qui homicidium fecit, ille qui eum in fide ſua habet, per quatuor mallos præſentem faciat. Et ſi eum nullus ſuorum per compoſitionem voluerit redimere, de vita componat.

TIT. XLII.

De alode.

I. SI quis homo mortuus fuerit, & filios non dimiſerit, ſi pater aut mater ſuperfuerint, ipſi in hereditatem ſuccedant.

II. Si

De terra illa in pugno.] Vide leg. Alaman. tit. 84. *tollat de ipſa terra, quod Alamanni Curſſodi* (alias zurb.) *dicunt.* Videantur vett. formulæ cap. 19. & Notæ. Mos Germanicus, de quo Plinium accipio lib. 22. cap. 4. Sed & apud Romanos quid non diſſimile obſervabatur, de ceſpite &c. *Bign.*

In durpilo] *In liminari ſive veſtibulo.* Marculfus. *Et per durpilum & feſtucam ſibi foras exitum alienum vel ſpoliatum in omnibus eſſe dixit.* In vita S. Eugendi: *Clauſuram fortiſſimam ſuperſtitioſiſſimi templi, quod Gallica lingua Iſandor, id eſt, ferrei boſtii.* Pith.

De illa terra] Unde moribus noſtris: *Mettre en ſa main le gazon de l'heritage.* In notitia traditionis: *Qualiter veniens il. die illo in villa illa ante bonos homines per boſtium & axatoria ſeu terram vel herbam homini illi nomine ill. & conjugi ſuæ ill. rem illam viſus fuit tradidiſſe, non in fraude, ſed in publico, & per meam fiſtucam de jam dicta re illa exitum feciſſe.* Et alibi: *Per terram & per herbam, ſeu per boſtium viſus fuit tradidiſſe.* In formula traditoriæ de terra: *Miſſus ipſius feminæ ille ipſi miſſo monaſterii nomine illi per ipſum boſtium de ipſa caſa per terram vel herbam ſicut lex eſt, ad partem ſancti illius viſus eſt tradidiſſe, & per ſuam fiſtucam ipſum miſſum vel ipſam fœminam de ipſis rebus ſe exutos ex omnibus eſſe dixiſſe.* Pith.

Ultra ſcapulas jactare.] Inde, *Riche par deſſus l'eſpaule. Pith.*

Ultra ſuas ſcapulas] Quaſi pro derelicto habeat. Vere enim relinquimus ea quibus oculos & anticam corporis partem retrahimus, & poſteriora tantum oſtendimus. 3. Regum cap. 14. *Projicere poſt corpus ſuum.* Bign.

Camiſia] Eginhartus: *ad corpus camiſiam lineam & feminalibus lineis induebatur.* Additio Ludovici I. c. 22. *Alioquin hoc omnino provideat ut camiſas duas & tunicas duas & cucullas duas, & cappas duas unusquisque monachorum habeat.* Victor Uticens. lib. 1. *De palliis altaris, proh nefas, camiſias ſibi & femoralia faciebat.* Beda in Martyrologio. XVIII. Kal. Januar. *De ipſis palliis altaris camiſias ſibi & femoralia faciebat.* Quæ ſumpſit ex Victore procul dubio. Hieronymus epiſt. ad Fabiolam de veſte Sacerdotali: *Solent*, inquit, *militantes habere lineas, quas camiſias vocant, ſic aptas membris ſuis & aſtrictas corporibus &c.* Bign.

Camiſa] Al. *Camiſia.* Guitbert. de bello ſacro lib. 3. *Adoptionis autem talis quo gentis conſuetudine dicitur fuiſſe modus. Intra lineam interulam, quam nos camiſiam vocamus, nudum intrare eum faciens, ſibi adſtrinxit. Ad hæc omnia oſculo libato firmavit.* Pith.

Diſcinctus & diſcalceatus] *Deſceint & ſans houzeaux.* Artic. 72. conſuet. Borbon. & cap. 20. Alverniæ artic. 4. Marchiæ 64. Inde *tendre & donner la ceinture. Et laiſſer les houzeauz.* videatur quæſt. 46. Druſii. *Pith.*

Diſcinctus] Hodie quoque bonis cedentes Zonam ſolvunt; & Zonam abjicere pro bonis cedere vulgo apud nos uſurpatur. Porro heic agitur de ceſſione bonorum. *Bign.*

Diſcalceatus] Vide de calceis lib. Ruth. calceus in Scripturis nota dominationis. Pſalm. *Extendam calceum meum ſuper Idumæam.* Ad calceamentum pertinet, neſcio an huc faciat, quod ſcribit Gregor. Turonens. in vita B. Leobardi & B. Venantii, priſco Galliæ ritu uſitatum eſſe, ut annulus porrigeretur ſponſæ, unaque oſculum & calceamentum. De calceis Plutarchus in Theſeo. Diſcute. *Bign.*

Diger eſt] Regius cod, 2. *dederit.* Atqui nil dedit cum bonis cedat niſi legas *dediſſet*, aut illi ſcripſiſſent *dederit* pro *dediſſet*, cum certum ſit ſatis malæ nec dicam peſſimæ latinitatis auctores eſſe. Legerem *indigens eſt.* Vid. Bign.

Per compoſitionem] Alibi in eadem lege, *per compoſitionem ſe educere.* Infra LXVI. mem. 1. & 2. *compotionem quam infra patriam facere debuit.* leg. Longobard. lib. 1. tit. 2. l. 10. *de compoſitionibus quæ ad palatium pertinent.* Bign.

Ad Tit. LXII.

Alode] In epiſt. Joan. PP. VIII. *Proprietates Boſonis & Engeltrudis, quas vos alodium dicitis, filiabus eorum heredibus reſtituatis.* Marculfus: *Terra paterna. Aviatica.* tit. 58. leg. Ripuariorum. *Biens papoaux & avitins.* Waſconibus. Dicitur tamen & de conquiſito, ut notavi in gloſſario ad Capitularia. *Pith.*

De alode.] Alode aviatica hereditas dicitur, in leg. Ribuar. tit. 56. alias 58. p. 31. edit. Til. in fin. tit. Vide Decretionem Childeberti R. num. 1. Aviaticum in conſtitutione Conradi in legib. Longobard. lib. 3. tit. 8. l. 4. nepos eſt, non hereditas, quamquam ibi malè accepiſſe videatur Lindenbrogius pag. 1360. de alode. Vide notas ad Marculfum lib. 1. cap. 2. & 12. ubi plura leg. Bajuvar. tit. 2. cap. 1. n. 4. (in Lindenb. edit. 3.) edit. Til. pag. 31. leg. Bajuvar. tit. 17. cap. 2. (ſic Lindenbr.) Til. 3. pag. 105. leg. Ribuar. tit. 56. (ſic Lindenbr.) Tilio 58. pag. 30. Vide item leg. Angliorum tit. 6. pag. 483. ubi de excluſione feminarum agitur. Et alia capita omnino cum hujus tituli capitibus componenda. Capitul. lib. 1. cap. 126. *ex beneficio ſuam familiam nutricare faciat, & de ſua proprietate propriam familiam nutriat*, Mox: *Si in beneficio aut in alode annonam habeat, &c.* lib. 3. cap. 20. & cap. 81. *Quomodo eadem beneficia condricta ſint, aut quis de beneficio ſuo alodem comparavit vel ſtruxit.* Bign.

Et filios non dimiſerit.] Filiæ enim patri in alode non ſuccedebant, niſi aliter caviſſet. Marculfus in formula

II. Si pater aut mater non ſuperfuerint, & fratres vel ſorores reliquerit, ipſi hæreditatem obtineant.

III. Quod ſi nec iſti fuerint, ſorores patris in hereditatem ſuccedant.

IV. Si verò ſorores patris non extiterint, ſorores matris ejus hereditatem ſibi vindicent.

V. Si autem nulli horum fuerint, quicunque proximiores fuerint de paterna generatione, ipſi in hereditatem ſuccedant.

VI. De terra verò Salica nulla portio hereditatis mulieri veniat: Sed ad virilem ſexum tota terræ hereditas perveniat.

TIT. LXIII.

De eo qui ſe de parentela tollere vult.

I. SI quis ſe de parentela tollere voluerit, in mallo ante Tunginum aut Centenarium ambulet, & ibi quatuor fuſtes alninos ſuper caput ſuum frangat, & illas quatuor partes in mallo jactare debet, & ibi dicere ut & de juramento & de hereditate, & de tota illorum ſe ratione tollat.

II. Et

---

mula quæ extat apud Doctorem meum. Obſervat. 8. Innominatus Auctor de formulis Salicis: *Dulciſſima filia mea, dum cognitum eſt, qualiter ſecundum legem Salicam in portione paterna cum fratribus tuis filiis meis minime potes accedere.* Sed nec in lege familiæ quam Burchardus Wormatienſis Epiſcopus ſcripſit: *Si ex familia* inquit, *vir aliquis & uxor ejus obierint, & filium cum filia reliquerint, filius hereditatem ſervilis terræ recipiat, filia autem veſtimenta matris & pecuniam operatam recipiat.* Pith.

Quicunque proximiores.] Vetus formula, ut in locum filiarum nepotes inſtituantur ab avo: *Dulciſſimis nepotibus meis S. Dum peccatis meis facientibus genitrix veſtra filia mea, quod non optaveram, tempore naturæ ſuæ completo ab hac luce deceſſit, ego verò penſans conſanguinitatis cauſam, dum & pro lege cum ceteris filiis meis avunculis veſtris in alode mea minimè accedere potueratis, ideo per hanc epiſtolam vos dulciſſimi nepotes mei volo ut in alode mea poſt meum diſceſſum ſi mihi ſuperſtites fueritis, &c.* Pith.

De terra vero Salica.] In donatione Caroli Magni Eccleſiæ Tigurinæ: *Atque inſuper in Honica duos manſos & dimidium præter Salicam terram de noſtra propria manu in ſuam manum ut juſtum eſt, percepit.* Id eſt, terra quæ hoſtibus devictis Regi militibusve Saliis ſorte obtigit. Gregor. Turonenſ. hiſtor. 2. 27. Aimoin. 1. 12. Thoromach. 678. Hincmarus in vita beati Remigii. Vnde & *decima Salica* in deſcriptione hubarum ad curiam Furde pertinentium, apud Marq. Freherum vir. doct. Et Salica domus in Polyptico Sancti Galli, *tam marchis quàm ædificiis (excepta domo Salica) curtilibus terris &c. anno XXXV. Hludovici piiſſimi Regis.* Nam agri ex hoſte capti partim in publico, vel Principi, partim veteri poſſeſſori relinquebantur, partim militibus & veteranis in præmia aſſignabantur. Procop. 1. de bello Wandalico. *Gizerichus deinde ſi quid inter Afros boni fuerat, aut agri, aut rerum aliarum, omne inter filios diviſit Honorichum & Genzonem. Nam Theodatus omnibus junior jam deceſſerat ſine liberis. Ceteros item agros optimos Africæ à dominis ereptos Wandalis diſtribuit, qui adhuc hodie* κλῆροι βανδίλων καλοῦνται. Male interpres Latinus. Vnde in edicto Hunnerici apud Victorem Epiſcopum Vticens. Lib. III. *Sortes Vendilorum.* Et lib. 10. leg. Wiſigotth. tit. 2. *Sortes Gothicæ & Romanæ.* Sidonius lib. 7. ep. 6. *Limes Gothicæ ſortis.* Videantur leg. Burgund. & Caſſiodorus. *Pith.*

Nulla portio hereditatis mulieri veniat.] Carol. IV. de vita ſua: *Eodem anno obiit Carolus Francorum Rex, relicta uxore prægnante, quæ filiam peperit. Et cùm de conſuetudine regni filiæ non ſuccedant, provectus eſt Philippus filius ſoceri mei in Regem Franciæ, quia propinquior erat heres in linea maſculina.* Albertus Argentin. in Chronico: *Cùm Francia à nullo haberi dicatur in feudum, quamvis è contra nullus per femininam lineam ſucceſſiſſe dicatur.* Vetus Chronicon: *Obeunte inhumatóque Carolo Pulchro, orta eſt quæſtio non modica quis in regno de ipſius progenie proximior exiſteret ad ſuccedendum &c. Tandem opinionibus & altercationibus ſopitis, per Principes & regni ſapientes concluſum fuit & unanimiter determinatum quòd regnum, eò quòd de conſuetudine & ſtatutis ejusdem in genus femineum deſcendere non valebat, Comiti de Valeſio Philippo pertinere debebat.* Bald. ad. l. 1. D. de Senator. & ad tit. de feudo Marchiæ. Petr. Jacobus tit. de cauſis ex quibus Vaſall. Froiſſard. volum. 1. c. 4. Garibay lib. 26. hiſt. Hiſp. cap. 16. Et ſanè jure antiquo feudorum filiæ à ſucceſſione feudi removentur, quia feminæ neque faidam levare neque pugnam facere poſſunt. lib. 1. de feud. tit. 1. *Pith.*

Sed ad virilem.] *Dum extiterit,* leg. Ribuar. tit. 58. Idem apud Athenienſes ſancitum: Κρατῶν ἢ τὰς ἀρρένας, καὶ τὰς ἐκ τῶν ἀρρένων, ἐὰν ἐκ τῶν αὐτῶν ὦσι καὶ ἐὰν γένει ἀπωτέρω. Demosthenes in Oratione περὶς Μακάρτατον. Vbi illud quoque obſervare eſt, ſeparationem quodammodo paternorum bonorum fieri. Ideo idem Demosthenes in oratione περὶς Λεωχάρη. Ἐν μὲν οὖν ὁμολογοῦται, τὸ κρατεῖν τῶν κληρονόμων τὰς ἀρρένας, καὶ τὰς ἐκ τῶν ἀρρένων ἁπλῶς γὰρ τοῖς ἐγγυτάτω περὶς ἀνδρῶν ὅταν. μὰ παῖδες ὦσιν ὁ νόμος τὰς κληρονομίας ἀποδίδωσιν. Quod ſcilicet perpetuò obtinebat cùm de legitimis hereditatibus agebatur. Lex vero Salica etiam in paterna hereditate. Idque olim apud Armenios obſervatum Juſtinianus ſuſtulit, Novell. 21. Sic Ribuarii. leg. Ribuar. tit. 58. Sic Saxones leg. Saxon. tit. 39. Sic Angli vetuſti leg. Angliorum tit. 6. ſic olim Hebræi, unde refertur Jobum caviſſe teſtamento, ut filiæ cum fratribus portionem ferrent. Job. cap. ult. Vide Marculfum lib. 2. cap. 12. Inſtitut. tit. de legitima agnator. ſucceſſ. §. *Ceterum: Ut plerumque hereditates ad maſculos confluerent.* Videndus Philo de vita Moſis. pag. 468. διὰ τι τὰς κληρονομίας ἄρρεσι δίδωσιν. & pag. 469. *Bign.*

Ad Tit. LXIII.

De eo qui ſe de parentela] Id eſt, *de ejuratione cognationis.* Pith.

De parentilla toll.] De modo ejurandæ cognationis. *Bign.*

Tollere vult.] Propter onera inimicitiarum vindicandæ mortis & juramenti. Vt hereditas proximos, ſic permulta onera ſequuntur. Onera proximorum apud Athenienſes, quæ mercede quadam hereditatis rependebantur. Vide Demoſthenem in oratione περὶς μακάρτατον. *Bign.*

Parentilla] Jornand. de regnorum ſucceſſione. pag. 11. *parentela conjuncti.* Vide ſupra tit. 46. num. 10. *Bign.*

Fuſtes alninos ſupra caput ſuum frangat.] An inde fuſtis fractio in funere Regum noſtrorum? Et *rompre le fuſt ou feſtu avec quelqu'un.* Sicut contrà moribus noſtris: *Livrement de fuſt.* In vet. Inſtrument. *Unde ejusmodi auctoramentum priùs ibidem in capitulo quodam fuſte, ut moris eſt, fecit, & poſtea eundem fuſtem ſuper altare poſuit.* Et alibi: *Ex quo molendino dum ſuper altare do-*

Digitized by Google

II. Et ſi poſtea aliquis de parentibus ſuis aut moritur aut occiditur, nihil ad eum de ejus hereditate vel de compoſitione pertineat.

III. Si autem ille occiditur aut moritur, compoſitio aut hereditas ejus non ad heredes ejus, ſed ad fiſcum pertineat, aut cui fiſcus dare voluerit.

TIT. LXIV.
De charoena.

I. SI quis alteri de manu aliquid per vim tulerit aut rapuerit, rem pro capitali reſtituat, & inſuper mille ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, culpabilis judicetur.

II. Si quis homini aliquid quod ei in tertia manu miſſum fuerat, per vim tuliſſe convincitur, mille ducentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta, culpabilis judicetur.

TIT. LXV.
De compoſitione homicidii.

I. SI alicujus pater occiſus fuerit, medietatem compoſitionis filii colligant, & aliam medietatem parentes qui proximiores fuerint, tam de paterna, quam de materna generatione dividant.

II. Quod ſi de una parte vel paterna vel materna, nullus proximus fuerit, portio illa ad fiſcum perveniat, vel cui fiſcus conceſſerit.

TIT. LXVI.
De homine in hoſte occiſo.

I. SI quis hominem in hoſte occiderit, triplici compoſitione componat, ſicut in patria componere debuit, excepto ſi ex truſte regali non fuerit ille homo,

II. Nam ſi ex truſte regali fuerit, eadem compoſitione quam infra patriam facere debuit, culpabilis judicetur, hoc ſunt denariis ſeptuaginta duobus mille, qui faciunt ſolidos mille octingentos.

TIT. LXVII.
De eo qui alterum hereburgium clamaverit.

I. SI quis alterum hereburgium clamaverit, hoc eſt, ſtrioportium, aut qui æneum portare dicitur ubi ſtriæ concinunt, & convincere non potuerit, bis mille quingentis denariis, qui faciunt ſolidos ſexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur.

II. Si quis mulierem ingenuam ſtriam clamaverit aut meretricem & convincere non potuerit, ſeptem mille quingentis denariis, qui faciunt ſolidos centum octuaginta ſeptem cum dimidio, culpabilis judicetur.

III. Si ſtria hominem comederit & convicta fuerit, octo mille denariis, qui faciunt ſolidos ducentos, culpabilis judicetur.

TIT. LXVIII.
De caballo excoriato.

I. SI quis caballum alienum ſine conſenſu poſſeſſoris decorticaverit, & interrogatus, fuerit confeſſus, caballum ipſum in capite reſtituat.

II. Si verò negaverit & convictus fuerit, ſexcentis denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, excepto capitale & delatura, culpabilis judicetur.

TIT.

---

nationem quodam fuſte, ut moris eſt, faceret. Item: *Poſtea hoc majus monaſterium in capitulo noſtro, quodam fuſte qui apud nos nomine ejus inſcripto in teſtimonium ſervatur, præſente Domino Abbate Alberto fecit guerpitionem.* Pith.

De tota eorum ſe ratione] *De toute leur race.* Pith.

Ad Tit. LXIV.

De charoena.] Vet. Cod. Thuan. *charoena.* Sic cod. Expilii. *Bign.*

Per vim] Cod. Expilii, *Per virtutem.* Bign.

Ad Tit. LXV.

De compoſitione homicidii] Tacitus de Germanis: *Luitur homicidium certo armentorum aut pecorum numero.* Vide leg. Scotorum in lib. *Regiam Majeſtatem.* Huc reſpicere videtur Salomon Proverb. 6. verſ. 35. *Nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.* Sic apud Afros. Leo African. part. 2. *Bign.*

Medietatem Parentes] Nam univerſa domus recipiebat ſatisfactionem. Tacit. de moribus Germanorum: *Suos enim opprimi quisque & circumveniri non patitur.* Cæſar. *Pith.*

Ad Tit. LXVII.

Herebergium.] Equeſtribus *Herege*, Helvetiis *Herberger.* An inde Hurebez? *Pith.*

Striæ] Hincmar. de divortio Hlotarii & Tetbergæ ad 15. interrogat. *Quidam veſtibus carminatis induebantur, vel cooperiebantur, alii autem cibo à ſortiariis dementati, alii vero tantùm carminibus à ſtringis faſcinati, & quaſi enerves effecti reperti ſunt; quidam autem à lamiis ſive genichialibus feminis debilitati, &c.* Bign.

Stria hominem comederit] Λαιστρόν. *Striga. malefica.* Plaut. Pſeudolo. *Strigibus vivis, convivis inteſtina quæ exedant.* Vid. tit. de homicidiis ſervor. lib. 1. Leg. Longobardorum. *Genichiales* Hincmaro dicuntur. *Genoches* Biturigenſibus. *Pith.*

Ad Tit. LXVIII.

Caballo excorticato] MS. Expil. *decotato.* Apud nos viliſſimi qui equorum morticinia decoriant, & fere inteſtabiles. *Bign.*

Caballum alienum] An vivum, an mortuum? Puto mortuum, quia corium domini eſt. *Bign.*

Decorticaverit] Decorticare ſuprà tit. 29. n. 10. *eſcorcher.* In Cod. MS. Leſcurii & Expilii *decotaverit*, id eſt, caudam abſtulerit & deturpaverit. *Bign.*

Si verò negaverit] Inficiatione lis creſcit, ut in lege Aquilia. *Bign.*

Ad

Digitized by Google

TIT. LXIX.

De eo qui hominem de bargo vel de furca dimiserit.

I. SI quis hominem de bargo vel de furca sine voluntate judicis demiserit, mille octingentis denariis, qui faciunt solidos quadraginta quinque, culpabilis judicetur.

II. Si quis hominem sine consensu judicis de ramo ubi incrocatus est, deponere præsumpserit, mille ducentis denariis, qui faciunt solidos triginta, culpabilis judicetur.

III. Si quis caput hominis, quod inimicus suus in palo miserit, sine permissu judicis, aut illius qui eum ibi posuit tollere præsumpserit, sexcentis denariis, qui faciunt solidos quindecim, culpabilis judicetur.

IV. Si quis vivum hominem de furca dimiserit, quatuor mille denariis, qui faciunt solidos centum, culpabilis judicetur.

TIT. LXX.

De eo qui filiam alienam quæsierit & se retraxerit.

SI quis filiam alienam ad conjugium quæsierit præsentibus suis & puellæ parentibus, & postea se retraxerit, & eam accipere noluerit, bis mille quingentis denariis, qui faciunt solidos sexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur.

TIT. LXXI.

De terra condemnata.

SI quis terram alienam condemnaverit & ei fuerit adprobatum, bis mille quingentis denariis, qui faciunt solidos sexaginta duos cum dimidio, culpabilis judicetur.

In Codice Mazarino bibliothecæ regiæ sequens caput additur in fine legis Salicæ.

TIT.

Ad Tit. LXIX.

De bargo] *Ramo.* Tacit. de morib. Germ. *Proditores & transfugas arboribus suspendunt.* Invenio in Gloss. Saxonic. antiquiss. *Baar*, *feretrum.* Inde fortassis *Bargina*, ναρθηκοφόρος. Pith.

De ramo] Mos Germanicus. Tacitus annal. 1. p. 31. *Truncis arborum antefixa ora.* Gregor. Turonens. lib. 9. cap. 19. *Bign.*

Vti incrocatur.] Inde *pendre au croc.* Pith.

Si quis caput hominis] Vetustissima Gallorum hæc observatio auctore Posidonio, quamque à Romanis vetitam, ut docet Strabo, Franci rursum intulerunt. Strabo lib. 4. Πρός ἐστι ἡ τῆ διανοίᾳ (aliàs τῇ ἀνοίᾳ) καὶ τὸ βαίβαρον, καὶ τὸ ἄκρωλον ὁ τῶν ἀρχιβίους ἔθνεσιν παραλουβεῖ πλεῖστον, τὸ ἀπὸ τῆς μάχης ἀπιόντας, τὰς κεφαλὰς τῶν πολεμίων ἐξάπτειν ἐπὶ τῶν ἀυχένων τῶν ἵππων, νομίσαντας ἡ ἀρπαλτιλίων τὸν θέαν τοῖς ἀρτυλαίοις. φησὶ γοῦν Ποσειδώνιος αὐτὸς ἰδεῖν ἐνίοις πολλαχοῦ, καὶ τὸ μὲ πρῶτον ἀνθίζωθαι μισὰ ἡ ταῦτα φέρον πρόσω διὰ τὸν ἐνθύμιον. Apollonii Tyrii historia apud Photium: *decollabatur, & caput ejus ad fastigia portæ suspendebatur.* Venationum certè notas & ferarum captarum capita nobilium valvis affigi hodieque mos est, ex illo veteri & immani ut verisimile est, descendens. Manilius lib. 4.

Habet hoc studium postes ornare superbos
Pellibus, & captas domibus præfigere prædas,
Et pacare metu silvas, & vivere rapto. Bign.

Quod inimicus] *Duellio.* Mos Francis solitus. Aimoin. 5. 13. *Pith.*

Inimicus suus] Franc. Pithœus de eo qui in duello vicit, interpretatur. Sed pace ejus dictum sit, non ita accipiendus hic locus, sed de inimico & faidoso, ut tùm loquebantur. Licebat enim privatas inimicitias armis persequi, & inimicos qui aliquem ex agnatione sua occiderant aut malè mulctare, aut impune occidere. *Bign.*

In palo miserit] Vide Gregor. Turonens. lib. 9. cap. 19. *Bign.*

Vivum hominem] In quæstionibus adhibendis more Francico, reus revinctis post tergum manibus, suspensus ad arborem dependebat. Gregor. Turon. lib. 5. histor. cap. 49. *Pith.*

Ad Tit. LXX.

De repudiis, seu de Sponsalium dissolutione, leg. Alaman. tit. 53. *Componat eam quod desponsavit & dimisit, cum quadraginta solidis. Et cum duodecim sacramentalibus juret, cum quinque nominatis & septem advocatis, ut pro nullo vitio nec tentatam eam habuisset, nec vitium in illa invenisset, sed amor de alia eum adduxit ut illam dimisisset, & aliam habuit uxorem.* Nec dissimile quod veteri jure Romano observabatur. Servius Sulpitius lib. de dotibus apud Gellium. lib. 4. cap. 4. *Qui uxorem ducturus erat, ab eo unde ducenda erat stipulabatur eam in matrimonium ductum iri. Qui daturus erat, itidem spondebat. Is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur sponsalia. Tunc quæ promissa erat, sponsa appellabatur, qui spoponderat ducturum, sponsus. Sed si post eas stipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur, qui stipulabatur ex sponsu agebat, judices cognoscebant. Judex quamobrem data acceptave non esset uxor quærebat. Si nihil justæ causæ videbatur litem pecunia æstimabat, quantique interfuerat eam uxorem accipi aut dari, eum qui spoponderat, aut qui stipulatus erat condemnabat.* Quod observatum scribit ad id tempus, quo civitas universo Latio lege Julia data est. Eadem & Neratius de nuptiis. Vide Aristotelem politic. lib. 5. cap. 4. l. 1. Cod. de sponsal. l. 2. Cod. de repud. l. 2. de divort. *Bign.*

Ad Tit. LXXI.

De terra condemnata] Totus hic titulus abest in omnibus exemplaribus. Ædificiorum condemnatorum fit mentio Speculo Saxon. lib. 3. tit. 1. *Pith.*

Extat hic titulus num. XCVIII. in cod. reg. 2. & 99. 2. quem ab omnibus abesse scribit, Pithoeus. Huc facit Speculum Saxonicum lib. 3. art. 1. *Ædificia prædiorum seu villarum propter nullam aliam injuriam succedi, seu ad terram prosterni debent, nisi in ipsis fuerint virgines aut mulieres violenter oppressæ, aut post factum introductæ. Tunc enim domus illæ per jus condemnantur, si non, ut juris est, excusentur. Postquam condemnata jam fuerint ædificia ejusmodi, si reus postmodum absolvitur ab actione, destructa jam ædificia non exsolventur, quia ea à reatu non excusavit cum jure fuerant excusanda.* Verùm cum

Digitized by Google

TIT. LXXII.

De invictu ſtricto.

I. SI quis pitto alterius excuſſerit invitu ſtricto, centum viginti denariis, qui faciunt ſolidos tres, culpabilis judicetur.

II. Si verò contra voluntatem domini & negare voluerit, & ei fuerit adprobatum, capitale reſtituat, & inſuper mille quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta quinque, culpabilis judicetur.

EXPLICIT LEX SALICA.

ejusmodi condemnatio jure fiat, & Romanis quoque legibus in crimine majeſtatis non ſit ignota, palam eſt non de hac condemnatione legem Salicam heic agere; ſed illud quale ſit mihi incompertum eſſe ingenuè profiteor. Suſpicor tale quid heic deſignari quod in Arabia ſolitum fieri & σκοπελισμὸν appellari ſcribit Vlpianus l. 9. de extraordinar. criminibus. Fortaſſe & ad terminos effoſſos limites exaratos, arbores terminales evulſas referri poteſt. de qua re Edictum Theoderici R. cap. 104. Fortaſſe & ad clauſum agri aditum. qua figura & condemnare portam, pro obſtruere & occludere vulgò dicimus, ſed hoc divinare eſt. *Bign.*

Condemnaverit.] Formul. vet. Lindenbrog. 38. pag. 521. *Vt nullus ex vobis jam dictum Abbatem vel ipſum monaſterium, nec homines, nec res ſuas quas ad preſens habere videtur. vel in antea Chriſto propitio à bonis hominibus ibidem conlatum fuerit, nullus inquietare nec condemnare vel aliquid de rebus ſuis minuere omninò preſumat.* Sed ibi de judicibus loquitur. Putarem condemnare eſſe damnum dare, *endommager la terre d'autruy.* ſic in leg. Burg. tit. 48. num. 3. Ceterùm ſi aut brachium cujuscunque, aut tibia ſupra dicto ordine fracta, & evidenti fuerint debilitate damnata. *Bign.*

Ad Tit. LXXII.

Si quis pitto] Vide ſuprà pag. 989. in notis ad pag. 22. *Baluz.*

Digitized by Google

JUS PROVINCIALE ALEMANNICUM

Alias sub Nomine

SPECULI SUEVICI

comprehensum:

Ex insigni Codice MSC. Membranaceo

PERILLUSTRIS DOMINI,

DNI RAYMUNDI KRAFFT

de DELMENSINGEN,

Reipublicæ Ulmensis Consulis,

Postquam

Laudatum modo Codicem MSC.

Cum Codicibus XI. MSS. ut & IX. impressis summa cura contulit;

Lectiones variantes præcipuas excerpsit, & latina Versione juxta Textum Codicis KRAFFTIANI donavit:

Notis plurimis, quibus & aliquæ B. SCHILTERI *accedunt, illustratum*

Orbi Erudito offert

JOH. GEORGIUS SCHERZIUS,

D. & Juris in Universitate Argentoratensi Prof. Publ. Ord.

ULMÆ,

Sumptibus DANIELIS BARTHOLOMÆI,

M DCC XXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google



JO. GEORGII SCHERZII D.
& in Vniverſitate Argentoratenſi Juris P. P. Ord.

PRÆFATIO
IN
JUS PROVINCIALE ALEMANNICUM.

INſignis Antiquitatum Germanicarum & Eruditionis ſolidioris elegantiorisque Stator, JO. SCHILTERUS, poſtquam obſervaſſet, Monumenta Antiqua Germanica non eo, quo fieri debebat, haberi loco, præter alia, quæ in hoc Theſauro edita apparent, etiam utile fore arbitratus eſt, ſi *Jus Alemannicum* ſeu *Francicum*, quod alias *Speculi Suevici* nomine venit, luce publica donaret, tum quod exemplaria impreſſa, Hupfupfianum ſcilicet & Meichſnerianum (de his enim ſolis ipſi innotuerat) raro invenirentur, tum quod inventa nævis defectibusque plurimis laborarent. Eſt hinc, ut ille in animum induxerit Textum genuinum & incorruptum quantum pote, producere; ad hoc ipſum exequendum commode contigit, ut Dn. *Pryſchenkius de Lindenhoven* celeberrimi *Hortlederi* gener, ipſi inſigne hujus juris MSC. (quod ad medium XIV. Seculi refero) ex Bibliothecâ Hortlederianâ dono daret; quæ res Schilterum movit, ut de aliis MSS. conquirendis & componendis ulterius cogitaret. Quâ in re ſucceſſus eum non deſtituit. Amicitia enim illa, quæ inter ipſum & Petrum *Lambecium*, Bibliothecæ Cæſareæ quondam cuſtodem digniſſimum, interceſſit, id effecit, ut hic ei duos Codices MSS. qui olim in Tyrolenſi Arce Ambras latuerant, communicaret; alterum quidem Pergamenum, alterum vero chartaceum. Hos Codices ille cum ſuo Hortlederiano accurate contulit, & textus diverſitatem margini Codicis Hortlederiani allevit: Simul junxit collationem Codicis Pergameni alicujus, quem ex Jungiana Bibliotheca obtinuerat Francofurti. His cum fretus eſſet ſubſidiis Argentinam, ut hic Profeſſoris in Jure Honorarii, & Conſiliarii Reipubl. munere fungeretur, Auctore potiſſimum, Illuſtri Viro Vlrico Obrechto, fuit vocatus. Quæ ipſa res novum ei bene agendi cam-

campum aperuit. Nactus enim ibi est tres chartaceos Codices, Juris hujus MSS. quorum duo erant in insigni illo Civitatis Nostræ Archivo, tertius inter MSS. Bibliothecæ Vniversitatis reperiebatur. Hos ipsos itaque in subsidium etiam vocavit, eorumque ope textui multis in locis sinceritatem restituit. Hæc cum egisset, specimen sui laboris illustre edidit in lucem publicam, Anno 1697. producendo *Jus Feudale Alemannicum*, quod versione Latina luculentoque Commentario instruxerat: quo ipso Eruditis salivam movit idem videndi circa *Speculi Suevici Partem priorem* seu *Jus Provinciale Alemannicum*. Et sane id executioni dare serio sibi animo proposuerat Vir Beatus, verum mors fato propera fecit, ut magnis excideret ausis. Serio autem id ipsi fuisse propositum tum Variæ Lectiones Codici Hortlederiano adscriptæ, tum notæ, quamvis paucæ, Schedis ipsius insertæ ostendunt. Ostendit idem Præfatio, quam inter chartas ipsius repertam hic sistimus.

JO. SCHILTERI PRÆFATIO IN JUS ALEMANNICUM PROVINCIALE.

§. I.

DE Provinciali Alemannico Jure veteri eò plura præfari oporteret, quo profundius illud partim invidia, partim ignorantia Legulejorum suppressit. Verum enim verò compendio nobis sunt ea, quæ antea Feudale Alemannorum jus edentes præfati sumus: ubi communia utriusque juris simul ac semel exponenda fuerunt. Originem hujus Juris ibi cum summo Jurisconsulto H. Giphanio retuli ad illud tempus, quo Imperium ipsum Romanorum in Provincias tum subjectas sublatum fuit: de qua metamorphosi præcipuè legendum Presbyter Massilienſis, lib. & piissimo & elegantissimo de Gubernatione DEI. Id quod verò, ut dixi, de illis provinciis, quæ Romanorum Imperio subditæ fuerant, intelligendum; de cæteris enim non subditis non potuit tolli imperium. Hoc ipsum de Francis Saliis, trans Rhenum adhuc constitutis, Legem Salicam, condentibus, in præfamine ad ipsam, satis, arbitror, demonstravi.

§. II.

De Alemannia hîc videndum: de qua constat, quatenus ea fuit pars Germaniæ Magnæ, totam Sueviam complectens, quod nunquam fuerit provincia Romana, triumphata, nunquam devicta. Quare etiam Alemannia antea habuit suas leges, quibus quippe nulla Resp. independens carere potest. Unde & plurima de Jure Germanorum generatim ex illustri C. Taciti historia de Mor. Germ. supersunt hujus beneficio.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Speciatim porrò quod Alemannos attinet, extat Lex Alemannica à Jo. Heroldo in Codice LL. antiquarum primò edita, eaque Latino idiomate. Non quidem ideò, quasi Alemanni communiter & in foro linguâ Latinâ usi fuerint; sed quod illi imperio Francorum subditi, Theodorico Rege auctore, Legem suam ex lingua vernacula transferri passi sint, de quo prædictâ præfatione §. V. Verùm quum communiter ista lingua ignoraretur, resuscitarunt jus suum iterum in proprio idiomate, quo hodieque uti possumus. Quis hic resuscitator fuerit, vulgò nescitur: nisi quod Goldastus refert, Bertholdum Comitem de Grimmenstein, V. d. præf. §. VI. sed quis ille, non exponit: nec quo tempore vixerit. Cæterum recentiores Codices hujus Juris totum id ad Carolum M. referunt. Sic nostri MS. rubrica: Hie hebt sich an des säligen König Karls Lantrecht Puch. Et cap. CCCXXXII. recitantur: Kaiser Karls gepot. Diß seint die gepot des heiligen und des säligen Kayser Karls. Et Vindobonensis Chartaceus: Dis stett in dem andern buche das der König Carl der hailig und der selig hat gemacht. At MS. Argentoratense majus simpliciter rubricam ponit: Hie vobet an das Lantrechtbuch als es gemacht ist zv Nurnberg. Porrò Norimbergæ concinnatus fuit alter Codex Juris Alem. feudalis, ab Ottone IIII. Imp. an. 1208. quare coætaneos ambo esse perverosimile est. Sed & in omnibus MSS. quæ vidi, conjunguntur.

§. IV.

Unde apparet auctoritas Juris hujus Alemannici, quippe publica & in Comitiis Noricis data atque concessa. Quo factum, ut in singulis Curiis atque Tribunalibus perpetuus usus ejus libri receptus fuerit. Id quod de Regimine Austriaco testatur Lambecius in Bibl. Vindob. Atque Liber MS. ex quo hæc editio nostra descripta est, fuit Regiminis Bavarici Liber Judicialis, valdè accuratè conscriptus. Auctoritatem auxit, quod Constitutiones seu Kapitularia Caroli M. inserta cernuntur. Plura de auctoritate hujus Juris anticipavi in antea allegata Præfatione feudali, præsertim §. XVI. XVIII. XIX. &c. sed illa quodammodo imminuta à Dd. Italicis fuit & aliquandiu suppressa. Qua de re aliàs latiùs. Omnino optimè Jo. Limnæus ad A. B. c. V. §. 2. Obs. 8. ait: Germania admisit tandem, sed serò, nec jugiter tamen ubique Jus Rom. civile, & ita ut jura antiqua Germanica & consuetudines locorum suo permanserint in vigore. Etsi enim à prædictis Legulejis liber quidem ipse judicialis in Curiis potuit supprimi, aut removeri, non tamen jus in eo contentum, quippe quod remansit in usu forensi & negotiis civilibus, & in Statuta Civitatum atque Ordinationes Principum provinciales translatum.

Digitized by Google

Eo magis autem Viro beato, ut hoc opus ederetur, fuit propoſitum, quo majoris illud ipſe faceret, credens, ceu ex modo allegatâ præfatione, & illâ, quæ Juri Feudali Alemannico præmiſſa eſt, apparet, ipſum ſibi perſuaſiſſe, quod auctoritate publicâ ab Ottone IV. Imp. in Comitiis Noricis 1208. in vim Legis fuerit promulgatum. Quam ſententiam meam facere non poſſum, tum quod in nullo MSC. dicatur An. 1208. hoc ab Ottone IV. fuiſſe factum, tum quod circa feſtum Martini ejusdem anni nulla Norimbergæ fuerunt habita Comitia, ceu ſolide oſtendit Magni nominis JCtus Werlhofius in Specim. II. Juris, quo Germani utimur p. 171. accedit mira Textûs in omnibus MSS. diverſitas, de verbis non loquor, ſed de rebus atque ordine. Quod in uno MSC. circa initium eſt, in altero medium tenet, in tertio non longe à fine diſtat, & vice verſâ. In uno MSC. comparent, quæ in altero deſunt, in altero eadem quidem materia reperitur, ſed alio ordine digeſta; quod in uno Cod. diſcerptum eſt in tres, quatuor titulos, in altero unicum caput conſtituit. Nec formam Legum externam hæc Compilatio habet: quis unquam à tali precum formulâ, qualem hîc ſub initium operis adeſſe videmus, Leges ſuas eſt orditus? quis ità finivit; Uno loco in plurali dicitur: *Wir ſulen ſprechen, wir ſulen es ju ſagen, wir ſprechen, wir raten, wir beſcheiden uch, daz ſagen wir ju.* Altero loco in ſingulari occurrit, *ich mein alſo, ich ſprich.* quod ipſum probabile facit interdum plures, interdum unum in hac Compilatione manum operi privato admoviſſe. Alia allegare omitto. Quamvis autem hoc opus, prout hîc jacet, Legis robore donatum fuiſſe nullus credam, attamen plurimum inde utilitatis tum ad illuſtrandas Antiquitates Patrias, tum ad Jurisprudentiam hauriri poſſe aſſero; Nihil enim rationi ſanæ magis convenit, quam ut in foro ſi de Pactis, Contractibus, diviſionibus familiarum, literis inveſtiturarum, ſimilibusque quæ antiquo tempore fuere facta, judicium ferendum ſit, illa interpretemur juxta uſum moremque illorum temporum, quibus fuere celebrata; uſum autem antiquorum temporum in hoc opere repræſentari vel Tireſiæ clarum eſt, & probavit id multis exemplis Schilter. in Comm. ad Jus Feud. Alem. Nec utilitati operis obſtant nævi etiam craſſiores e. gr. dum Leo III. Papa dicitur Frater fuiſſe Caroli M. dum de Julio Cæſare aſſeritur, eum omnem Germaniam ſubjugaſſe; dum Hadrianus Imperator appellatur ein Meiſter, quaſi Juris Conſultus fuerit; dum JCtus Marcianus nominatur Marcellus; dum Conſtantinus & Papa Sylveſter hoc vel illud ſimul conſtituiſſe dicuntur; nam nævi operis utilitatem quidem minuunt ſed non tollunt. Et quis non liber ex manibus hominum excutiendus eſſet, ſi non alii eſſent legendi, quam qui nævis carent? Eo magis autem veniam merentur, qui in hac compilatione nævos hoſce inſeruere, quo probabilius eſt, Seculo XIII. quod jure Seculum ignorantiæ dixeris, hanc compilationem fuiſſe factam, id quod Eruditiſſimi Viri jamdiu agnovere. Sane prius id non contigiſſe, apparet ex eo, quod aliquibus in locis *Decreti* & *Decretalium*, tanquam operis connexi mentio fit. Item quod Cap. 165. §. 24. mentio fiat Friderici Imperatoris, quem Clerici criminati ſint, quod ſit ſodomita. Intelligi autem Fridericum II. facile apparet.

Nunc dicendum eſt, quid à me circa hoc opus fuerit præſtitum. Primo Textum ipſum ſinceriorem exhibere laboravi. Deinde ita reſtitutum in gratiam exterorum, eorumque ex Germanis, qui antiquum idioma non facile intelligunt, Latine verti. Denique Notas addidi ad Textus illuſtrationem facientes.

In exhibitione Textus pro fundamento poſui illum, quem MSC. Krafftianum Membranaceum ſiſtit. Communicavit id nobis gratioſe Vir de Re Literaria ſummopere meritus. Perilluſtris Dn. Raymundus KRAFFT de Delmenſingen, Inclytæ Reipubl. Vlmenſis Conſul & Literatorum Mæcenas ſummus. Quantum ex literarum charactere ſtyloque conjicere licet, hujus MSC. ætas ad initium Seculi XIV. eſt referenda; quod autem ex antiquioribus hoc ſit MSC. inde apparet, quod multa, quæ in aliis quibusdam MSS. occurrunt, hic deſint; talia ſcilicet, quæ tractu temporis ſenſim ſenſimque Textui antiquo fuere aſſuta. Eo majorem autem hujus MSC. rationem

Digitized by Google

nem habendam esse duxi, quo clarius dialectus, qua Scriptor utitur, ostendit, in Suevia proprie dicta fuisse conscriptum.

Cum hoc Codice contuli Textum, qualem ex MSC. Illustrissimi S. R. I. Comitis Dn. Dn. Joh. Guilielmi de WURMBRAND S. Cæs. Majestati à Consiliis Sanctioribus & Judicii Imperialis Aulici Vice Præsidis erudito Orbi exhibuit Generosissimus Dn. Joh. Augustus Nobilis Dominus à *Berger* Lipsiæ 1726. in 4to. Junxi huic comparationem Textus, quem ex MSC. Ingolstadiensi sub finem primæ partis suæ collectionis *Antiquorum Scriptorum Historicorum & Documentorum* p. 163. & seqq. Fuldæ A. 1725. typis repræsentavit magni nominis Antiquarius Joh. Fridericus *Schannat*. Ulterius in subsidium advocavi MSC. chartaceum in fol. cujus dominium debeo Liberalitati Illustris Dn. Friderici Ludovici Waldneri de Freundstein, Viri inter Nobilitatem Alsaticam tum Generis splendore, tum eruditione singulari & magnorum negotiorum cura summe conspicui; hunc in memoriam pristini Domini Codicem Waldnerianum nominare soleo. Illustris quoque Vir Dn. Zacharias Conradus ab Vffenbach Liberæ S. R. I. Civitatis Francofurtensis Senator pro eo, quem mihi indulget, favore benignissime concessit usum MSC. chartacei in fol. quod instructissima Ejus Bibliotheca servat. Multa illud singularia tum circa verba Textus tum circa partitionem in articulos & rubricas habet, ceu ex Lectione eorum, quæ in notis nostris hinc inde afferimus, patebit. Insigni quoque nos affecit beneficio Consultissimus Dn. Andreas Feschius magni nominis in Republ. Basileensi Juris Consultus, dum ex illustri Bibliotheca Feschiana nobis concessit usum MSC. pergameni in 4to. Ille Codex & antiquitate & eleganti literarum charactere vix cedit Krafftiano; in eo tamen minor est illo, quod aliquibus in locis folia aliqua deficiant; sic ab initio statim sedecim integra desunt, & post folium decimum octavum iterum quatuor folia deesse cernuntur. Insignem quoque opem attulit MSC. chartaceum in fol. quod mea Bibliotheca possidet. Nec minus opis mihi accessit ex collatione Variarum Lectionum, quam Excellentissimus Vir Joh. Jacobus Moser de Filseck & Weyhlerberg Sereniss. Wurtembergiæ Ducis Consiliarius Regiminis ex MSC. quod in Bibliotheca S. Mariæ ad Scotos Viennæ Austriorum asservatur, instituit.

Ex illis, quæ Schilterus habuit, MSS. Codice scilicet Hortlederiano & tribus Argentinensibus subinde quoque aliquid Medicinæ & ipse petii. Nec impressos neglexi Codd. Hinc præter Hupfupfianum qui An. 1507. hic Argentinæ prodiit, & Meichsnerianum (cujus diversæ extant editiones) consului adhuc tria impressa antiqua, de quibus altum apud Eruditos silentium. Primum est in fol. majori typo satis eleganti, charactere, quali circa confinia Seculi XV. & XVI. utebantur impressum, carensque nomine tyhographi, loci impressionis & anni; imo id non tantum folia aut paginas nullis numeris distincta habet, sed nequidem literis Alphabeticis sub finem foliorum, confusionis vitandæ gratia alias addi solitis instructum. Alterum quod est in folio minori & ad Biblioth. Vniv. Argent. spectat, numeros quidem foliorum & literas Alphabeticas sub finem foliorum scriptas habet, sed & ipsum nomine typographi, loci annique impressionis caret. Constat autem centum triginta & sex foliis. Tertium numeros quidem habet foliis superscriptos, sed infra nullas exhibet literas Alphabeticas. Deest & huic nomen typographi, Loci & anni impressiones, habet centum & septem folia, quorum numerus in utraque pagina est superscriptis. Fuit hoc olim pars Bibliothecæ Celeberrimi apud nos Juris Professoris Dn. Casp. Bitschii, nunc in meo est peculio, ceu primum olim fuit in patrimonio magni quondam apud nos antecessoris Gregorii Biccii. De his tribus impressis ut & Hupfupfiano character literarum mihi persuadet, illa non longo inter se intervallo lucem vidisse, unde non improbabilis de veneratione, quam circa illud tempus hoc opus habuit, oritur conjectura. Præter hæc ad Goldastinam editionem in Tomo der Reichs-Satzungen adhibitam interdum quoque confugi. Ita autem hisce libris usus sum, ut ubi Textus esset corruptus aut mutilus, illum restituerem ex hisce MSS. Schilterus quidem multis in locis Codici Hortlederiano ex aliis MSS. verba, quæ eundem sensum quidem in-

vol-

Digitized by Google

volvunt, ſed ſono tamen differunt, adſcripſit; ſed ego eum hac in re ſecutus non ſum, poſtquam inſpectio MSS. me docuiſſet, ob inſignem verborum diverſitatem, fore, ut ſi hac via incedere vellem, unicum Jus Provinciale, in aliquot Tomos in fol. excreſcat, id quod rationibus tum typographi tum meis non conveniebat.

Hoc facto ad Verſionem acceſſi, in qua id egi, ut omnia clare & ſtylo ſimplici exprimerentur, qua in re non potui me abſtinere, quin aliquos medii ævi terminos barbaros uſu tamen receptos adhiberem. In his enim rebus ad claritatem potius uſumque, quam Linguæ Latinæ elegantiam reſpiciendum eſſe jamdiu judicarunt Eruditi. Notas meas quod attinet, illæ non tam ſunt Juridicæ quam Philologicæ ad intellectum Textus facientes, & rectitudinem Verſionis probandam. Fuerat quidem animus ab initio materias Juris hic occurrentes obſervationibus illuſtrare Juridicis, ſed poſteriores cogitationes aliud ſuaſere, cum viderem opus hocce ita in immenſum excreturum, id quod & ſcopo Schilteri & typographi rationibus repugnaſſet. Id adhuc monendum eſt me Textum Krafftianum exhibere ſine mutatione, aut additione diſtinctionum, ut eo magis de ſinceritate ejus conſtaret. Addidi tamen illas in verſione unde mutuo peti poſſunt. Vale Benevole Lector, &, ubi lapſus ſum, veniam impertire. Tum, ſi lubet, mecum omnibus operis hujus Patronis ac promotoribus, qui opis aliquid attulere, ſummas ac decentes gratias habe. Scrib. Argentinæ Kal. Sept. An. 1727.

INTROI-

Digitized by Google

APPENDIX
Ad
PRÆFATIONEM.

13. *Et hinc debemus obſervare quam grata Deo pax ſit, cum enim Deus iterum ex terra ad cœlos aſcenderet, rurſus dixit: Pax vobis. Et mandavit fideli ſuo Sancto Petro, ut eſſet curator veræ pacis, & dedit ei poteſtatem, ut cœlum aperiret omnibus illis, qui veram pacem cuſtodirent, & cœlum clauderet illi, qui pacem ruperit.*

14. *Hoc ipſo ſignificatur, quod omnes illi, qui præcepta Dei violant, etiam pacem violaverint, hoc etiam ſecundum Deum æquum eſt, ut illi qui præcepta Dei violat, cœlum claudatur.*

15. *Quo-*

2) Lege *ſune* ex MSS. *ſune* autem idem eſt ac: *Pax. Transactio.* Königsh. Chr. Alſ. p. 56. a. *do Priamus umb keine* ſune *wolte loſſen werben.* Twinger in Vocab. Germ. Lat. MSC. *Sune*, Concordia vel Pax vel Concordatio. *Suner* oder *Sunemacher.* Mediator vel Pacificator. *Scherz.*

3) Cod. Jungianus habet *ellic.* Cod. Ambraſianus Pergamenus *ellich.* Ambr. Chartac. *ainlich*, ceu Schilterus obſervat. *Ellic* etiam habet MSCtum meum, aſt Waldnerianum habet *alliches.* MSCtum Vniverſitatis Argentinenſis habet *geuuonlich.* MSCtum Argent. majus habet: *alles.* MSCtum Argent. minus habet: *einlich.* Cod. Vffenbachian. fiſtit: *ſtetiches.* Goldaſti Editio profert: *anlich*, quod & habent quatuor antiquæ editiones impreſſæ, aſt Cod. Wurmbr. legit *emſig*, quod Hortleder. habet, & cum commodum ſenſum habeat retineri poteſt. *Scherz.*

4) Hic

15. Seit unz nu Got dez geholfen hat, daz uuir mit rehtem leben zu dem himelrich komen mugen, uuan dez uuaz niht vor Gottez geburt, ſuuie gut der menſche uuaz, und uuie uuol er tet, ſo moht er doch ze himel niht komen. [4] Got geſchuf dez erſten himel und erde, und darnach allez daz, daz uff der erde und in dem uuazzer und in den luften lebet und iſt; Und darnach den menſchen, den ſazt er in daz paradyſe der zerbrach die gehorſam unz allen ze ſchaden. Davon giengen uuir irr, alz diu hirtloſen ſchauf, daz uuir in daz himelrich niht mohten unz an die zit, daz unz Got den uueg daruuiſet mit ſiner marter. Und darumb ſo ſolten uuir Got immer loben und eren von allem unſern hertzen und von aller unſerr ſele und von aller unſerr maht, daz uuir nu ſo uuol zu den euuigen froden [5] komen ob uuir uuellen.

16. Daz hie vor mangem heiligen patriarchen tiur uuaz und mangem uuizſagen, diu genaude und diu ſelikait iſt unz chriſten luten nu uuidervaren, daz uuir nu uuol himelrich verdienen mugen,

17. Und ſuuer dez nit tut und diu gebot unſerz Herren brichet daz rihtet Got vil billich an im und auch an den, den er geuualt verlihen hat.

18. Daz iſt der Babeſt, der ſol an Gotez ſtat rihten hie uff ertrich untz an den iungſten tag. So uuil denn Got ſelb rihten ubel und gut clain und grözz und allez daz niht geriht uuirt,

19. Und darumb uuil man an diſem buch leren alle die da gerihtes pflegen ſulen uuie ſi ain ieglich ſach ze reht rihten nach Got alz manig hailig man die in der alten e und in der niuuuen e rihter uuaren, und haunt alſo gerihtet daz ſi von ir gerihte die euuige freude haunt beſezzen,

20. Und ſuuer auch anderz rihtet denn ditz buch leret, der ſol daz uuizzen, daz Got vil zornlich uber in rihtet an dem iungſten tag.

21. Seit nu Got [6] dez fridez furſt haizzet, ſo liezz er zuuai ſuuert hie uff erde do er ze himel fur ze ſchirme der Chriſtenhait diu enpfalh Got ſant Petern baidiu, [7] ains von uueltlichem geriht, daz ander von gaiſtlichem geriht.

22. Dez uueltlichen gerihtez ſuuert daz lihet der Babeſt dem Kaiſer.

23. Daz gaiſtlich iſt dem Baubſt ſelb geſezt ze beſcheidenlicher zit ze rihten uff ainem uuizsen pherde [8] und der Kaiſer ſol dem Baubeſt den ſtegraif haben, daz ſich der ſatel nit enuuinde.

24. Da bi iſt nu bezeichent ſuuaz dem Babeſt uuiderſtat daz er mit gaiſtlichem geriht niht ertuuingen mag, daz ſol der Kaiſer und ander uueltlich furſten und rihter betuuingen mit der æhte. [9]

25. Seit

15. *Quoniam itaque jam Deus in eo nos adjuvit, quod per vitam piam cœli compotes fieri poſſimus (hoc ante Chriſti nativitatem non obtinuit, quam probus enim homo erat, & quam pie vivebat, attamen cœli particeps fieri non poterat. Deus primo creavit cœlum & terram & poſtea omne quod in terra & in aquis & aëre vivit & extat, deinde creavit hominem, quem in Paradiſo collocavit; ille obedientiam ad omnium noſtrûm damnum exuit; hinc errabamus tanquam oves paſtore carentes, ita quidem, ut in cœlum venire non poſſemus, donec tempus veniret, quo Deus per cruciatum ſuum nobis monſtraret viam eò ducentem) hinc deberemus Deum ſemper laudare & honorare ex toto corde, ex totâ animâ & ex totis viribus, quod nunc tam facile, modo velimus, ad æterna gaudia veniamus.*

16. *Quod olim multis ſanctis Patriarchis & multis Prophetis difficile erat. Gratia hæc & felicitas nobis Chriſtianis nunc obtigit, ut poſſimus cœlum mereri,*

17. *Et ſi quis hoc non facit, præcepta autem domini noſtri violat, hoc vindicat Deus in ipſo & in illis quibus potentiam conceſſit,*

18. *Qualis eſt Papa, qui vice Dei hîc in terra judicare debet uſque ad noviſſimum diem, quo veniente Deus ipſe judicabit impios & pios; parvos & magnos, & omne illud de quo eò uſque judicium nondum fuit latum.*

19. *Et ideo omnes illi, qui judiciis præſunt in hoc libro docentur, quomodo juxta voluntatem Dei de qualibet re recte judicare debeant, uti fecerunt multi ſancti viri, qui in Veteri & Novo Teſtamento judices extiterunt, & ita judicarunt, ut propter præſtantiam in iudicando æterna gaudia ſint conſecuti.*

20. *Sane qui aliter iudicat, quam hic liber docet, ille ſciat, quod Deus in ira de ipſo ſit iudicaturus in die noviſſimo.*

21. *Quoniam itaque Deus nominatur princeps pacis, hinc cum ad cœlos adſcenderet, reliquit duos enſes in his terris ad tutelam chriſtianitatis; hos ambos commiſit Sancto Petro, unum propter iudicium ſeculare, alterum propter iudicium eccleſiaſticum,*

22. *Enſem iudicii ſecularis concedit Papa Imperatori.*

23. *Enſis eccleſiaſticus Papæ ipſi eſt conceſſus, ut debito tempore iudicet ſedèns ſuper equum candidum, & Imperator debet Papæ ſtapiam tenere, ne ephippium loco moveatur;*

24. *Hoc ipſo indicatur quod omnem eum, quicunque Papæ reſiſtit, quemque ipſe iudicio eccleſiaſtico cogere non valet, ad obediendum debeat Imperator & alii ſeculares Principes & Judices cogere per proſcriptionem.*

25. *Quo-*

4) Hîc incipit Speculi Saxonici ſeu Juris Prov. Saxonici Præfatio.

5) Poſt verbum *komen* in Cod. Hortleder. hæc extant: *und ſi muſten alle in die vorbell die da haiſt Limbus*, eadem habet Cod. Wurmbrand. ſed illa in Cod. Jungiano reliquisque meis MSCtis non apparent. *Scherz.*

6) Jus Saxonicum Lib. I. Art. I.

7) Verba hæc uſque ad voces *Der Babſt dem Kayſer*, non extant in textu Saxonici Juris, quin potius, *Juris Provincial. Alem. Tom. II.* quod Imperator gladium ſuum immediatè ab ipſo Deo habeat.

8) Hæc ex fictâ hiſtoriâ donationis Conſtantini M. vid. Chron. Königsh. Cap. II. §. 79. Jus Saxon. Provinc. Lib. III. art. 63.

9) Verſus 25. & ſeqq. uſque ad finem hujus procœmii abſunt ab omnibus MSS. quæ videre licuit; abſunt quoque ab omnibus impreſſis hoc loco, poſt aliquot tamen tmemata leguntur. Aſt in MSS. poſt verſ. *mit der æhte*, immediate hæc ſequuntur:

25. Seit unſer Herre Got in ſo hoher uuirdikeit den menſchen geſchaffen hat, alz hie vor geſchriben iſt. So hat er auch den menſchen die ſache geleret, da er zu dem himelrich mit komen mag zu der euuigen freude da er den menſchen zu eruuelt hat;

26. Daz erziuget man uuol an manger ſtat in der heiligen ſchrift.

27. Do Got Moyſi diu zehen gebot gab uff dem berg Synay, do uuiſt er uuol daz die lut mangen krieg mit ainander uuurden haben, und gab im nit allein zehen gebot, er gab im driuzehen gebot und ſechshundert gebot,

28. Daz uuaz nit anderz uuan daz er da von uuie er ain ieglich ſache rihten ſolt,

29. Und nach denſelben geboten da habent ſich ymmermer alle kunige und alle rihter nach gerihtet, die nach reht und mit Got rihten uuolten unz her in die niuuen e.

30. Do ſaztent aber die Bæbeſt und die Kayſer und die Kunige ir geriht nach denſelben geboté.

31. Vnd alſo ſtat dehainerlay lantreht noch lehenreht noch dehainerlay urtail uuan alz von rœmiſcher pfar und von Kunige Karls reht komen iſt, und alz die Bæbeſt und die Kayſer zen conzilien und ze den hœfen habent geſetzet und geboten uz decrete und decretale.

32. UUan uz den zuuain buchen nimpt man alliu diu reht der gaiſtlich und uueltlich geriht bedarf.

33. Aber diz buch ſeit von uueltlichem geriht, und darumb haizzet ditz buch *daz Lantreht buch*, uuan alliu diu reht diu hie angeſchriben ſint diu ſint uber alliu Lantreht.

34. Avn etſuua nach geuuonhait uuan die furſten und die ſtette habent manig ſunder geuuonhait von den Kayſern und von den Kunigen eruuorben.

35. Hernach ſait ditz buch mer von guter geuuonhait, &c.

25. Quoniam Dominus Deus noſter in tam ſublimi, uti dictum eſt, dignitate hominem creavit, hinc etiam ea docuit per quæ ad cœleſtia & æterna gaudia, ad quæ hominem elegit, venire queat,

26. Id quod ſatis probari poteſt ex multis Scripturæ locis.

27. Cum Deus Moyſi Decalogum in monte Sinai traderet, bene ſciebat, quod homines multa bella & lites inter ſe ſint habituri, hinc non tantum dedit ei decem præcepta, ſed præterea adhuc ſexcentas tredecim leges.

28. Hoc non ex alia ratione contigit, quam ut inde diſceret, quomodo quælibet cauſa decidi debeat,

29. Et iuxta hæc præcepta omni tempore omnes reges & iudices ſe geſſerunt, uſque ad hæc tempora, illi ſcilicet qui ſecundum iuſtitiam & Dei voluntatem voluerunt iudicare.

30. In Novo autem Teſtamento iterum Papæ & Imperatores & Reges ſua iudicia inſtituerunt iuxta illas leges.

31. Itaque nullum ius provinciale aut feudale, nec ulla ſententia iudicialis ſubſiſtit aliter, quam quatenus à Clero Romano & ex Regis Caroli legibus derivata eſt, & quatenus Papæ & Imperatores in conciliis & curiis ſuis ſtatuerunt & diſpoſuerunt, iuxta Decretum & Decretales,

32. Ex his enim duobus operibus hauriuntur omnia iura quibus eccleſiaſtica & ſecularia iudicia indigent,

33. Hic autem liber loquitur de iudicio ſeculari, & ideo appellatur liber Juris Provincialis, ſiquidem omnia iura quæ hic in ſcripturam ſunt redacta præponderant omnibus iuribus civilibus,

34. Niſi forte conſuetudine aliud receptum ſit, nam Principes & Civitates multas ſingulares conſuetudines: conſentientibus Imperatoribus & Regibus adquiſiverunt.

35. In ſequentibus hic liber ulterius agit de bona conſuetudine, &c.

CAP. I.

[1] Der in dem banne iſt ſehs uuochen und ainen tag.

ALs ain man ſehs uuochen in dem banne iſt und ainen tag. So ſol in der uueltlich rihter ze æht tun.

2. Und ſuuer auch in der æht iſt ſehs uuochen und ainen tag, den ſol man ze banne tun.

3. Daz reht ſatzte der Babeſt ſant Silveſter und der Kunig Conſtantinus.

CAP. I.

De Eo, qui in Banno Eccleſiaſtico eſt per ſex ſeptimanas & diem.

CUm quis per ſex ſeptimanas & diem eſt in banno Eccleſiaſtico, tum eundem Judex Secularis ad Bannum ſeculare condemnet.

2. Similiter ſi quis eſt in Banno ſeculari per ſex ſeptimanas & diem, ille debet ad Bannum Eccleſiaſticum condemnari.

3. Hoc jus ſanxit Papa Sylveſter & Rex Conſtantinus.

CAP.

tur: *Als ein man iſt in dem banne ſehs wochen und einen tag: den ſol der weltliche Richter zu Achte tün, und wer öch in der Achte iſt ſehs wochen und einen tag, den ſol man zu banne tün, das reht ſatzete der Sante Silueſter der Babeſt und der Künig Conſtantinus ſant Helenen Sun die das heilig crütze vant. Die zwene ſatzetent diſe reht und ander reht ein michel tail an diſem buche. Und das jegelich Criſtenmenſche das zü ſinen Jaren kummen iſt, das ſol dri ſtunt in dem Jare das Vogetding ſüchen, der eins und zwentzig Jar alt iſt, ſo ſol er das Vogetsding ſuchen in dem Biſtum do er inne geſeſſen iſt, oder in dem gerichte; do er gut inne hat.* Schera.

10) Adde: *wüſte.* Schera.

Ad CAP. I.

1) Hoc caput, uti ſub finem Introitus in Not. 9. monui, eſt in reliquis MSS. pars procœmii. Rectius autem, ceu in Cod. Krafftiano fit, ſeparatur, quod & fit in omnibus ſex impreſſis Codicibus. Poſt Titulum: *Als ein mann iſt in dem bann ſechs wochen und einen tag*, in impreſſis hæc duo Capita ſequuntur: quæ ex Antiquiſſimâ Editione impreſſa in folio Majori ſiſto:

Von Conſtantino dem Künig.

Der Künig Conſtantinus gab Silveſtro uueltlich geuuette zu dem gaiſtlichen ſechtzig ſchilling, damit

ze

CAP. II.

[2] Diz iſt von frien Luten.

HIe ſol man hœren von drier hande frien luten uuaz rehtz die haben.

2. Ez haizzent ains *ſemper-frien*, [3] daz ſint fri herren die ander frien ze manne habent.

3. Daz ander ſint *mitler frien*, daz ſint die die der hohen frien man ſint.

4. Daz dritte ſint geburen, die fri ſint, die haizzent *fri lantſæzzen*,

5. Der hat ieglichen ſunder reht, alz uuir hernach iu uuol geſagen.

CAP. III. (a)

Diz iſt von Vogt tædinge.

SUua ain geriht iſt, da ſol ain gebütel ſin oder mer dann ainer, der ſol daz *vogtdink* gebieten.

2. [4] Etuua iſt geuuonhait daz man daz vogtdink gebiutet dri ſtunt in dem iar, etſuua uber ſehs uuochen, et cetera. [5]

3. Do iſt etſuua daz man *burgrauen* hat, der ſol rihten uber unreht (*conf. c.* 165. 10.) metzen und uber unreht mauz, da man daz trinken mit git, und uber alliu meſs, und uber unreht [6] gelœte ſuuaz man mit uuage uuigt oder ſuuaz kauf daz lipnar haizzet, da ſol allez ain burgrafe uber rihté.

4. So ſol ain vogt rihten uber den totslag und alle frævel und uuunden und ſuuertzucken und haimſuchen und ſuuaz *frævel* und *unzuht* haizzet; hernach ſagen uuir mer von geriht.

CAP. II.

Hoc caput agit de Liberis Hominibus.

HIc audi de triplicis generis Liberis hominibus eorumque jure.

2. *Una ſpecies eorum appellatur* ſemperfri; *hi ſunt Liberi Domini, quibus alii Liberi vinculo Vaſallagii ſunt ſubjecti.*

3. *Altera ſpecies eſt* mediorum Liberorum, *quo nomine veniunt illi, qui Liberorum primi ordinis ſunt Vaſalli.*

4. *Tertia ſpecies ſunt Ruſtici liberi, qui appellantur* Liberi Lantſaſſii, *ſive* Liberi incolæ.

5. *Horum ſingulorum jura ſunt diverſa & diſtincta, ceu poſtea vobis dicemus.*

CAP. III. (a)

Hic textus agit de Judicio ſeu Curiâ Advocati.

UBi judicium aliquod exercetur, ibi debet eſſe Apparitor unus aut plures, qui ad Curiam quæ uogtdinck *appellatur, citare debent.*

2. *Quibusdam in locis moris eſt, ut Judicium hoc Advocati ter in anno publice intimetur. Aliquibus in locis poſt ſex ſeptimanas id habendum eſſe indicatur, &c.*

3. *Aliquibus in locis moris eſt, ut ibi ſint Burggravii, quorum eſt Judicare de modiis fraude factis, & de iniquâ menſurâ, quâ potulenta admetimur, & de omni menſurâ & fraudulento pondere. Quicquid librâ adhibitâ ponderatur, aut ſub victualium nomine emitur, de eo omni Burggravius judicare debet.*

4. *Advocati autem eſt judicare de Homicidio, & omni injuriâ & de vulneratione & hoſtili enſis evaginatione, & de fractione Pacis domeſticæ, & de omni facto proterve, quod* Frævel & Unzuht *appellatur. Poſtea de Judiciis plura dicemus.*

CAP.

---

ze zuuingen alle die Got nicht uuolten beſſeren mit dem leibe, das man ſy dartzu zuuing mit dem gut. Alſo ſol uueltliches und geiſtliches gericht über einander tragen. Was dem ainen uuiderſton uuelle, daz helff das ander zuuingen gehorſam ze uueſen und rechtz ze pflegen. Der bann ſchadet der ſelen und nymet aber den leib nicht, noch krenket an lantrecht, den uolg dem des Küniges auchte nach Verveſtenung nymmet dem man den leibe, ob er darinne begriffen uuirt, und nicht ſein rechte ſein lange (lege: *ſo lange*) *er darinne iſt.* Hic Articulus paulaulum mutatus extat in Jure Sax. Prov. Lib. III. Art. 64.

Von Auchten und von Bannen.

Und kummet eix Man in den banne von gaiſtlichem gericht. Und iſt darinne ſehs uuochen und ainen tage, man mag in mit recht vor uueltlichem gerichte zu auchte tun, und kummet er uor uueltlichem gerichte ze auchte, man tut in vor geiſtlichem gerichte ze bann, und kummet er ee in den banne, ee dann in die auchte, man ſol in auch ee auſs dem bann laſſen, ee dann auſs der aucht. Kommet er auch ee in die auchte, ee dann in den banne, er ſoll ee auſs der auchte kommen, ee dann aus dem bann. Ein yeglicher richter ſol in auſſer den banden laſſen (lege: *ban enlaſſen* i. e. *non abſolvere à proſcriptione* vel ſeculari vel Eccleſiaſticâ, niſi ob crimen in Judicem vel ſecularem vel Eccleſiaſticum prius commiſſum ſatisfactum fuerit. *Enlaſſen* idem eſt ac: *nicht laſſen*; particula *en* ſæpe eſt negativa, ſic cum: *ruchen* curare, ſignificet: *enruchen* eſt: *non curare, negligere*) *ee er von derer eren ſchulde kommen iſt.* Scherz.

Ad CAP. II.

2) Speculum Sax. Lib. I. Art. 2. itidem agit de Liberis perſonis, & ut hîc in ſeqq. de Burggrav. & Vogth. ſed ex moribus Saxonum.

3) Notandum hîc in MSC. Hortl. ut & Wald. legi: *das ſeynt die freyen Herren als Furſten die ander frey herren ze man habent.* Cod. Univ. Arg. *das ſint die fryen herren alſo fürſten. Und die andern ſint mittelfryen, &c.* conſonat huic Codex MSC. meus. (Uffenb. habet: *alſo fürſten die ander frey man haben.*) Ingolſtad. legit: *Es haiſſent ains ſemper frey dy hochſten freyen daz ſind die Herren als Fürſten und die andern Freyen zeben ma* (legendum: *ze man*) *habent.* Apparet hinc inſignis character *der ſemper-freyen.* de quibus vide Schilterum ad J. Feud. Alem. c. 1. §. 16. *Scherz.*

Ad CAP. III. (a)

4) Conf. Spec. Sax. Lib. I. Artic. 2.

5) Loco vocum: *& cetera*, in MSS. fere omnibus legitur: *über zwo wuchen.* Scherz.

6) *Gelœte*, pondus, in Jur. Auguſtano Antiqu. cujus textus in eodem Codice Kraffiano MSC. exhibetur, lego de Burggravio, poſtquam de Menſurâ aliqua fuiſſent dicta: *Vindet er auch unrecht gelœte under den fleiſchmangern oder under den buckern.* hinc *lötig gold* eſt *aurum ponderis legalis* in chartis antiquis. *Scherz.*

CAP. III. (b)

* Diz iſt uon ſiben herſchilten.

ORigenes uuiſſaget hievor bi alten ziten, uuie ſehs uuelt ſolten uueſen und ie diu uuelt bi tuſent iarn abnemen ſolten. Vnd in der ſibenden uuelt, ſo ſol diu uuelt gar zergan und ſol der Jungſt tag komen.

2. Nu iſt unz gekündet uon der hailigen geſchrift, daz ſich an Adam diu erſt uuelt anhübe. An Noe diu ander. An Abraham diu dritte. An Moyſen diu uierde. An David diu fiunft. An Chriſtez geburt diu ſehſte.

3. Nu ſien uuir in der ſibenden uuelt an gewizzer zal. Vnd ſehs tuſent iar ſint gar uz. Vnd ſien uuir in dem ſibenden Tuſenden, da diu uuelt inn ſol zergen, uuan diu ſibende uuelt ſtet alz lange Got uuil.

4. Und in derſelben uuiſe ſint auch diu ſiben Herſchilt ufgelait.

5. Der Künig hebt den erſten herſchilt, Biſchœff und Aebt und die Aebtiſſin, die da gefürſtet ſint, die hebent alle den andern herſchilt. Die Layenfürſten den dritten. Die frienherren den uierden. Die Mitternfrien den fiunften. Dienſtman den ſehſten.

6. Vnd alz man nit enuuaiz uuenn diu ſibend uuelt ain ende nimpt, alſo uuaiz man nit, ob der ſibend herſchilt lehen müge haben oder nit.

7. Den ſibenden herſchilt hebt ain ieglich man, der nit aygen iſt, und ain Ekint iſt.

8. Lehenreht git man dem nit der fri uon den ſibenden herſchilt iſt,

9. Suuenn aber ez der Herr ir ainem gelihet, der hat alz gut reht daran. Alz der in ſehſten herſchilt uert,

10. Doch zuuaiet ſich ir lehenreht alz daz Lehenreht buch iuch uuol beſchaiden kan.

CAP. IV.

[7] Diz iſt von der Sippezal.

NU merkent von der Sippezal, uua ſich diu ſippe anhebt und ain ende næm.

2. An dem haupt iſt ez beſchaiden man und uuip diu reht und redlich zu der e komen ſint, da iſt niht zuuayunge an uuan ez nit uuan ain lip iſt, da von iſt ain man und ain rehtiu [8] echon bezaichent bi dem haupt.

3. Und diu kint, diu von ir baider lip geborn ſint diu ſint auch bezaichent an dem næchſten bi dem haupt, daz iſt da die arm ſtœzzent an die ſchultergun,

4. Und diu ſelben lider haizzent die ahſelun, ob diu kint aun zuuayung geborn ſint von vater und von muter.

5. Iſt aber zuuayung an den kinden, ſo mügen ſie an dem lide nit beliben und treffent in ain ander lide.

6. Nement auch zuuen brüder zuuu ſchuueſter und nimet der dritt bruder ain frœmdez uuip iriu kint ſint doch gelich an ander glich ſippe

CAP. III. (b)

Hic agitur de ſeptem clypeis militaribus.

ORigenes olim vaticinatus eſt, quod ſex ætates mundi ſint futuræ, & quod quælibet harum ætatum decurſio mille annis finem ſit habitura, & in ſeptima ætate mundus omnino ſit interiturus & dies noviſſimus ſit venturus.

2. Indicatur autem nobis in S. Scriptura, quod cum Adamo cœperit prima ætas; Cum Noacho ſecunda; Cum Abrahamo tertia; Cum Moſe quarta; Cum Davide quinta; Cum Nativitate Chriſti ſexta.

3. Nunc vivimus in ætate ſeptima ſine certo numero (incerti ad quem annorum in millenario comprehenſorum numerum hæc ætas ſit perventura) & ſex mille anni ſunt elapſi & ſumus in ſeptimo millenario, in quo mundus interire debet, ſiquidem ſeptimana ætas durat quamdiu Deus voluerit.

4. Eâdem ratione ſeptem clypei militares ſe habent.

5. Rex habet primum clypeum; Epiſcopi & Abbates, ac Abbatiſſæ, quæ dignitate Principali gaudent, habent clypeum ſecundum; Principes Laici tertium: Liberi Domini quartum; Liberi mediæ conditionis quintum; Miniſteriales ſextum.

6. Ec ſicut neſcitur, quando ſeptima mundi ætas finem ſit habitura, ita etiam ignoratur, an clypeus militaris ſeptimus Jure Feudali gaudeat an non.

7. Septimum clypeum habet quilibet, qui non eſt homo proprius, & qui ex legitimo matrimonio eſt natus.

8. Jus Feudi non conceditur illi, qui ne quidem in ſeptimo clypeo eſt.

9. Quod ſi tamen tali dominus aliquis Feudum dat, ille tantundem Juris in eo habet, ac is, qui gaudet clypeo ſexto.

10. Jus tamen ipſorum circa feudum aliquo modo diverſum eſt, ſicut Liber Juris feudalis vos docere poteſt.

CAP. IV.

Hic agitur de Cognatione.

NOtetur ubi cognatio incipiat & ubi deſinat.

2. In Capite hoc (ex parte ſcil.) repræſentatur. In Viro & Uxore, qui legitimo modo matrimonium inter ſe contraxerunt, non eſt duplicitas, ſi quidem unum corpus ſunt: hinc eſt, ut Vir & legitima ejus Uxor deſignentur per Caput.

3. Et liberi, qui ex ipſis geniti ſunt deſignantur quoque per illam corporis partem, quæ proxima eſt capiti, hoc eſt, ſitam in illo loco, ubi brachia connexa ſunt humeris.

4. Et hæc membra appellantur Axillæ, ſcilicet, ſi hi liberi non ſint unilaterales, ſed ex eodem Patre & Matre nati,

5. Quodſi autem Liberi alterutrum Parentem habeant diverſum, tunc non pertinent ad idem membrum ſeu gradum, ſed tranſeunt in gradum diverſum.

6. Quodſi etiam duo fratres duas ducunt ſorores & tertius frater aliam ſibi matrimonio jungit fœminam, ipſorum liberi tamen ſunt in eodem Cognatio-

nis

* Adhoc caput vide quæ habet Schilterus in Comm. ad Jus Feud. Alem. c. 1. §. 26. ſeqq.

Ad CAP. IV.

7) Spec. Sax. Lib. I. Art. 3.

8) Cod. Ingolſt. firmat noſtrum textum, nam & ibi legitur: *Echon.* Idem facit MSC. Univ. Argent. item meus Codex qui habent: *ekone*, eſt autem *Echon*, *Ekone* ab e, Lex, & *Quena*, *chena*, fœmina. Islandi dicunt *kona*, *kuinna*. Angli pronunciant *cuuen*, & *quuena*; eoque nomine καθ' ἐξοχὴν Reginam inſigniunt. Ad

Digitized by Google

ſippe und erbent auch an ander glich ob ſi in ebenbürtig ſint, alſo hebent geſchuuiſtergit, die erſten ſippe die man ze maugen raitet.

7. Daz uuiderredent mange und iſt doch uuar vor den rehten maiſtern, ſo hebent geſchuuiſtergit kint die andern ſipp, diu iſt an dem andern lide, von dem haubet her abgezalt, daz lide haizzet der ellenboge.

8. So hebent geſchuuiſtergit enkel die dritten ſippe, diu ſtant auch an dem dritten lide, da diu hant an den arm ſtœzzet.

9. Vnd darnach der kinde kint, die hebent die vierden ſippe, und ſtaut auch an dem vierden lide, daz iſt daz lide, da der mittel vinger in die hant ſtœzzet.

10. Diu fiunften kint ſtant an dem fünften lide, daz iſt daz ander lid dez mitteln vingerz.

11. Diu ſibenden kint ſtant vor an dem nagel dez mitteln vingerz und haizzent nagelmauge. 9

12. Vnd ſuuelhiu kint zuuiſchan dem haupt und dem nagel an der ſippezal gelichen mügen an glicher ſtat, die nement auch das erb gelich.

13. So der man ie næher iſt an der ſippezal, ſo er ie baz erbet, ein ieglich man ſinen man ſinen mag untz an die ſibenden ſippe. Doch hat der Babeſt erlaubz uuip ze nemen in der funften ſippe. Doch mag der Babeſt dehain reht geſetzen damit unſer Lantreht gechrenket uuerden müge.

nis gradu inter ſe, & ſibi invicem quoque ſuccedunt, modo in eadem dignitate propagationis ſint, adeoque fratres & ſorores primum obtinent gradum in ordine Collateralium.

7. *Hoc in dubium vocant multi, & tamen eſt veriſſimum, juxta Doctores probatos. Habent autem Conſobrini gradum ſecundum, qui eſt* (repræſentatus) *ſecundo corporis membro, ſi à Capite deſcendas, numerando; illud membrum appellatur cubitus.*

8. *Item Fratrum aut Sororum Nepotes, ſeu Sobrini tenent tertium gradum; hi ſtant etiam repræſentati in tertio membro, ubi manus brachio juncta eſt.*

9. *Ac deinde horum modo dictorum Liberi, habent quartum gradum, & ſunt etiam in quarto membro, illo ſcilicet articulo, ubi medius digitus manui cohæret.*

10. *Quinti ordinis liberi ſeu* Sobrinorum Nepotes *ſunt in quinto membro, quod eſt ſecundus articulus medii digiti.*

11. *Septimi ordinis Liberi ſeu* Sobrinorum Abnepotes, *ſtant proxime unguem medii digiti, & ab Ungue,* (*quæ vox* Nagel *denotat*) *appellantur* Nagelmauge.

12. *Et quicunque ex his inter Caput & Unguem ſitis quoad cognationis gradum ſunt loco æquales, illi etiam æqualiter ſuccedunt.*

13. *Quo proprior quis eſt defuncto cognationis gradu eò prius alteri ſuccedit. Quilibet homo ſuccedit quidem ſuo Cognato usque ad ſeptimum gradum; adeoque eò usque Cognatio pertingere cenſendum eſt: hoc tamen non obſtante Papa Nuptias permiſit inter Cognatos quinti gradus. Non poteſt tamen Papa ullum jus ſtatuere quo noſtrum Jus Civile infringi queat.*

CAP. V.

10 Von Bruderkinde erbtail.

NImet ain man ain uuip bi ſinez vater lip, diu im ebenbürtig iſt, und geuuinnet ſüne bi ir, und ſtirbet darnach, e daz ſin vater ſin erb mit taile dezſelben mannes ſüne, di nement auch gelich erbtail an irz vater ſtat neben irn vettern.

2. Si nement aber nit uuan ains mannes tail,

3. Dez mag den tohterkinden niht uuidervarn, daz ſi gelich tail erben, da ſi denn nit ſuns kinde.

CAP. V.

De eorum, qui ex fratribus Nati ſunt (*unâ cum Thiis*) *Succeſſione.*

QUod ſi quis vivo Patre Uxorem ducit, quæ eſt ex propagine æqualis dignitatis, & filios ex illâ ſuſcipit, & poſtea, antequam partem hereditatis debitam à Patre acceperit, illius filii jure repræſentationis ſuccedunt cum ſuis Thiis.

2. *Non autem ſumunt niſi unius capitis partem, adeoque in ſtirpes ſuccedunt.*

3. *Filiarum liberis jus non competit æqualiter ſuccedendi ſc. cum Thiis, excepto caſu, ſi non adſint liberi filiorum ejus, de cujus hereditate agitur.*

CAP.

Ad CAP. IV.

9) Kilian in Etymol. *Naegbelvriend, Naegbelmaegbe,* Conſanguineus in ſeptimo gradu, in eo enim ungues, non membrum, reperitur, atque ideo Cognatio ibi terminatur. Conf. Rudinger. in Obſ. Centur. III. Obſ. 82.

Ad CAP. V.

10) Conf. Spec. Sax. Lib. I. Art. 5.

Ad

CAP. VI.

Wie Pfaffen erben ſulen mit ir geſuuiſtergiden.

HAt ain man tœchter und ſüne und gelebt er daz er ſün oder tœhter uzgit ains oder mer, und ſtirbet er und lat mer ſün oder tœhter hinder im, und lat ſinem uuibe uarendez gut oder anderz gut, ſo ſol diu muter von dem varenden gut den iht geben.

2. Wir ſprechen alſo, iſt der Vater aun geſchæft vervarn, daz er niht geſchaffet hat von dem varenden gut, man ſol der ſele iren tail geben. Vnd ſol darnach gelich tailen under uuip und under kind, diu nit uzgeſtiuret ſint.

3. Habent diu kint ainen bruder der ain pfaffe iſt, hat er kirchen und pfründe, da er ſich uuol von betragen mag, diu geſuuiſtergit tailent mit im daz varnde gut,

4. UUie vil er gulte haben ſule von gaiſtlicher gabe, da ſol man an ſin edelkeit ſehen und an ſin uuirde und an ſin ere.

5. Der pfaffe erbet aigen mit andern ſinen geſuuiſtergiden.

CAP. VI.

Qua ratione Clerici una cum Fratribus & Sororibus ſuccedant.

QUod ſi quis habet liberos, & in vitâ ſuâ aliquos eorum in matrimonium collocat, & poſtea moritur relictis aliis adhuc liberis, & relinquit (ſc. per diſpoſitionem expreſſam) Uxori ſuæ bona mobilia aut alia, tum Mater non tenetur aliquid de immobilibus dare liberis ſuis.

2. Nos ita pronunciamus: Si Pater talis inteſtatus deceſſit, ita ut de bonis mobilibus mortis cauſâ nil diſpoſuerit, tum debet pars certa ad pias cauſas applicari. Reliquum bonorum dividatur æqualiter inter Uxorem defuncti & ejus liberos, qui adhuc ſunt indotati.

3. Quod ſi hi liberi habeant fratrem, qui eſt Clericus, & Eccleſias præbendasue poſſidet, unde ſe exhibere valet, tum non dividunt cum ipſo bona defuncti mobilia.

4. Quantos debeat habere reditus ex bonis Eccleſiæ (ad id, ut dici poſſit, quod tantum habeat ut ſe honeſte alere & exhibere queat) hoc judicari debet juxta generis nobilitatem, dignitatem honoresque, quibus gaudet.

5. In bonis immobilibus Clericus ſuccedit cum reliquis fratribus & ſororibus ſuis.

CAP. VII.

" Suuer erbet der ſol auch gelten.

MIt uuelhem gut der man ſtirbet, daz haizzet allez erbgut.

2. Suuer erb nimet, der ſol ze reht die ſchulde gelten, die der tot man gelten ſolt, die man uuaiz, und die man niht enuuaizz, die ſol man erziugen uf den toten man ſelb ſibender,

3. Hat aber der tot man der gulte vor luten verrihtet, do er geſunt uuaz oder an totbette und er daz ſelbdritte erziuget, dem er da gelten ſol, er hat ſin gut behabt, und hat die ſiben geziuge hin geleit.

CAP. VII.

Qui Hæres eſt, debita quoque defuncti ſolvere tenetur.

QUæcunque bona quis moriens poſt ſe relinquit, illa omnia appellantur Bona Hæreditaria.

2. Qui hæreditatem adit, ille jure meritoque debita, de quibus conſtat, ſolvere debet. Ea autem debita, de quibus non conſtat, probari debent ſeptimâ manu.

3. Quodſi autem defunctus ille coram aliis debitum eſt confeſſus, cum vel ſanus vel moribundus eſſet, & confeſſio illa ab eo, qui debitum prætendit, probari poteſt per juramentum tertiâ manu, tum hic debitum ſuum ſatis aſſeruit, & effecit ut ſeptem teſtes illi (de quibus ante dictum) non admittantur.

CAP. VIII.

" Waz die erben ze reht nit gelten ſulen.

DIephait, noch ſpil, noch raup, noch uuucher, dez iſt nieman ſchuldig ze gelten fur den andern, noch ob er uuider dehain geriht iht getan hat.

2. Iſt

CAP. VIII.

Quæ Hæredes ſolvere jure non tenentur.

NEmo tenetur pro alio ſolvere furtum, ludo perditum, aut rapinam aut uſuram, nec id, quod alter eo nomine debet, quod contra judices aliquid egerit.

2. *Quodſi*

Ad CAP. VII.

11) Spec. Sax. Lib. I. Art. 6.

Ad CAP. VIII.

12) Spec. Sax. Lib. I. Art. 6.

Ad

2. Iſt aber ain ſchulde uf in erziuget aun die ich hie genant han, die erziugten ſchulde ſulen die erben büſen, dem clager und dem rihter,

3. Iſt aber dehain ſchulde uf den toten man erziuget, ſo büzzen auch die erben niht.

CAP. IX.

[13] Ditz iſt von Burgſchaft.

VNd uuirt ain man bürg ains andern mannez oder ain frauue und mer lute uuerdent mit in burgen, und uuerdent unverſchaidenlichen burgen, iener clagt uf ainen ſuuelhen er uuil.

2. Aber [14] ain maiſter haizzet Adrianus der dez Lantrehtez vil hat gemachet, der ſprichet er ſule ſi alle anſprechen, uuan ez duhte die lute da uuære geuærde bi, ob er ainen anſpræch und die andern niht.

3. Iſt aber dehainer darunder der niht ze vergelten hat dez ſulen die andern glich ſchaden han.

4. Vnd ſuuelher ſtirbet under den burgen dez erben ſulen ſinen tail fur in gelten, [15] aun ſiniu lehen da giltet nieman von uuan ſin ſelbez ſchulde, und hat er nit ze gelten dez burge ſi uuorden ſint ſi müzzen fur in gelten,

5. Vnd iſt daz er dez giht daz ſi nit burgen fur in uuorden ſien dez ſulen ſi in uberziugen ſelb dritte.

6. Vnd haben ſi nieman der in helfe bereden ſi helfent an ander uuol bereden umb die ſchulde.

7. Vnd ſprichet ain man ich uuil iu ainen burgen ſetzen der iſt andersuua geſeſſen, uuil man da mit reht gevaren, ſo ſol iener ſinen [16] brief ſenden dem gen dem er burge uuirt, und mit ſinem Inſigel daz iſt geuuizz.

8. Sendet er aber ainen brief dar der dem man lebt an ſiner ſtat, da ſol er die lute zu nemen ob er ſin læugen uuelle mit den man in uberziuge,

9. Vnd iſt der tot man iemans burg geuueſen, die erben muzzen ienem gelten gen dem er burge uuaz, er hab danne daz uzgenomen mit beſchaidenu uuorten, alſo: Ich uuirde gen iu burge alſo ob ich ſterbe daz min erben ledig ſien.

2. *Quodſi vero probatum fuerit defunctum debere aliquid (exceptis factis modo allegatis) tunc heredes Actori & Judici debent eo nomine ſatisfacere.*

3. *Quodſi autem nihil tale probatum fuerit, heredes etiam nil præſtare tenentur.*

CAP. IX.

Hoc Caput agit de Fidejuſſione.

QUod ſi contingit, ut maſculus aliquis apud alterum fidejubeat, aut fœmina aliqua & plures homines unâ cum ipſis fide jubeant pro indiviſo tunc ille (Creditor) ex iis convenit, quemcunque voluerit.

2. *Sed Doctor quidam, qui appellatur Adrianus (qui multum de Jure Ciuili compoſuit) dicit, quod Creditor debeat omnes conuenire, nam homines in eâ eſſe opinione, quod doli aliquid ſubſit ſi unum convenit, alios autem non item.*

3. *Quodſi vero inter conſidejuſſores aliquis eſt, qui non eſt ſolvendo, illius vice reliqui æqualiter tenentur.*

4. *Et ſi quis ex fidejuſſoribus moritur, ejus heredes debent ipſius portionem ratam ſoluere loco ipſius, non tamen ex feudis, nam ex iis nemo ſoluit niſi ob proprium debitum; quodſi ille, pro quo fidejuſſio facta eſt, non eſt ſoluendo, heredes fidejuſſoris tenentur ſolutionem præſtare.*

5. *Si is (Creditor) dicat ipſos pro illo (Debitore) non fuiſſe factos fidejuſſores (ſed forte expromiſſores) de eo debent eum convincere per tres teſtes.*

6. *Et ſi neminem habent, qui ipſos in teſtimonio dicendo juuare queat, ipſi ſibi invicem poſſunt teſtimonium dicere ratione hujus debiti.*

7. *Si quis dicit; dabo vobis Fidejuſſorem alibi domicilium habentem, ſi recte inceditur, ille (qui fidejuſſor fieri vult) debet huic in cujus ſecuritatem fidejuſſio fit, literas ſuas (fidejuſſionem continentes) mittere ſuo ſigillo firmatas; & tunc adeſt ſecuritas.*

8. *Quodſi autem mittit alium, qui Creditori loco alterius fidem obligat, tunc debet Creditor homines advocare, qui ipſum, ſi forte fidejuſſionem negare velit, convincant.*

9. *Quodſi ille, qui mortem obiit, in ſecuritatem alicujus fidejuſſit, heredes ejus tenentur ei (Creditori) apud quem fidejuſſit, ſolvere, niſi (in fidejuſſione) id exceperit bis forte verbis: Ego tibi fidejubeo, ita tamen, ut ſi moriar, eo nomine heredes mei non teneantur.*

CAP.

Ad CAP. IX.

13) Spec. Sax. Lib. III. Art. 85.

14) Debuiſſet dici: Imperator Hadrianus: quippe cui debent conſidejuſſores beneficium diviſionis. Vid. §. IV. Jus de Fidejuſſ. I. 26. *v.* eod. *Scherz.*

15) Pro: *Aun ſinui leben d. g. n. von w. ſin ſelbez ſchulde.* Cod. Hortled. habet: *der tod pürg ſol auch nich gelten denn ſein ſelb ſchult. Sprach aber jener er wär und er ſolt im die pürgſchaft ausrichten und ſprechen dann ſein erben das er ſein pürg nicht geweſen wär das ſullent ſie bezeugen ſelb drit.* Cod. Uff. habet: *an von Leben. Lot ein man Leben u da giltet er nicht von, wan ſein eygenn ſchulde u. h. e. n. zu gelten des bürge ſie worden ſind ſye müſſen es ſelber gelten. Und ſpricht er das ſye nicht bürgen ſint, das ſol man in überzeugen ſelb drit.* Krafftiano Noſtro Codici conſentit Codex Waldn. & meus. *Scherz.*

16) Res ipſe oſtendit, ex reliquis MSS. adoptandam eſſe vocem: *boten.* Scherz.

CAP. X.

Wer niht erb der gelt auch niht.

VNd iſt daz ain man ſtirbet und gelten ſol und hat hinder im niht gelauzzen da ſin uuip oder ander ſin erben von gelten mugen die ſulen dez geltez ledig ſin vor Got und vor den luten.

2. Vnd iſt daz daz uuip ainen andern man nimet und gebent ir ir friunt gut dez ſiu e niht enhet, oder ob ſi ain man durch ir libez uuird [17] oder durch ir friunt rat nimpt der gut hat, oder ſuuie ſie Got beratet daz ſi bi ainem andern manne ze gut kumpt, uueder der man noch daz uuip geltent niht dez errern mannez gülte uuan alz vil ſi Got baidiu ermanet. [18]

CAP. XI.

Der man iſt ſinez uuibez maiſter und Vogt.

VNd ſtirbet ainem man ſin uuip und ſol er gelten und hat niht ze gelten, und nimpt ain ander uuip und git im diu varendez gut, er giltet von dem varenden gut uuol, daz iſt dauon geſetzt, daz der man ſinez uuibez vogt und maiſter iſt.

2. Git im ſin uuip [19] ander gut davon mag er niht geben uuan nach ir uuillen,

3. Hat aber ſi erben die ir gutz uuartent ſint nach irem tode, ſo mag ſi der man niht aun uuerden umb ſin erren gulte,

4. Geuuinnet * ſi aber erben enſampt die uuile ſi lebent, ſo uuird er daz gut uuol aun, daz ſiu im gab.

CAP. XII.

Man ſol den erben gelten.

VNd ſtirbet ain man, ſo iſt man ſinen erben uuol ſchuldig uuaz man im ſolt die gulte die man behaben mag alz reht iſt.

CAP. X.

Qui non ſit heres alicujus, ille non tenetur debita ejus ſoluere.

ET ſi contingit ut aliquis moriatur, qui aliis debet, nec bona reliquerit, unde uxor ejus aut alii ipſius Heredes ſoluere poſſint, tum hi nec divino nec humano jure ad debitum ſolvendum tenentur.

2. *Quod ſi ſit, ut Uxor illa ad ſecunda vota tranſeat, & illa ab amicis aliqua bona acquirat, quæ antea non habuit, aut ſi quis, vel ob corporis pulcritudinem, vel ex affectu amoris illam ducit, qui bona poſſidet, aut alio quodam modo per benedictionem Dei accidat, ut in ſecundo matrimonio aliquid bonorum acquirat tum neque Maritus (alter) neque Uxor ejus tenentur ſoluere prioris viri, niſi in quantum ad id Deus illos adhortatur.*

CAP. XI.

Maritus eſt Uxoris ſuæ Dominus & Curator.

QUodſi alicujus Uxor moriatur & ipſe in ære aliorum eſt, nec habet, unde ſolvat, ducat autem aliam Uxorem, quæ ipſi affert bona mobilia, tum licite ex mobilibus illis debita ſoluit, hoc ideò ſtatutum eſt, quia maritus eſt Uxoris ſuæ Dominus & Curator,

2. *Quodſi ei Uxor affert alia bona (quam mobilia) de iis nihil poteſt ſoluere, niſi ipſa conſentiente.*

3. *Quodſi autem illa habeat (cognatos) qui jus ſuccedendi habent, tunc maritus illa (immobilia nequidem conſentiente Uxore) alienare poteſt ob debitum prius (quod ante hoc matrimonium contractum eſt,)*

4. *Quodſi autem liberos unâ ſuſcipiant, tum quamdiu illi vivunt ille poteſt alienare illa bona, quæ ipſi attulit Uxor.*

CAP. XII.

Hæredibus debita activa ſolvantur.

QUodſi quis paterfamilias obierit, tum hæredibus ipſius tantum à debitore ſolvi oportet, quantum debebatur defuncto; ſumma nimirum, quæ legitime demonſtrari poteſt.

CAP.

Ad CAP. X.

17) In MSC. Jung. *oder durch fründe.* cum quo facit MSC. Vniv. Argent. Cod. Ambr. Perg. *durch ire friunde.* Cod. meus: *durch fründe.* Cod. Arg. major conſentit huic. minor habet: *durch frunde willen. Fründe* hic idem videtur eſſe ac: *affectus amoris*, aut *mores lepidi* die freundlichkeit. *Scherz.*

18) In MSC. Jung. & Hortl. Pro: *ermanet* legitur: *geſchündet*, pro quo corrupte Cod. Wurmbr. *geſchünchet.* Cod. Vn. Arg. *geſchindet.* MSC. meum: *geſchündet.* MSC. Wald. *geſchinet. geſchündet* eſt vox antiqua, quæ idem exprimit ac: *admonet, invitat*, ſuggerit. Gl. Monſ. ſcuntenten, *ſuggerentibus.* vid. Notam 8. ad Willeram. Paraphr. Cant. Cant. in Cod. Argent. min. eſt: *als Got beide den willen git.* Quodlibet horum trium quadrat. *Scherz.*

Ad CAP. XI.

19) C. Hort. *ligendes gut.* quod & habet C. Wurmbr. *) lege ex reliquis MSS. *gewinnent.*

Ad

CAP. XIII.

Der an dem Richter und an dem Fronboten frævelt.

SUer iht borget oder entlehent der ſol daz gelten, und ſuuaz er gelobt daz ſol er ſtate haben, uuil aber er laugen, man ſol in uberziugen alz reht iſt.

2. Waz aber geſchiht vor geriht, da ſol man niht umb ſuueren, uuan bi dem aide ſagen, ez gange dem man an den lip oder ſins libez ain tail.

3. Vnd iſt daz man frevelt an dem Rihter oder an den Fronboten, ſo iſt man ir aim zuuaier buz ſchuldig, der ain ieglich man niht uuan ain hat.

4. Vnd ſuua man ſiben man ze geziugen nimpt vor geriht, da ſol man den Rihter fur zuuen man nemen und [20] den Fronboten alſam.

CAP. XIII.

De eo, qui in Judicem & Apparitorem ejus injurius eſt.

QUodſi quis mutuò aut commodato aliquid acciplt, id reſtituat, & quicquid promiſit, firmiter ſeruet; negare promiſſum ſi vult, convincatur, ceu juris eſt.

2. *De iis, quæ in judicio facta ſunt juramentum præſtari non debet, ſed ſufficit, ſi id factum eſſe aſſeratur in vim juramenti, niſi de amiſſione vitæ aut membri alicujus agatur.*

3. *Quodſi quis injurius eſt in Judicem aut ejus Apparitorem, tum debetur cuilibet illorum duplex emenda, qualis unica tantum aliis debetur.*

4. *Et quando quis in judicio ſeptem teſtes producere debet, tum Judex loco duorum teſtium haberi debet; Apparitor ibidem duos repræſentat.*

CAP. XIV.

Wie ſich ain man verſprichet vor geriht ſtat alhie.

NIeman mag im ſelber ander reht eruuerben denn in angeborn iſt, er mag auch mit untat ain bœſer reht geuuinnen, alz uuir iu hernach uuol geſagen.

2. Ain man mag ſich verreden vor geriht, daz er ein bœſer reht geuuinnet, denne ob er ſuuige.

3. Ain ieglich kint behaltet ſinez vater reht ob ez im ebenbürtig iſt.

CAP. XIV.

Hîc traditur, quomodo quis linquâ ſuâ in judicio ſibi præjudicare queat.

NEmo poteſt ſibi aliud jus acquirere (ratione Nativitatis) quam à Nativitate habet: imò poteſt quis per delictum jus ſuum deteriorare, ceu poſtea dicemus.

2. *Poteſt quis in judicio tam inconcinne loqui, ut conditionem ſuam magis deteriorem reddat, quam ſi tacuiſſet.*

3. *Quilibet Liberorum, modo æqualis Patri ſit generationis, retinet conditionem jusque Patris.*

CAP. XV.

Wen man ze geziug veruuirfet.

WIr ſculen iuch beuuiſen, uuer niht geziug mag geſin.

2. Diu kint diu nit ze iren iaren ſint komen, daz iſt ze vierzehen iaren.

3. Vnd uuip uuan umb etlich ſache, die uuir hernach nennen.

4. Vnd [21] frihait die ſo tump ſint, daz in ir friun-

CAP. XV.

De iis, qui rejiciuntur, quo minus Teſtes eſſe poſſint.

TRadere vobis debemus, quis non poſſit Teſtis eſſe.

2. *Illi, qui ad ſuos annos nondum pervenerunt, id eſt, minores ſunt quatuordecim annis.*

3. *Et fœminæ, niſi in certis cauſis, quas poſtea nominamus.*

4. *Et viliſſimæ Conditionis homines, & qui ita ſtupidâ*

Ad CAP. XIII.

20) Conf. Spec. Sax. Lib. I. Art. 8.

Ad CAP. XV.

21) Cod. Scot. Vienn. habent: *und freyhait* Cod. Uff. *Freyheit oder bullen und ſogetane leute die ſo tump weren, das in ir frewnde, die ir pfleger waren, ir ſelbes gut vor gerichte angewunnen haben.* Cod. Wurmbr. *Puben mügen nicht tzewgen ſeyn und die die all tump ſint, das in ir freunde ir gut vor gericht*

abgewunnen haben die ir pfleger ſint, und die es mit irer tumphait dartzw pringent. Cod. Hortled. *Puben mügent nicht zewg geſein und die die als tumbe das &c.* Uterque Codex Reip. Argent. *und buben und die ſo tump ſint.* Cod. Vniv. Argent. *und buben die do tump.* in MSC. Ingolſtad. legitur: *und freybart oder pube*, dy ſo dump ſint das in ir ſ. *Freybeit*, vel *Freybart*, (quod ultimum eſt in MSC. Ingolſt.) denotare *hominem viliſſimum* facile apparet ex eo, quod vel tanquam συνώνυμον vi *bube, pube*, occurrat, vel, uti in Krafftiano fit, ejus vices teneat. Annon Libertas nimia,

Digitized by Google

friunde ir ſelbez gut vor geriht an geuuinnent, die ir pfleger ſint, und ez mit tumphait darkumpt,

5. Und auch die unſinnige ſint, und blinden und torn und die niht gehœrnt, und ſtummen,

6. Vnd die verbannen und veræhtet ſint, und ketzer und mainaid lute, ob ſi dez vor geriht uberziuget ſint.

pidi ſunt, ut ſibi judicialiter auferri patiantur bona propter ſtupiditatem ſuam per eos, qui ipſorum adminiſtratores ſunt.

5. *Et qui furioſi ſunt, ac cœci & mente capti, & ſurdi, nec non muti,*

6. *Excommunicati item & proſcripti, ac Hæretici, ut & perfidi homines, modo de his in judicio fuerint convicti.*

CAP. XVI.

[22] Der vater erbet uuol dez kindez gut.

VNd ſtirbet ainem Vater ſin kint, und het er im gut uzgeben, ez ſi varndez gut oder ander gut, und hat er uueder uuip noch kint, der vater erbet dez ſuns gut, ez mag der bruder noch diu ſuueſter niht geerben. daz iſt davon, daz ez von dem vater dar komen iſt,

2. Vnd hat der ſun ander gut geuuunnen, denn daz im ſin vater gab, und git im got geſcheft, er git ez mit geſundem lip oder an dem totbette uuol uuem er uuil.

3. Vnd iſt daz er damit niht geſchaffet hat, die nehſten erben ſulent daz gut erben, und ſulen der ſele iren tail geben, da von daz ez der bruder erarbeitet hat.

4. Iſt uueder bruder noch ſuueſter da, ſo nemen ez ie die næhſten erben,

5. Ein ieglich menſch [23] ſinez magez gutez erb untz ez [24] geraiten mag [25] hintz der ſippe, alz ditz buch hievor (conf. c. 4. fin.) hat geſait.

CAP. XVII.

Mit uuiu ain kint ſinez vater und ſiner muter erb veruuürket.

EZ mag ain kint ſinez vater und ſiner muter erb veruuürken mit vierzehen dingen.

2. Daz ain iſt ob ain ſun bi ſinez vater uuip lit süntlich mit uuizzende, diu dez ſunez ſtiufmuter iſt, diu ſin vater elich oder ledeclichen hat oder hat gehabt, damit hat er [26] uuorht allez daz erb, daz er von vater oder von muter uuartent iſt, daz erziugen uuir mit David in der kunge buch, do der ſchoen Abſolon bi ſinez vater friundiñe lag ſüntlich mit uuizzende, damit veruuorht er ſins vater hulde unde erbe.

3. Daz

CAP. XVI.

Pater ſuccedit in bonis Filii vel Filiæ.

QUodſi Filius vel Filia moritur, ac Pater ei (vivo) aliquid bonorum dederit, ſive id ſit ex bonis mobilibus, ſive alia bona. Et ſi neque Uxorem neque Liberos relinquit, Pater ei ſuccedit; non autem frater aut ſoror, ex eâ ratione, quia hæc bona à Patre provenere.

2. *Et ſi filius alia bona acquiſivit, præter ea quæ Pater ei dedit, tunc ſi Deus ei teſtandi facultatem non impedit, ea vel ſanus vel morti vicinus aſſignat, cui voluerit.*

3. *Et ſi contingit, ut de iis non teſtatus ſit, tunc proximi cognati ei ſuccedunt, qui debent partem eorum ad pias cauſas dare; cur autem ipſi ſuccedant, ejus rei Ratio eſt, quia Frater defunctus illa acquiſivit labore ſuo.*

4. *Quodſi non ſint fratres aut ſorores tunc ſuccedunt illi qui ſunt gradu Proximi.*

5. *Quilibet eſt heres bonorum cognati ſui, qui ſe numerare poteſt (inter cognatos) usque ad ſeptimum gradum, ceu hic Liber ſupra monuit.*

CAP. XVII.

Quibus ex cauſis Liberi à Parentibus exheredari poſſunt.

LIberi à Parentibus exheredari poſſunt ob quatuordecim cauſas.

2. *Prima cauſa eſt, ſi filius rem habet ſciens cum Noverca ſuâ ſeu fœminâ, cum quâ Pater vel in Matrimonio vel extra matrimonium cohabitat, aut cohabitavit. Hoc ipſo meruit priuari omni hereditate paternâ aut maternâ; hoc probari poteſt facto Dauidis in libro Regum, cum pulcher ille Abſolon cum patris ſui amica illicite concumberet ſciens; hoc ipſo enim meruit excludi â patris gratia & bonis.*

3. *Altera*

ſeu Licentia huic nomini ortum dedit? Apud Keyſersb. im Narrenſchiff f. 159. a. 2. occurrit *freyersbub* vili ſenſu; dicitur enim: *die edlen ſpielen mit den ſtallknechten und* freyersbuben. Vocem *bub* moribus applicatam *malum hominem, nebulonem* denotare notum eſt, hinc Herodias ap. Keyſersb. Poſtill. p. 1. fol. 4. a. appellatur *eine bübin*. Belgis: *boef*, *boeve*, nebulo, Tenebrio, vid. Kilian in Etymol. *Scherz.*

Ad CAP. XVI.

22) Conf. Spec. Sax. lib. I. Art. 17.

23) Poſt vocem: *Menſch*, pone ex reliquis MSCtis: *iſt*. Scherz.

24) Pro: *Geraiten mag*, alia Manuſcripta quædam habent: *gereichen*. — — Cod. Hortl. legit: *gereden*, ſed vitioſe; ex duobus illis prioribus retineri poteſt quodcunque libuerit; *geraiten* idem eſt ac: *numerare*, *rechnen*, hinc *raitung*, *raittag*, ain ungeraiter amptman, vid. Spaat im Teutſchen Sprach-Schaz, Lit. R. *Scherz.*

25) Poſt vocem *bintz* C. Hortl. Würmb. Ing. Vff. ut & meus habent: *der ſibenden*. quod omnino, ceu ex cap. 4. in fin. apparet, hic inſeri debet. *Scherz.*

Ad CAP. XVII.

26) Pro *uuorbt* lege: *ueruuorcht*, quod & MSCta habent, eſt autem *ueruuorcht* idem ac hodiernum *ueruuürckt*. Scherz.

27) Pro

Digitized by Google

3. Daz ander iſt, ob ain ſun ſinen vater vaht und in ainsliuzzet uuider reht, und ſtirbet er in der vanknüzze, der ſun hat auch ſin erb verlorn.

4. Daz dritte iſt, ob ain ſun ſinen vater anſpricht und ſo getan dink hintz dem vater rüget, diu dem vater an den lip gant, ez ſi danne ain ſach da daz lant von verderben moeht, oder da der fürſt von verderben moeht, dez daz lant. Mit dieſen drien dingen veruuürket ſich ain vater gen ſinem ſun, daz er bi ſinem lebenden lip von ſinem gut ſchaiden muz, und trit der ſun an dez vater ſtat, und ſol dem vater [27] ſin noturft geben und nach den eren alz er gelebt hat.

5. Daz vierd iſt, ob ain ſun ſinen vater an daz uuange geslagen hat, oder ſuuie er in geverlich geslagen hat.

6. Daz funſt, ob er in ſer und [28] inderlich beſcholten hat, uuan Got ſelb alſo ſprichet in den zehen geboten: ere Vater und muter, ſo lengeſt du din leben uf ertrich. Seit nun ain kint ſin lank leben damit veruuürket, ob ez den Vater unreht anreit, ſo hat ez auch ſin erb mit reht veruuürket, ob ez Vater oder muter ſchilt oder sleht.

7. Daz ſehſt iſt, ob ain ſun uf ſinen Vater clagt, er hab im ſo getaniu dink getan, diu dem Vater grözzen ſchaden tun moehten an ere oder an gut oder an dem libe, und er in dez nit uberziugen mag.

8. Daz ſibend iſt, ob der ſun ain diep uuirt oder ſuſt ain boesuuiht mit ſo getanem leben, da ein jeglich man ſin reht mit verliuſet, oder ob er uuizzentlichen mit denſelben luten uuont, die daz leben an in habent.

9. Daz ahtent iſt, ob ain ſun ſinen Vater geirret hat, ſo er an dem totbette lit und gern ſiner ſele dink ſchüffe, oder ob er ſuſt ſieche lit, und dez vorht hat, er ſterbe, und sliuzzet der ſun zu, und [29] lat den pharrer noch die brüder noch anderz nieman zu im, mit dem er ſiner ſele dink ſchaffen ſolt durch ſiner ſele hail, der hat ſin erb damit [30] veruuorht.

10. Daz niunde iſt, ob der ſun zu ainem ſpilman uuirt uuider dez vater uuillen, [31] daz er gut fur ere nimpt, und der vater ain erman iſt

3. *Altera cauſa eſt, ſi filius patrem ſuum capit, & contra jus carceri includit, isque in captivitate moritur, tunc enim filius jus ſuccedendi amittit.*

4. Er verlech auch den Swaben wa man durch dez Richez not ſtriten ſol. da ſulen die Swaben [97] vor aller Sprache ſtriten. und ſol ir hauptman ſin der Hertzog von Swaben.

5. Iſt er da nibt ſo ſol ez ſin dez Richez Marſchalk.

6. Ditz reht und andriu reht hänt die Swaben verdient mit ir [98] frumekait umb die Römiſchen Künge alz wir hernach wol geſagen.

obſidione Geroldus Sueuorum Dux primus vi intravit Romam, ita ut ope Suevorum Rex Carolus Romam expugnaret, & Romanos devinceret.

4. *Indulſit etiam Suevis hoc (Carolus) quod, ſi Imperii cauſa pugna eſſet ſuſcipienda, ipſis jus eſſet primâ in acie ante omnes alias nationes pugnare, eorumque Ductor eſſe deberet Sueviæ Dux.*

5. *Hoc autem abſente debet hoc munere fungi Imperii Mareſchallus.*

6. *Hoc & alia jura Suevi meritis ſuis obtinuere à Regibus Romanis propter fortitudinem ſuam, uti poſtea dicemus.*

CAP. XXXII.
Ditz iſt von dem lant ſitten.

AIn ieglich man der uz ainem lande in daz ander vert und wil er vor geriht reht nemen umb ain gut daz in dem land lit er muz ez nemen nach dez landez reht und nit nach ſinem reht.

CAP. XXXII.
De moribus Provinciarum.

QUicunque ex unâ Provinciâ tranſit in alteram, ut in Judicio jus quod in fundo aliquo habet, qui in Provinciâ illâ ſitus eſt, perſequatur, ille debet admittere, ut ſecundum leges illius Provinciæ judicetur, non vero prætendere, ut judicetur ſecundum Jus quod domicilio ſuo obtinet.

CAP. XXXIII.
Von Lipdinge ſtat hie.

VOn Lipdinge ſulen wir kürtzlichen ſprechen.

2. Lipdinge ſint [99] unuerſchaiden.

3. Und hat ain man lipdinge von ainem gotzhus daruber ſol er dez Capitelz brief nemen und iſt ain bropſt da pfleger dez Inſigel ſol er auch nemen;

4. Und nimpt er nit briefez mag er dann zuuen man zu im gehaben die daz ſahen und horten daz imz die lihen die ſin geuualtig uuaren ze lihen und ſint ſie auch tot die imz gelihen habent, und hat er daz gut in ſiner geuuer er behabt ez dannoch ſelb dritte.

5. Und hat er daz gut nit in ſiner geuuer und iſt der tot der imz da lehe er müz ez ſelb ſibende behaben.

6. Wir ſprechen daz brief bezzer ſien denne geziug uuan die geziug ſterbent, ſo belibent brief ſtæt. [100] Ainz daz handveſt haizzent da hilfet ain tot geziug an alz ain lebender.

7. Suuer auch von layen lipdinge geuuinnet der neme die ſelben geuuishait,

8. Und

CAP. XXXIII.
De Uſufructu.

DE uſufructu pauca quædam dicenda ſunt.

2. *Uſufructus dantur variæ ſpecies.*

3. *Si quis uſumfructum habet ſibi conceſſum à Monaſterio quodam, eâ de re à Capitulo inſtrumenta ſibi fieri curare debet, & ſi Capitulo Præpoſitus aliquis præeſt, ejus quoque Sigillo ut illa muniantur, quærere debet.*

4. *Et ſi inſtrumenta (hac de re) non comparavit ſibi, tunc ſi poteſt producere duos, qui viderunt & audiverunt, quod eum (Uſumfr.) ipſi conceſſerint illi, qui jus habebant concedendi, etiamſi hi jam ſint mortui, modo ipſe ſit in poſſeſſione, illum Uſumfructum ſibi conſervat per juramentum ab ipſo & illis duobus præſtitum.*

5. *Et ſi non eſt in poſſeſſione hujus fundi, illeque, qui conceſſit eum, eſt mortuus, tum, ſi cum ſex aliis ipſe jurat, vincit.*

6. *Dicimus, quod Inſtrumenta præferenda ſint Teſtibus, nam Teſtes moriuntur. Inſtrumenta non item. In Inſtrumentis Teſtis mortuus idem operatur, ac vivens.*

7. *Siquis etiam à Laicis Uſumfructum acquirit ille eadem circumſpectione ſibi proſpiciat.*

8. *Quod-*

97) Vide hac de re Strickerum in Rhythmo de Expedit. Caroli M. contra Saracenos Cap. X. Sect. 19. & confer quæ dixi in Notâ ad illum n. 13. *Scherz.*

98) *Frumkeit* reddo per *fortitudinem*, quia vox *fromm*, *frumm* ſæpe uſurpatur pro *forti*, *valido*. Twinger in Voc. MSC. Germ. Lat. habet: *frummer*, ſtrenuus. in Kœnigsh. Chr. Alſatico. c. 5. §. 20. legitur: *Vor Gotes Geburt was Strasburg kleine und doch* frum *und mechtig* an Volcke. *Scherz.*

Ad CAP. XXXIII.

99) Lege ex MSC. reliquis: *underſchaiden.* Scherz.

100) Cod. Fiſch. aliique habent: *ditze beizzent hantveſte.* Cod. Hortl. legit: *an den hantfeſten da bilft &c.* quæ lectio præ reliquis placet. Non male quoque quadrat Lectio Codicis Waldn. *So blibet dis yemer ſtete daz da beiſſet hantveſte.* Scherz.

1) Cod.

Digitized by Google

8. Und iſt daz ain lay niht Inſigelz hat und ſitzet er in ainer ſtat man ſol im der ſtet Inſigel geben, ob ſiu ez hat,

9. Hat ſiu ſin niht, ſo neme er dez Rihterz Inſigel,

10. Hat der auch nit, ſo neme der ſtet-herrens Inſigel, ſo iſt er ſicher, und iſt ez uf dem lande ſo nem er dez lantrihterz inſigel, ob er ez habe.

11. Vnd laugent der herr dem mann daz er im nit zins habe geben von dem gut dez ſol er in uberziugen ſelb dritte, die ez geſehen haben, daz er den zins von im enphieng oder der bot den er im [1] ze ſchinboten gab, ſo hat er ſin gut behabt. [2]

12. Vnd iſt daz ain man ain gut geuuinnet [3] ze zuuain liben oder ze ainem lip [4] und beſchaidet nit uuelher nach dem liebe nieſſen ſuln der ez in der geuuer hat, alz der lip geſtirbet, ſo ſuln die [5] leſten mit ain ander nieſſen, die da genennet ſint;

13. Vnd uuirt ain lip ſunder da genennet, daz er nach dem libe niezzen ſule, der da ververt, der ſol daz niezzen die uuile er lebt,

14. UUil er dez guts aun uuerden durch ehaft not, der ez da geuuunnen hat und hat er anderz gutz niht uuan dezſelben gutz, er uuirt ſin mit reht uuol aun, daz in die libe nit geirren mügen,

15. UUellen ſi in aber irren, ſo kum [6] für ſinen Rihter und clag im, daz der gebiet den liben fur geriht daz ſi dem herren daz lipdinge [7] uffenden, der ſol damit tun, uuaz er uuil, der ez da geuuan.

16. Tunt ſi dez niht gern, der Rihter ſol ſie dez noeten,

17. Die da nit fürkoment, den ſol man daz lipdinge mit urtail vertailen, ſi hab danne ehaft not geirret.

18. Habent aber die libe ir gut dargeben und hant daz gedinget, daz er dez gutz aun ir uuillen nit aun uuerde, hant ſi dez zuuen man zu

8. *Quodſi contingit, ut Laicus talis careat ſigillo, & eſt incola alicujus Urbis, tum debet ei dari ſigillum Urbis.*

9. *Si nec illa aliquod ſigillum habeat, adhibeat ſigillum Judicis.*

10. *Si nec hic aliquod ſigillum habeat, adhibeat ſigillum Domini Urbis & tunc ipſi eſt proſpectum. Quodſi ille concedens eſt extra Urbem adhibeatur Sigillum Judicis Provincialis, ſi quod ille habet.*

11. *Quodſi Dominus negat ſibi cenſum fuiſſe ſolutum de fundo, de hoc ipſum is qui cenſum debet, convincat ſuo & duorum aliorum, juramento qui viderunt, Dominum ab ipſo cenſum accepiſſe, aut Mandatarium ejus, quem cenſus exigendi gratiâ miſerat, hoc præſtito fundum hunc ſibi ſervavit.*

12. *Et ſi evenit, ut quis acquirat fundum hac lege ut duo aut plures uſumfructum ejus habeant, nec definiverit, quis (ex duobus illis aut pluribus) poſt illum Uſufructuarium, qui (ex ipſius conceſſione) fundum (primus) poſſidet, uſumfructum habere debeat, tunc Uſumfructum conjunctim habeant, pro quibus ſe uſumfructum acquirere (ab initio) dixit.*

13. *Quodſi autem unus (ex his duobus aut pluribus) ſpeciatim fuerit nominatus, atque de eo dictum, quod poſt uſufructuarium primum, ſi moritur, ipſe debeat habere uſumfructum, tunc hic nominatus fundo utitur fruitur (ſolus) quandiu vivit.*

14. *Quodſi ille (qui fundum hac lege acquiſivit) velit jus ſuum alienare ex cauſâ ſonticâ, nec alia habet bona, (quæ alienare poſſit) jure id facit, nec hi uſufructuarii ipſum impedire in hoc poſſunt.*

15. *Quodſi autem illum impedire volunt, tum adeat ſuum judicem, & ad eum querelam deferat petatque ut ille citet Uſufructuarios ad judicium, ut ipſius uſufructui ſuo renuncient. Quo facto ille, qui acquiſierat hunc fundum, cum eo facit id, quod lubuerit.*

16. *Si non renunciare volunt, Judex eos eò adigat.*

17. *Qui non comparent, ii ſententiâ judiciali priventur uſufructu, niſi ſontica cauſa ipſos impediverit, quo minus comparuere.*

18. *Quodſi vero uſufructuarii pecuniam dedere (illi qui fundum hac ratione ſibi acquiſiverat) & pacti ſunt, quod ſine ipſorum conſenſu fundum alienare non debeat,* &

1) Cod. Hort. habet: *oder er pring es für mit dem poten der im es antwurt.* cui conſentit C. Wurmbr. aſt reliqui omnes fere habent: *o. d. b. d. e. i. ze ſchinboten gab.* Solus Cod. Arg. major habet: *zu zinſzbotten gab.* quæ Lectio optime quadrat. *Scherz.*

2) In Cod. Hortled. incipit hîc novum caput, cujus hic eſt titulus: *Ain gut das ein man zwayen leiben gewynnet.* In hoc titulo agitur de *uſufructu Juris Germ.* qui in comparatione ad Jus Romanum multum habet ἀναμαλίας, ceu Schilterus aliique Eruditorum jam diu obſervarunt. conf. Schilter. Ex. ad π. VII. 10. *Scherz.*

3) Conſentiunt omnia MSS. noſtra habentque *ze zweien liben oder ze einem libe.* Aſt συνάφεια textus oſtendit vitium ſubeſſe in vocibus: *ze einem libe.* Schilterus hinc in Ex. ad π. VII. 10. Meichsneri Lectionem approbat: *oder zu mehr,* quæ verba etiam habet editio Goldaſtina; Hupfupffiana, & reliquæ tres impreſſæ admodum antiquæ. *Scherz.*

4) MSC. Feſch. *und nennet die libe und beſcheidet nibt*

welher, &c. quod ipſum etiam habent omnes Editiones impreſſæ, exceptâ Meichsnerianâ, ubi vitioſe: *beſcheidenheit* pro: *beſcheidet.* Scherz.

5) Lege: *libe.* id quod ex omnibus MSS. apparet, & ratio faciendum eſſe ſuadet. Uffenbachianum MSC. §. 8. & 9. diverſa plane ratione exhibet hunc in modum: *iſt daſz ein man gut gewinnet zu eynem leibe oder zu zweyen und beſcheydet oder nennet die leybe, darnach wan der erſte leib geſtirbet der es kaufft hat* (ſupple: *und*) *des gutes forder mere nyeſſen und gebrauchen ſollen, und doch keynen beſundern nennet, der es nyeſſen ſolle, als der leyb ſtirbet, ſo ſollen dieſelben leybe mit einander nyeſſen die da genennet ſein und wirtt ein leyb genennet das er nach dem leybe der es kaufft hat nyeſſen und gebrauchen ſollen, der da genennet iſt, der ſol des gutes genyeſſen. Leibe, Laibe, Libe,* hîc interdum *Uſumfructum*, interdum, *Uſufructuarium* ipſum denotare facile apparet. *Scherz.*

6) Supple: *er.*

7) *Uffenden* etiam habet Cod. Fſch. aſt quidam alii habent uflaſſen, auflaſſen; quidam: *auffgeben.*

8) Hîc

zu in ze geziuge, oder ſtat ez an ir hantveſt, ſo mag er dez gutz nit aun uuerden aun ir uuillen, ſin lipdinge uuirt er uuol aun.

19. Wil man dez gutez aun uuerden, man ſol ez den herren e anbieten, e ander lute, [8] ſo gebe [9] imz, uuil er dez nit, ſo gebe er ez uuem er uuelle mit dem rehten, alz er ez gehabt hat,

20. Vnd ſuuem er ez git, der ſol dem herren den zins davon geben,

21. Vnd uuidert der her den zins,, ſo neme er zuuen man, oder mer ze geziuge, daz er im den zins geboten habe, und behalt den zins untz an die zit, daz er aber zins geben ſule, ſo biete danne ainen mit dem andern dar, und tu daz aber mit geziugen,

22. Daz ſol er tun alle dieuuile er den zins veruuidert, und ſol den zins [10] unverſert lan ligen.

& ejus rei duos habent teſtes, aut id ex inſtrumento aliquo probare poſſint, tum fundum non poteſt ſine ipſorum conſenſu alienare, ſuum jus uſufructus alienare jure poteſt.

19. *Si quis fundum (quoad jus ſuum) alienare vult, debet id primo loco præ aliis ipſi domino fundi offerri (ad emendum) qui ſi vult tantundem dare ac alii homines, ei fundus relinquatur; quodſi autem Dominus id facere non vult, alii cui lubuerit detur quoad jura illa, quæ dans habuit.*

20. *Et cui is fundum ita dat, ille Domino de eo cenſum (annuum) præſtet.*

21. *Et ſi Dominus recuſat accipere cenſum, tum (novus poſſeſſor) adſciſcat duos viros aut plures, ut ſint teſtes de oblatione cenſûs factâ, & retineat cenſum, usque ad aliud tempus, quo iterum cenſum ſolvere debet, & tum iterum offerat utrumque præſentibus teſtibus.*

22. *Hoc faciat quamdiu alter cenſum ſumere recuſat, & cenſum retineat intactum. (in uſus ſuos non convertat.)*

CAP. XXXIV.

Der uf Lehen Lipdinge lihet.

SUUer uf Lehen Lipdinge lihet da hat iener nit an uuan alz lange daz lipdinge[1] uuert.

2. Hat aber iener man gedinget, daz er im die libe beſteten ſol, daz mus er tun mit reht oder muz im geben, daz im lieber iſt,

3. Vnd iſt er tot, der diu lipdinge gelihen hat, und hat er gut hinder im gelauzzen, ſuuer daz erbez oder geerbet hat aun lehen, der ſol den lüten iren ſchaden nach reht gelten, daz iſt reht, uuan ez ſol nieman den andern triegen,

4. Het ez der herr gedinget, do er die libe lehe, daz er alſo ſprach: uuirt minem herren min lehen ledig, ſo uuil ich daz die libe auch ledig ſien mügen, daz die erben erziugen ſelb dritte, ſo legent ſi in dehainen ſchaden ab.

CAP. XXXIV.

De eo qui Uſumfructum alteri concedit in Re, quam ipſe feudi jure tenet.

SI quis in feudo uſumfructum alteri concedit, tum Uſusfructus non diutius durat, quam concedentis dominium utile in feudo durat.

2. *Si vero Uſufructuarius ſibi promitti curavit à concedente, quod Uſumfructum hunc ſtabilem reddere velit, hoc debet in effectum deducere, aut Uſufructuario dare aliud quid (loco hujus) quod ipſi gratius eſt.*

3. *Si ille eſt mortuus, qui conſtituit Uſumfructum & bona poſt ſe reliquit, quicunque eſt heres factus (hoc tamen non obtinet reſpectu hereditatis feudalis) ille debet ſatisfacere modo legitimo, & hoc æquum eſt, ſi quidem nemo alterum debet decipere.*

4. *Quodſi concedens, cum uſumfructum concederet, pactus eſt hac formulâ: Quodſi feudum meum Domino meo ſit apertum, tum ut uſusfructus etiam ſit finitus, volo; Et heredes cum duobus teſtibus hoc probare poſſunt, tunc non tenentur ad ullam ſatisfactionem.*

CAP.

8) Hîc eſt Lacuna, quam ex MSC. Feſchiano ita ſuppleo: *Unde wil er als vile darumb geben als ein ander man.* Scherz.

9) Supple: *er.* Scherz.

10) C. Feſch. & W. & Vn. Arg. *unverwehrten.* Cod. Jung. & Cod. Uff. & Ingolſt. *unverſehrt.* Cod. meus: *unverwert.* Ambr. Perg. *unverwerbet*, Cod. Arg. major: *unvertan.* Cod. Waldn. *unverworten.* Cod. Arg. min. *unverwerret.* in impreſſis Antiquis eſt: *unverrucket, unverruckten.* cum quibus facit editio Goldaſtina & Meichsneriana.

Ad CAP. XXXIV.

1) Lege: *leben* pro: *lipdinge*, ceu & MSS. & connexio textus oſtendit.

Ad

CAP. XXXV.

[1] Von arkuuenigen erben iſt ditz.

NU hœrent von ainem uuip, diu kint treit nach ir mannez tot und ſiu [2] verhaft iſt, und geniſet ſiu daran dez kindez und hat ſiu dez ze geziugen zuuu frauuen oder zuuen man die ir arbait geſehen habent und daz kint lebendig hant geſehen, daz kint behaltet dez Vater erbe,

2. Und ſtirbet ez hernach, ſuuaz ez geerbet hat, daz erbet auch diu muter,

3. Und allez daz gedinge, daz ſin vater an ſinem lehen yeman het gedinget, daz iſt dem herren ledig,

4. UUirt aber daz kint zu der kirchen braht, ſo bedarf diu frauue nit geziugez uuan dez pfaffen, der ez begraben hat oder getauft hat.

5. Suuer ez auch totez da ze kirchen hat geſehen, der iſt ſin auch uuol geziug.

CAP. XXXVI.

[1] Von rehtloſen lüten iſt ditz.

SUUer ainez mannez [2] chonen oder magt behürt, oder uuip notzogt, nimpt er ſi darnach ze ee, ekint mügen da nimmer von in baiden, daz ſagen uuir iu baz hernach,

2. [3] Vnd iriu kint und alle die unelich geborn ſint, oder diuphait oder den rehten ſtrauzraup vergolten hant oder mit hute oder mit haure vor geriht gebüſſent hant, die ſint alle rehtloz,

3. Die unelich geborn ſint, die geuuinnent ir reht uuol uuider, ob ſi eliche [4] haylach tunt,

4. Si erbent aber dehain gut von iren maugen, aber iriu kint (cap. 39, 4.) diu erbent uuol ir erbgut von iren friunden.

CAP. XXXV.

De illis de quibus dubium eſſe poteſt, an ſint legitimi Heredes alicujus.

AUdite nunc de Muliere, quæ poſt mortem mariti uterum geſtat & eſt gravida, ſi illa partum edit, ac id probare poteſt per duos vel fœminas vel maſculos, qui ipſam in labore partus, & infantem vivum viderunt, tunc Infans ille eſt Heres Patris.

2. *Et ſi poſtea moritur hic Infans, Mater ejus erit heres in omnibus illis bonis, quæ ipſe jure hereditario acquiſivit.*

3. *Et omnia parta, quæ Pater eius cum aliis in ipſorum favorem reſpectu feudi ſui celebravit, intuitu Domini directi evaneſcunt.*

4. *Quodſi infans vero ad templum* (aliquando) *fuerit portatum, mulier teſte alio non indiget, quam parocho, qui illum terræ mandavit aut baptiſavit.*

5. *Qui præterea (ex aliis) illum infantem mortuum in templo vidit, ille eâ de re teſtis eſſe poteſt.*

CAP. XXXVI.

De Hominibus, qui juris beneficiis carere cenſentur.

QUodſi quis cum alterius Uxore aut puellâ illicite concumbit, aut fœminam aliquam violenter ſtuprat, poſteaque illam in matrimonium ducit, liberi legitimi non poſſunt ullo unquam tempore ab ipſis provenire; id quod clarius infra deducitur.

2. *Campiones & eorum liberi (ita nati) & omnes qui illegitime nati ſunt, & omnes, qui furti aut pleni latrocinii nomine ſatisfecere aut fuſtigationem ſuſtinuere, hi omnes juris beneficiis carent.*

3. *Illegitime nati recipiunt juris beneficia, ſi juſta ineunt matrimonia.*

4. *Nihil tamen bonorum à Cognatis relictorum ſuccedendo acquirunt: aſt liberi ipſorum bene ſuccedunt ſuis cognatis.*

CAP.

Ad CAP. XXXV.

1) Conf. Spec. Sax. Lib. I. Art. 33.

2) Pro: *Verhaft.* Cod. Fſch. & Wurmbr. aliique habent: *berhaft.* Utrumque poteſt locum ſuum tueri. Nam & ipſa vox *Haft* prægnantem denotat. apud Otfrid. Ev. l. 8, 4. *tho er ſia* hafta *giſah*, *quum eam* prægnantem *obſervaret.* Scherz.

Ad CAP. XXXVI.

1) Conf. Spec. Sax. c. 37. lib. I.

2) Pro: *chonen* alii Codd. habent: *elich weib.* utrumque idem ſignificat. Supra habuimus pro uxore alicujus: *Ekon.* Scherz.

3) Verſum præcedentem Cod. Fſch. non habet. aſt habent alii, qui & ipſi tamen cum Fſch. hîc textum ita exhibent, *kempfen und iriu kint.* Sunt autem *kempfen* ii, qui medio ævo appellabantur Campiones, & pro aliis lucri cauſa in duellis pugnare ſolebant. vid. omnino du Fresne in Gloſſar. Lat. Barb. v. *Campio.* Scherz.

4) Alii & clarius quidem: *beurat.* Scherz.

Digitized by Google

CAP. XXXVII.

Von Diuphait und von Raup.

MAn ſol allen Raup und alle diuphait gelten zuuiſpild die ſin mit geriht uuerdent betuuungen, die in getan habent,

2. Gebent ſi in aber uuider unbetuuungen; ſo ſol man in ainvalt gelten,

3. Und iſt daz die rauber oder die diebe angrifent und vertund ſo muzzent ſi ez zuuiſpild gelten, ſi uuerden darumb benoetet oder nit.

4. Waz rehter ſtrauzraup ſi oder an uuen man in began müge, daz ſol iu daz buch ſagen.

5. Den rehten ſtrauzraup begat man an drier hande luten, an pfaffen, an bilgerinen, an kaufluten.

6. An pfaffen, ob ſi pfæfflichen varent, alſo daz ſi beſchorn ſint alz pfaffen, und ob ſi pfæfflichiu claider an fürent und aun uuaffen varnt.

7. Man begat in auch an pfaffen geſinde den rehten ſtrauzraup die bi in uf der ſtrauzz ritent oder gaunt.

8. An bilgerinen die ſtæbe und taſchen von ir pharrer hant genomen [1] oder in Kærrin gaunt.

9. An Kaufliüten, die von lande ze lande varent, von zungen ze zungen varent, von ainen Kunigrich in daz ander, an den begaut man den rehten ſtrauzraup,

10. Vnd iſt der ſtrauzraup nit uuan funf ſchilling, ſo ſol man den ſtrauzrauber henken (Conf. c. 315, 27.) nit an den gemainen galgen, man ſol ainen rihten zu der lantſtrauz und ſol in daran hæhen.

11. Ob ſi daz geriuue, daz ſi den ſtrauzraup genomen hant, und gebent ſi in uuider aun tuuankſal [2] von mutuuillen, daz ſi nieman darzu nœtet, ſo habent ſi dannoht ir reht nit verlorn.

12. Muz man ſi aber darzu zuuingen mit geriht, ſo habent ſi iriu reht verlorn, und mugen nimmermer dehainem mann ſins rehten gehelfen, ſi ſint veruuorfen von aller geziugnüzze die dirr ungetat ſchuldig ſint, die hie vor genennet iſt.

13. Vnd mag man ſi dez uberziugen [3] mit dem ſchube oder mit geziugen ſo rihtet man über in alz ditz buch ſeit.

14. Hat man uueder ſchub noch geziuge, ſo ſol man ſinez aidez nit nemen, alz ainez frumen mannez.

15. Man

CAP. XXXVII.

De Furto & de Rapina.

OMnes, qui in Judicio convincuntur de Rapinâ aut Furto aliquo, quæ commiſere, debent duplum (rei raptæ vel furtivæ) præſtare.

2. Quodſi autem tales res reſtituunt ſponte ſuâ, ad ſimplum tantum tenentur.

3. Et ſi contingit, ut Raptores aut Fures rebus illis utuntur, easque conſumunt, tunc tenentur ad duplum, ſive judicialiter conventi fuerint, ſive non.

4. Quid plenum ſit latrocinium, & erga quos exerceri queat, id hic liber vos docere debet.

5. Scilicet plenum latrocinium exercetur contra triplicis generis homines, nempe Clericos, & eos, qui Religionis cauſâ ad loca ſacra peregrinantur, & Mercatores.

6. Et quidem committitur hoc contra Clericos, ſi habitu Clericali incedunt, ita quidem, ut tonſi ſint & veſtibus Clericalibus induti, atque inermes.

7. Illud etiam committitur in Clericorum famulis, qui ipſos vel equis inſidentes vel pedites comitantur.

8. In Peregrinantibus ad loca ſacra hoc item committitur, ſi à Parochis ſuis baculos & peras accepere aut in Carenâ proficiſcuntur.

9. In Mercatoribus qui ex unâ Regione ad alteram, ab unâ Gente ad alteram, ex uno regno ad alterum iter faciunt, etiam committitur plenum latrocinium.

10. Si Latrocinium abſtulit ultra quinque ſolidos, tunc Latro ille debet ſuſpendi, ſed non ad patibulum ordinarium; verum aliquod patibulum recens erigi debet juxta Viam Regiam, cui appendendus eſt.

11. Si Latro pœnitentiâ ductus ſine coactione ſponte ſuâ reſtituit ablata, tunc Juris beneficiis nondum privatur.

12. Aſt ſi tales homines ad reſtitutionem coguntur judicis ſententiâ, tunc omnibus juris beneficiis exciderunt, nec ulli ullo unquam tempore in judicio aſſiſtere poſſunt, excluſi ſunt ab omni teſtimonio ferendo, qui hujus criminis ſunt rei, criminis ſcil. quod modo nominavimus.

13. Et ſi poſſunt convinci indiciis clariſſimis aut per teſtes, tunc condemnantur, prout hic liber id dictat.

14. Quodſi nec clariſſima adſint indicia, nec teſtes contra ipſos, tunc admitti debet inſtar proborum virorum ad juramentum (purgatorium.)

15. Debet

Ad CAP. XXXVII.

1) *Oder in Kærrin gaunt;* abeſt hoc Codd. impreſſis. in MSC. Vn. Arg. eſt: *in der kerrine.* in Uff. *in der karren.* In Ingelſt. *in der chereien.* In Wurmbr. *in der kärrein.* In Hortl. *in der karrein.* In Jung. *in der kerrien.* In meo: *in der kerrine.* denotatur id quod Scriptores Eccleſ. *Carenam* vocant. de quâ voce vid. du Freſne Gloſſ. Lat. Barb.

2) *Von mutwillen.* Hæc locutio hîc uſurpatur in bono ſenſu, id quod Antiquis non eſt inſolens. Apud Otfr. Ev. III, 13. 5. & ſeq. legitur de Chriſto:

Zalt er in tho follon
Then ſinan muatwillon,
Retulit eis tunc plene
ſuam voluntatem.

conf. eundem III. 20, 272. & paſſim. add. Schilter. Comm. ad Jus Feud. Alem. c. 66. §. 2. *Scherz.*

3) Per *ſchub* intelliguntur *clariſſima judicia*, derowegen man eine ſach recht auff einen *ſchieben kan.* conf. inf. c. 216, 6. & 234, 1. paſſimque. Adde omnino Celebr. Dattium de Pace Publ. lib. 1. c. 1. n. 71. ſqq. ubi ex profeſſo hac de re agit. *Scherz.*

4) i. e.

Digitized by Google

15. Man ſol im dri uual fur tailen, die uuazzer urtail, oder in ainen keſſel vol uuallendez uuaſſerz untz an den elenbogen grifen, oder daz haizz yſen uf der hant ze tragen,

16. Geriht er damit, ſo iſt er der urtail ledig.

17. Haut der ſtrauzrauber den raup vertaune, er muz in zuuiſpilde gelten, und hat man ſin benœtet, er muz in aber zuuivalt gelten, ob er auch gar da iſt.

18. Suuer umb rehten ſtrauzraub in die æht kumpt, und iſt er darinn [6] vierzehen naht, ſo iſt er elos und rehtlos, und ſint ſinem herren ſiniu lehen ledig, er ſi fri oder dienſtman, oder aigen oder ſuuer er ſi, ſo hat er daz ſelb reht.

19. Hat aber er erben die ſin aigen, oder ſin lehen ſulen erben oder ſin gut, die ſulen ſiner untat nit entgelten und gehœrent ſi an ain gotzhus, dem ſol ſin aigen uuerden,

20. Haben ſie varndez gut daz uuerde dem, dem man davon ſol gelten.

21. Daz ſol man dez erſten gelten, den die man beraubet hat,

22. Und gehœrent ſi ainen layen fürſten an, dem uuerde auch ſin aigen.

23. Der Rihter ſol rihten uber den lip, uua im dez ſtat uuirt.

15. *Debet ei per ſententiam relinqui electio triplex an velit ſuſtinere aquæ (frigidæ) judicium, aut brachium usque ad cubitum immittere in Caldarium aquâ bulliente plenum aut ferrum candens manu portare.*

16. *Si uno ex his ſe purgat, tunc à ſententia (condemnatoriâ) liber eſt.*

17. *Quodſi Latro rem raptam conſumſit, duplum ejus debet reſarcire & ſi coactus fuerit ad hoc* (judicialiter) *etiam debet duplum præſtare, licet res illa adhuc extet.*

18. *Qui ob plenum latrocinium proſcriptus eſt, & in ſtatu Proſcriptorum eſt per quatuordecim noctes, ille beneficiis Juris Legumque eſt privatus, & feuda, quæ tenuit, domino directo ſunt aperta, ſive ſit Liber Dominus, ſive Miniſterialis ſive homo proprius, ſive quicunque alius, ſane hoc circa ipſum juris eſt.*

19. *Si autem ille (proſcriptus) habet heredes, qui jus ſucceſſionis habent in bonis ipſius, ſive ſint allodialia, ſive feudalia, ſive alterius naturæ, (mixtæ forte) illi ob ipſius delictum pati nil debent, & ſi* (proſcripti) *illi ſunt homines proprii, Eccleſiæ alicujus, illi Eccleſiæ bona ipſius allodialia cedunt.*

20. *Si hi homines habent bona mobilia hæc dentur iis, quibus (tanquam Creditoribus) aliquid ſolvendum eſt.*

21. *Inde primo ſolutio ſatisfactioque fieri debet illis, quibus bona fuere abrepta.*

22. *Quodſi (proſcripti illi) ſint homines propriî Principis Laici alicujus, illi etiam (ut Monaſteriis) cedunt bona allodialia.*

23. *Judex de vitâ hominis judicet, ubi id faciendî copiam habet.*

CAP. XXXVIII.

Von Dienſtmannez aygen, und von aygener lüt aygen.

DIenſtmannez aygen mag nit komen in den küniclichen geuualt, noch uz ir herren geuualt, noch uz ir gotzhüſer geuualt, ob ſi ſich veruuürken an ir reht, noch aygen, daz vellet ir herren an der aygen ſi ſint,

2. Man ſol aber dem clager da von gelten und bezzern und dem Rihter ſin buz geben, und den luten gelten.

CAP. XXXVIII.

De Bonis Allodialibus Miniſterialium & Hominum propriorum.

MIniſterialium Allodialia non pertinent ad Regem, nec abeunt ex dominio vel illorum, qui Miniſterialium Domini ſunt, vel Eccleſiarum (quarum ipſi ſunt Homines proprii) ſi illi (Miniſteriales) male agendo jus ſuum perdunt; nec etiam aliorum hominum propriorum (ſi forte delinquendo privationem bonorum meruere) bona ad alium perveniunt, quam ad eum, cujus ſunt homines proprii.

2. *Aſt iis, qui Actores ſunt (actionem contra hos inſtituendo vicerunt) ex his bonis præſtari debet ſolutio debiti, & emenda, & Judici multa, & hominibus (aliis) debita ſolvi.*

CAP. XXXIX.

Von unelichen kinden ſtat alhie.

EKint mag der unelich man nimmer geuuinnen,

2. Ge-

CAP. XXXIX.

De illegitimis Liberis hic agitur.

LIberos legitimos ille, qui extra matrimonium vivit, habere non poteſt.

2. *Si*

6) i. e. *quatuodecim dies*, ceu hodie loquimur. Majores noſtros in computatione temporis noctes nominare ſolitos fuiſſe jam ex Tacito notum eſt. *Scherz.*

2. Geuuinnet ain man ainen ſun unelich, den mag der Babeſt uuol ze ainem ekinde machen, und auch der Kayſer nach ſinem reht, alz uuir hernach uuol geſagen.

3. Aber der Babeſt und der Kaiſer mugen daz reht im nimmer geben, daz ſi ir mauge gut geerben mügen, alz ob ſi ekint in ir muter libe uuern geuueſen.

4. Geuuinnent aber ſi kint, die erbent ir mauge uuol, ob ſi ekint ſint gemachet alz (cap. 36. 4.) hievor geſprochen iſt.

2. *Si vir aliquis ſuſcipit filium illegitimum, illum poteſt Papa legitimare, ut & Imperator jure ſuo ceu poſtea ſatis dicimus.*

3. *Sed Papa & Imperator nunquam ipſis jus dare poſſunt ſuccedendi Cognatis, quaſi fuiſſent legitimi in utero matris.*

4. *Quodſi autem ſuſcipiunt (hi illegitime nati) liberos, tunc hi liberi ſuccedunt cognatis, ſi ipſi legitimo in matrimonio fuerint nati, ceu ante dictum.*

CAP. XL.
Der herflühtig uuirt ſtat hie.

SUUer rehtlos ertailt uuirt vor geriht oder herflühtig uz dez Richez dienſt, dem vertailt man ſin erb und lehen reht und nit ſinen lip,

2. Und alſo ob der herre nit ſelber fliuhet, fliuhet aber der herre ſelbe nach dez fluht brichet nieman ſin triuuue.

CAP. XL.
De eo, qui Dominum in Prœlio deſerit.

SI quis in judicio declaratur, quod ſit juris beneficiis indignus aut ex Imperii exercitu (tempore prœlii) aufugit, ille condemnatur ad amiſſionem bonorum allodialium & feudalium; non tamen vitæ.

2. *Hoc (quod de amiſſione bonorum allodialium & feudalium dictum fuit) ita obtinet, niſi Dominus (Imperator aut alius, cui Vaſallus opem fert) ipſe fugâ ſalutem quæſiverit. Nam ſi Dominus ipſe fugit, tum ſubjecti fuga non fiunt rei perfidiæ.*

CAP. XLI.
[1] Ob ain magd oder ain uuittuuue über ir vormunt clagt.

CLaget ain maget oder ain uuituuue über ir Vormünd ze lanttædingen oder vor anderm geriht, daz er ſi ungeuualtig hab gemachet irs aygens oder anderz irs gutz,

2. Und uuirt im darumb fürgeboten ze drien tædingen, [2] der Rihter ſol in [3] balmünden mit urtail, daz iſt geſprochen, man ſol im urtailen al vormuntſchafft und all vogtay, daz er niemans pfleger müg geſin,

3. So ſol der Rihter der frauuen vormunt ſin untz daz ſiu ir ainen genenne, und ſol die frauuen irez gutez geuualtig machen, daz er ſie ungeuualtig het getan,

4. Und kumpt der frauuen pfleger für und uuird er dez überkomen, daz er ir ain ungetriuuer pfleger iſt geuueſen, mit zuuain mannen, ſo riht ez der Rihter, alz daz buch ſeit.

5. Alz

CAP. XLI.
De caſu, ſi Puella aut Vidua actionem Tutelæ vel Curatelæ inſtituit contra Tutorem ſuum vel Curatorem.

QUodſi Puella aut Vidua queritur in Judicio Provinciali, aut alio quodam de Tutore vel Curatore ſuo, quod ipſam privaverit poſſeſſione bonorum ſuorum immobilium aut aliorum.

2. *Et citatus eſt ter ad judicium, nec comparet, tunc Judex debet declarare ſua ſententia illum indignum eſſe, qui Tutelam vel Curatelam ullam gerat, adeoque nullius Tutorem vel Curatorem eſſe poſſe.*

3. *Dein debet Judex Viduæ illius Curator eſſe, donec illa aliquem (alium) nominet, & debet illam mittere in poſſeſſionem illorum bonorum, qua ille (Curator prior) eam privavit.*

4. *Et ſi Curator talis fœminæ in judicium venit, & ibi per duos Teſtes convincitur, quod infidelis fuerit Curator, tum eâ in re judicat Judex ceu in libro hoc (judicandum eſſe) dicitur.*

5. *Cum*

Ad CAP. XLI.

1) Conf. Spec. Sax. lib. 1. art. 41.

2) Inſere ex diverſii MSC. *und kumt er nicht für an dem dritten tag. &c.*

3) Quid: *balmünden* ſit, ipſe textus explicat, eſt à *balmund*, quod *tutorem doloſum*, perfidum denotat, vid. Schottel. de Ling. Germ. lib. 2. 11. p. 66. & du Freſn. in Gloſſ. Lat. Barb. h. v. & Beſold. in Theſ. Pract. h. v. *balo* eſt *dolus* & *mund protectio protector*. *balmünden* eodem ſenſu occurrit cap. 47. 4. *Verbalmunden*, pro *calumniari* occurrit infra c. 165, 23. MSC. Scotorum Viennenſium pro: *balmünden m. u.* habet: *mit Urtheil bannen*. Scherz.

4) Lege

Digitized by Google

5. Alz ain man ze [4] ahtzig iaren kumpt, ſo hat er ſin volle tage, uuil er ſo mag er vormunt nemen, uuil er ſo mag er ſin auch enbern.

6. Aber Künig Karl hat geſetzet hintz fünf.

5. *Cum quis eſt octodecim annorum, tum eſt majorennis: Si vult, poteſt Curatorem ſibi adſciſere; ſi non vult, eo poteſt carere.*

6. *Aſt Rex Carolus ſtatuit (ad hoc ut quis curatore carere poſſit) requiri viginti quinque annos.*

CAP. XLII.

Wie lange der man [2] huſere haben müge.

ALle die uuile und ſich ain man mit ainem ſuuert begürten mag, und uf ain rozz mit ſchilt und mit ainem ſper geſitzen mag, und man im ſetzet ainen ſtock zu dem rozze der ainer [3] düme elle hoch iſt, und man ſol im den ſtegraif haben, und er ain mile geritten mag, ſo mag er haben und lauzzen die uuile mit ſinem gut, alz ob er viertzig jar alt uuære.

CAP. XLII.

Quamdiu quis de bonis ſuis diſponendi facultatem habeat.

QUamdiu ſe vir enſe cingere, & equo cum clypeo & lanceâ inſidere valet, licet ope trunci (qui cubitum in altitudine habet, & ſtapiæ, quam alius tenere debet) ac præterea per ſpatium milliaris equo ire poteſt, diſponendi de bonis ſuis facultatem habet, ac ſi quadraginta tantum eſſet annorum.

CAP. XLIII.

Von Vormünden ſtat hie.

SUUer ſinen Vormunt für geriht nit bringet, ez ſi man oder uuip, die mügen da nit geclagen, ſo ſol in der rihter ainen andern tag geben, untz ſi ir vormunt bringent.

CAP. XLIII.

De Curatoribus.

QUi in Judicium venit ſine Curatore ſuo, ſive ſit maſculus ſive fœmina, illi ibi actionem inſtituere (vel ſuſcipere) non poſſunt. Judex illis debet alium terminum dare, quo cum Curatore appareant.

CAP. XLIV.

Wer anſprach [1] verſinnen müge.

SUUaz varendez gutz iſt, und hat daz ain man in ſiner geuuer driu iar aun reht uuiderſprach bi dem der bi im in dem lande iſt, und ſeit im ſin gut geuuizzende, daz er reht darzu habe, ſo hat er ez mit reht.

2. Seit im aber ſin geuuizzende, daz er nit rehts darzu habe, ſuuie lange erz denne hat, ſo hat erz ze unreht.

3. Und

CAP. XLIV.

Qui Jus rem vindicandi amittant.

SI quis bona mobilia poſſidet per tres annos quiete & ſine contradictione alterius, qui in eadem cum ipſo degit provinciâ, & ipſi conſcientia dictat ipſum juſte rem poſſidere, ille rem jure tenet.

2. *Aſt ſi Conſcientia ei dictat ipſum injuſte rem poſſidere, tum, quamdiu etiam rem poſſederit, nullo jure illam tenet.*

3. *Quodſi*

4) Lege: *abtzeben* juxta omnia, quæ habeo MSC. excepto Arg. min. quod habet: *vierzeben*. quod ipſum tamen cum omnibus fere reliquis etiam pro: *fünf* habet: *fünf und zwanzig*. Cod. Waldn. habet: *fünf und fünfzig*. ſed male. *Scherz.*

Ad CAP. XLII.

1) Conf. Spec. Sax. lib. 1. art. 52.

2) Per *Hausehre* intelligitur: *Jus plenum Patrisfamiliæ*, poteſtas libera de rebus ſuis diſponendi, ceu non tantum ex hoc textu; Sed & Jur. Sax. lib. 1. art. 52. qui in plurimis noſtro concordat, apparet. in MSC. Ambroſ. Ch. titulus ita ſonat: *wie lang der Man hauſs halten und lauffen ſol.* Sed reliqui Codd. noſtro conſentiunt.

3) Vox hæc etiam occurrit in Spec. Sax. art. cit. ſed minus apte à Gloſſatore dicitur: *einer daumellen boch*, hoc eſt: *einer halben ſpannen boch*; Nam hoc verbum: *daum* ſignificat in Linguâ Veteri: *Halb.* ſic intelligitur infra lib. 2. art. 16. rectius in Cod. Uff. in textu noſtro legitur: *eyner dumelen lang iſt und boch. Ein dumelen iſt das man den dumen vor dye elen ſetzen ſol.* Scherz.

Ad CAP. XLIII.

1) Conf. Spec. Sax. art. 42. Lib. 1.

Ad CAP. XLIV.

1) Lege: *verſaumen* ex aliis MSS.

2) *Für*

Digitized by Google

3. Und iſt vihe darunder, und behabt im daz yeman mit reht an allen den nutz der von komen iſt uber die [2] für den ſol er uuider geben.

4. Irret aber den ehaft not, der mit reht erben ſol, dez muz man [3] biten untz er kumpt, ſo ſol man im reht bieten,

5. Suuaz anderz gut da iſt, daz nit varendez gut haizzet, hat daz ain man [4] in ſiner geuuer und in ſiner ſtillen geuuer, bi den, die bi im in dem lande ſint, zehen jar aun reht uuiderſprach, derſelbe mag ez nimmermer, angeſprechen, hat er ez mit der geuuizzende, alz ich hievor geſprochen han,

6. Hat ez ain man zuuaintzig jar in ſiner geuuer vor den luten, die uzzer landez ſint, [5] hat er reht daran, ez enſi daz er iehe, daz er uuære gevangen uzzerhalb landez oder innerhalb landez mag er daz behaben alz reht iſt mit den die ez uuarz uuizzent, ſo ſol man im reht tun umb uuaz er anſprichet.

3. *Quodſi inter has res ſint pecora, quæ jure ipſi aliquis evincit, tenetur poſſeſſor alteri omnem utilitatem, detracto alimentorum pretio, reſtituere.*

4. *Quodſi autem is, qui rerum illarum heres jure eſſe deberet, abſit ob cauſam ſonticam tunc expectandus ille eſt, donec veniat, & tum debet ei in Judicio reſponderi.*

5. *Quod attinet reliqua bona, quæ non ſub bonorum mobilium nomine veniunt, ſi quis eorum aliquod in ſuâ poteſtate & quietâ poſſeſſione habet in præſentia illorum, qui cum ipſo ſunt in eâdem provinciâ, per decennium ſine contradictione legali, tum ille (qui fuerat dominus ejus rei) non amplius poteſt vindicare rem illam, modo tali conſcientiâ rem habeat, quali habendum eſſe (cap. 43, 1.) antea dixi.*

6. *Si quis talis rei, quæ ſpectat ad eos, qui non ſunt in Provincia, poſſeſſionem habeat per viginti annos, tum rem ſibi acquiſivit, niſi ille (qui eam vindicat) dicat ſe vel in vel extra provinciam in Captivitate fuiſſe. Quodſi hoc, uti juris eſt, probare poteſt per illos, qui hoc verum eſſe ſciunt, tum debet ei intuitu illius rei, quam vindicat, jus tribui.*

CAP. XLV.
Der diuphait oder raup unuuizzent kauft.

OB ain man diubigez oder ræubigez gut kauft aun ſin uuitzent, und hat daz in ſtiller geuuer, længer denn driu jar, iſt daz ſin oder niht,

2. UUir ſprechen umb diube oder umb raub geliche ſuuie lange ez ain man inne hat, und kumpt ieman darnach man muz im reht bieten,

3. Kumpt der dez ez da iſt, und bereit ſelb dritte daz ez ſin uuaz da ez verſtoln uuart, oder geraubet uuart, man ſol imz uuider geben, alz gutz alz ez dez tagez uuaz, do er ez do verloz und allen den nutz der da von komen iſt über die fure.

4. Und iſt daz vihe tode in ſiner geuualt aun ſin ſchulde, er ſol imz nit gelten, er ſol im aber den nutz geben den ez ergangen hat alz hievor geſchriben iſt.

CAP. XLV.
De eo, qui rem furtivam aut raptam ignorans emit.

QUodſi quis rem furtivam aut raptam emit ignorans, & illam quiete poſſidet per triennium, an ipſius illa eſt, an vero non?

2. *Reſpondemus eodem modo de re furtivâ & raptâ. Etiamſi aliquis diutiſſime illam poſſederit tamen ſi quis illam vindicat, ei jus ſuum tribui debet,*

3. *Quodſi venit Dominus illius rei* (in judicium) *& probat ſuo & duorum teſtium juramento, quod illa res, cum furto aut rapinâ auferretur, in ipſius fuerit dominio, tum illa in æque bono ſtatu reddi ei debet, in quo fuerat, cum ipſe eam amitteret, & omnis utilitas, quæ inde rediit, deducto alimentorum pretio.*

4. *Quod ſi pecus (furtivum ſc. aut raptum) mortuum ſit penes poſſeſſorem ſine ejus culpâ, tunc poſſeſſor non tenetur Domino pretium ejus ſolvere; debet autem eidem præſtare omnem utilitatem, quæ ex illo provenit, uti ſupra annotatum fuit.*

CAP.

2) *Für (fur)* denotat *alimenta, fuora* pro *cibo, eſcâ, alimentis* apud antiquos ſæpe occurrit. vid. Notk. Paraphr. Pſalm. 58, 16. & 4, 8. & 22. 2. conf. infra c. 315, 12. & 20, & c. 345. in rubr. *Scherz.*

3) *Biten*, pro quo etiam *beiten* legitur, idem eſt ac: *expectare; bita* idem eſt ac *mora.* vid notam meam ad Otfrid. Eu. XI. 14. 116. *Scherz.*

4) C. Uff. *yn ſeiner gewalt und ſtiller geverde.* Scherz.

5) Lege ex MSS. *ſo hat e. r. d.* in Cod. Hortled. aliisque quibusdam hæc poſt vocem: *anſprichet* ſequuntur: *Die Kaiſer und die König die habent gemaine recht* (Uff. *dietz gemeyn recht*) *gemacht, doch habent ſie* (Uff. dye meyſter) *iengere ziel vorher* (nb: *vorher in ſelber* abeſt in C. Uff.) *in ſelber auffgeſetzt an irem gut zu vertigen und zubeſitzen dann die gewonhait nü ſtee das doch nur jar und tag iſt.* (Uff. habet: *auffgeſetzt an ir gute als bye vorgeſchriben ſtet*) *die Kaiſer und die König habent den Swaben beſundere recht geben als hie vor geſchriben iſt von irm gut. Auch haben ſie beſundere recht den Steten verliben und gute gewonhait der doch ain tail an dieſem puch ſtet. Gut gewonhait widerſpricht dis puch nicht gute gewonhait das ſeint gute recht und alſo ſeint auch gute recht gute gewonhait.* Scherz.

Ad

CAP. XLVI.
Wer ze reht pfleger müg geſin.

HIe ſulen uuir ſprehen uuer ze reht pfleger müge geſin.

2. [1] Er ſi fünf und zuuaintzig iar alt.

3. Der kinde und der frauuen pfleger die haizzent etuua pfleger, etuua ſicherboten, etuua vormünde, etuua vogt, etuua behalter, die ſülen alle getriuuue lüte ſin,

4. In der geſchrift ſint ſi beſunder an ir reht, aber an ir [2] layen reht habent ſi ains alz daz ander.

5. Ez mag nieman pfleger geſin noch vogt, noch vormunt, ſuuie alt er iſt, und iſt er nit ſinnig, man ſol im geben ainen andern pfleger.

6. [3] Daz tu man den lantrihter ob ez uf dem lande iſt. Iſt ez in ainer ſtat man ſol im geben, der ſtetherren oder ir vogt, ſo ſol er ir pfleger ſin.

7. Man ſol in ainen geben, der ir genoezze ſi, und ainen der ir vater mage ſi, und in dem lande ſi bi in.

8. Vindet man nit ir vater mage, man geb in ainen ir müter mage, vindet man dez auch nit, man geb in ainen getruuen lantman.

9. So der kneht vierzehen iar alt iſt, ſo mag er ander pfleger nemen, ob er beuuæren mag, daz er im übel getan habe; alſo tut diu magt, ſo ſiu hinz zuuelf iarn kumpt.

10. Ez en mag kain kint under vierzehen iarn aun ſiner pfleger nit getun, daz ſtæt ſi,

11. Vnd haut er auch beraitz gut under handen, ſuuaz ez damit tut, ez iſt nit ſtæt,

12. Kauffet ez, verkauffz ez und iſt ez gut, der pflæger ſol ez ſtæt han, iſt èz im nit gut, man muz im ez uuider tun,

13. Vnd verſpilt ez iht gutez, man ſol ez dem pfleger uuider geben [4] und kumpt ez für geriht.

CAP. XLVI.
Quis Tutor vel Curator jure eſſe poſſit.

NUnc dicendum eſt quis jure Tutor vel Curator eſſe queat.

2. *Nemo poteſt eſſe Tutor vel Curator, niſi habeat 25. annos.*

3. *Qui impuberum, minorum aut fœminarum curam adminiſtrant, illi appellantur alicubi:* Pfleger, *alicubi:* Sicherboten, *alicubi:* Vormünd, *alicubi:* Vogt, *alicubi:* Behalter; *hi omnes debent eſſe viri probatæ fidei.*

4. *Jure Scripto Romano inter eos eſt differentia, aſt Jure Laico (i. e. conſuetudine fori, uſuque Populi) inter ſe hi non differunt.*

5. *Nemo poteſt eſſe Tutor vel Curator, quamcunque ætatem etiam habeat, ſi ipſe eſt mente captus: imò in hoc caſu alius in locum ejus debet ſubſtitui.*

6. *Dari autem debet Tutor vel Curator, ſi Caſus contingit extra Vrbem, coram Judice Provinciali; ſi vero accidit in Vrbe, coram Domino Vrbis, aut ejus Advocato.*

7. *Dandus eſt talis, qui intuitu Nativitatis ipſis (pupillis aut curandis) eſt æqualis, & qui eſt ipſorum Agnatus, ac in eadem terrâ degit.*

8. *Si non reperiatur Agnatus, detur illis unus ex Cognatis, ſi nec talis reperitur, detur ei Tutor probus Civis.*

9. *Cum Puer talis eſt 14. annorum, poteſt alium eligere, qui ipſius curam gerat, ſi probare poteſt, quod ille (quem habuit hactenus Tutorem) male ipſi proſpexerit, idem hoc poteſt facere puella, cum duodecim annos implevit.*

10. *Nullus, qui quatuordecim annos nondum habet, ſine Tutoris auctoritate aliquid, quod validitatem habere debet, facere poteſt.*

11. *Et ſi jam bona quædam in ſuis habet manibus, id tamen quod circa iſta diſponit, validum firmumque non eſt,*

12. *Si quid emit aut vendit, & inde utilitas ejus promovetur, Tutor illum actum ratum debet habere, quodſi inde damnum ſentit hoc ipſum reſarciri debet.*

13. *Et ſi (Pupillus hic) ludendo perdit aliquid hoc Tutori reſtitui debet. Quodſi* (de eo, quod Pupillus ludendo perdidit) *querela defertur ad Judicium aliquod, tum Judici emenda debet ſolvi, & tamen Pupillo amiſſum ludo reſtituendum eſt.*

CAP.

Ad CAP. XLVI.

1) Hunc §. Cod. H. ita exhibet: *es mag nyemant pfleger geſein er ſey dann fünff und zwaintzig jar alt. Quot* (lege: Quod) *ſi perit aliquid de rebus quæ ſunt in ejus tutela dolo vel negligentia tutoris tutorem.* Hic finit Cod. Hortled. verba Latina; ſed in Ambraſiano Pergameno illa ita apparent: *enim reddere oportet.* Scherz.

2) In quibusdam MSS. paucioribus quamvis extat: *Leben-Recht*, ſed rectius legitur: *Layen-Recht*, In Cod. Ambraſ. Chart. legitur: *Layen-Gericht*. eſt autem, uti Schilterus ad hunc textum in MSC. Hortleder. notavit *Jus Laicum* nihil aliud, quam *Jus Populare, conſuetudo fori Teutonici*, cui opp. die *geſchrifft*, i. e. *Jus ſcriptum Romanum.* Scherz.

3) Textus hic in omnibus noſtris MSS. aliquid labis habet. Cod. Uff. verbis paulo mutatis mentem ita exprimit: *Wer eins pflegers bedarff den ſol man ym alſo geben iſt es auff dem lande ſo gee man vor des landes landtrichter, und iſt es in eyner ſtat ſo gee man vor der Stete Richter oder Vogt dye ſollen yn einen pfleger geben, der der kinde und ires Vaters genoſs ſey.* Scherz.

4) Hîc aliquid deeſt in hoc & aliis quibusdam MSS. quod ita ſupplet Cod. Uffenbach. *Und kompt es fur den Richter er muſs es dem richter buſsen und doch das gelt widergeben oder das gut das er dem kinde angewonnen hette.*

Digitized by Google

CAP. XLVII.
Ob ain kint gut verſpilt.

OB ain kint ſint Vater gut verſpilt, die uuile ez nit uzgeſtiuret iſt, und iſt ez under fünff und zuuaintzig iarn, man muz ez dem Vater uuider geben,

2. Vnd kumpt ez über fünf und zuuaintzig iar, da hüt ſich der vater vor, man git imz nit uuider, ez ſi denne alz toerſche alz ich hievor geſprochen han, ob er nit geziuge müge geſin.

3. Ain ſun nœtet uuol ſinen vater mit reht, ſo er fünf und zuuaintzig iar alt iſt, daz er im ſin gut mittailen muz.

4. Tut der pfleger den kinden iht, daz er in ze reht nit tun ſol, daz mag ir muter oder ain ander ir mage uuol vordern an in, oder der lantrichter ob ez uff dem lande iſt. Iſt ez in ainer ſtat, ſo mag ez vordern der ſtetherre oder der vogt [1] muz uuider in antuuürten,

5. Vnd uuirt er uber rait, daz er in übel getan hab an ir gut man ſol in [2] balmünden, daz er nimmer niemans vogt noch pfleger müg geſin.

6. UUirt in ain pfleger gevangen, man ſol in die uuile ainen andern geben,

7. Alz er denn ledig uuirt, ſo ſol er uuider an ſin ſtat ſtan.

CAP. XLVII.
De caſu, ſi filius ludendo aliquid bonorum perdit.

SI filius de Patris bonis aliquid ludendo perdit, antequam à Patre propriis fuerit inſtructus bonis, & nondum habet 25. annos, tunc perditum Patri debet reſtitui.

2. Quodſi filius ille exceſſit 25. annos, cautus eſſe debet Pater; nam id (perditum ludo) *ei non reſtituitur, niſi mente captus ſit ita, ut teſtis, ceu ſupra monui, eſſe nequeat.*

3. Cum filius habet 25. annos, à Patre jure exigere poteſt, ut partem bonorum ipſi det.

4. Quodſi Tutor erga pupillos aliquid agit, quod erga eos jure agere non deberet, hoc nomine Mater ipſorum, aut alius, qui eſt ipſorum cognatus ſatisfactionem petere poteſt, aut Judex Provincialis, ſi extra Urbes caſus contingit; Quodſi hoc evenit in Urbe aliquâ, hanc ſatisfactionem quærere & exigere debet Dominus Urbis, aut ejus Advocatus; & Tutor ille tenetur ideò reſpondere.

5. Et ſi tutor talis convincitur malæ adminiſtrationis, tunc ſententia judicis declarari debet, quod nullo unquam tempore alicujus hominis Tutor eſſe poſſit.

6. Quodſi Tutor in Captivitatem forte redigitur, alius Pupillo interea dandus eſt.

7. Si autem ille ex Captivitate redit, priorem locum iterum debet occupare.

CAP. XLVIII.
Wie aigen lüte frie uuerdent.

NU ob ain uuip ains herren aygen iſt, diu nimet man und uuirt ainez Kindez ſuuanger. Ir herre iſt fri und ſiu uuirt auch fri und ledig, uueder aber daz kint fri oder aygen ſi dez fragen uuir ainen maiſter, der haizzet Marcellus [1], der half dem kunige vil güter reht machen [2],

2. Der ſprichet alſo, daz dem kinde niht enſchade do ez ſin müter enpfieng von dem vater ob ſiu aygen uuaz, git etz got, daz ez geborn uuirt.

CAP. XLVIII.
Quâ ratione Homines Proprii ad Libertatem perveniant.

QUodſi mulier quædam eſt Proprius homo alicujus, nubitque alicui, ex quo fit prægnans, Dominumque habet, qui eſt liber, ipſamque (durante Uteri geſtatione) manumittit, hîc quærimus ex JCto Marcello, qui Regibus in legibus ferendis multum operæ præſtitit, an infans (ex hac fœminâ natus) liber ſit annon?

2. Reſpondet ille, quod infanti id non noceat, quod mater ex Patre ipſius eum conceperit tunc, cum illa eſſet nondum libera, modo ipſe Deo juvante natus fuerit.

CAP.

Ad CAP. XLVII.

1) Lege: *und er mus ime antwurten.* ita MSS. *Scherz.*

2) De hac voce vid. c. 41, 2. *Scherz.*

Ad CAP. XLVIII.

1) Pro: *Marcellus*, lege: *Marcianus.* vid. Inſtit. Juſtin. pr. de Ingenuis. *Scherz.*

2) Cod. Hortl. habet: *der dem König Karl vil guter lantrecht halff machen*, id quod craſſam ſapit ἀνιστορησίαν. *Scherz.*

Ad

Digitized by Google

CAP. XLIX.

Vnd git ſich ain uuip ze aygen, diu fri iſt.

VNd git ſich ain uuip ze aygen diu fri iſt, und treit [1] allebenſt kint, uueder diu kint fri ſien oder aygen.

2. Der maiſter ſprichet alſo, dem kinde ſol ir muter unedelin niht ſchaden e ſi geborn uuerden, [2] uuan alz ſi geborn ſint, in uuelhem reht diu muter iſt, in dem rehte ſint auch diu kint.

CAP. XLIX.

De Muliere Libera, quæ ſe ipſam in hominum propriorum conditionem redigit.

QUodſi fœmina aliqua in propriorum Hominum conditionem ſe redigit, quæ libera fuit, & uterum nunc (tam tempore libertatis, quam ſervitutis) geſtat, quæritur, an infans (natus) ſit liber, annon?

2. *Reſpondet JCtus (Marcianus ſcil.) ita: Infanti matris vilitas (dum deſiit eſſe libera) non debet nocere, illa ſc. quâ laborat antequam infans naſcatur; quando autem tales infantes naſcuntur, tum in quâ conditione eſt mater tempore Nativitatis, in illa etiam ſunt infantes.*

CAP. L.

Von drier hande frien luten alhie.

EZ iſt nieman ſemper fri [1] uuan dez vater und muter, [2] und der vater und muter [3] fri uuaren,

2. Die von den [4] mutern fri ſint geborn, die ſint auch mittern frien.

3. Iſt auch diu muter ſemper fri und der vater mitter fri, diu kint uuerdent auch mitter frien. [5]

4. Ingenuuus, daz ſprichet [6] in laygen der hœhſt fri. [7] Liber der Lantſæzz fri, der hat ieglicher ſunder reht, alz uuir iu hernach ſagen.

CAP. L.

De triplicis generis Hominibus liberis.

NEmo eſt ſemper fri *ſeu in ſummâ Liberorum Hominum claſſe, niſi ipſius Pater & Mater fuerint homines Liberi primæ claſſis.*

2. *Qui nati ſunt ex Liberis mediæ conditionis, illi etiam ſunt* mittelfri *ſeu Liberi mediæ conditionis.*

3. *Si mater alicujus eſt libera primæ claſſis ſeu* ſemperfri, *& Pater eſt homo liber mediæ claſſis, libori ex iis nati erunt Liberi mediæ quoque claſſis.*

4. Ingenuus *in Linguâ Latinâ idem eſt ac homo liber primæ claſſis.* Libertinus *idem eſt ac Liber medii generis.* Liber *idem eſt ac* Lantſaſſius *ſeu incola liber, horum quilibet ſpecialia habet jura, ceu Vobis poſtea expoſituri ſumus.*

CAP.

Ad CAP. XLIX.

3. Quodſi autem alia in parte corporis ſanguinis effuſio ſequatur (excepta ea, quæ virgis fit) tum ipſe debet ſatisfacere & cognatis ejus & judici.

4. Si autem diſcipulum occidit, tum debet ſatisfacere eo, quo ſupra dictum eſt modo.

5. Nemo debet diſcipulis plura, quam duodecim, dare verbera, & quidem omnia ſine malo propoſito.

CAP. CLXXX.
Wenn der vater ſinen ſun von im ſundern ſol.

DEr vater ſol ſinen ſun von im ſundern, alz er fünf und zwantizg jar alt iſt mit alz vil gutz alz er gelaiſten mag alſo daz im daz merer tail belibe,

2. Und tut er dez nit gern der ſun nötet inz mit reht wol mit ſinem Rihter,

3. Und hat der vater nit wan ain kint er git im mit reht wan daz fümftail ſinez gutez,

4. Und hat er mer kinde denn ainz, ſo tailt er mit reht daz im diu driutail belibent und den kinden diu zway tail.

CAP. CLXXX.
Quando pater filium ſuum ſeparare debeat à familia ſua.

PAter debet filium ſuum à ſe ſeparare, quando hic implevit annos viginti quinque, & tantum bonorum ei dare debet, quantum dare poteſt, ſic tamen, ut apud ipſum remaneat major bonorum pars.

2. Quodſi pater hoc facere recuſat, filius ad id eum jure cogit per judicem.

3. Si pater non habet niſi unicam ſobolem, jure ei dat quintam bonorum ſuorum partem.

4. Quodſi autem plures habet liberos, recte cum illis dividit bona, ut ſibi remaneant tres partes (de quinque) & liberi habeant duas partes (de quinque.)

CAP.

Ad CAP. CLXXIX.

1) Lege ex MSC. Hortl. Wurmbr. Arg. maj. meo: *Zu der naſen.* Ingolſtad. habet: *an der naſen.* Uff. *Und machet er ym dye naſen pluten.* Scherz.

2) Wurmbr. Cod. Univ. Arg. & Cod. Argent. maj. *mit ruten.* Scherz.

3) Ambraſ. Ch. *Und alle ane gefehrde.* Scherz.

Ad

CAP. CLXXXI.

[1]Was der zinsman erbet.

EIn zinsman erbet ſinen buwe uf ſinem erbe, ez ſi denn ain man von Ritterz art der ez ſinem wibe ze morgengabe gegeben habe.

2. Wirt ez auch ledik dem herren der nimpt den buuue mit dem lehen der man habé ez ſinem uuip ze morgengabe geben [2] oder nit.

CAP. CLXXXI.

Quid juris acquirat Emphyteuta in fundo Emphyteutico?

EMphyteuta acquirit ſuperficiem ſolo ſuo allodiali impoſitam, niſi ipſe ſit ordinis Equeſtris, & uxori ſuæ illam dedit in morgengabam.

2. *Quodſi fundus talis ſit apertus Domino Feudi, tunc Dominus hic ſuperficiem ſibi vindicat una cum fundo feudali, ſive maritus ille eam uxori dederit morgengabæ nomine, ſive non.*

CAP. CLXXXII.

Von frauuen lipdinge.

HAt ain frauue [1] lipdinge an aygen [2] oder an lehen, ſuuaz buuuez daruf ſtat, ſo ſiu ſtirbet, daz erbet nit [3] ir næhſter mage,

2. [4] Daz aygen uuirt den næhſten magen, daz lehen den herren.

CAP. CLXXXII.

De Uſufructu (dotalitio) quem uxor habet à marito.

SI uxor alicujus habet uſumfructum (à marito) in fundo allodiali vel feudali, tunc ſi illa moritur, ſuperficies ipſi impoſita non cedit ipſius proximis cognatis.

2. *Nam ſi fundus eſt allodialis pervenit ad proximos mariti cognatos; ſi eſt feudalis, pertinet ad Dominum feudi directum.*

CAP. CLXXXIII.

[1]Von lehenunge.

LIhet ain man ain gut ainem andern manne aun underſchaide, ſuuaz daruf buuuez iſt, daz iſt dez mannez mit dem gut

2. Der Herre dinge denne den buuue uz, daz tut er uuol mit reht.

CAP. CLXXXIII.

De conceſſione fundi alteri facta.

SI quis alteri fundum aliquem concedit ſimpliciter, fundus ille cum ſuperficie omni inædificata pertinet ad alterum.

2. *Niſi concedens ſibi reſervaverit ſuperficiem illam; id quod jure facere poteſt.*

CAP. CLXXXIV.

Ditz iſt von ſchepfen.

SUua ſchepfen ſint die muz man ze geziugen han uber alliu dink, diu in der ſtat geſchehrent

2. Aun den totslak und aun diuphait und aun raup.

3. Veruuidert aber der Rihter ze geziug ſin uuider reht iener iſt doch vollkomen an ſinem reht.

CAP. CLXXXIV.

Hoc caput agit de Scabinis.

SI quo in loco ſunt Scabini, debent illi in omnibus caſibus, qui ibidem contingunt, tanquam teſtes adhiberi.

2. *Excepto caſu homicidii, furti, & rapinæ.*

3. *Quodſi vero judex (Scabinus) recuſat eſſe teſtis ſine juſta cauſa, alteri tamen jus ſuum ſalvum manet.*

CAP.

Ad CAP. CLXXXI.

1) Conf. Jus Sax. Prov. lib. II. art. 21.
2) Plerique Codices omittunt voces: *oder nit.* Noſtro textui concordat MSC. Univ. Argent. *Scherz.*

Ad CAP. CLXXXII.

1) Cod. Uffenb. addit: *die witwe iſt.* Scherz.
2) Idem Cod. addit: *oder an erbe oder an leben.* Scherz.
3. Cod. Uff. pro: *ir nahſter mage* habet: *ir meiſterſchafft.* Scherz.
4. Cod. Fſch. *das eygen wirt dem nehſten mage ledic.* Waldn. *das eygen wirt ir mannes nehſte mage ledig.* Scherz.

Ad CAP. CLXXXIII.

1) Conf. Jus Sax. Prov. Lib. II. art. 21. in fin.

CAP. CLXXXV.
Von vierslaht erben.

DIe uuile der man aun uuip nit ſin uuil, uuil er ſo mag er nemen ze rehter e ain ander oder zuuu oder dri oder mer ob im ainiu ſtirbet, daz er ain ander nimpt,

2. In derſelbun uuiſe nimpt ain uuip uuol man.

3. Vnd geuuinnet ſi kint bi in allen die erbent, ſuuaz ſi erben ſulen. [1]

4. Man ſol nieman uz ſiner geuuer uuiſen von gerihtz halben.

5. Vnd iſt er ze unreht in der geuuer, man ſol imz mit rehter clag brechen, da er ſelb ze gagen ſi,

6. Man ſol im fürgebieten ze rehten tædingen, ſo ſol er fürkomen und ſol ſin gut verſprechen alz reht ſi.

7. Vnd kumpt er nit für, ſo vertailt man im die geuuer mit reht.

CAP. CLXXXV.
De quatuor generibus Heredum.

SI quis (qui in matrimonio antea vixerat) non vult extra matrimonium vivere, poteſt ſecundas & tertias & plures nuptias celebrare, ita ut una uxore mortua aliam ducat.

2. *Idem facere poteſt uxor alicujus (mortuo marito.)*

3. *Quæ ſi ex ſingulis liberos ſuſcepit, hi heredes ſiunt illorum bonorum, in quibus ſuccedendi jus habent.*

4. *Nemo judicii auctoritate privandus eſt poſſeſſione ſua.*

5. *Quodſi poſſeſſio ejus eſt injuſta, id ipſi in præſentia ejus per actionem rite inſtitutam eſt probandum.*

6. *Citandus nempe eſt ad judicium rite inſtitutum; quo facto comparere debet, & jus ſuum defendere debita ratione.*

7. *Quodſi contumax eſt in comparendo, poſſeſſio ipſi jure abjudicatur.*

CAP. CLXXXVI.
[1] Von pfenning slahen.

[2] ALle pfenninge ſol man nit verslahen, uuan ſo ain niuuuer herre kumpt,

2. Stirbet aber der herre, oder uuirt er veruuandelt vor drin iarn, die pfenning ſuln doch ſtan, untz driu iar [3] fürkoment.

3. Vnd biutet der münſer ainen falſchen pfenning uz, ſo daz er damit kauffen uuil, oder damit gelten uuil, oder in yemann für gut geben uuil, und iſt ir zuuelf oder mer, ez gat im an die [4] hant, er habe ir dann ſinen [5] ſchup.

4. Vnd dennoch muz er ſuuern, daz er nit enuueſte, daz ſi falſche wærn.

5. Iſt ir ain halbez pfunt oder mer ez gat im an den hals.

6. Iſt er aber der ſelben untat [6] e überſait vor gerihte, man ſol ſinen aid nit nemen.

7. Man ſol im dri uual fürtailn, daz hayzze yſen ze tragen uff [7] blozzer hant, oder in ainen uuallenden keſſel ze griffen untz an den ellenbogen, [8] oder die [9] uuazzer urtail,

8. Gerihtet er nit mit der ainem, man ſol im die hant abslahen.

9. Daz

CAP. CLXXXVI.
Quomodo nummi cudi debeant.

NUmmi nulli debent frangi, niſi cum novus territorii Dominus priori ſuccedit.

2. *Quodſi Dominus hic moriatur, aut alia occaſione ipſi alius ſufficiatur, antequam tres anni (ab eo tempore, quo prior præeſſe cœpit) effluxerint, nummi debent in valore manere, donec elapſum fuerit illud triennium.*

3. *Quodſi monetarius nummos falſos aliis det, cum nempe aliquid emere aut ſolvere vult, aut ob aliam rationem, tanquam genuinos, expendere, eorumque quantitas procedat ad duodecim aut plures, tunc manus ei eſt amputanda, niſi culpam in alium transferre poſſit.*

4. *Quo in caſu jurare tamen debet, quod neſciverit nummos illos eſſe falſos.*

5. *Si nummorum illorum dimidium libram expendit aut plus, tum capitis periculum ipſi imminet.*

6. *Quodſi vere ſimilis delicti jam antea fuerat convictus in judicio, ipſe ad juramentum non eſt admittendus.*

7. *Debet vero judicis ſententia ipſi electio dari, an velit ferrum ignitum portare nudis manibus, an vero brachium uſque ad cubitum caldario, quod aqua ob feruorem bulliente plenum eſt, immittere; an autem aquæ frigidæ judicio ſe ſubmittere.*

8. *Si nullo horum vincit, manus ei amputari debet.*

9. *Hoc*

Ad CAP. CLXXXV.

1) Cod. Uffenb. addit: *als iglichem angeburtt.* Scherz.

Ad CAP. CLXXXVI.

1) Conf. Jus Sax. Provinc. lib. II. art. 26.
2) Impreſſi habent: *alte.* at MSS. noſtra: *alle.* Scherz.
3) Plerique Codd. *uſkoment.* Scherz.
4) Solus Cod. Hortl. legit: *havt.* Scherz.
5) Hortl. *Schübe.* Scherz.
6) Hortl. & Wurmbr. *vormals bewärt.* Scherz.
7) Meus Cod. habet: *beslozzener hant.* Scherz.
8) Cod. Uff. addit, *und eynen ſtein auf dem bodem auffheben der als groſz ſey als ein eybe.* Scherz.
9) Wurmbr. vitioſe habet: *wachsurtail.* Scherz.

10) Ad-

Digitized by Google

9. Daz reht iſt niur der münzzer. [10]

10. Suuer an ſinem rehten vollekomen iſt, und vindet man bi dem ainen ſchilling falſcher pfenning oder minner oder mer, man zerſnidt im die pfenning, und git im diu ſtuck uuider.

11. Iſt ir mer denn fümf ſchilling, ez gat im an die hant, er hab ir denn ſinen ſchup.

12. Velſchet ain münzzer ſin pfenning und behaltet ſi nit nach ir reht, die uuile mag er nieman falſchez gezihen, [11] da er uuandel umb tun ſule.

13. Pfenning ſol der münzzer behalten alz gut und alz ſuuer, alz man ſi ſetzet [12] und tut er dez nit, man ſol über in rihten [13] alz über ainen valſcher.

14. Nieman ſol dehainen pfenning ſlahen, der dem andern gelich ſi, ſi ſulen haben ſunder [14] gebræch, ſuuer ez darüber tut, er ſi herr [15] oder arm man, der iſt ain velſcher.

15. Nieman mag er heben [16] niuuuen markt noch niuuue münzze, uuan mit dez herren uuille, in dez geriht ez lit,

16. Dannoch mag ez nit geſchehen, da ſende der künig ſinen hæntſchuh zu, daz iſt darumb geſetzt, daz [17] die lüte daz uuizzen, daz ez ſin uuille ſi.

17. Suuenn man die pfenninge verbiutet [18] vierzehen tag darnach ſol man mit den alten pfenningen gelten, und pfant lœſen

18. Aun umb die Juden, da ſol man pfant von lœſen [19] vier uuochen.

19. Suuer darnach da mit kauft und verkauft, dem ſol man die pfenninge zerſniden, und diu ſtuk uuider geben.

20. Alle pfenning, die man ze tutſchen landen sleht, die ſuln ze reht pfündig ſin und uuiz.

21. Nu geſtaten die Künige, daz man ſi anderz sleht, und tunt daran uuider reht.

9. *Hoc jus tantum obſervatur circa Monetarios.*

10. *Qui eſt homo integræ famæ beneficiorumque juris compos, illi, ſi apud ipſum deprehendatur quantitas nummorum falſorum ſolidum æquans, vel major vel minor, nummi iſti diſſecantur, ita tamen, ut fragmenta ei reſtituantur.*

11. *Si majorum horum eſt quantitas, quam quinque ſolidorum, tum amputationis manus reus eſt, niſi culpam hanc in alium poſſit rejicere.*

12. *Si Monetarius ferit nummos falſos, nec eos in ſtatu legitimo relinquit, tunc non poteſt falſi alios accuſare ad eum effectum, ut eo nomine ſatisfactionem præſtare teneantur.*

13. *Eâ in bonitate ac pondere, quæ (à Superiori) fuere definita, Nummos relinquere debet Monetarius. Id ſi non facit, debet condemnari, ut falſarius.*

14. *Nemo cudat Monetam alterius Domini Monetæ ſimilem (quod characterem) quodlibet nummorum genus debet habere proprium & ſingularem characterem; qui contra hoc facit, ille eſt falſarius, ſive dives, ſive pauper ſit.*

15. *Nemo poteſt inſtituere novum forum rerum venalium, aut novam cudere monetam, niſi cum conſenſu Domini, in cujus territorio id introducere deſtinavit.*

16. *Nec ſufficit tamen Domini territorii conſenſus, niſi Rex mittat chirothecam ſuam (teſtandæ approbationis cauſâ) quod ideo ſtatutum eſt, ut ſciatur, Regem, ut id fiat, velle.*

17. *Si nummorum aliquod genus in commercio adhiberi prohibetur, tum adhuc per quatuordecim dies nummis illis probibitis ſolutio fieri, & pignora relui poſſunt.*

18. *Excepto caſu, ſi quis Judæis debeat, quippe à quibus per quatuor ſeptimanas pignora relui poſſunt.*

19. *Si quis hoc tempore elapſo nummis illis in emendo vel vendendo utitur, debent diſſecari & fragmenta ipſi reſtitui.*

20. *Omnes nummi qui in Germanicis terris cuduntur, debent juſtum habere pondus & candido eſſe colore.*

21. *Aſt nunc permittunt reges (Germaniæ) ut alio modo cudantur, quo ipſo contra jus agunt.*

CAP.

10) Addunt Cod. Hortl. & Wurmbr. *und umb ettlich als auch vorgeſchriben iſt.* Scherz.

11) Fſch. *darumbe er buzze liden durfe.* Scherz.

12) Fſch. addit: *unde gelichwiz.* alii habent: *und zu glicher wiſe.* Scherz.

13) Cod. Fſch. Hortl. Univ. Argent. meus: *in der uuiſe als umbe* (quidam habent: *über*) *falſche pheuninge.* cum hoc verſu in Cod. Argentin. maj. finitur caput. *Scherz.*

14) Fſch. *gemele.* Hortl. *gemelde.* meus: *gemelcze.* Ingolſt. *zaichen.* Uff. *zeychen oder gemelde.* Scherz.

15) Cod. Hortl. & Wurmbr. addunt *reich oder arm.* Scherz.

16) Solus Cod. Univ. Arg. habet: *inwendig marg noch inwendig minſe.* Scherz.

17) Cod. Fſch. Univ. Argent. Hortl. Uffenb. Wurmbr. Ingolſt. meus: *lantlüte innen werden.* Scherz.

18) Plerique: *vierzeben nacht.* Scherz.

19) Cod. Jung. Univ. Arg. Fſch. Wald. meus: *über vier wochen.* Scherz.

CAP. CLXXXVII.

[1] Wie man zœll ze reht geben ſol.

SUuer [2] brüggen zœll oder uuazzer zœlle hinfüret mit uuiſſende, der ſol im vierualt gelten, ob ieman da iſt der in vorder.

2. Vnd iſt da nieman der in vorder, der kaufman ſol driſtunt ruffen nach dem zolner, ſo er allerlüteſt mag.

3. Vnd iſt nieman da ſo var er [3] für ſich. Vnd kumpt er hinuuider und vordert der zolner ſinen zol er ſol im in geben mit ienem.

4. Vnd ſchuldiget er in er hab im ſinen zol verfürt, dez ſol er ze den hailigen ſuuern, daz er im [4] geruffet hab, er ſol nit geziuge darumb laiten.

5. Man nimpt an manger ſtat zol [5] da nit lüte geſezzen ſint.

6. Suuer [6] in arge zol verfüret der ſol geben [7] drizig [8] ſchillinge:

7. Tut er aber [9] alz hievor (℣. 2. h. c.) geſchriben iſt, ſo iſt er ledig.

8. Suua uuazzerzœlle ſint, da müzzen vier füzgengel [10] ainen pfenning geben, der ritent ainen helbling [11], der geladen uuagen vier, heruuider nit er ſi geladen oder nit.

9. Pfaffen und Ritter und allez ir geſinde und ir gut ſuln uueſen zolles fri,

10. [12] Suua er bedarf brugge [13] noch ſchef, ſuuer yeman darüber zollet, der tut uuider reht.

CAP. CLXXXVII.

Qua ratione in vectigalibus ſolvendis recte incedendum ſit.

QUi portorium ob tranſitum pontis aut transvectionem fluminis ſciens prudensque non ſolvit, tenetur quadruplum præſtare, ſi quis aderat, qui id ipſum ab ipſo exegit.

2. Quod ſi nemo illud exigat, mercator (viator) ter advocare debet publicanum voce, quantum poteſt, clariſſima.

3. Quodſi nemo, (qui vectigal accipiat,) apparet, pergat in itinere, ſi autem redit, & publicanus vectigal exigit, debet illud ſolvere cum priori.

4. Si publicanus ipſum accuſat, quod prius vectigal non ſolverit, tunc debet jurare per ſanctos, quod ipſum ter clamando advocaverit.

5. Multis in locis vectigal exigitur, ubi nulli homines habitant,

6. Qui vectigal forenſe non ſolvit, debet ſatisfacere triginta ſolidis.

7. Quod ſi autem ea fecit, quæ ſupra ſcripta ſunt, nihil tenetur ſolvere.

8. Ubi vectigalia ob transvectionem fluminis ſolvenda ſunt, ibi pedites quatuor tenentur præſtare unum denarium, eques unus dimidium denarium, currus onuſtus quatuor denarios nec plus, idem obtinet in curribus non onuſtis.

9. Clerici & equites ut & illorum famuli ac res immunes debent eſſe à vectigalibus.

10. Ubi quis ponte aut nave opus non habet, ibi ſi vectigal exigitur, contra jus agitur.

CAP. CLXXXVIII.

[1] Jus Municipale.

EZ ſol nieman kain obs vailes uf daz uelt füren, er treit ez daruf uuol in ainer [2] krœntzun,

2. Vnd

CAP. CLXXXVIII.

Jus municipale.

NEmo poma aliosque fructus arboreos debet vendendi cauſa extra urbes in agrum transportare, alia ratione, quam ſi eos portet in corbe doſſuaria,

2. *Nec*

Ad CAP. CLXXXVII.

1) Conf. Jus Prov. Sax. lib. II. art. 27.
2) Hortl. *purgzœll.* ſed male. *Scherz.*
3) Omnia fere MSS. noſtra habent hîc: *Got ergeben.* Ingolſt. *Got enpholen.* ubique deſunt verba: *für ſich.* Scherz.
4) Uffenb. & Ingolſt. addunt: *driſtunt.* Scherz.
5) Hortl. & Wurmbr. addunt: *und auch gelayt.* Scherz.
6) Omnia MSS. habent: *Marktzoll;* quod etiam eſt in Jur. Prov. Sax. *Scherz.*
7) Cod. Ambraſ. perg. ſolus habet: *drizeben.* Scherz.
8) Cod. Univ. Arg. ut & Mon. Scotor. Vienn. *ſchilling pfenninge.* Scherz.
9) Hortl. & Wurmbr. *als hievor geſprochen iſt,* das er drey *ſtunt ruffet.* Fſch. habet: *ruffet aber er driſtunt als jezu gereit iſt.* Scherz.
10) Wurmbr. & Hortl. addunt: *oder etwa zween.* Scherz.
11) Fſch. habet: *halben.* conſentiunt alii. Wurmbr. & Hortl. addunt: *ſo geyt er auch etwa nichtz.* Scherz.
12) Cod. Uffenb. Wurmbr. Hort[l]. Argent. major verſum hunc ita incipiunt: *Ain yegelich man ſol weſen zolles frey wa er nit bedarf.* conſentit M&C. Scotor. Vienn. ubi tamen eſt: *mautfrey.* Scherz.
13) Bitſch. & Hupf. habent: *noch ſtege.* Scherz.

Ad CAP. CLXXXVIII.

1) Hoc caput in nullo alio noſtrorum MSS. extat. *Scherz.*
2) *Krœntzun*, idem eſt ac noſtrum: *kräz*, quod *corbem doſſuariam* denotat, hinc *krätzenträger* dicitur, qui pro mercede res oblatas tali in corbe portat. Galli illam *botte* vocant. *Scherz.*

3) Hac

Digitized by Google

2. Und ſol ez auch niur umb pfenning geben, und umb kain korn,

3. Suuer ez daruber tut, alz dick und er ez tut, ſo iſt er dem vogt ſchuldig fünf ſchilling ze galtnüzz.

4. Und hat er der pfenning nit ze geben, ſo ſol man in an der [3] ſchraiat slahen, daz iſt reht.

2. *Nec debet illa alienare pro frumento ſed tantum pro pecunia.*

3. *Qui contra hoc facit, quotiescunque id fiat, toties debet Advocato ſolvere quinque ſolidos multæ nomine.*

4. *Si nummos, unde ſolvat, non habet, debet collocari ad columnam, ad quam alii rei publico riſui exponi ſolent, id quod juſtum eſt.*

CAP. CLXXXIX.

[1] Von gelait allhie.

EIn ieglich man iſt gelaitez fri, ſuuer ſinez gutez geneſen [2] wil, dehain gelait iſt reht,

2. Iſt aber unfride in dem land und mütet ain kaufman gelaitz, daz mag im ain herr geben,

3. Man gebe dem herren oder nit, er ſol im doch ſinen ſchaden abtun,

4. Uuaz dem kaufman ze ſchaden geſchiht, den ſol im der gelten der in bolaitet.

CAP. CLXXXIX.

De Conductu.

QUilibet homo immunis eſt ab onere ſolvendi pecuniam pro conductu, ſi mercibus ſuis nihil ob conductum velit decerptum, easque periculo exponere; quo in caſu exactio pro conductu eſt iniqua.

2. Si in regione, quam quis tranſit, bellum viget, & mercator (viator) conductum petit, hunc ei Dominus territorii concedat.

3. Sive Domino huic aliquid pro conductu datum fuerit, ſive non (cum conſenſu tamen ejus) ipſe tenetur viatori damnum acceptum reſarcire.

4. Quicquid enim mercatori damni obtigit, eo nomine ille, qui eum conduxit, ſatisfacere tenetur.

CAP. CXC.

[1] Der uber [2] ſant vert.

SUuer unrehten uueg uert uber gebuuuenz lant, der ſol ie von dem rade ainen pfenning geben. Und der ritent man, [3]

2. Darumb mag iener uuol pfenden dez daz velt iſt [4] aun den Rihter.

3. Und uuerent ſi daz pfant, da tunt ſi uuider reht,

4. Und koment ſi für geriht, und hetent ſi daz pfant geuuert, ſi uuetten dem Rihter dri ſchilling [5] oder mer, ye nach guter geuuonhait,

CAP. CXC.

De eo, qui per agros cultos iter facit.

QUi via prohibita per agros cultos currum transvehit, pro qualibet rota debet ſolvere denarium, & qui equo tranſit denarium unum.

2. Hujus rei cauſa is, ad quem agri pertinent, poteſt ab altero pignus capere citra Judicis concurſum.

3. Si reſiſtunt pignus capienti, contra jus agunt.

4. Et ſi in jure comparent, poſtquam pignus capere volenti reſtiterunt, debent Judici multæ nomine tres ſolidos ſolvere, aut plus etiam pro conſuetudine regionis,

3) Hac voce, quæ etiam infra occurrit, videtur denotari lapis ille infamis, ad quem damnati conſpiciendi ac deridendi collocantur, quod hîc Argentinæ illis obvenit, die an das *halseiſen* oder *laſterſtein* geſtellt werden. Belgæ *kaeke*, Galli: *carcan* appellant. in Jur. Prov. Bavar. quod ſubjunctum eſt MSC. Hortlederiano fol. 131. b. 1. nominatur: *ſchrayet*. in Jure Auguſtano antiquo ſæpius legitur: *einen an den* ſchrayat *ſchlagen*, in eod. Jure c. 451. dicitur: *iſt aber daz der Stock zergaut oder der galge bey wellichs vogtz zeitten daz geſchicht der ſol es wider bæwen, es ſey ſtock*, ſchreyat *oder galg*. Scherz.

Ad CAP. CLXXXIX.

1) Conf. Jus Prov. Sax. lib. II. art. 27.

2) Cod. Univ. Argentin. Waldn. Argentin. maj. & min. Fſch. Hortl. Jung. habent: *genenden*, quod *frui* ſignificat. vid. notam meam ad Otfrid. I. 2, 24. Uff. legit: *genyſſen*. Wurmbr. *geverde*. in Hupf. & Bitſch. eſt: *wagen*. quam vocem etiam habet Jus Prov. Sax. quæ optime quadrat, poteſt tamen & retineri *geneſen*, vel *genenden*, ut mens ſit: ſi quis mercibus ſuis nihil (ob conductum) decerptum velit, ſed iis integris frui deſideret vel cum periculo. *Scherz.*

Ad CAP. CXC.

1) Conf. Jus Prov. Sax. lib. II. art. 27.

2) Lege: *ſaat*, ex MSS. Univ. Argent. Ingolſt. utroque Argentin. meoque; ubi: *der über ſat vert*. Cod. Fſch. & Hortl. habent: *der über gebawtes lant vert*. Jus Prov. Sax. exhibet: *über geabren land*.

3) Adde ex Cod. Argent. maj. Fſch. Uffenb. *einen pfenning*. Jus Prov. Sax. habet, *einen halben*. Scherz.

4) Cod. Wurmbr. & Hortl. *an den gepütel*. MSC. Scot. Vienn. *ohn des Richters botten*. Scherz.

5) Addit Cod. Ingolſt. *der kurzen*. Scherz.

hait, Und müzzen ienem ſinen ſchaden [6] zuuiſpilde gelten.

CAP. CXCI.

[1] Der holtz gras oder viſch ſtilt.

[2] SUuer holtz oder hœuue oder graz ſnidet, oder viſche in ainez andern mannez [3] uuage ſtilt, der ſol geben dri ſchillinge,

2. Und uuert er pfant, man ſol uber in rihten, [4] als hievor (conf. cap. 190. 4.) geſchriben ſtat.

3. Viſchet er mer denn driſtunt darein, oder hauuet er holtz daz gebannen iſt, oder hauuet er berende baum ab, oder grebt er ſtain uz, die ze markſtainen geſetzet ſint, man ſol im ſhute und haare abslahen oder er ſol ez lœſen mit drizig ſchillingen. [5]

4. Und ſuua man in vindet, man ſol in uſhaben untz an den Rihter.

CAP. CXCII.

[1] Ob erz bi der naht tut.

[2] SUuer [3] bi der naht ſtilt man ſol in hahen,

2. Tut er ez dez tagez, ez gat im ze hut und ze hare.

3. [4] Jeglichez uuazzerz flutz iſt gemain ze varen und ze viſchen.

4. Die viſcher ſuln auch nit daz uuazzer nieſſen, uuan alz verre, ſo ſi ainoſt [5] mit dem netze geſtrichen mügen [6] uz dem ſcheffe.

nis, & tenentur laeſo damnum reſarcire dupli praeſtatione.

CAP. CXCI.

De eo, qui lignum, gramen, aut piſces furatur.

QUi lignum aut fœnum aut gramen (alienum) reſecat, aut piſces in alterius rivo furatur, debet multæ nomine ſolvere tres ſolidos.

2. *Quod ſi hic reſiſtit pignus capere volenti, debet condemnari, ſicut ſupra ſcriptum eſt.*

3. *Quod ſi ſæpius quam ter ita furtive piſcatur, aut cædit arbores ſingulari interdicto munitas vel frugiferas, aut effodit lapides terminales, debet fuſtigari, aut ſe liberare triginta ſolidis.*

4. *Et ubicunque nocens hic reperitur, debet prehendi, donec Judici tradi poſſit.*

CAP. CXCII.

De eo, qui hæc (quæ in priori capite nominata ſunt) facit nocturno tempore.

QUi nocturno tempore furatur, debet ſuſpendi,

2. *Qui id facit interdiu, fuſtigationem ſuſtinere debet.*

3. *Quilibet fluvius eſt res communis ratione vecturæ & piſcationis.*

4. *Piſcatores aquis ulterius uti non debent, quam quo reti pertingere poſſunt ex navi.*

CAP.

---

6) Argentin. min. & Waldn. aliique: *zwifolt gelten.* Ingolſt. *mit zwiſpild puzzen.* Major Argentin. *ſinen zwiuveltigen ſchaden gelten.* Scherz.

Ad CAP. CXCI.

1) Conf. Jus Sax. Prov. lib. II. art. 28.
2) Cod. Ambraſ. Perg. *wer verpanntes holz.* Scherz.
3) Quidam Codd. *waſſer.* Scherz.
4) Fſch. *als der über gebawenz lant da vert.* Scherz.
5) Hortl. addit: *etwo iſt es zeben pfunt der in einem pauholtz bawet.* Wurmbr. *der in einem pauholz ſlecht.* Scherz.

Ad CAP. CXCII.

1) Conf. Jus Prov. Sax. lib. II. art. 28.
2) In Cod. Wurmbr. verſ. 1. & 2. cohærent præced. capiti. Reliqua autem deſunt. *Scherz.*
3) In omnibus fere MSS. noſtris legitur: *wer aber des nachtes gemätes graſz oder gebawen holz ſtilt, man ſol über in richten mit der wid.* Cod. Uffenb. hæc ultima ita legit: *mit dem galgen oder mit der wid.* Jus Sax. Prov. etiam habet: *mit der wyde.* Twinger. in Vocab. Latino-Germ. Reſtis, *wid*; Reſticula, *widelin*, olim enim vinculis ſalignis appendebantur rei infelici arbori. Hinc Gallorum Formula: *à peine de la hart.* Scherz.
4) §. 3. & 4. abſunt à Cod. Hortleder. in MSC. Scotor. Vienn. hîc incipit novum caput ſub rubricâ: *von Viſchern.* Scherz.
5) Cod. Fſch. *mit der ſegen oder mit dem netz.* Scherz.
6) Hæc verba abſunt à Cod. Argent. Min. ſed apparent in reliquis MSS. *Scherz.*

Ad

CAP. CXCIII.

Der mit der hut giltet, der ſol nit mer.

SUuaz ieman erbez anvellet, daz [1] haizzet *Erbgut*, und von der ſippe.

2. Suuer vor geriht ſinen lip veruuürket, die næhſten erben erbent ſin gut, dem Rihter ſol ſinez gutz nit uuerden, uuan von im gerihtet iſt alz reht uuaz,

3. Hat er dez clagerz gutz iht inn, iſt er da zegagen, man ſol imz uuider geben.

4. Und hat er ez vertan, man ſol ez zuuiſpilder [2] gelten von dem gut daz er hinder im lat.

CAP. CXCIV.

[1] Vindet man bi ainem diubigz oder ræubigez gut.

VIndet man bi ainem diubigez oder ræubigez gut, und iſt er da nit dez ez da uuaz, der Rihter ſol ez behalten iar und tag, ob ieman kum der ſich mit reht darzu ziehe, dem ſol erz uuider geben.

2. Und kumpt nieman inr Jar und inr Tag darnach, er ſol ez zu ſinem nutz legen, der Rihter ez enſi denn daz ieman ehaftiu not irrte.

CAP. CXCV.

[1] Der ſelb tu, der hab auch ſelb.

NIeman mag ainz andern mannez gut veruuürken, der ez in ſiner geuualt. [2]

2. Sinz ſelbez lip und gut veruuürkt er uuol.

3. Und tut ain man uuider daz reht iht und kumpt er umb ſin gut.

4. Und hat derſelbe man ainen kauf gekaufet umb ainen andern man, und hat im den nit vergolten, und iſt dannoch unveruuandelt man ſol ienem ſin gut uuidergeben, [3] daz iſt gotz reht.

CAP. CXCIII.

Qui corpore luit, ille ad plus non tenetur.

NOn omnia bona, quorum quis ſit heres, eſt Erbgut, *ſed illa quorum quis jure Cognationis factus eſt heres.*

2. *Si quis in judicio ad mortem fuit condemnatus, ejus proximi cognati hæreditatem ipſius acquirunt, nihil autem bonorum ejus Judici cedit, quando de illo, ut jus exigit, fuit judicatum.*

3. *Si condemnatus hic aliquid poſſidet ex bonis accuſatoris, ipſi ſi copia ejus habetur, id reſtitui debet.*

4. *Quod ſi autem reus id conſumſit, debet alteri duplum præſtari ex bonis, quæ ipſe reliquit.*

CAP. CXCIV.

De caſu, ſi apud aliquem res furtiva aut rapta invenitur.

SI apud aliquem res furtiva aut rapta invenitur, & domini illius rei copia non habetur, tum Judex eam aſſervare debet per annum & diem, ut videat, an aliquis veniat, qui jure illam vindicet; quodſi talis venit, illa ei reſtitui debet.

2. *Si autem nemo intra annum & diem veniat, ut illam vindicet, judex illam ſibi retinere poteſt, niſi is (qui jus vindicandi habet) cauſâ ſonticâ impeditus fuerit, quo minus intra hoc tempus vindicaret.*

CAP. CXCV.

Nemo poteſt ſuo delicto facere, ut alter (innocens) vitam vel bona ſua jure amittat.

NEmo poteſt delicto ſuo facere, ut alter bonis ſuis, quæ poſſidet, privetur.

2. *Aſt vitæ propriæ & bonorum ſuorum amiſſionem quis procurare poteſt delicto ſuo.*

3. *Quod ſi quis contra leges delinquit, bonisque ſuis ideo exuitur,*

4. *Contigitque, ut ille antea aliquid ab alio emerit, cujus pretium nondum ſolvit, quodque adhuc extat, tum illi (venditori) res vendita debet reſtitui; hoc eſt juris divini.*

CAP.

Ad CAP. CXCIII.

1) Cod. Fſch. habet: *haizzet nibt gar erbgut, wan daz von ſippe darkomet.* meus legit: *h. n. g. e. wan daz zu ſiget von der ſippe das heiſſent nit erbegut.* ita & Waldn. & Arg. major ac min. Hortl. Univ. Arg. ſed præferenda videtur Lectio Feſchiana.

2) Plerique Codd. *zwifaltig.* Scherz.

Ad CAP. CXCIV.

1) Conf. Jus Prov. Sax. lib. II. art. 31.

Ad CAP. CXCV.

1) In Fſch. Cod. rubrica ſic legitur: *Der des andern gut verwürcket.* Hortl. habet: *nyemant mag des andern leib oder gut verwürcken.* Scherz.

2) Adde: *bat* ex omnibus MSS. noſtris. *Scherz.*

3) Cod. Uffenb. habet: *das iſt gute und Gotes recht er habe ym dan vil daran gebenn das ſol er wider geben.* Scherz.

Digitized by Google

CAP. CXCVI.
Diſiu uuort ſprach Got ſelb.

DIſiu uuort ſint von geriht, diu ſprach Got ſelbe uz ſinem munde uuider Moyſen under ſiniu augen.

2. [1] Er ſprach du ſolt alſo rihten haizzen.

3. Sleht ain man den andern ze tode, man ſol in auch tœten.

4. Suuer ſinen uater oder ſin muter tœtet, den ſol man auch tœten.

5. Suuer ain lebendigez menſch verſtilt, und daz verkaufet, man ſol in auch tœten.

6. Wundet ainer den andern und nit ze tode, man ſol im ſinen ſchaden büzzen nach uuiſer lüte rat, und ſol dem artzat lonen.

7. Suuer ſinen [2] kneht oder ſin diener sleht mit gerten ze tode, und ſterbent ſi im under ſinen handen, er iſt dez todez ſchuldig, lebent ſi aber darnach ainen tag oder zuuen oder mer, er iſt dez todez nit ſchuldig. [3]

8. [4] Zeredent ſich zuuen man mit anander, ir ainer hat ain tragendez uuip, [5] diu uuil irem man helfen, diu uuirt geſtœzzen alſo hart, daz ſiu ain unzitigez kint geuuinnet, er ſol [6] ir manne geben ſuuaz er uuil, oder uuaz er hat, oder an die lüte lauzzen ob er uuil. Stirbet aber ſiu, man ſol im ſin leben nemen.

9. Man ſol auch rihten auge umb auge, zan umb zan. [7]

10. Brennet ieman den andern an dem lip, man ſol in hin uuider bren. [8]

11. Suuer ſinem aigenn kneht [9] ain auge uzsleht oder uzbrichet, er ſol in fri lauzzen. Sleht er im ainen zan uz, er ſel dazſelb tun.

12. Stichet ain ohs ainen man ze tode mit ſinen hornen, man ſol den ohſen mit ſtainen [10] vermuren, und man ſol dez fleiſchez nit ezzen, uuan ez iſt unrain, [11] und uuaz dem ohſen alſo an ſinen hornen daz ſi ſchædelich uuaren, und uuezzet er daz uuol dez der ohſe uuaz, er kumpt ſin in groz ſchulde, alz uuir hernach beſchaiden, ſint aber ſi [12] abgeslagen ſo iſt er unſchuldig.

13. Er-

CAP. CXCVI.
Hæc verba Deus ipſe effatus eſt.

HÆc verba agunt de judiciis & fuere ore Dei pronunciata Moſi in faciem.

2. *Ille (Deus) dixit: Jube, ut hac ratione in judicando procedatur.*

3. *Si quis alterum occidit, ipſe quoque occidatur.*

4. *Quì Patrem aut matrem occiderit, ille etiam morte plectatur.*

5. *Ille quoque interfici debet, qui vivum hominem ſurripit, eumque vendit.*

6. *Si quis alterum vulnerat, ſed non lethaliter, debet læſo ſatisfactio præſtari à lædente ex conſilio hominum ſapientum, & idem debet Medico honorarium pro curatione ſolvere.*

7. *Qui ſervum aut famulum virgis cædendo ipſum necat, ita ut ſtatim decedat, ille mortis reus eſt; ſi autem ſuperſtes eſt ille, qui cæſus eſt, per unum aut duos aut plures dies, dominus mortis reus non eſt: non eſt tamen à crimine immunis.*

8. *Si duo inter ſe rixantur, & unus eorum habet uxorem prægnantem, quæ, dum marito ſuo opem ferre nititur, tam graviter læditur, ut partum immaturum edat, tum ille (lædens) debet marito ejus dare, quantum ille (maritus) voluerit, aut quantum habet, aut quantum alii definiverint, ſi ille (maritus) hoc aliis definiendum reliquerit. Si autem illa Uxor inde moritur, huic quoque (lædenti) vita eſt tollenda.*

9. *Debet etiam in judicando ſic incedi, ut oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, pes pro pede lædenti auferatur.*

10. *Si quis alterius corpus igne lædit, id ipſum ei quoque fiat.*

11. *Si quis ſervo ſuo proprio aut ſervæ oculum excutit, aut exſcindit, debet eos manumittere. Idem facere tenetur, ſi dentem ei excutit.*

12. *Si bos (cornupeta) aliquem cornibus ſuis occiderit, debet lapidibus obrui, nec caro ejus edi debet, quia eſt, impura. Et, ſi bos quoad cornua ita comparatus eſſe cœperit, ut iis nocuerit, idque dominus ejus ſciverit; magnæ culpæ reus eſt, ceu infra dicemus, quod ſi vero cornua ei fuerint reſecando diminuta, ipſe Dominus nullius culpæ eſt reus.*

13. *Si*

Ad CAP. CXCVI.

1) In omnibus Codd. MSS. & impr. hic verſus ita legitur: *er ſp. d. s. alſo rihten und ſolt dinen Rihter alſo rihten haizzen.* Cod. vero Univ. Argent. habet: *du ſolt alſo rihten.* Scherz.

2) Hortl. Wurmbr. Univ. Argent. Argentin. uterque. Fſch. *knebt oder ſin maget.* Waldn. & meus: *Knecht oder ſin dirne.* Uffenb. *knecht oder dyner oder maget.* Scherz.

3) Omnes Codd. MSS. excepto MSC. Univ. Argent. addunt: *des laſters iſt er ſchuldig.* Scherz.

4) Alii: *zerwerffent.* Uff. *slaben.* Cod. Univ. Arg. *zerſtoſſent.* Hupf. & Bitſch. *krigent.* Scherz.

5) Addunt reliqui Codd. *die lauffet zu.* Scherz.

6) Lege: ex MSS. *irem.* Scherz.

7) Omnia MSS. addunt: *hant umb hant, fus umb fus.* Scherz.

8) Lege: *brennen*, ex omnibus MSS. Scherz.

9) Fſch. addit: *oder ſiner dirnen.* Scherz.

10) Cod. Fſch. Hortl. Wurmbr. *verrünen*, Cod. Univ. Arg. *verwerffen.* Ingolſt. *erwerffen.* Uff. *erwerffen ein teyl ſagen vermawern.* Hupf. *mit ſteinen verronen oder vervellen.* Bitſch. *verrennen.* Scherz.

11) Fſch. *und iſt d. o. a. a. ſ. h. daz ſie ſchedliche waren.* Uff. & meus: *Und was dem ochſen*, &c. Hortl. *Und wachst dem ohſen.* Scherz.

12) Omnes Codd. MSS. legunt: *abgeſeget.* Scherz.

13) Fſch.

Digitized by Google

13. Erſtichet ain ohs ainez mannez ſun oder tohter, ez iſt diuſelb urtail. Stichet er ainez mannez kneht oder diener, man ſol dem herren [13] drizzig pfunt geben, und ſol den ohſen [14] vermuren, als hievor geſprochen iſt.

14. Suuer ainen [15] zinſtern grebt oder ſuſt ain grub, der ſol ſie veruuürchen, daz nieman kain ſchade davon geſcheh. Und vellet vihe oder rozz dar in und iſt ſiu nit ze reht gemachet, er ſol den ſchaden gelten als reht iſt, und ſol im den [16] auuuehſel haben.

15. Und uuundet ain ohs den andern und ſtirbet nit e uuan an dem vierden tag, ſo ſol man den lebenden ohſen und den [17] auueſel verkaufen und die pfenning tailen, und ſol ſi den geben der die ohſen uuaren, und uueſt der uuol dez der lebende ohs da uuaz daz ſiniu horn ſchædelich uuaren, ſo ſol ienem der lebender ohs uuerden und der tot. [18].

16. Suuer ainen ohſen ſtilt oder ain ander dink er ſolt ez viervalt gelten.

17. Gaht ain diup nahtez in ain hus oder grebt darin oder ſuuie er darin kumpt haimlichen und vinde ich in an minem ſchaden und ſlah in ze tode ich bin unſchuldig an ſinem tode.

18. Tut ain man ain diuphait dez nahtez, den ſol man tœten. [19]

19. Daz iſt davon daz diu naht bezzern frid haben ſol denn der tag. [20]

13. *Si bos alicujus filium aut filiam feriendo occidit, idem juris obtinet. Quodſi alicujus ſervum aut famulum interficit, ſolvendæ ſunt Domino illius triginta Libræ, & bos debet, uti ſupra dictum, lapidibus obrui.*

14. *Si quis ciſternam aut aliam foſſam fodit, debet illam ita munire, ne ulli damnum inde emergat; Quodſi equus, aut aliud animal in illam decidat, nec recte munita eſt, ille debet uti æquum eſt, damnum reſarcire, ita tamen ut ipſe cadaver illius animalis ſibi retineat.*

15. *Quodſi bos bovem vulneret ita, ut vulneratus quartâ demum die inde moriatur, tum bos vivus (lædens) una cum mortuo vendatur, & inde nummi ex Venditione redacti inter utrumque eorum Dominorum dividantur, & ſi is, cujus bos eſt ſuperſtes, ſcivit illum cornibus alias petere ſolere, tunc læſo bos ſuperſtes, & occiſus cedant.*

16. *Qui bovem aut aliud quid furatur, ille quadruplum reſtituat.*

17. *Si fur noctu domum intrat aut illam perfodit aut in eam alio modo clam pervenit, ipſumque deprehendo & occido, mortis reus non ſum.*

18. *Cum quis noctu furtum committit, morte luat.*

19. *Hujus rei ratio eſt, quia nox debet majori munita eſſe ſecuritate, quam dies.*

CAP. CXCVII.

[1] Der nahtz korn ſtilt.

SUuer nahtz korn ſtilt, der iſt [2] dez galgen ſchuldig,

2. Ez ſol nieman nachtz fütern, ſuuer ez aber tut, ſuuie uuenig er ſnidet, und iſt ez ainez pfennigez uuert, ez gat im an die hant.

3. Iſt

CAP. CXCVII.

De eo, qui noctu frumentum furatur.

QUi nocturno tempore frumentum furatur, ille patibuli pœnam debet ſuſtinere.

2. *Nemo debet noctu (alienum) gramen depaſcere; ſi quis id facit, & damni pretium eſt unius denarii, manus ei amputetur.*

3. *Si*

---

13) Cod. Fſch. Uterque Arg. & Cod. Univ. Arg. habent: *drizzig ſchillinge.* Hortled. Wurmbr. & impreſſi: *driſſig mark.* Waldn. *driſſig ſlege.* Ambraſ. Perg. & meus habent ſimpliciter: *driſſig*, cum noſtro concordat Ambr. Chart. & Uff. *Scherz.*

14) Hic eodem, ut verſu præcedenti factum eſt, modo MSS. variant. *Scherz.*

15) Alii *Ciſterne*, quod clarius. *Scherz.*

16) In hac voce exprimendâ mire variant Codices; Fſch. habet: *awurſel.* Univ. Argent. & Wurmbr. *anwaſel.* Hortl. *Abaſel* Argentin. maj. *awiſen.* minor: *aweſel.* Ambraſ. chart. *abwechſel.* Uff. legit: *dye oberſtenn behalden.* Impreſſi: *das aſz haben.* In Jure Auguſtano antiquo legitur: *wil er in den ſelbſcholen geben das den ſchaden getan hat, ſo iſt er im kainen pfennig ſchuldig, und hat im damit gebezzert, und iſt der* Awaſel *des der da gebezzert hat.* Notker. in Paraphr. Pſalm. Pſ. LXII. 11. dicit: *Alde iro occiſa cadavera (irſlagenin* aweiſin) *frezent vulpes & lupi (fuhſe und wolwa.)* Argentinæ *Excoriator* der Schinder appellatur, *waſenmeiſter.* Scherz.

17) Hîc loci Hortl. & Wurmbr. habent: *aſz.* Fſch. *awaſal.* Argentin. maj. *anwiſen.* Uffenb. *den thoten ochſen.* cum noſtro faciunt Waldn. & Argentin. minor. *Scherz.*

18) Fſch. *awaſel gar.* Wurmbr. & Hortl. addunt: *oder aber die pfenning die man aus in paiden löſet.* Scherz.

19) Impreſſi addunt: *iſt aber das ein dieb des tages ſtilt der in dem zu tode ſchlecht den ſol man tötten.* Scherz.

20) In omnibus noſtris MSS. multo plura annectuntur, quæ infra poſt finem Capitum ſiſtimus. *Scherz.*

Ad CAP. CXCVII.

1) Conf. Jus Prov. Sax. lib. II. art. 37.

2) Hort. & Wurmbr. *todes.* Scherz.

Digitized by Google

5. Iſt ez ainez ſchillingz uuert, oder tiurer, man ſol in hahen.

4. [3] Vnd ſtilt man in der kirchen iht, man ziuht den diup daruz mit reht,

5. Tut erz dez tagez, ſo giltet daz [4] pfenuuert den gerehten dumen, und dez ſchillingez uuert oder mer die hant.

6. Tut er die getat anderſtunt man sleht im den andern dumen auch ab.

7. Tut er ez ze dem dritten male, ſo sleht man im die hant herab.

8. Vf ſuuelh burk [5] man ditz tut, da iſt der uuirt dem Rihter ſchuldig zehen pfunt, oder man brichet im ain huſe nider daz zehen pfunt uuert iſt, ob ez in ainer ſtat iſt, oder er gebe daz zehen pfunde uuert ſie.

9. Iſt ez in ainer ſtat ain burger, und alz daz huſe geuallet, ſo ſol man dez holtzes nit von dannen tragen.

10. Ain [6] man ſnidet uuol ſinen müden pfæriden ain füter daz gen ainem pfenuuert iſt, [7] ob er uuent daz ez im erligen uuelle,

11. Dez müz er auch ſuuern, ob ſin iener nit enberen uuil dez [8] daz korn iſt.

12. Er lat auch ſin pfærde tretten mit den vordern füzzen [9] in daz korn. Vnd lat ez ezzen untz er uuider kumpt, und er ſol dez futerz nit von dannan füren.

3. *Si damnum valet ſolidum unum, aut plus, ipſe ſuſpendatur.*

4. *Et ſi quis in templo furtum committit, jure inde extrahitur.*

5. *Si quis id (ſc. alieni graminis depaſtionem) committat interdiu, tum ob damnum, quod denarium valet, punitur, amputatione pollicis dextri; ob illud vero, quod æquat valorem ſolidi, aut majoris ſummæ, amittat manum.*

6. *Si alterâ vice id facit (ſc. depaſcendo gramen alterius, valens denarium) altero quoque pollice privatur.*

7. *Si tertiâ vice ita delinquit, manus amputatione multatur.*

8. *Si alicujus caſtri aut domûs inhabitatorum aliquis id facit, tum Dominus (caſtri vel domûs) debet (ob damnum à ſuis datum) ſolvere Judici decem libras, aut, ſi hoc non præſtat, domus aliqua, quæ decem libras valet, ei deſtruitur.*

9. *Si (Dominus caſtri vel domûs illius) eſt Civis Urbis alicujus, tum ſi domus illa corruit, rudera non debent auehi (à Domino: ſed, ut inde ſatisfiat, relinqui.)*

10. *Licet (iter facienti) pro cibandis equis laſſatis herbam reſecare uſque ad valorem denarii, ſi credit equos ſuos citra hoc non ulterius procedere poſſe.*

11. *Hoc ita fuiſſe, jurare debet, ſi is qui eſt dominus agri illius, non vult remittere juramentum.*

12. *Poteſt idem equos ſuos inducere in agrum alterius, ita tamen, ut non niſi duo priores pedes ſuper agrum collocentur; quo facto ibi paſci poſſunt, donec ille redeat; cum rediit nihil herbæ pro cibandis equis, ipſi avehere licet.*

CAP. CXCVIII.

[1] Von ehaften gedinge.

Nieman iſt für ſinen kneht ſchuldig ze antuuürten, uuan ſo uil, und [2] der lon geziuhet, er uuerde den ſin bürge.

2. [3] Von mutuuillen vertribet nieman ſinen kneht unverdienter dinge, er ſol im ſinen lon gar geben.

3. Gat aber der kneht von ſinem herren von mutuuillen, er ſol dem herren alz vil geben, alz er im lobet ze gebenn.

4. Vnd hat er im dez lonez iht geben, daz ſol er dem herren zuuiſpilde uuider geben.

CAP. CXCVIII.

De jure circa Famulos conductitios.

Nemo tenetur reſpondere pro famulo ſuo niſi ratione ſummæ mercedis, excepto caſu ſi pro ipſo Dominus fidejuſſerit.

2. *Si Dominus pro lubitu ſuo citra juſtam cauſam famulum domo ſuâ expellit, debet ei ſolvere mercedem integram.*

3. *Si autem ſervus deſerit dominum citra cauſam pro lubitu ſuo, tum ille debet domino tantundem præſtare, quantum hic ſervo promiſit mercedis nomine.*

4. *Et ſi jam partem mercedis forte dominus perſolverit, tum ſervus domino duplum reddat.*

CAP.

3) Verſus hic uſque ad nonum incluſive deficiunt in Cod. Ingolſt. *Scherz.*
4) Meus: *pfennige wert.* Scherz.
5) Cod. Fſch. Uffenb. & aliqui impreſſi addunt: *oder in ſwelich haus.* Scherz.
6) Conf. Jus Sax. Prov. lib. II. art. 68.
7) Cod. Hortl. & Wurmbr. *ob er fürcht.* Scherz.
8) Pro: *daz korn.* Cod. Fſch. habet: *daz gut.* Scherz.
9) Cod. Wurmbr. *in den acker.* Ambr. perg. *eſchesſ.* Ambr. chart. *öſch.* Impreſſi aliqui: *eſche.* Hupf. *ſamen.* Scherz.

Ad CAP. CXCVIII.

1) Rubr. Cod. Arg. maj. *Gat ein kneht uz einem dienſte mit urlop oder one urlop.* Fſch. *der ſinen knebt vertribet è zit.* Wurmbr. Hortl. Cod. Univ. Arg. meusque: *Von ehalten geding;* ex quo ultimo textus noſter eſt corrigendus, nam *Ehalt* denotat eum, *qui in ſervitio noſtro eſt.* Scherz. cum hoc Capite conf. Jus Sax. Prov. lib. II. art. 32.
2) Cod. Fſch. *ſin lon reichet.* Scherz.
3) Cod. Fſch. *von mutwillen vertribet der Herre ſinen knebt e ſines jares, er ſol im ſin lon gar geben.* Hortl. Wurmbr. *vertreybt der Herr ſeinen knecht vor dem tzil an alle ſchuld.* Uff. *v. d. h. s. k. von ym unverdynter dinge vor ſinem jare.* Cod. Arg. uterque ut & Univ. Arg. meusque: *Vertribet der Herre ſinen knecht er ſol ime ſinen lon &c.* Scherz.

Ad

CAP. CXCIX.

[1] Von ſchedlichen tieren.

[2] VRſus haizzet ain [3] eberſuuin, dem ſol man iærlich die [4] ze abslahen.

2. Suuer dez nit tut der ſol gelten allen den ſchaden, den ez tut.

3. Suuez hunt oder bere oder hirs [5] oder ander uuilt, daz man zamen uuil, oder vihe ainen menſchen tœtet, man ſol ez mit ſtainen [6] verrunnen,

4. Man ſol ez auch nit [7] ezzen, uuan ez iſt unrain.

5. Læmet ez ainen man, und slehtz iener von im dez ez da iſt, und enhuſet noch enhofet noch ezzet noch entrenket ez nit darnach und ez den ſchaden getut, er ſol ſin nit engelten.

6. Vnd uuundet ez ainen man, ſo iſt ez daz ſelb reht.

7. Vnd der dem der ſchade geſchiht, der mag ez tœten ob er uuil.

8. Vnd underuuindet ſich der ſin dez ez da iſt nach dem ſchaden, er muz den ſchaden gelten ienem dem ez im getan hat.

9. Vnderuuindet er ſich ſin nit, ſo hat ez iener für ſinen ſchaden. [8]

CAP. CXCIX.

De Noxiis animalibus.

SI quis habet verrem, huic verri ſingulis annis dentes debent reſecando minus noxii reddi.

2. *Qui id non facit, reſarcire debet omne damnum, quod dat.*

3. *Si alicujus Canis, aut Urſus, aut Cervus, aut aliud animal, quod alitur ab aliquo, ut manſuetum reddatur, aut pecus aliud hominem occidit, tum debet hoc animal lapidando deſtrui.*

4. *Neque edi debet tale animal, quippe cum ſit impurum.*

5. *Si alicui tale animal membra reddit inutilia ad laborem, & contingit, ut Dominus ejus illud derelinquat, nec ei aut ſtabulum aut alimenta præbet poſtquam alterum ita læſit, tum ipſe nihil damni hujus nomine ſolvere tenetur,*

6. *Et ſi (aliâ ratione) tale animal aliquem vulnerat, idem juris eſt.*

7. *Ille autem, cui damnum ita datum eſt, id, ſi vult, poteſt occidere.*

8. *Quodſi Dominus animalis hujus ei receptum præbet, poſtquam damnum hoc datum eſt, tunc tenetur illi, cui damnum datum eſt, eo nomine ſatisfacere.*

9. *Si autem Dominus ei receptum non dat, tum propter damnum ab eo acceptum dominium tranſit ad eum, cui noxia facta eſt.*

CAP. CC.

[1] Der ain ſchædlichs pfært hat.

HAt ain man ain [2] ſchedelich pfærde, und uuaiz er daz uuol, alz er denne daruf ſitzet, ſo ſol er die lüt von im haizzen uuichen. Vnd ſol von den lüten riten,

2. Tut er dez nit, ſuuelhen ſchaden ez tut, er ſol in gelten, alz hievor geſprochen iſt,

3. Der in dez uuidertribet, er ſol ez ſelb dritt erziugen oder ſelb ander,

4. Iſt nieman da geuueſen, ſo berede ez ze den hailigen, und ſi ledig,

5. Daz pfærde hat reht alz daz uuilde und daz vihe.

CAP. CC.

De eo, qui habet Equum noxium.

SI quis habet equum noxium, idque ſcit, tum debet, ſi illi ipſe inſidet, monere tranſeuntes, ut ab ipſo recedant, & tenetur ab hominum viciniâ equum abducere.

2. *Hoc ſi non facit, debet ipſe damnum, qualecunque illud fuerit, reſarcire, ceu ſupra dictum.*

3. *Si quis eum hujus facti nomine inculpat (apud Judicem) ille debet ſe purgare ſuo & duorum vel unius juramento.*

4. *Si nemo alius læſioni interfuit, ipſe Dominus Equi ſolus juret; quo facto ab actione liberatur.*

5. *Circa equos id juris obtinet, quod eſt circa feras beſtias & alia animalia manſueta.*

CAP.

Ad CAP. CXCIX.

1) Conf. Jus Prov. Sax. lib. II. art. 40.

2) Fſch. habet: *Erfaul.* Wurmbr. *Urfaul* Univ. Arg. & Cod. Argent. min. *Urful.* Hortl. *Urgavl.* Ambraſ. Ch. *Urfolt.* Impreſſi: *Wurffel.* Uffenb. tantum habet. *dem eberſwein ſol man die zene* &c. Schilterus approbat Lectionem Hortlederianam, ubi *Urgavl* legitur. de illâ autem hæc habet: *Gavl* in genere *pecus* denotat. *Urgavl*, Verres. An autem probari poſſit *Gavl* in genere *pecus* ſignificare, dubito. *Scherz.*

3) Alii Cod. *berſchwin.* MSC. Scotor. Vienn. *Schweinper.* Scherz.

4) Cod. Fſch. *zen abſniden mit einer ſegen.* Uff. *zene abſegen*, quod etiam eſt in MSC. Univ. Arg. & in Argent. maj. *Scherz.*

5) Aliqui Codd. poſt *birs* habent: *urfaul*, alii *wurffel.* Scherz.

6) *Deſtruere, facere ut vivere deſinat:* ſupra c. 196. 12. pro: *vernuren* in aliquibus MSC. legitur: *verrünen.* Scherz.

7) *Ezzen* alias quidem ſignificat: *edere*, eſſen. ſed hîc idem eſt ac: *cibare, alimenta dare.* Locutio hæc Alſatis noſtris in uſu eſt, quando enim indicare volunt avem matrem ore ſuo cibare pullos ſuos, tunc dicunt: *der vogel* äzt *ſeine jungen.* Scherz.

8) Poſt hoc Caput in Cod. Hortl. Wurmbr. Jung. Waldn. Univ. Arg. aliisque exhibetur caput prolixum, cujus rubrica eſt: *Von der Ee und von unrehten Kinden.* Idem tamen in Cod. Fſch. non extat. ſiſtimus illud ex Cod. Hortlederiano infra poſt finem Capitum Krafftiani Codicis. *Scherz.*

Ad CAP. CC.

1) Hoc caput in Cod. Hortled. præcedentis Capitis partem conſtituit. *Scherz.*

2) Arg. maj. *böſs.* Impreſſi: *ſlabendes.* Scherz.

Digitized by Google

CAP. CCI.

[1] Ob der Rihter ſinen uuandel niht vindet uffgeriht.

VFf ſuuelhem gut der Rihter ſin [2] geuuett nit vindet, daz ez ſo klain iſt, ſo ſol der fronbot [3] ain crütz uf daz tor ſtecken oder [4] uf daz huſe, und ſol ez damit [5] froenen.

2. Hat er ſich ſin underuuunden fur iemans gulte oder fur iemans buzz, ſo ſol man daz gut vail bieten uber ſehs uuochen, ob ez der nit loeſet, dez ez da iſt, und ſol den luten, [6]

3. Und gebriſt an dem gut iht, ſo habe ſich uf ain anderz ob ez da iſt,

4. Und iſt ez da nit, und iſt gebreſt da, daz ſol dem Rihter gebreſten, und dem clager nit,

5. Und kumpt der der ez da erben ſol inr iar und inr tag, und bereit, daz er nit uueſt, daz man gut verkaufen ſolt, oder berait ander ehaft not, ſo ſol man im ſin gut ze loeſen geben.

6. Und der Rihter ſol ienen noeten, [7] daz er die loeſunge in neme, daz iſt reht.

CAP. CCI.

De caſu, ſi judici ratione mulctæ (ab eo qui fuit condemnatus) non ſatisfiat.

SI judex in bonis alicujus, quia vile eſt eorum pretium, non poſſit mulctæ ſibi debitæ nomine ſatisfactionem (in promptu) invenire, tum apparitor debet collocare crucem ſuper portam prædii alicujus, aut ſuper domum & ita executionem incipere.

2. *Quodſi prædium illud Apparitor exequendo aggreſſus eſt propter debitum aliquod aut emendam, (alicui adjudicatam) prædium illud ultra ſex ſeptimanas venum eſt exponendum, ſi is, cujus illud eſt, illud non liberat ſolvendo, & (ex pretio venditionis) creditoribus debet ſolutio fieri.*

3. *Quodſi ex uno fundo ſatisfieri non poſſit, tum alium quendam exequendo aggredi judex debet.*

4. *Si nullus fundus, in quem executio fiat, adeſt, & omnibus plene ſatisfieri non poſſit, id judici nocere debet, non actori.*

5. *Quodſi is, ad quem jure hereditario fundus ille pervenire debuiſſet, intra annum & diem veniat (ad judicem) & probet, quod neſciverit prædium illud venum expoſitum fuiſſe, aut aliam probet cauſam ſonticam, tunc permittendum ei eſt, ut prædium illud reluat.*

6. *Et judex debet illum (emptorem) cogere, ut pretium reluitionis accipiat; hoc æquitas poſtulat.*

CAP. CCII.

[1] Da zuuen [2] glich ain gut anſprechen.

CLagent zuuen uf ain gut und iehent, ez hab ain herre oder ain ander man in ze aygen oder ze lehen geben [3] oder verſetzet und koment baide fur gerihte und gihet ainer uf ainen [4] geuueren, der ander uf den andern, und

CAP. CCII.

De caſu, ſi duo unum idemque prædium vindicant.

SI duo idem prædium vindicent, quilibetque eorum dicat, Dominum aliquem aut alium id ſibi, tanquam allodium aut feudum, dediſſe, aut oppignoraſſe, & ambo veniant in judicium, unusque hunc, alter alium auctorem laudet, adeoque uterque dicat, ſe habere auctorem,

---

Ad CAP. CCI.

1) Conf. Jus Prov. Sax. lib. II. art. 41.
2) Cod. Uffenb. MSC. *wandel.* Scherz.
NOn dubito Vos meas una cum interpretatione Rhythmi Ludoviciani per Dn. Smidium nuper accepiſſe, ex quo limam Veſtram atque cenſuram lubens præſtolor. Interea quum exhibitor harum, ex Scholis noſtris egreſſus, doctrinâ, ſtudio antiquitatis, & modeſtiâ ſe omnibus commendans, Cos. Wenkeri filius, ad Vos excurrens, à me commendatitias peteret, nefas duxi eas ad TE cumprimis denegare: præſertim quum inſuper hoc argumentum ſuperiori commentatiunculæ adjiciendum ratus, nimirum an ex idiomate linguæ conficiatur, non intelligi ibi Regem Franciæ Occidentalis, ſed Orientalis; ſi enim Regi Fr. Occid. carmen hoc fuiſſet decantatum oblatumve, non in iſta lingua Francica Orientali, ſed in lingua Provinciali ſive Franciæ Occidentalis jam tum propria fuiſſet confectum, quippe quæ jam tum vigebat non tantum in Aula Regia, ſed etiam in communi, uti vel ex formulis fœderis & juramenti inter Ludovicum I. Regem Franciæ Orientalis & Carolum fratrem R. Fr. Occid. patet, tum Reges tum ſubditos diverſis linguis uſos. Sed de hoc judices. Vale & fave. Dab. raptim XIV. Cal. Maj. MDCXCII.

Clariſſime & Eruditiſſime Domine,

PUdet me quod tam diu reſponſum diſtulerim ad id quod de rythmo Germanico jam pridem ſciſcitatus es. In cauſa fuit, non certe incuria mea, ſed indiligentia eorum, quibus curam conſulendi autographi commiſeram. Id vero rejiciunt in confuſionem librorum ſuorum, qui in acervum congeſti ſunt, ob violatum ex nupero terræ motu fornicem ſuæ Bibliothecæ. Revolvit tandem codices omnes, uti aſſerit, Bibliothecæ cuſtos, nec invenit quod quærebamus. Litteras ejus rei indices oſtendi Domino Smithe aliisque amicis tuis qui in hac urbe verſantur, eas ad te miſſurus, ſi tanti eſſet, ad liberandam fidem meam. Rem iterum commendavi uni ex noſtris, qui ante paucos dies Inſulas profectus eſt. Si quid proficiet, faciam te quam primum certiorem. Ceterum gratias Tibi Clariſſime Domine, ago quam maximas, tum ob præclara benevolentiæ tuæ teſtimonia, quibus me non ſemel honoraſti, tum ob transmiſſos ad me libellos tuos, in quibus eruditionem tuam ea qua par eſt reverentia ſuſpicio. Utinam medius ille paries, qui nos religionis intervallo ſeparat, dejectus eſſet ut in unum Chriſti corpus coaleſceremus! Faxit Deus ut tandem aliquando votum hac de te meum ſuccedat. De litteratis noſtris non eſt quod

Digitized by Google

ad te ſcribam, cum habeas in hac urbe adoleſcentes gnavos & bene morigeratos, qui te de omnibus moneant. Tantum vale & ſtudiis noſtris favere perge. Luteciæ Paris. Idib. Julii 1693.

Clariſſime Domine,

Tui Studioſiſſimus

Fr. Joh. Mabillon. M. B.

---

a Tournay, le 9. Mars, 1693.

Mon Reverend Pere,

Estant allé ces jours paſſez à St. Amand, j'y ay executé les ordres dont il Vous a plus m' honorer. Le Bibliothecaire me dit, qu'une voute de la Bibliotheque qui eſtoit tombée lors du dernier tremblement de terre, & qui n'eſtoit point encore tout à fait reparée, l'avoit mis dans un grand desordre, que cependant il feroit ſes diligences pour trouver le manuſcrit auquel ſe devoit faire la collation que Vous ſouhaitez. Depuis il m'a renuoié Votre copie ſans collation, me mandant qui il n'avoit pu trouver le Manuſcrit. je ne vous renuoie pas cette copie, dans le deſſein de prier le dit Bibliothecaire de faire de nouvelles recherches & de ſatisfaire s'il ſe peut à vos ſouhaits. Si cependant vous trouvez bon de la retirer, obligez moy de me le faire ſçavoir & au ſurplus d'eſtre bien perſuadé qu'on ne peut eſtre avec plus d'eſtime & de veneration que je ſuis

Mon Reverend Pere,

Voſtre tres-humble & tres-obeiſſant ſerviteur

D. R. De Los.

RHYTH-

Digitized by Google

Tom. II. Thes. ad Epistolam Lud. B. post praef. Sakiberi.

Digitized by Google

Ad Pag. 5.

Stemma Genealogicum LVDOVICI Regis Franciæ Occiduæ.

CAROLVS M.

LVDOVICVS PIVS

ob. 840. XII. Kal. Sept.

Lotharius Imp. ob. 855.

- Ludovicus II. Imp. ob. 875.
- Lotharius R. Lotharingiæ. ob. 899.
  - Hugo ex Walthrada
- Carolus. Rex Provinciæ ob. 863.

Pipinus.

- Pipinus.

LVDOVICVS I. Rex Germ. ob 875. V. Kal. Sept.

- Carolomannus. R. Bavariæ ult. ob. 880.
  - Arnulphus. Imp. 888. ob. 900.
    - Ludovicus III. R. German. nat. 893.
- LVDOVICVS II. R. German. Victor Normannorum juxta Carbonariam, an. 880. ob. 882. M. Aug.
- Carolus Crassus Imp. 880. ob. 888. Idib. Jan.

Carolus Calvus. Imp. an. 875. ob. 877. 6. Oct.

- Ludovicus Balbus Imp. ob. 878. M. Octob.
  - LVDOVICVS Rex Franciæ Occid. Victor Normannorũ an. 883. in loco Sodalcürch. De quo præsens Carmen.
  - Carolomannus Rex Burgund. & Aquitan.
  - Carolus simplex.

ex Concubina — ex Regina.

V. Regino p. 57. A. 878.

Digitized by Google

Digitized by Google

RHYTHMUS ANTIQVVS
LUDOVICO
REGI FRANCORVM
VICTORI NORTMANNORVM
acclamatus.

Digitized by Google

Einen kuning vveiz ich,
heiſſet herr Ludvvig,

Regem novi,
vocatur Dominus LUDOVICUS,

COMMENTATIO.

Mos Gentium res geſtas carminibus complecti.

OMnibus gentibus, imprimis quoque Teutonicis & Celticis ſemper in uſu fuit, rerum geſtarum memorias carminibus celebrare & poſteris relinquere. Quem morem ex Oriente Celtas transportaſſe, Gomeri quippe poſteros, probabile eſt. Idem enim Orientalibus populis in uſu. Celebre eſt Epinikion Moſaicum extincto Pharaone, *Exod. XV.* Antiquius illo idem Moſes *Num. XXI. 27.* refert ex Annalibus Amorhæorum, quum Sehon, Rex Amorhæorum contra Regem Moab victoria potitus fuiſſet; ait: *Idcirco dicitur in proverbio.* i. e. carmine vulgari, Epinikio:

Venite in Heſebon:
Ædificetur & conſtruatur civitas Sehon.
Ignis egreſſus eſt de Heſebon,
Flamma de opido Sehon:
Et devoravit Ar Moabitarum & habitatores excelſorum Arnon:
Væ tibi Moab,
Periſti populo Chamos.
Dedit filios ſuos in fugam:
Et filias in captivitatem Regi Amorrhæorum, Sehon.
Jugum eorum diſperiit ab Heſebon uſque Dibon.
Laſſi pervenerunt in Nophe & uſque Medaba.

Celtarum quoque.

Teutones quod attinet, nota ſunt Corn. Taciti *de Mor. Germ. c. 3.* & Cluverii congeſta *L. I. Germ. Antiq. c. LI.* Jornandes *de reb. Getic. c. V. Gothorum ſtudium fuit primum, inter alias gentes vicinas arcus intendere nervis, —— Ante quod etiam cantu Majorum facta modulationibus citharisque canebant, Ethespamaræ, Hanalæ, Fridigerni, Widiculæ, & aliorum, quorum in hac gente magna opinio eſt, quales vix Heroas fuiſſe, miranda jactat antiquitas.* Atque iſta vetuſta Celtarum carmina in ſcripturam utique redacta, recte arguit Kriegsmann. *Conject. de Germ. Gent. Orig. c. VI.* H. Conringius quidem *de Antiq. Stat. Helmſt. p. 2.* ait: *Veterum fabularum indubie magna olim copia, quoniam carmina pro annalibus tum fuerunt.* Et *p. 18.* paulo vehementius invehit: *Quoniam gentium illarum antiquæ omnes narrationet nituntur fide priſcorum carminum, fuerintque præter carmina & paucas rupium inſcriptiones non alia populorum illorum quondam hiſtorica monumenta, idque more communi omnium olim Germanorum, quod ex Tacito notum eſt, non magis tuto illis credas, quam Græcorum Latinorumque Poëtarum fabulis: quæ ubivis gentium fuit ſemper carminum illaudabilis licentia.* Verum enim vero quod pace beatorum Manium dixerim, diſcrimen magnum arbitror eſſe inter fabulas Græcorum Latinorumque Poëtarum, & inter Carmina Bardorum Celticorum, quod in Præfatione ad Otfridi Volumen Evangelicorum deductum: & ad Poëma vetus Germanicum de bello Caroli M. contra Saracenos in Hiſpania pluribus, DEO volente, exponetur. *

Fides carmin.

* *Hoc utinam effeciſſet Schilterus. Verum nihil iſtiusmodi extat neque in Præfatione illius ad Otfridum: neque ad Carmen de Bello Caroli M. Hiſpanico. Nimirum conceperat animo opus affectum, Vir optimus (ut complures alii eruditorum) quod effectui morte præventus dare non potuit.*]

Ludovici duo tum.

Certe de hujus noſtri Epinikii fide dubitatio nulla ſupereſt: niſi utri Ludovico Regi, Franciæ Orientalis, an Occidentalis ſit aſſignandum? Dubium aggravat, quod quum Normanni prædatores ad Scaldim ſtragem paſſi fuerint poſt Caroli Calvi tempora, duo Reges vixerint Ludovici, & in Gallia ſive Francia Occidentali, & in Germania ſive Francia Orientali, ut tum vocata. Atque uterque victoriam contra Normannos obtinuit: Sed & uterque fratres habuit & Carolomannum, cujus hic fit mentio, & Carolum. Continuator anonymus Bedæ Lib. 2. Hiſt. Anglic. cap. 1. de Carolo Calvo: *cui ſucceſſit in regno filius ejus Ludovicus. Deinde anno regni ſui ſecundo necdum expleto, idem Ludovicus obiit in Compendio palatio VI. Idus Aprilis Indict. XII. A. D. DCCC LXXIX. Deinde filii ejus Ludovicus & Karlomannus regnum ejus inter ſe diſpertiunt. Prædictus vero Rex Ludovicus in pago Viminaco cum Normannis bellum gerens, triumphum adeptus eſt, & non multo poſt obiit, pr. Nonas Aug. A. D. DCCC LXXXIII. Indict. XV.* Annales Fuldenſes: *Inde tranſiens* (Ludovicus II. Germanicus) *omne tempus æſtivum in Boiaria moratus eſt. Nepos vero illius* (Ludov. Gallicus) *cum Nordmannis dimicans, nobiliter triumphavit. Nam novem millia equitum ex eis occidiſſe perhibetur.* Regino pag. 60. ſcribit: *A. D. Incarnat. DCCC LXXXIII. Ludovicus frater Carolomanni moritur apud S. Dionyſium, ibique honorabiliter tumulatur, quem omnes Galliarum populi nimio planctu lamentati ſunt. Fuit enim virtutis maximæ, regnumque ſibi ſubditum a paganorum infeſtatione potenter viriliterque defendit. Inter cætera quæ ſtrenue geſſit, illud præcipue prælium commendatur, quod adverſum Nortmannos in loco qui vocatur SODALCVRCH, ſummis viribus exercuit, in quo certa-*

Francicus Ludovici Bal. bi fil.

mine,

mine, ut ferunt, plusquam octo millia hominum gladio proſtravit.

Contra ea ex Aimoini relatione apparet, Ludovicum Galliæ nullum egiſſe triumphum ex Nortmannis, ſed fugam apprehendiſſe, ſic ait: *De quibus non modicam partem occiſis, cæterisque fugatis, & ipſe Ludovicus una cum ſuis retrorſum, nemine hoſtium perſequente, fugam arripuit, divino manifeſtante judicio: quia quod in Nortmannos fuerat actum, non humana, ſed divina virtute patratum extiterit.* Atque ſunt, qui ajunt Ludovicum Germanicum regnum etiam Galliæ ſuſcepiſſe, & tum de Nortmannis triumphaſſe. & Germ. Ludov. II. Qu. Gobelinus Perſona Cosmodrom. Æt. VI. cap. XLIII. *Ludevvicus Rex filius Lodevvici R. Teutoniæ, ad Gallias ſe transfert, & ibi honorifice in Regem ſuſceptus eſt.* Id quod Calviſius non de regno ipſo, ſed de tutela accipit ad Ann. 880. ait: *Ludovicus II. Germaniæ Rex in Galliam profectus, filios Ludovici Balbi in tutelam accipit, idem Martio Normannos ad Scaldam fluvium vicit, quinque millibus occiſis, in quo tamen filius Hugo cecidit. Inde pupillis ſuis Galliam diviſit, & Ludovicus quidem natu major Franciam & Neuſtriam accepit, Carolomannus vero natu minor, Burgundiam & Aquitaniam. Aimoin.* Ego vero nihil tale quidem ex Aimoino colligere potui, ſed hoc quidem, quod conſpiratio fuerit Goslini Abbatis & complicum contra Ludovici Balbi filios in Gallia, & is concitaverit Ludovicum Germanicum ut in Franciam Occidentalem veniret: quam conſpirationem eluſerint Galtherus Epiſcopus Aurelianenſis & ſocii, offerentes Ludovico Germanico partem regni Lotharingici, qua accepta ille in regnum ſuum abiret, & Galliam ſeu Franciam Occidentalem Ludovicum Gallicum cum fratre ſecure poſſidere conſentiret. Ludovicus itaque Germanicus cum ſuis acceptam habens oblationem, cum dedecore Goslinum & Conradum ac complices rejecit, & accepta regni parte ſibi oblata, rediit ad palatium ſuum Franconofurt, A. 880. Aimoinus Lib. V. cap. XXXIX. & cap. ſeq. ubi & de altera Goslini conſpiratione & *pactis tamen amicitis* (nulla tutelarum mentio) cum filiis Ludovici Regis Franciæ Occiduæ & ſecuta diviſione Regni Franciæ illius, eaque ſine auctoritate Ludovici Germanici, ſed *ſicut Fideles illorum* fratrum *invenerunt.* Rat. I. pro Lud. German. Reſp.

Atque movetur & hoc: ſi Regi Galliæ hoc carmen fuiſſet dicatum, non in lingua Teutonica, ſed Provinciali fuiſſet compoſitum, hæc enim tum viguit in aula Franciæ Occiduæ, uti vel ex formulis fœderis & pacti diviſorii inter Ludovicum I. & Carolum Calvum patet. Et confer ſi placet *Morhovium P. 2. de Ling. German. c. 1.* Facit quod habet Jac. Regiovillanus *Chron. Lat. MS. fol. 67.* de Rege Dagoberto jamtum loquens: *Illi* (venatores Regis Novientum ſpoliantes) *ut Gallorum mos eſt, Theutonicam linguam ſubſannantes, cum deriſione eos* (Monachos Teutonicos) *de conſpectu ſuo abegerunt, at illi Eccleſiam ſuam ingreſſi repulſam ſuam Domino & B. Petro commendabant.* Denique Flandriam, in qua Scaldis fluvius & hoc prælium patratum ſit, jam tum ſub Carolo Calvo a regno Franciæ Occid. receſſiſſe auctor eſt Mart. Polonus & idem Regiovillanus in Chron. German. c. 2. §. 149. 2. Rat. 3.

At vero linguam Germanicam in Galliis illo ævo haud neglectam fuiſſe, teſtis eſt Servatus Lupus, Abbas Ferrarienſis Epiſt. XCI. qua ad Marcvvardum Abbatem Prumienſem ſcricit: *Filium Guagonis nepotem meum, veſtrumque propinquum, & cum eo duos alios puerulos nobiles, & quandoque, ſi Deus vult, noſtro monaſterio ſuo ſervitio profuturos, propter GERMANICÆ linguæ nanciſcendam ſcientiam veſtræ Sanctitati mittere cupio, qui tres duobus tantum modo pædagogis contenti ſunt.* Quid? quod Rhythmici verſus tum temporis nondum in lingua provinciali ſive Francica Romana, ſed in Teutonica & Francica genuina extiterint, qua de re H. Valeſius *in Valeſian. pag. 124.* ita: *Rhythmici verſus ſub Willelmo VIII. Duce Aquitaniæ & Comite Pictavienſi, qualium meminit Ordericus ult. cœpere uſurpari in vulgaribus carminibus circa annum 1100. Inter Poëtas Provinciales vulgo dictos, leguntur carmina Willelmi hujus rhythmica, ad canendum compoſita, de itinere Hieroſolymitano. Alterum amatorium, quod eſt initium & origo noſtræ vulgaris Poëſeos, & noſtræ etiam linguæ vulgaris, qua nunc utimur.* Scilicet duplex eſt lingua Provincialis, vetus & hodierna. Et pag. 194. *Lingua Francica, qua hodie utimur, ex lingua Latina ſeu Romana corrupta originem habet, ut Italica & Hiſpanica, admiſtis compluribus verbis Francicis ſeu Germanicis, & aliquot etiam Gallicis veterum incolarum. Ruſtica Romana lingua vocatur in Concilio Turon. III. ann. 813. quod Galli, Romani vulgo dicti, ea uterentur atque etiam plerique Franci Neuſtraſii, maxime autem Aquitani & Narbonenſes. Ejus linguæ ruſticæ Rom. primitias habemus & notabile exemplum apud Nithard. Lib. 3. in ſacramento Ludovici R. Germaniæ, in fœdere illo Ludovici & Caroli Regum, & ſacramento populi. Poëtas quidem vulgares, qui ruſtica Rom. lingua ſua opera & carmina compoſuerint, nullos ante annum 1150. habemus, ex Falceto: alibi dicit circa annum 1100. cœpiſſe florere. Chartas ſeu literas Præceptave & diplomata Regum & alia ea lingua nulla fere reperias ac nusquam ante annum 1220. a quo tempore plurima extant. Antonius Oiſelius tamen chartam profert Ludovici Craſſi R. Franc. datam an. 1122. lingua vulgari facile intelligibili, niſi tamen e latino ſermone translata etiam poſt & in Francicam linguam. Et extant leges a Willelmo Normanno Rege Anglorum lingua noſtra Anglis latæ. Obiit autem is anno 1087. ita ut ante annos DC. ea lingua Ruſtica Romana, quæ noſtra eſt, in uſu jam fuiſſe videatur.* conf. p. 220. & T. 1. Hiſtor. Franc. p. 289. ſq. & Notit. Galliæ verb. Francia, p. 203. Ex his apparet & linguæ Teutonicæ majorem ſplendorem fuiſſe, & uſum quoque in Francia Occidua tum temporis, quam vulgo putamus. At neque Flandriam receſſiſſe dicunt auctores a regno Caroli Calvi, ſed in dignitatem Comitatus fuiſſe erectam, quum hactenus non a Comite proprio, ſed a Foreſtariis Regis gubernata. Imo vero locus quo hæc victoria obtenta, nondum certus eſt, de quo mox videbimus. Reſp.

Plane an dicendum utriusque Ludovici hic fieri mentionem, primo quidem Ludovici Gallici, & fratris Carolomanni, & quomodo hi Patre ſuo orbati, & diviſio tandem provinciarum facta, atque a Normannis infeſtati fuerint. Deinde vero Ludovici Germanici, auxiliatoris & victoris, divinitus excitati; hinc videtur, quod Poëta noſter priorem conſtituit in Franken, ſede ſua, Francia Occidua: poſteriorem vero ait profectum eſſe in Franciam contra Normannos v. 11. & 55. At is Ludovicus, qui in Francia ſedem ſuam habet, non eſt idem, qui in Franciam ut auxiliator tum venit. Verum enim vero nec hoc perſuadet: Francia enim duplici ratione dicitur, primo Francia propria, h. e. antiqua ſedes Francorum Rhenum tranſeuntium, quod Wendelinus ſolide evicit, de natali ſolo Legis Salicæ, i. e. non antiqua illa ſimpliciter trans Rhenum, ſed prima cis Rhenum tranſitum. Etſi alias a Wendelino in multis diſſentiamus. Huic deinde tota Gallia fuit adjecta, atque ſic Francia in Occidentalem & Orientalem atque Auſtraſiam fuit partita. Recte itaque dici poteſt Ludovicus Rex Galliæ in Francia ſedem habuiſſe, & in Franciam propriam contra Normannos expeditionem ſuſcepiſſe. Propriam dico ſive *ſecundam* vel Minorem ut Wendelinus appellat, in Charta Geographica & *conf. cap. VIII. de Nat. Leg. Salic.* Præterquam quod & tota contextus συνάφεια id oſtendit, de uno & eodem Ludovico Francico ſermonem eſſe, qui modo diviſerat cum Carolomanno regnum paternum. 4. Reſp.

Atque hoc certius fundamentum arbitror eſſe, de tempore & loco hujus victoriæ judicandi, Diviſionem ſcilicet regni Galliæ inter fratres. Hanc enim præceſſiſſe ante prælium iſtud, Poëta ipſe aperit v. 13. & 17. Partitio porro regni facta nondum erat, quum Ludovicus Germanicus Moſam transgreſſus Lotharingiam acciperet a Ludovico & fratre, quod A. C. 879. factum Regino teſtatur, quo ipſo anno etiam prælium Ludovici Germanici cum Normannis contigit, eodem teſte. Igitur non poteſt hic Ludovicus ἐπίκρισις, pro Francico Occid.

Der gerne Gott dienet,
vveil er ihms lohnet.
Kind vvart er vaterlos,
deſs vvarth ihme ſehr bos.

Qui lubens DEO ſervit,
quippe qui eum præmiis afficit.
Minorennis orbabatur patre,
id quod ipſi erat valde noxium.

Holoda

Germanicus intelligi. Neque ad Scaldim illud factum, ſed ut idem refert, juxta Carbonariam in loco qui vocatur Thimnin, & ubi Ludovici filius naturalis Hugo interfectus. Qui locus Thimnin an idem qui in ſupplemento Annalium Francorum a Pithæo editorum MS. a P. Lambecio *L. 2. Bibl. Cæſar. p. 352.* exhibito KINNIN vocatur? *Comitatus & beneficia, quæ Rorich Nordmannus, Francorum Regibus fidelis, in Kinnin tenuerat, eidem hoſti,* Gotfrido Normanno, *ſuisque hominibus ad inhabitandum delegavit* Imp. Carolus Craſſus. Sed non videtur, quia Gothefridus non tractum ad Carbonariam obtinuit, ſed inſulam Batuam, & in ea ſpeciatim *Chinheym* corrupte *Kinnim*, ut eam exprimit Regino ad A. C. 884. *conf. H. Jun. Batav. pag. 49.* An idem quod *Fort de Schin* appellat Carte de l'Ancien Royaume d'Auſtraſie An. 1642. Pariſiis auſpicio Canterelli Fabri edita? Hodie *Schenkenſchanz?* Sed hæc obiter. Sequuta an. 882. mors hujus Ludovici Germanici, quum Normanni Arduennam percurrentes omnem in circuitu regionem depopulati ſunt, eodem teſte. Interim partitio regni facta, teſte ſupra laudato Aimoino, intervenientibus fidelibus Regni. Anno demum ſequente an. 883. congreſſus Ludovicus Gallicus, ut ſupra vidimus, cum Normannis hactenus victoribus, & ſtragem hanc victorioſam illis intulit, in loco qui vocatus tunc *Sodalcurch*, ut apud Reginonem legitur, quod eſt Teutonicum ſeu Francicum vocabulum, compoſitum ex *Sedal*, ſedes, cathedra, & *Kirch*, Eccleſia, quaſi dicas Eccleſia cathedralis ſeu epiſcopalis. Locus is in pago Viminaco ſitus fuit, teſte continuatore Bedæ. Neſcio an idem ſit cum pago *Vimnau*, cujus mentio fit in Caroli M. Præcepto quo varia Monaſterii Dionyſiani bona ſub Pippino Rege recuperata, eidem Monaſterio confirmat, exhibente Domn. Mabillon. *Lib. VI. de Re Diplom. L. p. 498.* verba præcepti ſunt: *Similiter in pago Tellau Similiter in pago Vimnau loca cognominantes Marca, Malcha, Malchis, & Aviſinas, Rodeno &c. ſimiliter in pago Pariſiago Tabernas.* Similis appellatio eſt Sedeleuci apud Ammian. Marcellin. hodie *Saulieu* quatuor horarum itinere ab Auguſtoduno, *St. Baluz. ad Lup. Epiſt. LXXX.* Paulo poſt obiit & hic Ludovicus Gallicus, ut ex eod. Bedæ continuatore jam demonſtratum.

Authent. His ita conſtitutis aggredimur interpretationem textus, quem repræſentavimus, ſicuti bona fide deſcriptus & a manu Generoſi Domini de Eyben, Sereniſſimo Duci Luneburgenſi & Brunovicenſi a Conſiliis Patroni noſtri honoratiſſimi, mihi communicatus, qui ipſe hujus antiquitatis deſcribendæ copiam a Perquam Reverendo, Domn. Jo. MABILLON Pariſiis ipſi factam mihi deprædicabat. A quo equidem pro Viri humanitate collationem cum authographo in Monaſterio S. Amandi reperto facile impetraſſem, niſi terræ motu ſuperioribus annis ibi Bibliotheca Monaſterii damnum grave paſſa fuiſſet, ut ex literis adjectis patet.

Ludvv. Prima Strophe ſuſpecta alicui videri poſſit, & neſcio quî recentior reliquîs, quum nec nomen Regis *Ludvvig* cum adſpiratione ſcribatur, ut in ſequentibus; Et certum eſt, durius pronunciatum fuiſſe, & ſcriptum etiam *Chlodoveus* & Chlodovechus, teſte *H. Junio in Batav. c. 9. pag. 167.* adeo ut credi poſſit, carmen hoc capite truncatum a veteri deſcriptore & conſervatore fuiſſe repertum, atque vel ab ipſo vel a recentiore aliud appoſitum fuiſſe. Sed nihil definio: præſertim quum & Otfridus Monachus Weiſſenburgenſis, qui etiam illis temporibus ſcripſit & volumen Evangeliorum rhythmo Germanico comprehenſum Ludovico I. Regi Germanorum dedicavit, itidem absque adſpiratione Ludovici nomen expreſſerit.

v. 4. *Weil er ihms lohnet.*
Quia mercedem ei tribuit.

Alludere Poëta videtur ad id quod dixit Deus ad Abrahamum: *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Gen. XV. Et quod Siracides in fine libri: *Operamini opus veſtrum ante tempus, & dabit vobis mercedem veſtram in tempore ſuo.*

v. 5. *Kind uuarth er vaterlos.* Vocabulum *Kind* non tantum infantem, puerum aut adoleſcentem notat Alemannis, ſed & majorennem & quatenus præſertim ad patrem refertur, filium & liberos. Otfrid. L. 4. c. VI, 36. Kind

Sinemo lieben manne
themo einigen kinde

confer eundem Lib. III. c. XX. 163. utraque ſignificatio hîc locum ſuo modo habet. Ludovicus enim Rex Franciæ Occidentalis filius Ludovici Balbi natus ex Ansgarda, adoleſcens adhuc erat quum patre orbaretur. Annales Fuldenſes: *Ludovicus Balbus ingraveſcente infirmitate filium cognominem bajulationi* (educationi) *Bernhardi Comitis Arvernici ſpecialiter commiſit, & ſentiens ſe ab infirmitate liberari non poſſe, per Odonem Epiſcopum & Albuinum Comitem, Coronam & Spatham ac reliquum regium apparatum filio ſuo Ludovico miſit: mandans illis qui cum eo erant, ut eum in Regem ſacrari ac coronari facerent. Ipſe IV. Id. April. die Paraſceve obiit.* Audiamus & Reginonem: A. D. I. DCCC LXXVIII. *Ludovicus rex filius Caroli Calvi, qui Balbus appellabatur, eo quod impeditioris & tardioris eſſet eloquii —— Habuit, cum adhuc juvenilis ætatis flore polleret, quandam puellam nobilem nomine Ansgard, ſibi conjugii fœdere copulatam, ex qua duos liberos ſuſcepit elegantis formæ ac ingentis animi virtute præſtantes: horum unus Ludovicus, alter Carolomannus vocabatur. Sed quia hanc ſine Genitoris conſcientia & voluntatis conſenſu ſuis amplexibus ſociaverat, ab ipſo patre ei poſtmodum interdicta, & interpoſito jurisjurandi ſacramento, ab ejus conſortio in perpetuum ſeparata. Tradita eſt autem eidem ab eodem patre Adelheidis in matrimonium; quam gravidam ex ſe reliquit idem Rex, cum obiret: quæ tempore pariendi expleto, enixa eſt puerum, cui nomen avi impoſuit, eumque Carolum vocitari fecit. A. D. I. DCCC. LXXIX. BOSO audita morte Ludovici, à Provincia egreditur, totamque Burgundiam occupare nititur. Denique nonnullos Epiſcopos partim minis, partim ſuaſionibus, in ſocietatis fœdera colligit, & Lugdunum ingreſſus ab Aureliano ejusdem urbis metropolitano, & aliis Pontificibus in Regem ſuper præfatum Burgundiæ regnum inungitur: pro nihilo ducens ADOLESCENTES filios Ludovici, & velut degeneres deſpiciens, eo quo juſſu Caroli eorum genitrix ſpreta atque repudiata fuerit. Quæ res obtulit illi magis continuum tam odium ac periculorum diſpendium, quam gloriæ & dignitatis emolumentum. Siquidem jam dicti adoleſcentes Ludovicus & Carolomannus, induſtria ac ſtudio Hugonis abbatis & aliorum Procerum in regnum ſublimati, & eundem Boſonem diebus vitæ ſuæ omni inſtantia ſunt perſecuti.* Atque ad hunc Boſonem alludere mihi Poëta noſter videtur quando porro canit: Ludovici ætas. Boſo.

v. 6. *Deſs vvarth ihm ſehr BOS.*

Huic Boſoni Carolus Calvus in matrimonium dederat Hirmingardem filiam Ludovici Imp. & Germanichildis reginæ, & Provinciam gubernandam, coronaque in vertice capitis impoſita REGEM appellari juſſerat, ut more principum Impp. regibus videretur dominari, referente eodem Reginone ad A. C. 877.

v. 7. *Ho-*

Digitized by Google

Holoda 'nan Truhtin,
Magaczogo vvarth her ſin.
Gab her ihme Dugidi,
Froniſc githigini,
Suſcepit ipſum DOMINVS,
ductor fiebat ipſius.
Dedit ei Heroës,
Illuſtres comites,

Stuel Sedem

v. 7. *Holoda 'nan Drubtin.*

Sic enim lectio conſtituenda pro *nam thrutin.* Nam *Thrubtin* vel *Druhtin* Celtis, & inde oriundis Francis, Alemannis, Belgis, DOMINVM DEVM denotat. Sicut & Sueo Gothis *Drotten* Dominus DEUS eſt in Sæmundi carmine Solari & alias frequens. Porro *'nan* ſæpiſſime etiam occurrit apud Otfridum, contractum per aphæreſin ex *inan*, ipſum, hodie ſcribitur *ibn.* Verbum *holoda* hodie efferimus *holte.* *Holon*, *holen* eſt accerſere, ſuſcipere in fidem aut protectionem. Otfrid. ad Ludov. I. R. Germaniæ v. 235.

Druhtin.

'nan

holen

Niman in iro zungi
Chriſtus lob ſungi.
Iob er ouch iro uuorto
Gilobot uuerde harto,
ther ſie zimo HOLETA,
zi giloubeu ſineu ladota.
Nemo in illorum (Francorum) lingua
Chriſti laudem cantavit.
Atque (ut) is etiam illorum verbis
laudaretur valde,
Qui illos ad ſe recepit,
ad fidem ſuam vocavit.

v. 8. *Magaczoga vvarth her ſin.*

Her non dominum *Herrn* ſignificat, ſed eſt Pronomen demonſtrativum, ille ſcilicet Deus. Sic & in Rhythmo de St. Annone ſcribi ſolet, & in Poëmate de bello Caroli M. Saracenico, Francis & Saxonibus olim ita pronunciatum. Ille DEUS factus hic dicitur Ludovici *Magaczoga*, educator, tutor, pædagogus, compoſitum ex *mag* & *zihen.* Mag, *Magus* Gothis & Celtis puerum notavit. Luc. II, 43. *Gaſtoth Laiſus ſa magus in Jairuſalem:* remanſit Jeſus puer in Jeruſalem. *Magad*, Alemannis puella. Gloſſæ veteres Alamannicæ: *Magezogo*, *pædagogus.* De Prædagogis Palatinis, Pædagogianis & Pagiis *Jac. Gothofr. ad l. ſ. C. Th. de divin. offic.* Du Freſne *in Gloſſar. voc. Pædagog. & Pag.* Transfert Poëta noſter Palatinum Pædagogium ad auſpicium & ductum divinum, quo inſtitutus ac defenſus Ludovicus noſter contra adverſarios Boſonem & Normannos fuit. Non plene hæc aſſecutus fuit auctor ſummæ hujus carminis in Cod. MS. adjectæ, quæ ſic ſe habet: *Ludovicum Ludovici filium, rege patre præmature orbatum, ſub educationem vel potius Procerum dominium veniſſe, qui e regis dominis, regni tyranni effecti deploratiſſima quæque intulere patriæ aut inferri tam impune tulerunt, ut quanto quis nequior tanto æquior haberetur, malorum vero peſſimum caput erat inundatio & prævaleſcentia Nortmannorum, donec Ludovicus pubes inſpiratione divina ſuſcitatus ex regni reliquiis ſanis adhuc & integris lecto exercitu, iisque contra progreſſus eos ingenti conflictu ipſe omnium ſtrenuiſſimus pugil debellavit, tum ad reliqua emendanda converſus omnia bene fecit.* Primo enim non *Herr*, dominus, ut dixi, ſed *her*, i. e. ille ſcilicet, Deus, legendum. Deinde *Magaczoga* non ad Proceres regni, & in numero multitudinis accipi poteſt, ſed de Deo protectore & Tutore. Damna autem inſequentia non ad Bernhardi Comitis & aliorum Procerum adminiſtrationem regni referri debent, ſed de irruptionibus Nortmannorum intelligenda, ut ex ſequentibus opido pateſcit.

Her

v. 9. *Gab her ihme Dugidi.*

De DEO hæc porro ſunt intelligenda, qui novo Regi dediſſe dicitur DUGIDI, h. e. Heroës, Virtuoſos Proceres. Willeramus *in Cantic. Canticor. pag.* 34. ait: *ther manlichero dugethe iſt*, i. qui virilis virtutis eſt: a Verbo *douben*, *dogen*, *tügen*, valere, præpolere. *Dohti* i. boni, *die tüchtigen.* Otfrid. III. XX. 135.

Dugidi.

The übele ioh thie dóhtun
Sih gieinon thar ni móhtun.
Pravi atque boni
Seſe unire non poterant.

Loquitur autem de ſchiſmate inter Phariſæos orto, de quo Joh. IX. 6.

v. 10. *Froniſk Githigini.*

Githigini eſt famulitium, ſatellitium regium Priſcis denotat. Otfrid. I, XV, 77. de Chriſti adſcenſione:

Githigini clientes.

Mit imo iſt ſin Githigini,
Iob Engilo menigi.
Cum ipſo eſt ejus Satellitium
Et Angelorum multitudo.

Et c. XX. ſi. *Tho goz er bunſih ſinas bluat*
Thaz Kuning ander ni duat.
Nu folget imo thurub thaz
Githigini ſo manegaz.
Fudit pro nobis ſanginem ſuum,
Quod Rex alius non facit.
Itaque ſequitur Ipſum propterea
Famulitium tam varium.

Oritur a Verbo *thigen* i. ambire, inſervire, clientem agere. Otfrid. I. XVII. 44.

Ginado ſino thigitin.
Gratiam ejus ambiremus.
Et v. 124. *Huldi ſino thigitun.*
Gratiam ejus ambibant.

Idem I, IV, 34. *Sinero éregrebti*
Uuarun thiggenti.
Suæ (Divinæ) Majeſtati
Erant inſervientes.

FRONISC. Fron, Vron, publicum ſignificat. Jus Argentoratenſe vetus: *Der Biſchoff ſol niemanne das Vron ambaht beuelhen. ern ſi denne des geſindes ſines Gotzhus.* Quod Latinus textus effert: *Nulli autem Epiſcopus officium publicum committere debet, niſi qui ſit de familia Eccleſiæ ſuæ.* Atque ſicut Jure Romanorum res quædam publicæ etiam SANCTÆ dicuntur, ut Mœnia ac Portæ: ita etiam Majoribus *Vron*, pro ſancto uſurpari placuit. Ita Otfridus II, XI, 114. *Giſcrip frono*, ſcriptura ſacra. IV. 2, 35. *fuazi frono*, ſanctos pedes Salvatoris. Lib. I, V, 66. *zi boton frono*, ad ſanctum Angelum, Gabrielem. Porro a *Fron*, ortum *Froniſc.* illuſtris, generoſus. Otfrid. IV, 4, 42. *fronisgeru eru*, illuſtriori honore. Idem II, VIII, 88. & 188. *fronisgan uuin*, vinum generoſum. Itaque *Froniſc githigini* eſt comitatus illuſtris, Procerum & Vaſallorum Regni a DEO datus, invito etiam Boſone.

Vron, Froniſc.

Digitized by Google

Stuel hier in Vrankon.
ſo bruche her es lango.
Das gedeild er thanne
ſar mit Karlomanne
Bruder ſinemo,
Thia czala vvanni ano.
O das vvarth al geendiſt,
koron vvolda ſin God iz,
Ob her arbeidi
ſo lang tholon mahti.
Lieſs der heidine mann
obar ſie lidan,

Sedem hîc in Francia.
Sic utatur illîs diu!
Hæc diviſit poſtea
cum Carolomanno
Fratre ſuo,
Portionibus fraude absque.
Cum hoc eſſet omne finitum,
Experiri volebat ipſius DEVS hoc,
An is tribulationes
aliquandiu tolerare poſſet.
Permiſit gentilium militem
ſuper eos duci:

Thiot Popu-

Vrankon Francia v. 11. Præter favorem Procerum regni, etiam ſedem regiam a DEO Ludovico datam, ait Poëta, eamque in Francia: *Stul hier in Vrankon.* Francia eſt terra Francorum: ſed cum illi non una in terra ſubſtiterint, diſtinguitur Francia in Veterem & Novam. Vetus Vetus dicitur trans Rhenum ab ipſo uſque ad Albim & Oceanum, ubi ſedes regia *Duisburgum* vulgo creditur, ad Rhenum ſitum, Caſtrumque Deuſonis vocatum. De qua *H. Junius in Batavia c. 9. pag. 126. 156. 171. 173.* Wendelin. *Natal. LL. Salic. cap. XII.* Nova Francia eſt Cisrhenana, quam Franci transrhenani Romanis eripuerunt, & primo quidem occupato Belgio, Faramundo & poſtea Clodione Rege conſtituto, *Dispargi* hodie *Dieſt*, ſedem Regiam conſtituerunt in pago Hasbanienſi. *Chifflet. Vind. Hiſp. pag.* 222. Wendelin. *d. l. cap. XIV.* Maſen. ad Brovver. *Hesberg* rectius legi, i. Hensberg in Juliaco. Certe falſus eſt Wendelinus, quum Diſpergum trans Rhenum fuerit, teſte Sigeberto, nec obſtat locus Greg. Turon. Poſtea circa ann. DVIII. Chlodovæus Rex ab Anaſtaſio Imp. COS. declaratus, Turonis egreſſus Pariſium venit, ubi Cathedram regni conſtituit, teſte *Gregor. Turon. L. 2. cap. XXXII.* Atque ſic tandem tota Gallia ſub imperium Francorum redactum, donec & ipſum Romanum Imperium Occidentale eidem ſub Carolo M. adjectum. Defuncto ipſo & filio Ludovico, diviſio inter nepotes facta, & tota Francia in Orientalem & Occidentalem diviſa, excluſa ſcilicet non tantum Italia, ſed & Burgundia & Lotharingia, quæ poſtea dici cœpit, atque cum ipſa Vrbe Roma ad primogenitum Ludovici Imp. ut Succeſſorem in Imperio Rom. pertinuit. Francia porro Orientalis ad Ludovicum Regem Germaniæ pervenit, Occidentalis vero ad natu minimum fratrem, Carolum Calvum. Hoc loco Francia non omnis, ſed Occidua ſine dubio intelligenda, & cathedra Regia Pariſius.

v. 12. *So bruche her es lango.* Votum hoc eſt a Poëta adjectum pro Regis longævitate & regni felicitate. Kero: *Prubbe, ſi prubbanti, utatur.* Gloſſ. vet. *pruchi uueſan, prodeſſe.* Willeramus in Cant. Cantic. *Thas her thes uuindemodes muoze gebruchan, ut ſibi liceat vindemia frui.* Quanquam voto ſuo Poëta haud mactus fuit, quum Ludovicus illo ipſo anno victorioſo obierit: diviſione regni tamen ante victoriam facta, ut ſupra §. VIII. viſum, eaque inter ipſum Ludovicum & Carolomannum, excluſo Carolo fratre unilaterali, ex Regina tamen nato, quippe qui infantiam tunc nondum egreſſus fuerat. Expreſſurus Poëta partitionis hujus æqualitatem & fraternam æquitatem, ait:

Zala v. 16. *Thia czala uuanni ano.*

Czala vel *zala* non tantum numerum, ſed & partes quondam ſignificavit. Otfrid. ad Ludovic. R. Germ.

v. 113. *Selbar rihi ſina zal*
Rihtit ſcono ſo ſo er ſcal.
Ipſe regni ſui portionem
Regit quam fieri debet optime.

Sic in veteri Regiſtro: *Zuuo zale eins ſeils des groſſen zehendes zu Lachen.* i. duas partes unius ſelionis de decima majori Lachanenſi. Liber Salicus Monaſterii Wiſſenburgenſis: *Item ſuper alio campo quinque quartalia partes.* h. e. fünff vierzal. vulgo *vierzel.* Sic *zvvozal*, Zvvozal ſignificat duas tertias. Jus Argent. *tit. de Viduis. cap. Iſt das Zvvei.* Ibi: *Und ſollen des Mannes erben die Zvvozal nemen, und der frawven erben das dritteil.* Hinc hodienum frequens ad Rhenum vocabulum *Marzal*, rata portio; itemque *Erbezal*, pars hereditaria. Marzal *Wanni ano*, quaſi dicas, fraude abſque: alias & ſine tali figura dicitur *ane vvan, ane geuerde*, treulich, bona fide, ſine dolo malo. *Wan*, Wan falſum, dolum notat. Otfr. II. 2, 37.

Théiſt al giuuis, nalas uuan,
Theiz durub inan iſt gidan,
Thaz uuaz nu uuorolt ſcauuta,
Thaz ſinan irkanta.
Hoc omnino certum, neutiquam falſum,
Quod per Ipſum eſt factum,
Hoc quidquid nunc orbis conſpicit,
Ut Ipſum agnoſcerent.

Idem L. 4. cap. X. 20. de inſtitutione SS. Euchariſtiæ:

Ir ezet, quad er, ana uuan
Lichamon minan.
Manducatis, ajebat, absque fraude
Corpus meum.

v. 17. Hæc ſtropha non unum amanuenſium vitium fovere videtur: emendanda tamen quantum citra opem MSti fieri poteſt. Atque ſuſpecta tamen manet prima vocula *O* pro quum, *als.* *Gendiſt* vel *gendiz*, contractum eſt ex *geendit iſt*, confectum, finitum eſt. *Koron vvolda ſin God is.* i. DEUS ejus hoc volebat experiri, tentare, probare. *Chorunga*, tentatio: Oratio Dominica Alamannorum veterum: *Unde in chorunga nit leitiſt du unſih.* item: *Und leite uns in debeine bechorunge.* Item: *Enti ni unſih firleiti in Khorunga.* i. e. Ne nos inducas in tentationem. Porro *Arbeidi* diſcrimina, periculaque denotat. Kero: *Arbeiti, tribulatio.* At *ſolung* vox nihili eſt: legendum videtur, *So lang*, i. e. quam diu, quousque *vvie lang. Tholon* hodie thulden pronunciamus, tolerare. Willeramus in Cant. Cantic.

Her niet tholan ne uuela.
Ipſe tolerare nihil vult.

Kero: *Doleen, fardoleen, ſuſtinere. Kedoleet uueſan, pati. Dolungono, paſſionibus.* Gloſſæ Lipſii: *Tholon, patiuntur. Tholindon, patientibus.* Et infra v. 27.

v. 22. *Lidan, lithan*, duci, ire, venire, tranſire. Belgis *lyde*, via, tranſitus. *Lyden* tranſire. Nobis hodie *leiten*, ducere. Kero: *Kalid, diſcede. Kelidit, diſcedit.* Gothis: *Galeithan bindar marein*, ire trans fretum, *Matth. VIII.* 18. Hinc Γαλάται *Galaite* ſeſe appellarunt Celtæ trans alpes egreſſi ad Padum conſidentes, atque in Græciam ac Aſiam ſeſe profundentes, h. e. Emiſſorum, emigrantium coloniam. *Mannon ſin*, ita legendum videtur pro *Mannon ſun.* quanquam & hæc promiſcue ſcripta reperi.

v. 21. *Heidine*

Digitized by Google

Thiot Vrancono
mannon ſin diono.
Sume ſar verlorane, 25.
vvurdun ſum erkorane.
Haranſcara tholota
ther er miſſelebeta.

Populum Francorum
militibus eorum ſervire.
Alii ſtatim defecerunt, 25.
Fuerunt alii tentati, (ſollicitati.)
Contumelias patiebatur
quicunque ſecus viveret.

Ther Is

Normanni qui

v. 21. *Heidine man*, gentiles homines, barbaros denotant Nortmannos, à fide Chriſtiana adhuc alienos. De his Glaber Rodulphus L. 1. Hiſtor. c. V. *Normanni nomen inde ſumſere, quoniam raptus amore primitus egreſſi ex Aquilonaribus partibus audacter Occidentalem petiere plagam. Siquidem lingua illorum propria NORT aquilo dicitur, MINT* (manne) *quoque populus appellatur. Inde vero Normanni quaſi Aquilonaris populus denominatur*, & quæ ſequuntur plura de eorum progreſſibus in Occidentali plaga. Fragmentum hiſtoriæ Aquitanicæ ex pervetuſta ſcheda a Frehero editum: *Eo tempore infinita multitudo Normannorum ex Dannemarcha & Treſcha* (Freſia *emendat doctiſſ. Leibnüz. in literis*) *regione cum claſſe innumera mare tranſeuntes, armis confidentes, & multitudine feroci hoſtium appulerunt portum Aquitanicum.* Aimoinus Lib. 2. c. 2. *Dani, gens inquietiſſima conſcenſis quam plurimis navibus, fines regni Theodorici Regis ingreſſi depopulantur* &c. Albertus Stadenſis de XL. bellis Caroli M. ait: *Vltimum contra Normannos, qui Dani vocantur, primo piraticam exercentes, deinde majori claſſe littora Galliæ & Germaniæ vaſtantes bellum ſuſceptum eſt*, &c. qui etſi à Carolo in ordinem redacti, non ceſſarunt tamen poſt illius exceſſum, ſucceſſores in utraque Francia inquietare, usque ad hunc Ludovicum & ultra. Idem Glaber Rudolphus Lib. 1. c. V. *Et licet poſt hæc plures inſulas ac provincias mari contiguas, iidem ſcilicet Normanni depopulaverint, in partes tamen Francorum Regum forte regendas non deinceps niſi ab eisdem Regibus evocati, conſcenderunt. Quia etiam paulo poſt viciſſim ſcilicet Franci, necnon & Burgundionum plerique cum prædictis Normannis catholicæ fidei jam effectis cultoribus, pacifice vixere connubia, atque unius Regis regnum pari conſenſu decrevere dici & eſſe: Indeque orti Duces excellentiſſimi, Guillermus videlicet, atque poſt ipſum quique dominati, paterno ſeu avito jure Richardi. Illorum quippe Ducaminis principatum fuit metropolis civitas ROTOMAGVM.* Et quæ plura ibi ſequuntur de Ducatu Normanniæ inde ſuſcitato. conf. & Th. Cragium, *Lib. Feudor. pag. 30.*

Stat. corruptus

v. 25. Deſcribit porro autor Carminis ſtatum corruptum Franciæ occaſione Nortmannicæ ſervitutis atque Tyrannidis. Nec ipſi tantum Normanni piraticam exercentes, præcipuas urbes ac provincias vaſtabant, ſed etiam de Francis ipſis, ut ſolet in ejusmodi turbis contingere, multi vel ex deſperatione vel ex malitia ad hoſtem deficiebant, cum ipſo colludentes, variisque criminibus noxii. De his ait: *Sume ſar verlorane*, i. alii Francorum ſtatim defecerunt ad hoſtem, latrociniis ſuis ſecuritatem quærentes. De quibus jam tum ſub Carolo Calvo Servat. Lupus Abbas Ferrarienſis Epiſtola CIV. conqueſtus: *In regno Caroli Regis noſtri novis exortis rebus, impune latrocinia committuntur, & nihil ſecurius atque conſtantius quam rapinarum violentia frequentatur. Talis igitur eſt commeantium quærenda ſocietas, quorum numero atque virtute improborum factio evitetur, aut ſi neceſſe fuerit, repelletur.* Hæc improborum factio eſt illorum perditorum, *verlorane*, quos noſter vocat, qui mox alios plures in ſuas partes trahere tentarunt, atque ſollicitare: unde ſequitur.

verſ. 26. *uurdun ſum erkorane,*
Fuerunt alii attentati.

Koron enim ut ante viſum, tentare, attentare, ſollicitare ac ſeducere ſignificat. Unde compoſita, *bikoron, gikoron, erkoron.* Koron

v. 27. At ita ſollicitati ſi cum improbis non voluiſſent facere, variis contumeliis fuiſſe affectos, ait:

Haranſcara tholota Haranskata
Ther es miſſi lebeta.
Contumeliam patiebatur
Quicunque ab ipſis ſeorſim ſecusque viveret.

HARANSCARA vox compoſita ex *Har*, crinis, & *Skerin*, abſcindere, radere: Itaque ſignificat primo tonſuram capillorum, & conſequenter ſpeciem pœnæ ignominioſæ & ſervilis. Et denique latius pro omni vexatione, quæ ſcurris ſolet fieri. Kero: *Skerin, Scerne, Skerneſskeru, ſcurrilitas.* Gloſſæ Lipſii: *Scerni, ſubſannatio. Scern, illuſio.* Qua voce hodieque vulgus noſtrum in ea notione utitur. Pœnæ illa ſpecies in Legibus noſtris etiam vocatur *Har abslaben.* Itemque *Haut und Haar abslaben*, i. e. tonſum fuſtigare. Quod etiam *ſcheren und villen* vocatur. Leges priſcæ Argentoratenſes: *Svver da vurſchuldet. das man ſcheren und villen ſol. das ſol der Stokvverter tun.* i. Siquis dampnationem pellis & pili acceperit, hanc pœnam cypparius infliget. De hac pœna Kapitulare I. Caroli M. an. 809. *Si ſervus* (forbannitum ſuſceperit) *centum viginti ictus accipiat, & inſuper dimidium caput ejus tondeatur.* Luitprandus Rex Longobardorum Lib. I. Tit. XXV. cap. LXIII. de pœna furti: *Si talis perſona fuerit, ut non habeat, unde ipſum componere debeat, judex debet eum dare in manibus illius, cui furtum fecerit, & ipſe de eo faciat, quod voluerit: & ſi poſtea ipſe iterum in furto tentus fuerit, DECALVET eum & CÆDAT per diſciplinam, ſicut decet furem, & ponat in eo ſignum in frontem & in facie.* Pax publica Alſatiæ an. 1051. Hagenoæ ſancita ſub Henrico III. Imp. *Siquis ſicli unius aut duorum pretii furtum aut prædam fecerit, CORIUM cum CAPILLIS perdat.*

Ipſa hæc vox Haranſcara reperitur etiam in reſcripto Henrici IV. Imper. ad Epiſcopum Bambergenſem an. 1056. ubi intercedit pro milite, ut huic *illam HARANSCARAM cum vadimonio, quam vobis jurejur. promiſit, dimittatis.* Quam quidem ſcripturam perperam factam putavit Du Freſne in Gloſſar. h. v. ſed arbitror vocem hanc Teutonicam ſcriptores Teutonicos rectius ſcripſiſſe, quam aliarum nationum ſcriptores. Unde potius crediderim in Capitularibus lingua provinciali aut Latina perperam ſcribi *Harmiſcara, Armiſcara, Harmſcara, Aruſcara*, & *Harniſcara*, quæ poſtrema lectio punctum tantum tranſponit, *Harinſcara* quod idem eſt noſtrum *Haranſcara.* Perperam etiam legitur apud Reginon. L. I. de Eccl. Diſcipl. cap. 241. fi. *Nos decernamus, utrum nobis placeat, ut illum bannum perſolvant, aut aliam harinſcaram ſuſtineant*, i. pœnam. Ex quo loco videtur collegiſſe Sirmondus, hac voce denotari pœnam *arbitrariam*, quod & Hildebrandus ſecutus. Lindebrogius notat vulgarem lectionem eſſe, *Ariſcadam.* Aliud autem eſt *Ariſcada*, compoſitum ex *Ari* honor, ehre, & *ſcada* damnum, mulcta, ſchaden. Ariſcada Quod recte Speelmannus interpretatus *pœnam infamiæ*, pœnam ignominioſam, quod noſtrates vocant *einen ſpott*, quod noceat honori & famæ. Amerpachius defenſurus lectionem *Armiſcara*, interpretatur quaſi forcipem brachii, quæ interpretatio plane ridicula. At car-

Digitized by Google

Ther ther thanne thiob vvas,
ind er thanana ginas,
Nam ſine vaſton
Sidd vvarth ber guotman.
Sum vvas luginari,
ſum vvas skachari,
Sum falloſes,
Ind er giburtha ſih thes.
Kuning vvas ebruirrit,
das richi al girrit.
Was ebrbolg an Kriſt,
leid her thes ingaldiz.

Is qui tum latrunculus fuerat,
atque hinc (his in turbis) invaluerat,
Occupavit ejus (Regis) caſtra:
ex quo factus is nobilis.
Alius erat mendax, (falſarius)
alius erat ſicarius,
Alius deſertor,
Et quilibet extollebat ſe eo (crimine.)
Rex erat attonitus.
Regnum totum perplexum.
Erat iratus CHRISTUS,
permiſit hanc tyrannidem,

Thob At

men hoc noſtrum & genuinam ſcriptionem monſtrat, & ſignificationem quoque primæva laxiorem, de quovis iguominiarum & contumeliarum genere.

v. 29. *Ther ther thanne thiob uuas.* Pergit in eodem argumento corrupti ſtatus publici. *Thiob*, hodie Dieb vocamus, h. e. furem, ſed veteribus furem improbiorem etiam ſignificavit, h. e. latronem, latrunculum, raptorem. Otfrid. L. II. cap. XI. 47. quod mercantes Domum DEI ſpeluncam latronum fecerint, ita reddit:

Thiob latro

Nu duent iz man ginuage
Zi ſcabero luage.
Zi thiobo anauuelti.
Nunc feciſtis eam abunde
Sicariorum ſpeluncam,
Latronum latibulum.

Hîc imprimis ad latrocinia, quæ tum ut ex Lupo ante oſtendimus, impune fiebant, reflectit Poëta, quanquam etiam generatim homines nequam, & præſertim proditores patriæ complectitur. Id enim innuit, hujus farinæ homines, vaſallos aut præfectos relicto Domino ſuo, commodum privatum publico prætuliſſe, caſtra quæ tenuerunt, hoſtibus Normannis prodidiſſe, ac viciſſim emolumenta ſua cepiſſe, auctosque fuiſſe. Quales homines jamtum tempore Caroli Calvi extiterunt. Nomenoius Dux Britonum, Ludovico Imp. & Carolo filio adhæſerat, ſed regnum affectans in Brittannia auctore Lamberto Comite Nannetenſi, Andegavis & vicina eis circumquaque loca pervaſerat, Epiſcopos legitimos expulerat, fures & latrones introduxerat, qua de re legenda S. Lupi Epiſtola LXXXIV. eodem tempore quo Normanni inter Burdegalam & Santones eruptionem fecerant, *idem Lup. Epiſt. XXXI.* & ibi St. Baluz.

v. 32. Itaque & ſeculares & eccleſiaſtici pariter iſtis turbis Normannicis fures & latrones notantur: atque ex rapinis ſuis ac ſceleribus magnas cepiſſe vires, & evaſiſſe GOVDMANS. Gothis: *Godakunds*, nobilis, ἐυγενὴς. Levoldus de Northof in Chron. Comit. de Marka an. 1262. pag. 389. *Capti ſunt uſque ad numerum XXC. bonorum hominum vel circiter militarium.* Ubi H. Meibomius obſervat, *Gudemans* Majoribus noſtris nominatos equeſtris ordinis homines, ἱππόδρομοι. Hoc loco præpotentem denotat, ſed in deteriorem ſenſum: in quo Otfrid. I, XIX, 36. *goteuuuto* de Herode utitur.

Goudman

Thas uuas ther ſun guato,
unz ſtarb ther Goteuuuto.
Iſthic (in Aegypto) erat filius illuſtris,
Uſque dum moreretur Tyrannus.

Vetus translatio Samuelis Afri Epiſtolæ ex Latina in Germaniam ab Alphonſo Hiſpano: Ich bruder Alfonſus ein gut menſche von Spangen. Fragment. MS. de bello Saracenico in Hiſpania Caroli M. v. 2372. vocat *gote Knechte*, ſtrenuos milites:

Ther ſite vvas under göten Knehten
Sie kunden vvole uehten.
Mos hic erat inter ſtrenuos milites,
Poterant bene pugnare.

Conf. ſi lubet C. Barth. in Brirton. V. Philippid. v. 220.

v. 35. *Sum falloſes.* Compoſitum ex *Fal*, fala, fallun, felonia, defectus, abfall, deſertio, deceptio, inſidiæ: & *Los.* Otfrid. ad Ludov. R. v. 60.

Ioh bimide io zala
thero fianto fala
Evitet pericula,
Hoſtium inſidias.

Inde vulgare dicterium adhuc reliquum, *einen af der fale ertappen*, deprehendere quem improbum, veteratorem. Et *faliſch*, falſch, falſus. Itemque *Falle*, decipula. *Confer. Gloſſar. Du Freſne v. Fallire & Fallum. LOS. Loſes*, dolus, fraus. Gloſſæ Lipſii: *Loſen, doloſum. Loſin, doloſo, Loſanga, dolos.* Freheri Gloſſæ Belgicæ: *Fraudulentus, loes. dolus, Losheit. doloſe, losleke.* Itaque *Falloſes* ſunt veteratores, defraudatores doloſi, proditores.

v. 36. *Ind er giburtha ſih thes.* hodie: *ſich des uberheben, erheben.* Nam *Büren* eſt contingere, oriri, provenire, ſe tollere. Willeramus in Cant. Cant. pag. 65. *Burit ſih*, attollit ſe. Et pag. 9. *uuanan ſih thas leyth geburede*, unde hæc acerbitas provenerit. Gloſſæ veteres: *ufburrenti, attollens.* Vide *infra v. 87.*

v. 37. *Kuning vvas ebruirrit.* Deſcripto ſtatu populi, deſcribitur etiam aulæ regiæ ſtatus. *Eruirren* eſt auferre, *entfüren.* Kero: *Si eruirrit, auferatur. Erfirtero, auferenti.* Speciatim de animi perturbatione & quaſi amotione. Gloſſæ Lipſii:

Inferron ſal, obſtupefacies.

Otfrid. I, II, 63. de malitia Satanæ:

Irfirrit uuerde balo ſin.
Tollatur (obſtupeſcat) malitia ejus.

Rex itaque perplexus & perturbatus hic dicitur.

v. 38. *Das Richi al girrit* i. e. *geirret:* Totum Regnum conſternatum fuit. Otfrid. IV. XV. 40.

Bin ouh lib inti uuar,
Bithiu ni girrot ir thar.
Ego ſum vita & veritas,
Propterea non aberratis hic (in me)

Et lib. III, XXVI, 81.

So ſint ſe alle girrit,
Thes uuiges gimerrit.
Sic ſunt illi omnes perplexi
Prælio illigati.

Sic hodieque dicimus de perplexo & conſternato, *Er iſt ganz irre vvorden.*

v. 39. *Was ebrbolgan Kriſt.* Achilles Gaſſarus in Dictionariolo Otfrido a Flacio præfixo: *Irbalg, verbarg. Irbolgono, verberge, verhalte*, i. e. *ſe abſcondere.* Intendit Achilles ille ſine dubio locum Otfridi IV, 33, 1.

Summa

Thoh erbarmed es God,
vviſs er alla thia nod,
Hieſs herr HLudvvigan
tharot ſar ritan.
Hludvvig kuning min 45.
hilph minan liutin,
Heigun

At miſertus eſt DEVS,
cognoverat omnem hanc calamitatem.
Juſſit Dominum HLudovicum
eo illico proficiſci.
HLudovice, Rex mi,
juva meum populum,
Eum

Sunna irbalg ſih thrato,
ſulichero dato.
Sol abſcondit ſe penitus
tali facinore.

Sed rectius transfertur, Sol indignatus vehementer tali facinori. Nam *irbalgan* eſt iraſci, & ex indignatione conſequenter adſpectu non dignari. Idem Otfridus in Cantic. Eſaiæ cap. XII. *Ih lobon dih Trohtin, uuanda du mir irbolgon uuare in demo ahteſale.* i. confitebor tibi Domine, quoniam iratus mihi eras in hac calamitate. Idem Evangel. L. V, 8, 116.

Freuuida zi libe
Ni ſit irbolgan uuibe.
Lætificati ad vitam
Ne ſitis irati mulieri. (Evæ)

Abulges-dag, dies iræ, idem V, XIX, 46. Et vulgus Argentoratenſe *balgen* uſurpat pro iraſci, *erzürnen*. Dicitur igitur hic Salvator abſcondiſſe faciem ſuam præ ira, & permiſiſſe tyrannidem Normannorum in pœnam. In quam ſententiam & Regino Chron. ann. 882. ait: *Sed conatus ejus* (Caroli Craſſi) *parum effectum obtinuit, quanquam ut diximus, ex diverſis regnis & gentibus inæſtimabilis multitudo in unum confluxit, Indignatione cœleſti ſuper Populum Chriſtianum religionem prophanantem deſæviente.* Idem ann. ſeq. de Normannorum ſucceſſibus: *Sic omnipotens DEUS iratus regno Lotharii adverſabatur, & talibus incrementorum cladibus vires ejusdem regni radicitus exterminabat, ut prophetia ſanctiſſimi Nicolai Papæ, ſimul etiam maledictum quod ſuper idem regnum protulerat, adimpleretur.* Sed & antea regnante Carolo Calvo Epiſcopi Synodi Meldenſis conqueſti: *Quartum ex convenienția in prædicto conventu cœptum, & in Verno palatio perpetratum; ſed invidia ac malitia diaboli ſeu miniſtrorum ejus, nondum Principis & populi auribus propalatum. Inde vero, quia, ſicut neceſſe fuerat, divinis juſſionibus non eſt ſecuta obedientia, dedit Dominus ab Aquilone, unde, juxta Prophetam, pandetur omne malum, dignos meritis noſtris apoſtolos, crudeles ſcililet & immaniſſimos Chriſtianitatis perſecutores Northmannos.*

v. 40. *Leid ber ther ingaldiz.*

Ingaldiz eſt & obſcuriſſima vox & plane ſuſpecta. Convenientior lectio eſſet: *thezin galdiz.* Sed quid Galdiz ſit æque obſcurum. Gothis & Svecis celebratur *Arafna Galdur ötbins*, i. e. Incantamentum Corvinum Odini. Itemque *Gröu-Galdur, er böngöl ſyne ſinum dauth* i. e. Incantamentum Groæ quod mortuo filio cecinit. Ita interpretati olim hoc, ſed vox incantare mediæ Latinitatis ſcriptoribus non accipitur de actu Magico: nec enim tantum jamtum Lampridius dixit, *Carmina profana incantare.* Sed & Gloſſ. Gr. Latin. habet: ἐπᾴδω, incanto, præcanto. Et *Incantare* apud Italos & Gallos eſt idem quod publice vendere vel ſub haſta, vel per præconem, *durch offentlichen ausruff*; id quod hodieque alicubi cantando fieri ſolet. *Conf. Gloſſar. Du Freſn. v. incantare.* J. Lipſius in Gloſſis ſuis habet: *Galenderi, incantantis.* Gloſſæ antiquæ MSS. Du Freſnii, *Galantes, ſperantes.* Sed hæ ſignificationes alienæ omnino videntur. Boxhornii Dictionarium Brittanicum: *Galanas, inimicitia, homicidium.*

Quare dum nihil certi adhuc de hoc vocabulo conſtitui poſſit, malui ſenſum exprimere, donec ex MS. ipſo verior lectio, aut ex locis auctorum parallelis ſignificatio vera eruatur: conjecturis interim contenti ſimus, oportet. Arbitor itaque eſſe antiquam vocem *Gald*, vel Gvvald, Walt, potentia, tyrannis. Kero: *uualtantem, potentibus.* Gloſſa Lipſii, *ualdan ſal, dominabitur.* Gothis *gavvaldan*, dominari. Marci X, 42. *thai mikilans ize gavvaldand im.* Anglo Saxones: *hyra ealdras anvveald ofer hi habbath.* i. Principes eorum poteſtatem habent ipſorum. Otfridus I, 27, 18. *thie richun lantvvalton*, i. divites terræ proceres. *Ingaldiz* poſſet tandem eſſe compoſitum, ut *Indati*, unthaten, *Inzibt*, unzucht, frevel. Itaque *Ingaldiz*, impotentia animi i. tyrannis. Conjicit Cl. Roſtgaardius, Danus, in literis ad me d. 13. Nov. 1697. datis leg. ni gald iz, nec id punivit. Quod ab initio non diſplicuit, donec deprehendi Verba *ingelten, ingaltniſſe*, retributio, pœna. V. Gloſſar.

v. 44. *Tharot.* videtur legendum *tharort*, eo loci, *therer orte, thes orts.* Sic *Widerort*, retrorſum, *Otfrid. I, XI, 41. c. XXII, 58.* itemque *Heimortes*, domum, *Idem I, 21, 7.* Sic *Frammordes*, *Frammert*, porro, in poſterum. Formula vetus Confeſſionis Eccleſiaſticæ: *Inti gerro buazzin frammert.* i. & cupio emendare deinceps. Formula fœderis pacis inter Ludovicum & Carolum Reges, fratres, an. 842. *Fon theſemo dage frammordes*, ab hoc die in poſterum.

Ritan, equitare. Gloſſæ veteres: *Ritante, equites. Ritin in geuueſinin*, equitare in armis, *Rhythm. de S. Annone §. 9.* Hîc ſpeciatim denotat Expeditionem ſuſcipere belliçam. *Reite*, expeditio: quæ & Latine Equitatio dicitur in charta apud Du Freſn. *Gloſſar. v. Vexill. S. Martini.* Jus vetus Argentor. c. XLIX. *Svven der Biſchbov fert des Keiſers reite.* i. quando Epiſcopus iverit in expeditionem Imperatoris. Cui opponitur *zu hofe varen.* c. L. *Svvenne der Biſchof zu des Keiſers hof vert oder herverte*, i. quoties Epiſcopus in Imperatoris Curiam vel expeditionem iverit. Hinc *Reitleben*, feudum quod debet ſervitia militaria: cui opponitur *Seſsleben*, feudum cujus poſſeſſor non tenetur in expeditionem ire, ſed vel caſtrum aliquod defendere, quod ſpeciatim *Burglehen* dicitur, vel in conventibus, Domini vices gerere, vel alia præſtare præter expeditionem bellicam. Neque *ritan* duntaxat notat equo vehi, ſed & curru: ut & hodieque Helvetiis & Auſtriacis eſt in uſu, itemque Belgis, *met de vvagen ryden.* Unde *Reidevvagonon*, curribus, Cantic. Cantic. Willerami cap. 1, 9. *Ih habo dih, friuntin min, geebenmazzot minemo reitgeſinde an den reitvvagenon Pharaonis.* i. e. Aſſimilavi te, Amica mea, equitatui meo in curribus Pharaonis. Hinc Vox Gallo-Celtica *Petoritum.* Feſtus: *Petoritum, & Gallicum vehiculum eſſe, & nomen ejus dictum exiſtimant à numero quatuor rotarum. Alii Oſce, quod ii quoque PETORA quatuor vocent. Alii Græce ſed* διωλικῶς *dictum.* Verum evincit Agellius Lib. XV. c. 30. ex Lib. XIV. Rer. Divin. M. Varronis, eſſe id verbum Gallicum & totum trans alpibus factum. Boxhornius Lexic. Brittan. *Pedvvar, quatuor. Rhedeg, currere. Blaenrhad, præcurſor.* Facit denique huc ad Equitationem Francorum, quod Annales Fuldenſes ann. 891. *Francis pedetentim* (pedatim, zu fuſs) certare *inuſitatum eſt. Arnulphi Imp. tamen verbis incitati, pedeſtre bellum aggreſſi contra Nordmannos & Danos, prius Regem flagitantes ut equitando eos procuraret ne quid eis pugnantibus a tergo inſidiis inimicorum timendum ſit.*

Heigun ſa Nordman
harto biduuungan.
Thanne ſprach Hludvvig,
Herro ſo duon ih,
Dot ni rette mir iz,
al thas thu gibiudiſt.
Tho nam her Godes vrlub,
huob her gundfanon uf,
Reit her thara in Vrankon,
ingagan Nortmannon.
Gode thancodun
theſin beidodun.
Quad: Hin al fromin,
ſo lango beiden uuir thin.
Thanno ſprach luto
Hludvvig der guoto:
„ *Troſtet biu geſellion,*
„ *mine notſtallon,*

Eum Nortmanni
dure preſſerunt.
Tunc dixit Ludovicus:
DOMINE, ſic faciam,
Mors ne prohibeat mihi hoc,
omne quod Tu mandas.
Tunc cepit is DEI veniam,
ſuſtulit vexillum claſſicum,
Expeditionem fecit in Franciam
adverſus Nortmannos:
DEO gratias agens,
hunc exſpectans,
Dixit: Agedum DOMINE,
tam diu exſpectamus Te.
Poſtea elocutus clare
Ludovicus ille illuſtris:
Bono eſtote animo, Commilitones,
Conſtabularii mei.

„ *Hera*

Huc

v. 47. *Heigun ſa Nordman harto biduungan.* Heigen, Eigen, habere. Kero: *Eigit, habet. Eigun, habent.* Otfrid. 1, 18, 46. *uuir eigun es firlazan.* i. deſeruimus.

v. 51. *Dot ni rette mir iz.* Retten eſt defendere, ſed ut defendere duo denotat, & prohibere ne hoſtis moleſtet, & moleſtantem jam arcere, *Vide Gloſſar. Du Freſne D.* ita & *Retten* hodie in poſteriori ſignificatu uſurpatur. Hic prohibendi notationem habet.

v. 54. GVNDFANON. *Fanon* in genere eſt faſcia, linteum, pannus. Lex Alemannorum Tit. LIX. 6. *Medicus cum pinna aut fanone tetigit.* Tit. LXXXIX. *involvat in fanone & ponat ſigillum.* Gothica verſio: *Plat fauins niugis*, aſſumentum panni novi. *Marc.* 2, 21. De Fanonibus Offertoriis Du Freſn. in Gloſſar. Hîc ſignificat faſciam alligatam fuſti aut perticæ vel haſtæ, ad militem ducendum. Porro *Gundfano*, Gloſſæ veteres ſcribunt per Ch. *Chundfano*, *vexilla.* Chunden, Kunden eſt indicare, denunciare, ſignum dare, ut Turcarum Cauda equina. Itaque Gundfan eſt proprie Vexillum claſſicum, index belli. Alias *Herifanon*, Banner, Panier: Banerherren, Banereſii. *Sturmfan* item. Albertus Argentin. an. 1349. *Carolus Rex hoc audito ſtatim banerium ſuum, quod dicitur* Sturmfan, *ſuper turrim Eccleſiæ Spirenſis conſtituit.* Mos vetus hinc liquet, quod Imperator vel Rex ipſe primus vexillum ſuſtulerit, quod poſtea Gundfanonario commiſit. De Gundfanonariis, *Gloſſar. Du Freſne*, & Origines Franc. Caſencevii *voc. Gonfanon.* & *Confanonier.* ubi tamen Chundfanon & *Wiffa* non ſunt confundenda; quum Wiffæ ſive Wippæ etiam ſint privatorum extra uſum armorum & bellicum, & generatim denotat Signum & inſignia quoque ſive arma, ein Wapen, ut ſymbolum proprietatis vel poſſeſſionis. Wiffare, faiſir, beſtecken.

v. 55. *Reit her thara in Vrankon.* Profectionem ſive Expeditionem Ludovici R. Galliæ anno quo idem Rex obiit, breviter deſcribit Regino, cujus verba antea jam pag. 6. adducta, una cum relatis ex Annalibus Fuldenſibus & Bedæ continuatore. Sed Sedalkurch & pagus Viminacus ad Sequanam ſitus, ubi hæc victoria obtenta. Nam Nortmanni qui anno 881. in loco qui dicitur Haslou juxta Moſam conſederant, Sonum fluvium intrarunt, ibique conſederunt usque ad ann. 884. ubi mortuo Ludovico a Carolomanno fratre accepta pecuniâ marina litora repetierunt, ut habent verba Reginonis. Ludovicus ergo ex Gallia profectus eos aggreſſus ad fluvium Sonum ſive Sequanam, quum ibi creberrimas incurſiones, ut loquitur idem Regino, facerent, præſertim in Belgium Gallicum, Rotomagenſem pagum & viciniam. Hoc eſt quod Noſter ait expeditionem Regem ſuſcepiſſe *in Franciam* ſcilicet Occiduam & Belgium Gallicum in pago Viminaco, ad villam Sedalkirch.

v. 59. *Hin al Fromin.* Videtur legendum *Hie al*, hîc omnes, Domine, Te exſpectamus. Vel *Hinan.* Fragm. MS. Carminis de Bell. Car. M. Saracenico v. 1278. *binen mere*, hinfüro, deinceps. Sed nihil muto. *Hin, bina, bine, binen*, promiſcue uſurpata. Fuit formula aggredientis aliquid in nomine Domini. Sicut hodie dicimus: *Walts Got.* Alfromin, *from* bonus, *alfrom*, optimus; eſt itaque *alfromin*, mi optime. Ita apud Otfridum L. 1. c. 5, 69. S. Maria alloquitur Archangelum:

Vuannana iſt iz, Fromin,
thaz ih es uuirdig bin.
Quandoquidem ſic eſt, Domine, (mi Bone)
quod ego digna ſim &c.

Sic & alia Maria ad angelos ſepulchrales lib. V. 7, 69.

Bithiu, Fromin, ſo ih iu redinon.
Propterea, Domini mei, quod vobis dico.

Et v. 97. ad hortulanum:

Fromin, dua mih uuis.
Domine fac me certiorem.

v. 63. Ludovicus Rex pius, exhibetur porro, precatione brevi ad DEVM effuſa pro ſpe victoriæ, ut concionatur militi pro more Ducum militarium, & ad imitationem Poëtarum veterum, ad incitandos militum animos. Ait: *Troſtet biu.* Pro *biu* Francico & Belgico Alemanni dixerunt *iu*, vos, *euch*, Troſten eſt conſolari, *Troſtet iu*, ſive *ſih troſten*, eſt *eine courage ein hertz faſſen*, quaſi dicat: Fortes eſtote. Sic alloquitur Rex *die geſellion*, commilitones, vaſallos, ſubditos ſuos. Poſſet quis opinari, latere hîc etymon vocis *Vaſallorum.* Sed magis eſt, ut dicamus, vocabulum Vaſallorum diminutivum eſſe a *Baſſus*, Vaſſus, id eſt ſubvaſſus, baſſus minor, quum in Capitulis Karolinis *Baſſus* vaſallum majorem & Capitaneum denotet. Troſten ſih. Geſellion

v. 64. NOTSTALLON, conſtabularios reddidi. Stall a Stabulo dictum, Staplum, Staplus, Stapel, Staphel, Synonyma priſcis. Imprimis vero Stabulum, Stall fuit equorum, atque *κατ' ἐξοχὴν* regium, hinc Comes ſtabuli, *l. 3. C. Th. de equor. conlat.* & corrupte *Conſtabulus.* Regino an. 807. *Burchardum comitem ſtabuli ſui, quem corrupte Conſtabulum* appellamus. Itaque dignitas hæc Conſtabulariorum primo Palatina fuit, *Stallmeiſter:* atque apud Impp. CPolitanos etiam Κονοσταύλης appellarunt, qui præerant Francis ad palatii cuſtodiam, pro more, addictis. Mox in militarem quoque dignitatem translata, & is, qui alias Tribunus militum, dictus Comes Stabuli: isque porro tum in caſtris, tum in urbibus, qui harum cuſtodiæ adhibiti. Concilium Turonenſe ann. 1163. c. 10. *In villis vel urbibus vel caſtellis,* Stall, Conſtabulus. Conſtabularius. 1. 2.

qua

Digitized by Google

„ *Hera ſanta mih God,*
„ *doh mir ſelbo genod,*
„ *Oh hiu rat thuti,*
„ *thaz ih hier gefurti.*
„ *Mih ſelbon ni ſparoti,*
„ *unz ih hiu ginerrti.*
„ *Nu vuil ih thas mir uolgon*
„ *alle Godes holdon.*
„ *Giskerit iſt thiu hieruuiſt*
„ *ſo lango ſo uuil Kriſt.*
„ *Uuil her unſa bina uuarth,*
„ *thero habet giuuaht.*
„ *So uuer ſo hier in ellian*
„ *giduat Godes uuillian,*
„ *Quimit he giſund us,*
„ *ih gilonon imos.*

Huc miſit me DEVS,
proficiat mihi ipſius gratia
Ut vos conſilium detis,
ut ego exercitum educam.
Mihi ipſi non parcam,
donec ego vos liberem.
Nunc volo ut me ſequantur
omnes DEI fideles.
Data eſt hæc vita
tam diu quam vult Chriſtus.
Quia is noſtra oſſa ſervat,
eorum habet cuſtodiam.
Quicunque hîc in alacritate
facit DEI voluntatem,
Egreditur is integer (ex prælio)
ego præmio afficiam ipſum.

Bilibit Si quis

---

quæ Regis ſubſunt dominio, in quibus Conſtabularii ad tempus ſtatuuntur. Tertio etiam ad Tribunalia hoc dignitatis vocabulum extenſum, & *Staplus* 3. ſignificat Palatium, Mallum, locum judicii. Lex Ripuariorum Tit. XXXIII. §. 1. *Si extra regnum ad regis ſtaplum vel ad eum locum ubi mallus eſt, auctorem ſuum in præſente habeat.* Du Freſne *Gloſſar. v. Staplus.* A qua notatione Conſtabularii Argentoratenſes denominati, vulgo *Conſtoffler*, Equites & Nobiles ab initio urbis non tantum ad cuſtodiendam & defendendam eam adverſus hoſtium vim conſtituti, ſed etiam ad jus dicendum in Palatio regio, quod hodieque inde nomen retinet, *die Pfalz.* Brovver. *Lib. VIII. Annal. Trever.* à Stapholo, gradu, ſtaffel, deducit, quod per gradus ad tribunalia adſcendamus: ſed magis eſt, quod diximus, quam ut hybridam vocem ſine neceſſitate fingamus. Denique & vox Conſtoffel Argentoratenſibus non præcisè illos denotant Nobiles, qui Senatores ſunt, & graduum tribunalis participes, ſed imo & iis contradiſtinguuntur. Conſtitutio Argentor. vetus cap. CXXVI. §. 6. *die Conſtofeler vvenne ſo ein geſchelle vvirt, ſo ſullent ſie in ire Conſtofelle bliben bi demſelben eyde, one die des Rotes ſint.* Et alia, cujus Rubrica: *das nieman von den Antvverken zu den Conſtofelen kommen ſoll*, ea eſt Seculi XV. Hi etiam ſimpliciter dicti *Stallarii, Stallere*, i. e. Stallhere, Stallherr. Vid. Gloſſaria Speelmanni & Du Freſne *voc. Stallar.* & *Comes Stabuli.* Conſtoffler.

NOTSTALLON cur hic dicantur, non æque liquet. Eſt autem *Not, noti*, & veteribus & nobis quoque neceſſitas & obligatio imprimis in periculis, anguſtiis. Itaque Notſtallon ſunt Stallarii neceſſarii, h. e. equites, milites, vaſalli, qui etiam non requiſiti à domino, ſi modo ſciant ei magnum periculum imminere, ultro, ſine requiſitione, obligati ſunt adjutorium ſuum ei præſtare, ut loquitur Obertus ab Orto 2. F. 26. §. *licet.* Fragmentum MS. de bello Caroli M. in Hiſpania contra Sarracenos, v. 2537.

Tho uobten vvolle thie Criſtenen.
alſo ſie Got vvolde friſten.
Thie vvaren Godes ſtrangen.
thie lieuen Notgeſtallen.
Tunc pugnarunt bene Chriſtiani.
ſicut eos DEUS volebat conſervare.
Hi erant DEI ſtrenui,
dilecti vaſalli, milites neceſſarii,

Et v. 2640. de milite Saraceno victo:

Sie uuaren rehte notgeſtallen
Thurh not möſen uallen.
Erant veri notgeſtallen,
Ex neceſſitate debeant cadere.

Ita *Notuuerch*, angariam interpretantur Gloſſæ veteres. *Noterbe* hodieque ſuus heres, ſive neceſſarius, qui ex neceſſitate juris debet inſtitui ſaltem quoad legitimam.

v. 66. *Doh.* Videtur potius verbum eſſe, *dihen, doh*, proficere, prodeſſe. V. Gloſſ.

v. 67. Recte porro atque ordine bellum contra Normannos ſuſcepit Ludovicus ex auſpicio divino & conſilio ordinum & vaſallorum. Id enim requirebat jamtum Pax Confluentana ante viginti tunc annos & quod excurrit inter Carolum avum & Ludovicum I. Regem Germaniæ condita, cap. X. *Ut noſtri Fideles unusquisque in ſuo ordine & ſtatu veraciter ſint de nobis ſecuri. —— Illorum, ſcilicet veraciter nobis fidelium communi conſilio —— aſſenſum præbebimus in hoc, ut illi non ſolum non ſint nobis contradicentes & reſiſtentes ad iſta exſequenda, verum etiam ſic ſint nobis fideles & obedientes ac veri adjutores atque cooperatores vero conſilio & ſincero auxilio ad iſta peragenda, quæ præmiſimus, ſicut per rectum unusquisque in ſuo ordine & ſtatu, ſuo Principi & ſuo Seniori eſſe debet.*

v. 68. 70. *Hier*, her, heri, promiſcue uſurpata pro exercitu, *heer*, hodie. *Ginerrti*, nerien priſcis liberare. Otfrid. II, VII, 25. de Agno DEI: *Thaz thiu liuti nerita.* qui homines ſalvaret. Item I, V, 108.

Noh uuinkil untar himile.
Thar er fih ginerie.
Nec angulus (eſt) ſub cœlo,
Quo ſeſe eriperet.

Idem Lib. II, XIV, ult. & L. V, c. XIX. 28. & ult.

v. 72. *Godes Holdon.* DEI Fideles compellat vaſallos ſuos, qui bellum contra infideles pro religione & Eccleſia gererent. Otfrid. V, XXII, 541.

Thie boldun ſcalka thine.
Fideles ſervos tuos.

Neque quis Heroes interpretetur, hos enim *Helethe* olim appellarunt. Carmen laudatum de bello Carolino v. 23.

Uuir komen nah ihme zo Achen,
The gebiete er ſine ſprache
Mit uünf hunderet helethe,
Köne unde ethele.
Veniamus ad eum Aquisgranum,
Ibi edicat ſuum Colloquium (Comitia)
Quingentis heroibus,
Fortibus & generoſis.

De illo bello Annales Francici literis Gothicis deſcripti & a Lambecio editi *Lib. II. Biblioth. Caſ. p. 365. & 372. XI.* Annales *Pithœi & Freberi ad ann. 778.* Eginhardus *in vita Caroli M.* & Anonym. *in vita Ludovici Pii c. I.* De eodem & forte etiam illo ipſo libro ſive Carmine Andreas Presbyter Ratispon. *in Chron. Bavar. pag. 13.* ubi hiſtoriam breviter enarrat ex Speculi Hiſtorialis Vincentii Bellovacenſis libro XXV. Itemque ex libro quodam vulgari collectam. *librum vulgarem* intelligo vulgari lingua h. e. vernacula ſeu Teutonica conſcriptum, quem & ipſum DEO concedente & otio ſuppeditato ex duobus MSS. egregiis Archivi Argentoratenſis edemus.

v. 73. *Giskerit iſt thiu hieruuiſt.* Confortaturus Rex impera-

„ Bilibit her thorinne,
„ Sinemo kunnie.
Tho nam her skild indi sper,
ellianlicho reit her.
Vuold her uuarer rabchon
sina uuidarsahchon,
Tho ni uuas iz buro lango
fand her thia Northmannon.
„ GODE LOB. sageta.
Her siht thes her gereda.
Ther kunig reit kuono.
sang lioth frano.
Joh alle saman sungun
Kyrieleison.

Si quis morietur hîc (in prælio)
ejus familiæ (dabo.)
Tunc arripuit scutum & lanceam,
festinanter equitans.
Volebat is vere vindictam sumere
de suis adversariis.
Tunc nec erat intervallum longum,
inveniebat Nortmannos.
DEO sit laus! dicebat,
Videns id quod desiderabat.
Rex currit audacter
Præcinit canticum publicum (Litaniam)
Atque omnes conjunctim cantabant
Kyrie eleison.

Sang Can-

imperator animos suorum, Ludovicus, ait, mortem non esse metuendam, quum vita nostra dependeat a Christi jussu ac nutu. *Hieruuist*, q. d. hiervvesen, hiersein, Nostrum hîc-esse. Kero: *Uuist*, fuerit. *Durubuuist*, perseveraverit. *Giskerin*, donare, largiri, hodie Bescheren. obsoletum est *Skeren*, dare. Porro rationem subjicit, quod ossa nostra Deus custodiat post mortem. Sic enim legendum v. 76. *giuuaht*, hodie *bevvacht*, custodit. *Uuahta*, vigilia. Alludit autem ad textum SS. Scripturæ Psalm. XXXIII. 21. *Custodit DOMINUS omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur.*

v. 77. & 84. *Ellian*, & *Ellianlicho*, festinatio, alacritas, festinanter, alacriter. Kero & Otfridus dicunt *Ilen*, nos *eilen*.

v. 81. *Bilibit*, hodie: *bleibt er im treffen:* sin moriatur in prælio. Otfrid. III, XXIII, 98. de morte Lazari:

Er selbo meinta auur thaz,
Thaz er tho biliban uuas.
Ih uuille iu iz zellen quad er êr,
Ist Lazarus bilibaner.

i. e. Ipse vero designabat hoc,
Quod mortuus esset:
Volo vobis dicere, respondit Ipse:
Lazarus mortuus est.

Liber Salicus MS. Monasterii Ebersheim. cap. de judicio mortuorum: *Svva ein meiger blibet der des Goteshuses ist, der git zuuene velle deme Goteshuse, von dem Libe das beste. darnach das beste von dem ambachte h. e. Si villicus moritur.*

v. 82. *Kunnie*, familiæ, uxori & liberis atque cognatis. Otfrid. I, IX, 41. de S. Johannis nominis impositione;

Ni uuas in ther namo nami
In thinemo kunne.
Non fuit hoc nomine nominatus
In tua familia (quisquam.)

Et cap. seq. v. 11.

In kunne eines Kuninges,
Sines drut theganes.
In familia Regis
Fidelis servi ejus. (Davidis)

Cantus militaris.

v. 92. *Sang lioth frano.* cantavit Litaniam. *Lioth*, canticum, hodie Lied. Otfrid. Lib. IV, 4, 107. de Hosianna:

Theses liedes uuunua
Al einera stimma.
Hujus cantici gaudium
Omnes una voce. (cantarunt.)

Apud Suecos celebre adhuc Poëma Sæmundi Multiscii, dictum *Sölar-lioth*, Solis carmen. *Wiblieth*, de exercitu Sarracenorum Fragm. antea laudatum de bello Carolino v. 2355.

Siuen thusent horn tha uore clungen.
Ire vvibliet sie sungen.
i. e. Septem mille buccinæ hic præcinebant,
Cantica sua sacra cantabant.

FRONO vel *Frano* & publicum & sacrum denotat. Itaque vocabulo *liotbfrono* eleganter exprimitur vox Græcanica LITANIA h. e. preces publicæ & sacræ, *l. 3. C. de heret.* & *l. 30. C. Th. eod.* Novell. *Justin. CXXIII. c. 32.* Λιτὰ, λιτὴ, λιτανεία, λιτανία. litatio, deprecatio. *Aeg. Menag. Etymol. Gallic.* De antiquissimo more Germanorum gentilium, in prælia euntium ait Tacitus: *Fuisse apud eos & Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in prælia canunt. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem BARDITUM vocant, accendunt animos futuræque pugnæ fortunam ipso cantu augurantur. terrent enim trepidantve, prout sonuit acies. Nec tam voces illæ, quam virtutis concentus videntur. affectatur præcipue asperitas soni, & fractum murmur objectum ad os scutis, quo plenior & gravior vox repercussu intumescat.* Ipsa vox BARDITUS Celtica est, Gallis & Teutonibus usitata olim. Boxhornius Lex. Britann. *Bard. Poëta, propheta. Bardoneg, poëtica. Barddoni, poëta.* Morhovius. P. II. c. VI. & seq. de Poësi Germ. ex Jo. Saxone refert, *Barr* carmen olim significasse. *Barditum* porro carminis relatum Tacitus interpretatur, i. e. cantationem ipsam.

v. 94. At vero illustris hic textus nostri Poëmatis ostendit, Francos & Germanos ad Christianismum conversos loco istorum carminum, LITANIAM, KYRIELEISON, & ALLELVJA cantasse. *Vide & du Fresne Glossar. v. Kyriel.* ubi & locum de miraculis S. Berlendis allegat: *Omnibus clericis Hymnum concinentibus,* —— *Laicis vero Kyrieles celebrantibus.* quod de clero ibi dicitur, id in nostro carmine de Rege, ut Kyrieles de milite. Ad hunc morem alludit anonymus translator vetus (cujus Summaria Psalmorum Notkeri Psalterio adjuncta sunt. T. I.) Psalmi XXV. MS. in Summaria: Der Psalme vvaz Davides letanie so er facht vvieder die heiren philistim und ir folk. Huc facit & Poëma Classicum de victoria Henrici Aucupis Imp. quod edidit Morhov. *de Lingu. & Poës. Germ. P. II. c. VII. pag. 344.*

Kyrieleison,
Pidi pom pom pom,
Lerm, lerm, lerm, lerm,
Sich keiner herm.
Drom drari drom.
Kyrieleison.

Idem & hunc Danorum veterum morem allegat ex Chron. Norvveg. veteri: eoque trahit locum S. Augustini de Gothis Epist. 178. *Si bora armen, Domine miserere.* quod corruptum censet ex *Herre dich forbarme.* Sed unica literula tantum mutanda: *Si Hera armen*, i. e. Sis DOMINE miserens sive misericors. *Armen* misereri est. Gothica versio Matth. X. 48. *Armai mik*, miserere mei. Anglo-Saxones *Ofear min*, misereri, erbarmen.

De Alleluja testatur Beda *Lib. I. Eccl. Hist. Anglic. cap. XX.* ait: *Tunc subito Germanus signifer universos admonet & prædicat, ut voci suæ uno clamore respondeant, securisque hostibus, qui se insperatos adesse confiderent, ALLELVIA tertio repetitum Sacerdotes exclamabant. Sequitur una vox omnium, & elatum clamorem repercusso aëre montium concluſa multiplicant: hostile agmen terrore pro-*

sterni-

Digitized by Google

Sang uuas geſungen.
Uuig uuas bigunnen.
Bluot skein in uuangon
Spilodunder Vrankon.
Thar rabt thegeno gelib,
Nichein ſo ſo Hludowig.
Snel indi kuoni.
thas uuas imo gekunni.
Suman thuruch ſluog her,
Suman thuruch ſtach her.
Her skancta cebanton
ſinan fianton

Canticum erat decantatum:
Prælium cœptum.
Sanguis apparuit in genis
exultantium Francorum.
Hîc vindictam ſumſit miles pariter,
nemo ſic ut Ludovicus.
Alacer & audax,
hoc erat ipſi congenitum.
Alium percuſſit.
alium perfodit.
Propinavit ſubinde
ſuis hoſtibus

Bitte- *Ama-*

ſternitur. Facit & huc idem Beda c. XXVI. *Fertur* inquit, *quod appropinquantes civitati, more ſuo, cum Cruce ſancta, & imagine magni Regis D. N. I. C. banc Letaniam conſona voce modularentur:*

Deprecamur TE DOMINE in omni miſericordia tua ut auferatur furor tuus & ira tua a civitate iſta & de Domo Sancta tua, quoniam peccavimus. Alleluja.

Porrò cantarunt Majores in prælium ituri etiam Hymnum Angelicum: *Gloria in excelſis.* Fragm. MS. de Bell. Saracen. v. 3175. poſt relatam Turpini Epiſcopi concionem ad militem, qua etiam ad piam mortem animos militum præpararet:

Hiute geſehe vvir unſeren Herren.
Tha ſin vvir iemer mer uro.

Sequitur acclamatio militum:

Sie ſungen Gloria in excelſis DEO.

i. e. Hodie videbimus Dominum noſtrum!
Ibi erimus perpetuo lætabundi,
Cantabant: Gloria in exc. DEO.

Denique & SS. Synaxi ſe præmunierunt. Idem Fragm. v. 1930.

Tho thie belete uernamen
Thaz thie haithene mit ſamenunge vvaren
Sie baten ire Euuarten
Thaz ſie ſih gareten.
Zô ire ambaſte ſie giengen.
Godes lichamen ſie entpfiengen.
Sie ſobten ibre uenie.
Sie riefen hine ze himile.
Zo uile manegen ſtunden.
Sie maneten Got ſiner vvunde.
Tha er ſine mite erloſte.
Thaz er ſie getroſte.
Thaz er in ire ſunde uergeue
Unde ſelue ire urkunde vvere.
Mit pihte ſie ſih bevvareten.
Zo theme tothe ſie ſih gareten.
Unde uuaren ithoh göte knebte.
Zo there martere gerebte.
There ſele ze vvegene.
Thie vvaren Godes thegene.
Sie ne vvolten nibt entrinnen.
Sie vvolten gerne vvither gevvinnen
Thaz unſer alte erbe.
Tharnah ſtreueten thie belethe.
Ia vvaren thie berern etbele.
In Criſten licheme leuene.

i. e. Cum hoc heroes (noſtri) cognoſcerent,
Quod gentiles colligendo milite occuparentur,
Rogabant ipſorum Sacerdotes
Ut ſe præpararent.
Officium ſuum obirent.
Corpus Divinum offerrent.
(Itaque) quærebant illi veniam ſuam.
Ibat clamor cœlo,
Per aliquot horas.
Admonebant DEUM vulnerum ſuorum,
Quibus eos redemiſſet;
Ut eosdem conſolaretur,
Et peccata ipſorum iis remitteret,
Et ipſe teſtis (interceſſor) ipſorum eſſet.
Confeſſione ſeſe confortabant.
Ad mortem ſe præparabant.
Erant nihilo tamen minus boni milites,
Ad tale martyrium promti,
Vitam ſuam in periculum conjicere.
Hi veri DEI ſervi.
Qui Nolebant effugere.
Malebant recuperare
Vetus noſtrum patrimonium.
Eo contendebant hi Heroës.
Et erant hi domini nobiles.
In Chriſti corpore vividi.

v. 96. *Uuig*, prælium, pugna, bellum. Gloſſæ Lipſii: *Vuig, uuic, bellum, prælium.* Vetus verſio Cantici Canticorum cap. IV. 4. *Din hals iſt ſamo Davidis Wighus, da diu uuere obena angeuuorbt iſt. Duſent Skilte hangent an dero uuere unte allerslahto uuiggevvaffene.* i. *Sicut turris David collum tuum: quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Ubi Fr. Junius rationem denominationis a cuneo eoque militari arceſſit, *pag. 119.* Gloſſæ veteres: *Wigant, pugnator. Uuiclihan, bellicoſum. Wigesleitida, belli duces. Widæruuigan, rebelles.*

v. 98. *Bluot skein in uuangon ſpilodunder Vrankon.* i. *der ſpieleuden Franken:* exultantium & irrumpentium Francorum in Normannos. Otfrid. I, VI, 7. de S. Johannis ſaltu:

Io ſpilota in thera muater
Ther ira ſun guater
Et exultavit in utero
Filius ejus bonus.

Laudatum Fragm. MS. de bello Sarracenico v. 3003.

Tho kam ther helet Sampſon,
Er ſlob Scarpulon
Then Kunig von Iren
Uil nah ſineme line.
Thaz ime thaz plöt uz then ögen ſprang.
i. Mox adventabat heros Samſon
Percutiebat Scarpulum
Regem Irenſem
Multum in corpus ejus,
Ut ſibi ſanguis ex oculis profiliret.

Iratis oculi cur ſanguine turgeſcant disquirit Ariſtoteles *in Problemat.* & vid. Eraſmi *Chil. 2. Cent. 1. Adag. LXX.*

v. 102. *Gekunni*, congenitum. *Kunnie*, ſupra v. 82. Kero: *Chunni, genera. Cotchundiu, divini generis.* Go-

Digitized by Google

Bitteres lides.
ſo uuehin hio thes libes.
Gilobet ſi thiu Godes kraft,
Hludvvig uuarth ſighaft.
Sag allin Heiligon thanc.
Sin vvarth ther Sigikamf.

Amarum potum.
ſic ceſſerunt hîc de vita.
Benedicta ſit DEI virtus!
Ludovicus factus victor.
Dic omnibus ſanctis gratias.
ipſius facta victorioſa pugna.

Odar At

this *Kun* generatio *Marc. VIII. 12. Godokunds*, nobilis. *Luc. XIX. 12.*

v. 107. Lides. *Lid* eſt ſicera, h. e. potus confectus a ſiceratoribus, *qui cereviſiam vel pomaticum ſive piraticum vel aliud quodcunque liquamen ad bibendum aptum fuerit*, facere ſciunt, ut Kapitulare de villis Karoli M. §. 45. id exponit. Otfridus L. 1, 4, 70. de S. Johanne Baptiſta:

Ni fullet er ſih uuines,
Ouh lides niheines.
Non implebit ſe vino,
Nec ſicera ulla.

Idem L. 2, 8, 21. de vino in Cana deficiente:

Tho zigianc des lides,
Ioh braſt in thar thes uuines.
Tunc conſumta erat ſicera
Et deficiebat vinum.

ita enim vitioſa lectio Flaciana eſt emendanda. Idem mox v. 50. de S. Maria ad miniſtros:

Gibot ſi then ſar gâhun,
Thiu thes lides ſahun.
Præcepit illa confeſtim his
Qui potum obſervabant.

Et v. 189. *Thiu faz thiu námun lides*
Zuei odo thriu mez.
Hydriæ iſtæ capiebant potus
Duas vel tres metretas.

Idem L. 4, 33, 39. de potu paſſionis:

Sie 'nan ouh tho qualtun,
Mit ezzichu drangtun,
Mit bitteremo lide,
Thez datun ſe al bi nide.
Ipſum quoque ſic tormentarunt,
Aceto potarunt,
Amaro potu,
Id fecerunt omne ex invidia.

v. 108. *So uuehin hio thes libes.* Uuehin eſt cedere, hodie pronunciatur *Weichen.* Kero: *Uuebſalum, viciſſim. Uuebſal, alternatio, permutatio, viciſſitudo.* Otfrid. V, 19, 114. de Aeternitate & extremo judicio:

Thar n'iſt miotono uuiht,
Ouh uuebſales nia uuiht.
Ibi non eſt doni (corruptionis) quicquam,
Nec permutationis locus.

Hio, videri poſſit corruptæ lectionis eſſe, & forte legendum *Sie*, iſti. Sed nihil dum muto. Recurrit hæc particula mox v. 115. *Garo ſoſér hio uuas.* Ubi promtitudo & prudentia Ludovici R. *hio* h. e. hîc, in hoc conflictu, celebratur.

Thes libes non corpus, *thes leibs*, ſed vitam, des lebens, proprie ſignificat. Kero: *Des euuigen libes, vitæ æternæ.* Symbolum Apoſtolicum Alamannicum: *Geloubo euuigen lib.* credo æternam vitam. Item: *Ich gelob nah diſem lib den euuigen lib.* Credo poſt hanc vitam æternam vitam. Notgerus in Pſalm. XXVI. *des libes urſprung, fons vitæ.* Gloſſæ Lipſii: *Liba, vita. Libes, vitæ.* ubi Lipſius adjicit: *Nos leue, tamen & vulgo By lyue, illo ſenſu.* Atque in Germania ſuperiori hodieque iſta formula interdicentis vulgo: *Bey leibe nicht*, per vitam ne facias. Sed & Edicto Imperatoris Auguſti de Cenſu orbis Romani Otfridus inſerit:

Thaz ſi gomman ioh uuib,
In thiu ſi uuollen haben lib.
Fuat vir vel mulier,
Modo velint habere vitam.

Quod hodie dicimus: *Bey leib und lebens ſtraffe.*

v. 111. *Sag allin heiligon thanc.* Sic enim legendum pro eo quod ſcriptum *Sab.* Quæ fuerit ſententia Eccleſiæ Francorum de veneratione Sanctorum, pluribus docet S. Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis *lib. de Imaginibus.* cap. 29. coævus ſcriptor, qui præter aliorum SS. Patrum dicta, etiam S. Auguſtini *Lib. XXII. de Civ. DEI. c. X.* launat; *Faciunt mirabilia martyres vel potius DEUS aut cooperantibus, aut orantibus eis, ut fides illa proficiat, qua eos, non deos noſtros eſſe, ſed unum DEUM nobiſcum habere credamus. Denique pagani diis ſuis & templa ſtatuerunt, & ædificaverunt aras, & ſacerdotes inſtituerunt, & ſacrificia fecerunt. Nos autem martyribus noſtris non templa ſicut diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud DEUM vivunt ſpiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus martyribus, ſed uni DEO & Martyrum & noſtri ſacrificium immolamus; ad quod ſacrificium, ſicut homines DEI, qui mundum in ejus confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur, non tamen a ſacerdote, qui ſacrificat, invocantur, DEO quippe, non ipſis ſacrificat, quamvis in memoria ſacrificet eorum; quia DEI ſacerdos eſt, non illorum. Ipſum vero ſacrificium, corpus eſt Chriſti, quod non offertur ipſis, quia hoc ſunt & ipſi.* His præmiſſis hoc Agobardus ſubjicit judicium & confeſſionem nomine Eccleſiæ Francorum: *Hæc eſt ſincera religio, hic mos catholicus, hæc antiqua Patrum traditio; ſicut etiam Libro Sacramentorum, quem Romana tenet Eccleſia, facile comprobatur. Hunc venerationis modum qui ſupergreditur aut relinquit; contemnit diſciplinam patris ſui, dimittitque legem matris ſuæ. Ideo nec gratia capiti ejus addetur, nec torques collo. Teneatur itaque via regia. Non ponamus ſpem noſtram in homine, ſed in Deo.* Et cap. XXXI. ait: *Quicunque aliquam picturam vel fuſilem ſive ductilem adorat ſtatuam, non exhibet cultum DEO, non honorat angelos vel homines ſanctos, ſed ſimulacra veneratur. Agit hoc nimirum verſutus & callidus humani generis inimicus, ut ſub prætextu honoris Sanctorum, rurſus idola introducat, rurſus per diverſas effigies adoretur. Adſpiciamus picturam quaſi picturam, vita, ſenſu, & ratione carentem. Paſcatur hac viſione oculus. DEUM vero veneretur animus; qui & Sanctis ſuis victoriæ coronam, & nobis interceſſionis eorum tribuit adjutoria.* Atque porro cap. XXXV. ait: *Nec iterum ad ſua latibula fraudulenta recurrat aſtutia, ut dicat, ſe non imagines Sanctorum adorare, ſed ſanctos. Clamat enim DEUS:* Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus. *Et Apoſtolus de Domino noſtro, Mediatore DEI & hominum, Homine CHRISTO JESU:* Propter quod & DEUS exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. *Quale vero hoc nomen ſit, conſequenter exponit:* ut in nomine JESU omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium &c. *hanc poteſtatem, laudem, dominationem, hoc nomen quod eſt ſuper omne nomen nullus ſanctus angelus, nullus ſanctus homo ſibi uſurpat. Angelus enim qui uſurpavit, vel homo quem uſurpare ſuaſit, uterque corruit.* Atque hæc tunc fuit doctrina Eccleſiæ Francorum de invocatione Sanctorum, quorum hic fit mentio, & ſecundum quam hic locus intelligendus.

Porro

Digitized by Google

Odar abur HLudvvig
Kuning uuar ſalig.
Garo ſo ſer hio uuas
Svvar ſo ſes turft uuas.
Gihalde inan, Truhtin,
bi ſinan eregrehtin.

At vero Ludovicus
Rex fuit felix.
Promtus uti hîc fuit,
Gravis quantum opus erat.
Serva ipſum, DOMINE,
in ſua Majeſtate!

Porro huc pertinent quoque laudes publicæ & ſolennes, & acclamationes Regibus factæ. Concilium Triburienſe ann. 821. c. ult. *Omnes Galliæ & Germaniæ Principes. —— & Eccleſiaſticus Ordo, DEO & Principibus laudes referentes, hymnum TE DEVM LAVDAMVS decantabant.* Atque in his ſolennibus acclamationibus etiam Litaniarum uſus fuit. Andreas Presbyter *in Chron. Bavar. pag. 15.* de Arnulphi Imp. nepotis Ludovici Germanice ex fratre, victoria ultima de Nortmannis: *Arnolphus Imper. cum Nortmanni peſſimi pagani Epiſcopia & monaſteria Sanctorum devaſtarent, & Epiſcopos una cum Canonicis, Monachis & Sanctimonialibus indifferenter necarent, conducto exercitu in fines Occidentalium Francorum, ubi hoſtes conſederant, devenit. Tunc cæteris omnibus præ multitudine nimia paganorum, & ob pedeſtre bellum Francis eatenus inſolitum, deſperantibus, Rex ſolus in Rege Regum ſpem ſuam ponens, & exhortationibus validis ad ulciſcendum Chriſtianorum ſanguinem incitans milites, ipſe vexillum anteferens præliari cœpit, & mox ſubveniente gratia DEI victoria ceſſit ad Chriſtianos, ita ut amnis alveus cui inſederant, & antea illis pro muro fuerat, tunc cadaveribus interceptus, univerſis ſtupentibus ſiccus appareret. In eo prælio cæſi ſunt duo Reges Nortmannorum & Danorum, Sigefridus & Godefridus, nec non Regia ſigna ſedecim ablata, & in Bavariam Ratisponam pro teſtimonio ſunt transmiſſa. Tunc quoque Rex cum omni exercitu ad Letanias procedens, laudes magnificas DEO celebrare præcepit, qui talem ſuis tribuit triumphum, ut uno de parte Chriſtianorum occiſo, mille de parte paganorum perirent usque ad unum.* Has laudes publicas non fuiſſe carmina in laudem Principis compoſita, quale hoc præſens eſt, ſed meras acclamationes, aſſerit Du Freſne *in Gloſſar. voc. Laus.* Quod uti regulariter verum eſſe fateor, ita non video, cur fieri non poſſit, quo minus & hoc præſens, & forte alia quædam illis acclamationibus interſeri potuerint. Denique formas Litaniarum tum temporis Francis uſitatas refert Alcvinus, Magiſter Caroli M. *pag. 193. & 280.*

v. 114. *Kuning uuas ſalig*, Rex Salicus, Pius, Felix, ſecurus. Sigismundus Imp. in Articulis militaribus belli Huſſitici an. 1431. *Auch ſol ein yeglicher der in die Here furet ſpiſe und trang, kaufmanſchaft vvelcherley das iſt, zu und ab von den Heren, ſicher und ſelig ſin vor allermenniglich.* i. e. Quilibet qui in caſtra cibum & potum, merces cujuscunque generis, apportat vel reportat à caſtris, ſecurus & tutus eſſe debet contra omnes & ſingulos. Hinc *Terra Salica*, quæ libera & immunis eſt ab oneribus ordinariis, ut feuda franca. *Franci Salici*, freye Franken, immunes ab oneribus vulgaribus, ob miniſteria quæ in Sala ſeu Curia Regia obibant. Sed & omnes in Curia vel Palatio Regio gaudent ſecuritate Salica, quam *Burgfriden* vocamus.

v. 115. *Garo.* Gloſſæ Lipſii: *Garo, garu*, paratus. Kero: *Karata*, præparavit.

v. 116. *Seuuar*, videtur legendum *Suuar*, gravis. Kero: *Suuar*, grave. *Suuarriu*, gravis.

v. 118. *Eregrehtin*, Otfrid. VI, 1, ult.

Al bi thinen mahtin,
Ioh hohen eregrehtin.
Omnia per tuam potentiam,
& ſummam Majeſtatem.

Et c. 5, 44.

Thaz oli oub thia ſlihti
thera ſinera eregrehti.
Oleum & æquanimitatem
ſuæ Majeſtatis.

Et V. 23, 581.

Idmer in then mahtin.
bi ſinen éregrehtin.
Semper in potentiis
per glorias ſuas.

Et I, 4, 33. de populo orante,

Sie uuarun iro benti
zi Goti heſſenti,
Sinero eregrehti
uuarun thiggenti.
Erant ſuas manus
ad DEVM tollentes,
Ejus glorificationi
erant inſervientes.

Vox ex *Ere*, honor compoſita & *gerehti* ſive *kerehti*, quod Kero vindictam interpretatur. *Rehcham*, *ultor*, idem ſignificat itaque proprie glotiæ honoris & Majeſtatis tuitionem & vindicationem, quam Regi apprecatur Poëta, à qua ſalus populi dependet ac viciſſim. Felicitatem temporum ab auſpicio Regio dependere, communi Gentium conſenſu conſtat: atque ut ſanitas capitis & membrorum una ſanitas eſt: ita capiti prærogativa hactenus debetur, quippe quod operationibus ad totius corporis ſalutem tuendam, præcellat.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARÆNESES
ANTIQUÆ GERMANICÆ
TYROLIS
REGIS SCOTORUM
Ad
FILIUM FRIDEBRANTUM:
Ut &
WINSBECKII
ad Filium,
Ac
WINSBECKIÆ
ad Filiam,
Ab hinc annos D. & quod excurrit, ſcriptæ.
Primus illas ex Bibliothecâ Bartholomæi Schobingeri JCti.
Cum notis edidit
MELCHIOR HAIMINSFELDIUS GOLDASTUS.
Nunc easdem collatas cum MSC. Bibliothecæ
REGIS CHRISTIANISSIMI
Ac notis tum GOLDASTINIS, tum ſuis inſtructas Orbi Literato exhibet
JOH. GEORGIUS SCHERZIUS,
D. ac Juris in Univerſitate Argentoratenſi Profeſſor P. Ord.

ULMÆ,
Sumptibus DANIELIS BARTHOLOMÆI,
M DCC XXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google



JOH. GEORGII SCHERZII,

D. & Juris in Universitate Argentoratensi Professoris P. Ord.

PRÆFATIO.

In

Tyrolis, Winsbeckii & Winsbeckiæ Paræneses Germanicas.

Istuntur iterum Luci Publicæ *Tyrolis, Winsbeckii* & *Winsbekiæ* Paræneses Germanicæ, venerandum Antiquitatis Germanicæ monumentum. Edidit illas quidem jam 1604. Insulæ ad Lacum Acronium ex Bibliotheca Schobingeriana in 4. post quinque Paræneticos Latinos in Parte I. Paræneticorum veterum Melchior Goldastus ab Haiminsfeld, *vir editis antiquis Germaniæ monumentis tam bene de Patria meritus, ut absque dubio Athenienses illum in Prytaneo aluissent, si quidem illud in ævum incidisset*, judice τῷ πάνυ Conringio in Præfat. ad Tacitum de Morib. German. Sed tanta jam a non exiguo tempore cœpit libri hujus esse raritas, ut pauci Eruditorum illum se vidisse gloriari potuerint. Sane DN. Joh. Riddarstierna, Suecus sago togaque illustris, non dubitauit d. 19. Decemb. 1694. ita ad Celeb. Stadenium scribere: *Verlange von dem Herren Secretario einige Nachricht, wo doch des Goldasti Paræneticí Veteres zu finden, und wann sie gedruckt, qua forma, an separatim, an vero junctim cum aliis Goldasti operibus. Dann ich sie tausendmal gesucht in Bibliothecken und nachgefragt, aber niemals können zu sehen bekommen;* Cui hunc in modum respondit Stadenius: *Integrum titulum quem pars I. Paræneticorum Veterum Goldasti præ se fert, habes hic adjunctum in separata charta. Pars posterior lucem nunquam aspexit. Occupassent eam procul dubio CLIV. illi Poëtæ veteres,*

veteres, quos manuſcriptos idem habuit, & elogio Voluminis aulici & Antiquitatis Germanicæ Theſauri ornant, ſi fata voluiſſent. Sed nunc fruſtra deſiderantur, cum forte jam ſit iſtud volumen deperditum, aut tineis & blattis impune rodendum permittatur. Neque enim in Catalogo MSS. Goldaſti, in Bibliothecam publicam Bremenſem perlatorum, quicquam ejus obſervavi. Nactus ſum ego hanc Partem primam ex Bibliotheca Conringiana, & profecto non vili pretio, quia in bibliopoliis non reperitur, nec niſi ſemel ſeparatim eſt edita. vid. J. H. a Seelen Memoria Stadeniana p. m. 188. & 190. Eadem fere mihi circa opus hoc ſors fuit. Licet enim non paucas tum hic tum apud Exteros, perreptaverim Bibliothecas, nunquam tamen in illud me incidere memini. Tandem tamen melior affulſit fortuna. Curis enim indefeſſis venerandi & ſanctiſſimi ſoceri mei, DN. *Johannis Philippi Bartenſteinii*, Logices, & Metaphyſices in hac Univerſitate Profeſſoris meritiſſimi, (cujus morte Polyhiſtora πολλῶν ἀνλάξιον ἄλλων ſibi ante ſex menſes ereptum jure luget Orbis Eruditus) effectum eſt, ut Lindavia, (quæ & B. Soceri mei & Editionis Goldaſtinæ Patria eſt) liberalitate Summe Reverendi DN. M. J. Gaupii, Viri non minus rara Matheſeos, ſcientia, quam ſacri muneris dignitate conſpicui, mihi, quo Bibliothecæ meæ pars eſſet, transmitteretur: Hoc exemplar cum in manus meas veniſſet, mox illud Lutetias Pariſiorum ablegavi ad Virum non magis munerum, quæ gerit, ſplendore, quam Eruditione profunda Illuſtrem, *DN. Joh. Chriſtophorum de Bartenſtein, S. Cæſareæ & Catholicæ Majeſtatis nunc in Secretiori Auſtriæ inferioris Cancellaria Aulica Conſiliarii meritiſſimi*, quem olim Auditorem atque Amicum ſummum habui, jam vero per connubium cum Sorore ejus affinem & Patronum optimum maximum experior. Ille pro inſigni, quo in omnes veræ Eruditionis partes fertur, amore hoc officii & Publico & mihi præſtitit, ut impreſſum textum cum MSC. Bibliothecæ Regis Chriſtianiſſimi accurate conferret. Collatum ita textum hic tibi ſiſto cum Notis Goldaſtinis, luculentis ſane & egregiis. Schilterianas nullas addere potui quia nullæ ſuperſunt. Junxi vero meas, tum ut verbis integritatem reſtituerem, tum ut mentem locorum obſcuriorum indagarem. Lapſus etiam quosdam Goldaſti in Obſervationibus meis veritatis amore detexi, ſed eos tantum, qui linguæ Germanicæ antiquæ amaſiis noxæ eſſe poſſunt. Alia excutere nec ſcopi noſtri nec temporis ratio ferebat. Utinam vero Celeberrimi *Diederici a Staden* Interpretatio vernacula cum Præfatione, aliaque quæ illum molitum eſſe circa hoc opus apparet ex ſupra allegata Memoria Staden. p. 142. ad nos perveniſſet; ſine dubio ornatior hæc Editio prodiret. Sed idem huic operi ac Otfrido, Willeramo, Auctori Rhythmi de S. Annone (circa quos omnes egregie vir ille ſudavit,) fatum fuit. De Auctoribus horum παραπίσσων poſt ea quæ Goldaſtus attulit quod addam nil habeo, nec de perſonis illorum certi aliquid dici poteſt; de eo non dubito, quod circa finem Seculi XII. ſcripſerint, id quod ſtyli ratio inprimis, & allegatio, qua Wolffframus ab Eſchelbach utitur, (qui ſub initium Seculi XIII. in aula Hermanni Landgravii Thuringiæ floruit,) perſuadet; ut & ætas plerorumque quorum Carmina in aulico illo 154. Poetarum Volumine & Antiquitatis Germanicæ Theſauro (unde hæc decerpſit Goldaſtus) comparent. Uti autem ex Citationibus illis antiquorum, quas ſub finem Dedicationis ad Dn. a Schellenberg exhibet Heiminsfeldius, facile apparet magna in exiſtimatione fuiſſe opus illud, quod Tyrol vel Tyro (juxta MSC. Regium) loquitur, ita quanti recentiorum temporum Eruditi, emunctæ quidem naris viri, tum id, tum Winsbeckii & Winsbeckiæ Carmina æſtiment, ex iis, quæ mox ſubjungemus, liquebit; Vale Benevole Lector, laboribusque noſtris favere perge! Dabam Argentorati Vigilia annuntiationis B. Mariæ Anni

1727.

Judicia

PRÆFATIO.

Judicia Eruditorum de Paræneſibus hiſce.

FRID. TAUBMANNUS
In Præf. in Culicem Virgilii.

POſtquam de Antiquiori Germanorum Poëſi egiſſet pag. 6. ita pergit: *Cujusmodi autem Veterum Germanorum Poëtica fuerit (nam Latina nunc non ſollicito) licet hinc æſtimare: quanquam ævi ſequioris & ſub Imperio Friderici Barbaruſſæ. Ita enim der WINSBEKE, Eques nobilis & domi bellique rebus geſtis clarus ad Filium:*

Ein weiſer Man hat einen Sun &c. hæc quidem e longo illo Poëmate non ordine, ſed ſaltuatim excerpſi. His dictis Taubmannus quosdam verſiculos Werneri cujusdam exhibet, inde ita loquitur: *Hæc profecto talia ſunt, præ quibus genuinus aliquis Germanus Græcos Latinosque Poëtas faſtidiat. Et cur, o mea Mater Germania hunc genium tuæ Muſæ non etiam porro continuaſti. Pudet me pigetque ſtuporis, quo ante centum annos & quod excurrit, vetus illa gloria turpiter contaminata viſitur.*

Morhof im Unterricht von der Teutſchen Sprach und Poeſie. Cap. VII. p. m. 286. ita diſſerit:

WIe wir (Teutſche) *uns nun billig den Vorzug in der Poeſie, die zu Friderici Barbaroſſæ zeit im ſchwang gegangen, zumaſſen, ſo kœnnen wir keine geringere Anzahl von Tichtern zum Vorſchein bringen, und zwar nicht von geringen Leuten, ſondern Kœnigen, Fürſten, und Grafen, die in dieſer Zeit ihre Verſe geſchrieben, davon noch einige fragmenta vorhanden, deren Goldaſtus einen theil in ſeinen Paræneticis hervorgegeben. Worunter des Winsbecken und der Winsbeckin ihre ſo herrlich ſind, daſs auch die iezige Zeit nichts daran zu verbeſſern findet. Ich rede aber nicht von der reinen Sprache und deren reimgebænden, wiewohl ſolches zierlicher und beſſer iſt, als der provençal Poëten die damahls geſchrieben. Goldaſtus ſagt in der Vorrede ſeiner Anmerckungen nicht unbillich von ihnen, Dicite ſodes, ſi latino carmine ceciniſſet, putatiſne pauciores interpretes, quam Guntherum, Petrum Bleſenſem, aliosque ejusdem ævi reperturum fuiſſe. Ich muſs geſtehen, daſs es mir eine groſſe Ergœzung ſey, dieſe alte Schrifften, und inſonderheit des Winsbecks, zu leſen, darinnen zwarlich eine groſſe Weisheit ſteckt, und faſt kein Wort vergebens geſezet iſt. Ich gedencke hiebey allezeit an das Urtheil des Joſephi Scaligeri, ſo er von des Ennii Schrifften gefællet, wenn er dieſelben mit den neuen Poëten vergleichet. In den primis Scaligerianis, ſo Tanaquil Faber herausgegeben, ſagt er alſo von ihm: Vtinam hunc haberemus integrum, & amiſiſſemus Lucanum, Statium, Silium Italicum, & tous ces garçons-la. Dieſes mœchte man auch wol zum theil von dieſen alten Poëten ſagen. Es wære zu wünſchen, daſs wir ſie alle ganz hætten, und an deren ſtatt einige von den Neulingen verlohren, die der gelehrten Welt mit ihren ungeſchikten Gedichten ſehr beſchwerlich fallen. Es iſt ihrer keine geringe Anzahl. Wir wollen nur die allhier ſetzen deren Goldaſtus eine beylauffige Erwæhnung thut. Des Kœnigs Tyrol aus Schottland, und des Winsbecks Gedichte, ſind vom Goldaſto gantz geſetzt. Wer dieſer Kœnig Tyrol geweſen ſey, kan er nicht ſagen, denn man findet ſeinen Nahmen nicht in Schottiſchen Hiſtorien. Er hat aber gantze Bücher von Kœniglicher Aufferziehung geſchrieben, worauf dieſes nur ein Auſszug iſt. Es bezeuget Boppo, der zur ſelben Zeit gelebet, daſs er 2. Bücher geſchrieben, an ſeinen Sohn Friedebrand: eines, darinnen er handelt von der Unterweiſung in Gœttlichen Dingen, das andere, von einem guten Leben und Wandel. Wovon Goldaſtus mit mehrern handelt, in der Vorrede der Anmerckungen über die Paræneſes, &c.*

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Celeberr. J. G. Eccardus in Hist. Studii Etymologici Linguæ Germ. Cap. 19.

CIrca Annum 1635. gravem jacturam res Critica Germanorum patiebatur morte Polyhistoris eximii Melchioris Heimsfeldii Goldasti, qui non solum variis scriptis Antiquitates, Jus Publicum, remque literariam insigniter illustraverat, sed facem etiam accenderat linguæ cultoribus, varia monumenta Teutonica stupenda assiduitate colligendo, & publicando. Extabat illo tempore apud Baronem Hohensaxium in arce Forsteckia, ut Schobingerus indicat, venerandum antiquitatis monumentum, quod vere aureum rerum Germanicarum thesaurum continebat, tunc ante annos 450. & amplius scriptum atque ab Imperatore Heinrico, Conrado Rege, iuniore, aliisque Imperii Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, nobilibus aliisque Poëtis decantatum in certamine musico, ut conjicit Goldastus, qui sibi illud a Schobingero acceptum duobus tomis integrum descripsit, atque exinde Tyrolis Regis Scotorum Winsbekiique Equitis Germani ad filios, & Winsbekiæ nobilis fœminæ ad filiam Paræneses anno 1604. publici iuris fecit, additis notis eruditione singulari plenis, in quibus obscuriora verba exposuit originesque eorum quæsivit.

V. NOB.

Digitized by Google



V. NOB. & INLUSTRI JOANNI A SCHELLENBERG, HYFFINGÆ, STOUPHÆ, RANDECCIÆ, &c. DOMINO, S. C. MAJESTATIS CONSILIARIO,

MELCHIOR HAIMINSFELDIUS GOLDASTUS S. D.

Græcâ & Romanâ lingua, V. INL., nullius imperium majus atque diuturnius Theutonicæ fuit quæ cum ipſa quodammodo Tellure orta gentibus diſſitiſſimis, unde res ſignificarent & animi ſui ſenſum, verba ſuppeditavit. Namque ſi priſcæ hiſtoriæ fides, a Suecis primò in Helvetiam, Dacis illata Normanniam, Belgium ab Saxonibus, inde Britanniam porro, Gotthis ac Vandalis Italiam, in Hiſpaniam à Suevis ac hisdem Gotthis, denique Galliæ impacta à Francis, verum iſtas apud gentes diu non perſtitit, quæ excuſſo imperii jugo, hodie veſtigia tantum ſuperant, eaque perpauca. nec mirum, cum ipſi Sueci, Daci, Sarmatæ, populi continentes, eò a nobis abierint, ut intelligi, niſi ſummâ cum difficultate, a nemine noſtrum poſſint. aſt Germanis integra incommiſtaque perennat, nec alio nunc ſermone, quam majores noſtri ante annos ſesquimille, utimur, qua in re ſoli Germani habemus gloriari. emollita tamen pronuntiationis aſperitas, verba item partim antiquata, alia prorſum obſoleta ipſa autem ratio dicendi vetus, aut, ſi malis ita appellare, indigena atque αὐτόχθων. quæ ut ſingulis mutarit ſæculis pronum eſt oſtendere. & vidimus nonnulla carmina, quæ cum Evandrinis, ut ſit dicam, atque Saliaribus in genere ſuo queant componi. quippe par atque eadem Germanis, quæ Romanis quondam, nitidandæ linguæ ſtudium. quod qui nuperum ac procuratorium calumniantur, injurii ſunt in diligentiſſimos noſtros majores. longiora pono ad compendium. quinque proxima ſæcula vide. in quibus triplex, more Romano, Aulicorum exercitium, equeſtre, gymnicum, muſicum. In iſto ſermonis & ingenii cura, quâ ad oratoriam & poeticam informabantur. Itaque viri principes & equeſtres, nonnumquam etiam Imperatores, Reges, certamina inſtituere poetica, in quibus nobili familia virgines offerebant victoriam cantus, non ſecus atque in haſtiludiis. Contentio de præmiis erat ab Imperatore propoſitis aut quodam principum magnate. Rem non dubito fore, qui levem & non ſatis dignam principum

virorum perſonis judicent. Sed hi erunt ferè, qui contra majorum laudabiliter inſtituta, Libero addictiores quam libro, cortici quam codici, denti quam menti, nihil rectum, præter quod ipſorum ebrioſis moribus conveniat, putabunt. Qui ſi didicerint, animi nos imperio, corporis uti ſervitio, non admirabuntur, majores ab exercitiis corporis ad animi tralatos. Prætereà non tunc demum ad Germanos exercitatio iſta commigravit. Fuit eadem multis ante ſæculis in aula Caroli M., & ex gente Saxonum Arturi Britannorum Regis. Sublata iterum ante Rudolphi Habiſpurgenſis ævum, damno nobilitatis, quorum & mores cenſebantur, & ingenia ſimul excolebantur. Nam tametſi juvenes fermè ἐφωτικὰ, ceteri tamen adultioris mentis Heroum geſta atque Ducum, alii Satyras in principum ac nobilium vitia, nonnulli admonitiones, tamquam ad filios præſentes, recitabant. Exemplis apud te, V. INL., non eſt neceſſum probari dicta. Vidiſti cum alia, tum illa aurei, quod Schobinger noſter poſſidet, monumenti. inde has juvit in anteceſſum dare Paræneſes, dum ceterorum deproperarentur. Adſperſi nonnusquam, veluti blandimenta notas meas, quibus ſaporem mutaremus acerbæ lectionis, & iſtos ſcriptores animo conciliaremus averſo. Eas ad quem Germanorum, quam ad te V. INL., adferrem, habui omnino neminem. Sunt illa quidem communia cum multis, familiæ antiquitas, Baronibus olim & Comitibus juncta, tum ſacri Palatii adſeſſura: at propria tibi harum peritia rerum, quam nequidquam in altero quæram. Ab eâ pendet judicii acrimonia tui & ſcientia arbitrandi novam noſtram ſcriptionem, cui, quod probare ab Schobingero tui cupidiſſimo nuntiabaris, vellem ab illuſtri nomine tuo clarius accendi lumen. Germaniæ tu quidam quaſi Phœbus & Apollo illuces, omnia antiquitatis abſtruſa ingenii claritate penitrans, itaque par & æquum facies, V. INL., ſi, quemadmodum Sol aſtris flammam, ita tu ſcriptis meis impartiaris ſplendorem. tantum petiturus veni. Vale, V. INL., & fave. A. N. D. ∞ Ib CIII. S. Galli.

TESTIMONIA DE TYROLE SCOTORUM REGE, EJUSDEMQ. LIBRO.

Wolfram von Eſchilbach,

carm. LXX. de Dæmone anulo incluſo;

Schachzabels halfes ſider ſpiln
Den edeln Kunig Dirol, der trug es an der hende ſin;
Es galt dru Kunigrich vnd zwelf lant dur groſſen zorn,
Da engegen benannt was ie ſin
Hobet, vnd bet ers ſpil verlorn.

Epitomator libro II.

Ihr Herren úch tut dis buch erkant
Wie der Kúnig Tyrol vs der Schottenlant
Sinen Sun Vridebrande riet
Die weltlichen lere, das kint von miſſenwende er ſchiet.

Boppo carm. CXL.

Ob ich han war geſungen
Das wil ich an die werden wiſen meiſter Pfaffen lan
Vnd an des Kúniges Tyrols buch, das ſaget vns ſunder wan.

Ibidem:

Wan des Kúniges Tyrols buch hat mich berichtet bas.

Et poſt;

Swie ichs von Daniel den wiſſagen geweren habe
Vnd och von des Kúniges Tyrols buch, &c.

GOL-

Digitized by Google



GOLDASTUS LECTORI SVO S.

VIdes plerosque peregrinarum linguarum antiquitates ſummo cum ſtudio atque impendiis omnibus perveſtigare, nec ullum Bibliothecarum angulum, dum quid ab inſtituto reperiant inexploratum habere; at qui majorum monumenta pari induſtria indagaret, vidiſti, opinor, neminem. Quod te mirari ego non miror, cum nec bonitate illa, nec vero etiam antiquitate ulli earum temere concedant. Etenim quamvis priſci illi Germani ab eloquentia, ceu peſte quadam Reipubl. morumque ſimplicitati inimica, perpetuo abhorruerint, tamen rerum cognitione naturalium excelluiſſe, & ejus item Philoſophiæ partis, quæ de moribus inſtituit, peritos, pronum atque in promptu eſt, ſi opus ſit, argumentis edocere. Et homines ſunt perfrictæ frontis, in majoresque noſtros inſigniter injurii, qui extremæ incuſare barbariei, & feritatis fingere crimen non verentur. Tolle enim ſermonis horriditatem, quid, amabo, in illis umquam fuit, quod jure atque merito debeant in repræhenſionem adducere? Et illo ipſo ſermone, quem tantopere averſantur, nonne libros ſcripſere de officiis judicum, de converſatione civili, de re militari? At res hæc fuit non extremum barbaræ, ſed gentis tum politioris. Demus eſſe, quod Tacitus reliquit, apud Germanos ævo ſuo nulla litterarum monumenta fuiſſe: ſint item ab Trithemio conficti, quos commenticius ille *Hunibaldus* ſcriptores commemorat: verum tamen ex eodem Tacito conſtat, carminibus celebraſſe majorum geſta, quæ adhuc ſuperſtitiſſe Caroli M. ætate Einhardus auctor eſt: & in Germaniæ bibliothecis reperiri, Aventinus. Imperiti autem, imo ridiculi, quicumque exiſtimant, brevicu-las fuiſſe cantandi formas, ad inſtar nunc-vulgi cantilenarum: herele non magis quam vel Homeri poemata an Virgilii. Cuimodi ſunt, quæ ſola ex media antiquitate circumferuntur, carmina de *Otnite Langobardo*, de *Woluftheodoricho Græco*, de *Gibicho Vangione*, *de Laurino*, de *Theodorico Veronenſi*, de *Hiltibrando Gotho*, de *Sigifrido Agrippinenſi* cognomento *Corneo*, de *Eckio* ſive (ut quibusdam placet) Eccone Alſato, de *Eckardo Alſato*, de *Erneſto Auſtrio* an *Bavaro*, alia quæ necdum in manus noſtras pervenere. Figmenta hæc quidem ſunt; præter quæ tamen nulla apud majores noſtros rerum geſtarum monumenta. quorum primos auctores libenter Druidas dixerim ſacerdotes, qui quo viderentur præter vulgus ſapere, & ſoli abdita reſcire, hiſtoriarum veritatem conſutis involuerunt fabulis. Præclarius illorum inſtitutum, quos *Vuittodios* & *Graviones*, hoc eſt, ſapientes ac prudentes, ab ætate appellarunt: unde & *Senatores* Latinis dicti. erant homines illuſtres, potentes, magnæ apud majores auctoritatis: quippe penes quos erat leges condere, conſulere Reipubl., cenſere vitam ac mores. quorum ex numero, qui in veteri legum Germanicarum memorantur volumine. a queis præcepta fuere contradita atque præſcripta de rebus moralibus, civilibus, ac domeſticis. Et hæc quidem, antequam Chriſto nomen dederunt. Nam poſtea, qui cultiores paulo, Latinis litteris in ſcribendo uſi. nec ideo patria lingua inſuperhabita, quin Chriſtianorum ſcripta ante hos cIↃ cc. annos Germania viderit, legerit. Fidem Vulcanii appello, ſi, quæ vulgavit Theutonum ac Gotthorum fragmenta, ævi poſterioris ſunt. *Wileramus*, quem in lucem produxit P. Merula, cIↃ. præter propter annos * æquare fertur. *Rabanus Maurus*, *Otfrydus Wiſſenburg.*, *Walafridus Strabus*,

* Hæc Goldaſtus ipſe poſtea in Omiſſis correxit: ubi ita loquitur: Quæ de Willeramo ſcripſi, delenda ſunt. Nam Trithemius auctor eſt, eum *ſub Henrico III. anno Domini cIↃ. LXXX.* claruiſſe. Ei ſucci-

Strabus, ut alios nunc ponam ad compendium, abhinc Iↄ ccc. annos ſcriptis ſuis claruerunt. Igitur exploſione digniores, quam fide, ſunt, qui Carolum M. conſtituunt ſcripturæ Theutoniæ dædalum: qui quidem nihilo magis fuit, quam Graiæ Alexander M., Romanæ Jul. Cæſar, quos ille æmulatus eſt. Quod cum ita ſit, & tanta auctorum noſtrorum vetuſtas, cur non par eadem, quæ ceteris, reverentia præbeatur? Cur non adæque perquiramus, eruamus, edamus in dias luminis oras? Præſertim quum nemo feudorum conſuetudines rite recteque interpretari, nemo hiſtoricos mediæ ætatis, nemo officiorum & dignitatum nomina poſſit absque illorum cognoſcere ſcriptis. rem olim auctorem dabimus. nunc ſpecimen ejus rei in animadverſionibus iſtis ſpicitur. Quis uſque docuit, aut percepit ſaltim, quid eſſet *Rex* priſcis Germanis, quid *gravio*, *baro*, *dieta*, *gerra*, *chorta*, *hoba*, alia quæ a nobis obiter explicantur? Non ego prius majorum noſtrorum mores, ritus domi bellique, diſciplinam, victum & amictum cognita habui, quam me ad legendum eorum libros contuli. Qua de re alias. nunc hos ſcriptores in anteceſſum damus, exotico, h. e. Latino habitu ornatos. factum multi erunt qui ſugillaturi ſint. Sed quo jure, mi civis, & tu peregrine? utriſque enim ſcribimus: illi, ut deſiſtat tandem aliquando proximorum incurioſus longinqua petere: huic ut addiſcat noſtra juxtim, ac aliorum magnificare. Dicite, ſodes, ſi Tyrol an Winsbekius Latino carmine ceciniſſet, putatisne pauciores interpretes, quam Guntherum, Petrum Bleſenſem, Alanum, alios ejusdem ævi, reperturum fuiſſe? Atqui Germanis ſirempſe* legem voluit eſſe Deus, quaſi Græci vel Latini ſcriptitaſſent. Tu, qui heri & hodie apud Ebræos, Græcos, Arabas naſcuntur libri, protinus Latina veſte induis, notas, illuſtras, emendas, mihi vitio vertes, ſi patriis ſcriptoribus idem ſtudium impertiar? qui nec ætate poſteriores ſunt, nec doctrinâ inferiores, nec fructu infœcundiores. Tenes inſtituti, quarum præmonendus eras, rationes. Perpende, Lector, quisquis es, aut cujatis es, & cœptis noſtris fave.

ſuccidaneos dabis Keronem ac Johannem, orationisque telam ita ordinabis atque duces. ævi poſterioris ſunt. *Johannnes Epiſcopus Conſtantienſis*, D. Galli doctoris ſui, quæ hodieque exſtat, orationem ex Latino in Germanicum ſermonem contulit, & ad populum fecit à D. N. clↄ. præter propter anno, ut Hartmotus & Notkerus memoriæ prodiderunt. *Kero Monachus* Alamannus Symbolum Apoſtolicum & Orationem Dominicam circa eadem tempora interpretatus eſt ſermone vernaculo. quem libellum in bibliotheca D. Magni apud Gallopolitanos vidimus. *Rabanus Maurus*, *Otfrydus Wiſſenburgenſis*, *Walafridus Strabo*, *Folcuuinus Abbas*, ut alios nunc ponam ad compendium, nonne abhinc Iↄ CCC. annos ſcriptis ſuis Germaniam illuſtrarunt? Igitur exploſione &c.

* Vox hæc *Sirempſe* cum ſit nihili, manifeſte oſtendit grave typographi mendum. Forte ponendum: ſcriptam æque.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS SCHELLENBERGII, V. ILLUSTRIS,

De hoc Aulicorum libro judicium, ex epiſt. ad Schobingerum.

JUcundum certè fuit, antiquorum Germanorum vocabula & proverbia legere. nec ſatis mirari poſſum, Nobiles etiam illo ſeculo taliter qualiter literis inſtructos, & Martialia ingenia cantilenis iſtis amatoriis manſueta reddidiſſe. quandoquidem omnia inſtrumenta, item inveſtituræ, illa ætate usque ad Concilium Conſtantienſe, Latina lingua conſcripta fuerint. adeo Germanica lingua tanquam barbara olim aſpernabatur. quæ tamen nunc temporis, ornatu & copia, Latinam ſi non ſuperat, attamen æquat. Doleo interim, gravem illam majorum noſtrorum morum cenſuram, quæ nobiles in officio retinebat, unà cum celeberrimis haſtiludiis, quæ Itali barbarè torniamenta vocant ſimul interiiſſe, &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

KVNIG TYROL VON SCHOTTEN, VND FRIDEBRANT SIN SVN.

LIBER I.

GOt hat wunder manigvalt
Der 2 duht in volle lobeſan,
2 Daniel zeigt er einen walt,
*Darinne zwene bo(v)me * ſtan,*

Den

1) TYROLIS Scotorum Regis, eoque gnati FRIDEBRANDI, præterquam hoc libro, nulla, quod ſciam, alia mentio, nec in Boethii, vel Buchanani, aut etiam Jonſtoni, quas de Scotorum Regibus ordine inſtituere, hiſtoriis. Tamen ut ficta non habeam nomina, adducor reliquorum Principum, qui adjuncti, carminibus, *Heinrici Imperatoris, Chuonradi Regis Romanorum, Wenceslai Bohemorum, Heinrici Ducis Vratislavienſis, Ottonis Marchionis Brandenburgenſis, Heinrici Marchionis Miſniæ, N. Ducis Aſcaniæ, Johannis Ducis Brabantiæ*, aliorum, quos in rerum natura, & comitatu quidem Imperatoris conſtat exſtitiſſe. ſed quando ab hiſtoricis præteritus ſilentio, videtur inane ſine re nomen poſſediſſe, ſanguine cretus regio, non imperio inauguratus. Nam quod Wolfaramus Eſchilbachius, coævus ſcriptor ac miles, tradit Tyrolem caput ſuum in tria regna poſuiſſe in ludo latrunculorum, ſuaque illa feciſſe, riſu res eſt multo dignior quam fide. Libellum autem iſthunc ejus auctoris eſſe, præter inſcriptionem, teſtis eſt Boppo, equeſtris ordinis itidem σύγκελλος. An Theutonica lingua ipſe cecinerit, an vero interpreti dederit vertenda ac recitanda, non immerito quis addubitet. Primum quia mos ille Principibus fuit, ut carmina, quæ compoſuere, alteris demandarent in gynæceo modulanda: tum quod Boppo multo plura ex Tyrolis laudet libro, quam iſthic lectitantur. Sed & libri ſecundi præloquium interpretis potius, quam auctoris videtur, ita exordientis; *Liber iſte vobis pandit præcepta, quæ Tyrol Rex Scotorum præſcripſit filio ſuo Fridebrando* &c. Eſt ergo compendium ſaltim libri, non integer Tyrolis tractatus: qui duo in volumina tributus. primore de religione agit ac fidei inſtitutione; altero de moribus & vitæ conformatione. Exemplum quod utinam Principes ſibi proponant ac imitentur. Altius enim penitrant, quæ ab parentibus, quam aliis, præcipiuntur, inherentque animo artius, ſive id interno quodam naturæ inſtinctu atque motu contingat, ſeu diutina inſtitutione, cum neminem nobis melius, ſecundum Muſonium, atque parentes, perſuaſi ſumus conſulere. *Quis enim talis affectus inveniatur, ut vincat paternum?* ait optimus Princeps Juſtinianus in l. ult. C. de curat. furioſi. Itaque Reges ac Principes, qui ſanius ſapiebant, ipſi liberis ſuis magiſtri, ipſi moderatores vivendi ſimul atque regendi rationes reliquere. Cujus generis ſunt *Scythenis Thebani Regis* παραγγέλματα apud Naphſum Phileloaum: Conſtantini Imp. Conſtantinopolitani *Paræneſes ad Filium de gerendo imperio:* Manuelis Palæologi Imp. *præcepta educationis ad Joannem filium.* Ludovici IX. Francorum Regis *præcepta ad filium Ludovicum* apud Johannem Jonvillanum, qui aſſiduus ejus comes hiſtoriam Gallice & eleganter inſtituit: unde porro exſcripſerunt Guillelmus de Nangis in geſtis cap. antepæn. & Gaufridus de Bello loco in vita apud Surium. At quid exempla arceſſo longi ævi? noſtra tempora vide, ipſam Scotiam, & Tyrolis conſanguineum. Jacobum narro VI. Scotiæ, & nunc Angliæ quoque ac Hiberniæ Regem, qui majorum ſuorum, ſanctiſſimorum doctiſſimorumque Principum, veſtigiis inſiſtens, & ipſe præcepta filio ſuo Henrico dedit, quæ perhibetur in ſinu circumferre, & familiari cotidie manu verſare. O optimi principis factum ſingulare & exemplum unicum! quod mirantur præſentes, laudabunt poſteri, invident inimici. Qua invidia quondam Germani Principes laborabant, quorum hæc propria diſciplina atque inſtitutio dum viguit, bene rem geſſerunt, & vicerunt virtute vera. Auctor eſt Wolfaramus Eſchilbachius, qui Friderico vixit Ænobarbo, part. II. Heldenbuch, quæ de Wolfdieterico inſcribitur. ibi rationes diſciplinæ his elegantiſſimis deſcribit verſibus;

Die Fürſten man do lerte
Gros er den Fro(v)uuen geben,
Vnd Gotesdienſt o(v)ch merte
Vnd eren Briefters leben:

Der Kriſtenheit gelo(v)ben
o(v)ch ſi geleret uuart,
Das ſchu(o)f an alles to(v)gen
Vater vnd mu(o)ter zart.

Man lert die iungelinge
Gar manig ritterſpil,
Schirmen und o(v)ch ſpringe
Vnd ſchiſſen zu(o) den zil,
Fehten o(v)ch mit uuitzen
Vnd ſchiten uuol den ſchaft,
Vf ſetteln uuol ſitzen
Des uuurden ſi dik ſighaft.

Vnd ſi uuorden o(v)ch geleret
Ir ſhilte rebt tragen,
Ir manheit ſich o(v)ch meret
Als uuir das ho(e)ren ſagen,
Wo man nit uuolt eruuinden
Das man zu(o) ſtrit ſolt ſtan,
Ir helm rebte binden
Lert man die iungen man.

Man lert o(v)ch uuie ſi ſolten
Werfen einen ſtein
Des hand ſi nie engolten
Ir kraft du uuar nit klein, &c.

Den tolden man der bo(e)he iach,
Das man [4] *in den kunden ob allen bo(v)men verre ſach.*

2. *Als man die morgenzit vernam,*
Ein balſem ſmakan ſi [5] *bekam*
Mit luften das [6] *er liſe gie,*
Ietwder bo(v)n den ſmak enpfie,
Der eine wart gru(e)n vnd breit
Der ander ful vnd du(i)rre gar, wie was der ſmak an ſi geleit.

3. *Der gru(e)ne vnd der da du(i)rre ſtat,*
Ieglichs bo(v)m ein voglin hat,
Suſt iſt der ander wald vberal,
Iegelichs ris vol der voglin ſchal,
Von den ſmake nement ſi die kraft,
Der du(i)rre bo(v)m, vnd o(v)ch ſin vogel iemer mit iamer ſint behaft.

4. *Daniel vns das beſimet hat,*
Wies vmb die zwene bo(v)me ſtat;
Do ſprach des wiſen mannes munt,
Walt und vogelin werdent kunt.

Rateſt du das Vridebrant
Von [7] *leigen herzen lieber ſun,* [8] *ſoſt wol min lere an dich bewant.*

KVNIG VRIDEBRANT.

5. *DO ſprach der iunge ku(i)nig wiſ;*
Herre gent ir mir den pris,
Den gru(e)nen [9] *bo(v)n wil ich u(i)ch ſagen,*
Der mu(o)s von ſchulden fro(e)ide tragen;
Daſt ein Prieſter, der empfat,
Got als wirdeklich, das er ane bo(v)bt ſvnde ſtat.

6. *Ir machet mir die varwe rot,*
Swenne ich das himelſche brot
Geliche zu(o) des balſmen zil,
Deſt mir leigen al zevil,
Swenne der prieſter meſſe tu(o)t,
Dv(i) Gotes genade kvmt balſmen gelich, vnd wirt das brot vleiſch und blv(o)t.

7. *Welt*

---

2) Danieli Prophetæ jam olim priſci illi ſapientes inventa ſua proſcripſere, non quod ejus eſſe vellent, ſed ut venerando ejus nomine populo commendarent. quo in numero ponunt narrationes *de Suſanna, Belo*, & *Dracone Babylonico*, quæ an ejus eſſent dubitavit antiquitas. argumenta dixit Jul. Africanus, nequiquam Adamantio refutante. Nam ſi ſunt ejus, cur in Ebræo autographo non reperiuntur? cur apud Jonathan Vzielis Chaldæum Paraphraſten? ſed unica Theodotionis tralatione, D. Hieronymo teſtificante? quia vero piorum hominum & orthodoxorum monumenta, nou indigna cenſuit, quæ in ſe legerentur, Eccleſia, illis indignata, qui ſpurciſſimis & impudentiſſimis nugis ſanctum Danielis nomen profanare penſi non habuere. cujus generis ſunt *Liber Viſionum Danielis Prophetæ; Ammonitiones quas ei Angelus monſtravit; Interpretationes ſeu Somnia revelata ab Angelo miſſo a Deo*, & hauſcio quæ inſuper nugamenta, homine Chriſtiano & orthodoxo aliena. Videntur autem ex libro Viſionum eſſe, quæ hic proponit & explanat Tyrol; cum in Ammonitionum non exſtent.

3) Majores noſtri τὸ c. non jungebant aſpirationi. ideo ſcribere & pronuntiare ſolebant, *iht, tohter, nieht, uuiht, sleht, vorht, zuht, doh, maht, reht, giht, zeh*, & ſimilia vocum, quas in libris antiquis obſervamus.

*) Bo(v)me.) Hic monitum cupimus lectorem, in editione prima Goldaſti ſcriptam eſſe vocem & v hic & alibi litera ſuperpoſita hoc modo bome: quemadmodum & in teſtimoniis pagina præcedente expreſſimus. At cum deprehenderemus, nimium ea ſuperpoſitione & quidem frequentiſſima dilatari extendique incommode lineas, ſpatio inutiliter vacante, conſultius viſum eſt, literas a Goldaſto ſuperpoſitas apponere loco quo debent uncinis incluſas: e. g. bo(u)men, bo(u)n, gru(e)n, fro(e)ude: &c. atque ita perpetuo obſervabimus. Quod ne offendat lectorem, ſemel monuiſſe ſat erit.

4) Vox *in* ſine dubio bis ab auctore poſita fuit ita ut legeretur *in in:* quorum alterum idem eſt ac: *ihn*, illum, ſc. *den tolden*, apicem arboris, alterum autem eſt præpoſitio *in*. ſcilicet ita vertendus eſt hic Verſus:

Ut ille (apex) *in regionibus elevatus ſupra omnes arbores e longinquo conſpiceretur.*
Scherz.

5) *Bekam* idem eſt ac veniebat; hodie dicimus: *kam*. apud Otfrid. Eu. IV, 30, 48. legitur: *thaz in zi muate tho* biquam. quod Schilterus reddit: *quæ ipſis in mentem* venerunt. Apud eundem II, 21, 57. eſt: *biqueme* pro: *adveniat*. Pro quo in Fragm. Iſidor. eſt: *biquibme*. Scherz.

6) Lege: *da er liſe gie*, ibi tacite ibat. Liſe eſt noſtrum leis, quod in phraſi: *er redet ſo leis, er hat eine leiſe ſtimm* denotat contrarium *claro, ſonoro*. *liſo* eodem ſenſu occurrit apud Notk. Pſal. LXXI, 6. qui verba: *Et deſcendet ſicut pluvia, in vellus* ita καταφέζει: *Unde er feret alſo* liſo *in finero muoter uuomba alſo der regen an den ſcapare*. *Gie* frequentiſſime occurrit pro: *gieng* uti *enpfie*, quod ſequens verſus habet pro: *empfieng*. Scherz.

7) *Von leigen herzen*) *Leigen*, laico, h. e. illiterato, indocto: verbum Eccleſiaſticorum. ſic infra Fridebrant;

Deſt mir leigen al zevil.

interpretationem pete ex thematio 9.

8) *Soſt*) pro, ſo iſt, *uuâri ſumerlîh* veteribus frequentatam, in monoſyllabis quum maxime, hinc illæ paſſivæ & proletariæ particulæ, *daſt, eſt, uuies, erſt, blu(o)t, mirſt, hſt, derſt, deſt, ſus*, &c. pro das iſt, es iſt, vvie es, er iſt, bluoſt, mir iſt, ſi iſt, der iſt, des iſt, ſo es, &c. Quas, quia otioſum lectorem remorari viderentur, principio duxi annotandas.

9) Legendum: *boum* & hic & verſu ſeptimo. *Scherz.*

10) *Suuenne*) Semel & iſtud ſervandum, vocali vv. fere præfigi litteram S. in his, quæ in cauſſa exempli appono, particulis, *ſuner, ſuuan, ſuua, ſuuie, ſuuelh, ſuuas, ſuno, ſuuoden*, & conſimilibus.

Vnd uuirt das brot vleiſch und blu(o)t. Infra;
Das er ſich birget in ein brot.

tangit Winsbeke. plurimis inculcant Friderich von Su(o)nenburg, Boppo, & omnium diligentiſſime Chu(o)nrat von Würzburg. Sed cur iſta in gynæceo & Aulicorum cœtu? Cauſſa, opinor, Berengarii Andegavenſis, qui præſentiam corporis & ſanguinis in ſacramento negabat. cujus ſententiam, licet fuerit aliquandiu ſopita, reſuſcitavit iterum Arnoldus Brixienſis, multosque Aulicorum jam ad ſe pertraxerat, atque adeo ipſum Imp. Fridericum I. quo de bina exempla negatæ præſentiæ commemorat Johannes Vitoduranus

7. *Welt ir wies vmb den dúrren ſtat,*
Der valſche prieſter niht enlat,
Den ſv(e)zen Got er o(v)ch enpfecht
Der tvmber tor ſich ſelben [11] *hecht.*
Iudas vnd er hant geliche pin
Der valſche prieſter daſt der bo(v)n; ſin ſel daſt ein vo(e)gellin.

8. *Du Kriſtenheit das iſt der walt,*
Ir ſele zen vogelen ſi gezalt,
Swa dú bi valſchen prieſter ſtan,
Vnd doch ze Gotte glo(v)ben han,
Das er ſich birget in ein brot,
Ir vogel [12] *von ſchulden ſingen mv(o)zen; ir ſele vermidet helle not.*

9. [13] *Ihr leigen vrowen ſwa ir ſtat,*
Vnd o(v)ch ze Gotte gelo(v)ben hat,
Der valſche prieſter ſchat ùch niht,
Swie vil man ſchanden von im giht:
Er trittet ſelbe in [14] *Iappes ſtift,*
Swenne er den ſvzen Got enpfat, erſlindet [15] *vipper natern gift.*

10. *Swelh Prieſter aber Got ſchon enpfat,*
Mit ſinen pfarre lùten gat,
Der iſt da ze himelrich,
Denſelben dem iſt niht gelich:
Si ſingent alle: wol vns din,
Das du vns haſt alſo bewart, das wir vermiden helle pin.

11. *Swenne ich die krone uffe han,*
Die Prieſter ſoldent vor mir gan,
Die wirde hat in Got gegeben,
Nu ſchwachent ſi ir ſelbes leben
Mit gitekeit vnd mit vnrehtem ſitte:
Verbietent ſis den leigen gar, vnd vúllent ſi ſich ſelber mitte.

12. *Dis tv(o)nt aber alle prieſter niht,*
Suua man der einen reinen ſiht,
Des ſtimme kúnt vns Gotes wort,
Erſt ein ganzer [16] *himelhort,*
Er iſt thamme vu(i)r ſv(i)nden ſe,
Nv lon dir Got vil lieber ſvn, iſt dir das kunt, ſo weiſt ovch me.

13. *Ro(e)mſch Babeſt hoch genant,*
Der [17] *eder Kivnig Vridebrant,*

Leit

---

ranus Minorita princ. Chronicor. At in ejus aula equeſtres iſti Poetæ.

11) *Becht* videtur idem eſſe ac: *ledit*, videtur eſſe a verbo *bechen*, quod *pungere*, *pungendo ladere* ſignificat, in Fragmento de bello Car. M. contra Saracenos legitur ℣. 1021. den hat der vvim *gebechtet*. Kilian in Etymolog. *becken*, *picken* roſtro ictum facere, quod poſterius & hodie adhuc ſervamus. Indigitatur ſcilicet hic, impium Sacerdotem ſibi ipſi damnum maximum conciliare. *Scherz*. Nimirum ita accipi poteſt, ac ſi ſcriberetur *becht* ob aliquam typi in Goldaſto obſcuritatem: ſed revera legitur *becht:* quæ vox ab hawen derivata eundem ſenſum gignit: *baucht* vel *becht*, cædit, lædit.

12) §. 8. *Von ſchulden*) ex debito, ſi ita loqui liceat. vim phraſeos pauci intelligunt. eam ab exemplis pete. Marggrave Heinrich von Miſen;
Von dem uuane hat ſi mich geſcheiden, und bin von ſchulden vro.
Grave Chu(o)nrat von Kilchberg;
Suuem nu ſin herze in fro(e)iden ſuuebe
Der mac und ſol von ſchulden fro gebaren.
Grave Friderich von Liningen;
Von ſchulden mu(o)s ich ſorgen uuol
Von fro(e)iden git min herze zol.
Anonymus in Ecken Uſfart;
Ward febten ie von ſchuld getan
Ich pru(e)f es ie von keinen man. Ibidem;
Von ſchulden uuar ir leid genu(o)g
Das ir dú uuer, die ſi dan tru(o)g,
Viel nider in dú gru(e)ne.

13) §. 9. *Ir leigen vrouuen*) Laicæ feminæ. epitheton perpetuum ac proprium feminarum, non apud Germanos modo, ſed Latinos quosdam ab Eccleſia. Cæleſtinus PP. *Idcirco femina laica omnia derelinquat, & res ſuas pauperibus tradat:* apud Gregorium Presbyterum lib. IV. Polycarp. tit. XXXIX. & Gratianum XXX. quæſt. I. cap. IX. Interdum ἀπλῶς *Leigen*, laicæ, pro quibusvis feminini ſexus. Grave Chu(o)nrat von Kilchberg ad virgines;
Fro(e)it ich ſtolzen leigen.
Her Go(e)tfrit von Niſen;
Ir vil uuuneklichen uuîb
Ir uuol gemu(o)ten leigen. Idem;
Megde leigen Wir ſun reigen &c.
Her Wernher von Túſen;
Sit undertenig Minne uuerde leigen,
Si kan uuolfro(e)ide in ſendú herzen heyen.
Bonaventura Seraphicus in quadam epiſt. de Regula S. Franciſci; *Ex aſpectu laicæ oculus venenatur.*

14) *In Iappes ſtift*) Infra §. 43.
Und ſnidet als das iappe ſtift.
An proverbio locum dedit ſtultiſſimus Iapygum interitus? an item *ſtift* ſunt triboli, h. e. machinulæ ferreæ, forma trigona aut tetragona, quæ in quamcumque incubuerint partem, aculeos infeſtos protendunt? Vegetio *murices*, Gallis *chauſſetrapes*, Budæo *calciatrappæ*, Helvetiis priſcæ loquelæ retinentiſſimis *ſteften.*

15) *Vippern natern gift*) Infra;
Dú ſtrafe iſt viper natern gift, Marner:
Er iſt ſnabelreſer danne ein viper nater muge ſin.
Viper nater, vipera natrix. apud Latinos diverſi ſunt ſerpentes. *vipera* nempe ἔχις: natrix, ὕδρος. Eſt autem *vipera* ſerpentum venenoſiſſima: quam verbis multis deſcribit Wolfaram von Eſchelbach, part. II. Heldenbuch, illo thematio, cujus initium;
Nu bo(e)rent durh ein uunder
Wie das thierlin iſt gnant,
Es heiſt ze Welsh ein zunder,
Zu(o) Tutſch ein ſaribant
In Sittelenlant nach ern
Iſt es ein vipper gnant,
& quæ ſequuntur, quæ pro poeta narrat, non Phyſico: tamen ex fabuloſo viperæ partu, quem veteres credidere.

16) Recte Celeberr. Stadenius in Expoſit. Voc. Bibl. Germ. p. 320. hunc verſum ita reddit: *Er iſt ein ganz himmliſcher Schaz. Hort* Germanis *theſaurum* denotat: ceu patet ex Iſidor. Fragm. ubi dicitur: *endi dhin chiborgonun* hort *dir gibu.* ubi in Latino eſt: *& dabo tibi* theſauros *abſconditos.* ad quem locum vid. Palthen. in Not. pag. 401. *himelhort* etiam occurrit infra in hac paræneſi §. 45. *Scherz.*

17) Pro: *eder* legendum eſt: *edel.* Scherz.

Leit u(i)ch dis bispel vu(i)r
Vnd [18] *Ro(e)mſch vogt* [19] *von Vu(i)rſten kv(i)r:*
Swas krumbe ſtebe vf erden treit,
Vnd allen die man blatten ſcber, dem ſi dis bispel vor geſeit,

DER KVNIG TYROL.

14. *DAniel wunders mehr geſchach,*
Eine ſtarcke mv(i)len er ſach,
[20] *Dike lag an einem wage tief,*
Der vnder ſtein vaſte vmb lief,
Der ober kunde ſtille ligen,
VVies vmbe die mv(i)le ſi getan, das wer mir ſchedelich verſwigen.

15. *Das rat, das an der mv(i)le gat,*
Zwo vnd ſibenzeg [21] *kamben es hat,*
Die ſint von alſo maniger par,
Eines wirt man da gewar,

Der

18) §. 13. *Ro(e)mſch vogt*) Romanus Rex vel Imperator. Noſter von Wengen;

Got hat vf erde an zuuene man die Kriſtenheit gelan:
Der Babeſt der ſol unſer ſele in ſiner hu(o)te han,
So ſol den lib und unſer gu(o)t
Ein vogt von Rome ſchirmen mit geribte.

Reinmar von Zvveter;

Das riche daſt des Keiſers nibt,
Er iſt ſin pfleger und ſin voget.

Walther von der Vogelvveide;

Her Keiſer ich bin vrone botte,
Und bringe iv botſchaft von Gotte;
Er bies iv klagen, ir ſit ſin voget
In ſines Sunes lande broget. Hardeggere;
Und bilf den Kúnic Chu(o)nrat alſo
Das er mit rebte ein vogt ze Rome uuerde,

Idem Walther loco jam laudato;

Von Rome voget, von Púlle Kúnic, lat úch erbarmen.

Tanhuſer.

Den voget von Rome ich dike uuol geſehen han.

Strikere in Caroli M. geſtis;

Ufſtu(o)nt der Biſchof Tiurpin;
Vogt von Rome, ſprach er do &c.

ſcilicet ad Carolum Imperatorem. Ibidem;

Ich han minem ſcheppbare
Gelobet, daran ich ſtete ſin,
Das ich nimer uuider in
Keinen voyt uuil geuuinnen.

Sic Deus, Imperator cæli & terræ, & ipſe nonnumquam appellatur.
Noſter von SingenbergeTruchſeze ze Sant Gallen;

Der uuerlte voget, des himels kúnig, ich lob úch gerne.

Cancellarius Imperatoris innominatus;

O himel kúnig in himel voget
Geuualtig vúrſte in lúften gar.

Anonymus, ſed vetuſtus Poeta, Paraphraſi Vet. Teſtamenti;

Richer Got herre uber alle kraft
Voget himelſcher herſchaft.

Walther allegato carmine ad Imperatorem;

Er rihtet ú da er vogt iſt.

Atque adeo quicumque quodcumque imperium habet, eo nomine comprehenditur. veluti Duces & Principes. Anonymus ille in Vet. Teſtament.

—— *Als Nemrot*
Ir rihter und ir vogit gebot.

Biterolf de Principe Hennebergenſi;

Den edeln voget man toten dabin fúr den Keiſer tru(o)g.

In hiſtoria Theodorici Veronenſis;

Der edil vogt von Berne.

Eſt autem *voget* Latinorum advocatus, verbo per aphæreſin corrupto, quaſi *vocat. Advocatus*, adminiſtrator, gubernator, curator. ita Monaſteriorum advocati, *Kaſtenvægt*: Provinciarum & ditionum præſides, *Lantvægt*: Caſtellorum præfecti, *Burgvægt*: Minorum curatores, *vægt*, h. e. ut hodie vocantur, *pfleger*. Nam quos Latini tutores, Germani proprie *Vormunder* appellant.

19) *Von vúrſten kúr*) Principum electione: qui jam tum ſeptem. Der Tugenthaſte Schriber;

Siben fúrſten ſint des uuert
Das ein Ro(e)mſch kúnic en iſt zeuueln benant,
Die en kieſent nibt uuan ſuues der edel gert
Herman von Túringen lant.

ait, *zeuueln*. inde *Welere*, electores, *Kurfúrſten*. Reinmar von Zvveter;

Nu ſehent vúr úch des Riches uuelere,
Den ir nu uuelt das er ſi ſchanden lere,
Und alſo das ir verſu(o)chent,
Werde er iv lieb ſo ſtet im eben
Und ſi des nibt ſo lát iv geben
Das riche uuider zebant, ſo irs geru(o)chent.

Habebant enim poteſtatem & eligendi & deponendi Imperatorem, quæ vero apud ſolos Germanos. nec exteris participata umquam, & confirmata dehinc nova Caroli IV. conſtitutione. Strikere, qui ante quingentos annos fuit, ad Carolum M. inſtitutorem videtur referre. Sic enim in geſtis ejus de Germanis;

Das ſi da iemer mere
Ir Kivnige Chrontin und kurn
Und das rebt niemer verlurn.

Quod neſcio ſi vaticinium eſt, & noſtra tempora tangat. *Kurn*, eligerent; ab Ebræo בָּחַר elegit.

Kúnig Wenzel von Behein;

Wer kur dafur die roſen.

N. von Gravenberg in Wigolais;

Und den tot von im kuren.

Kur, electio. Her Heinrich von Sax;

So ſeze ich uf der ſelden kiur.

Biterolf de Principe Hennebergenſi;

Do trat er fúr der Dúringer herren in eines draken kúr.

Hinc *Kúriſſer*, milites delecti, quales cataphracti equites.

20) MSC. Bibliothecæ Regis Chriſtianiſſ. habet: *dú.* Schærz.

21) §. 15. *Kamben*) Vitruvio *pinnæ*, ſunt aſſamenta in tympano, quæ aquæ impetu impelluntur.

22) *Lignum*

Digitized by Google

Der iſt von [22] *lignum aloe;*
Nie reiner holz vf erde wart, weiſt du wies vmb die mv(i)le ſte?

16. *Derſelben mu(i)le pflag ein man,*
Der nie vleiſch noch bein gewan,
Der het ein kint, [23] *das wart en ein*
Das es den vndern mv(i)lenſtein
[24] *Druvbte das er ſtille lag,*
Von einem kleinen weſſerlin der ober groſſer ſnelle pflag.

17. *Das kint das hate knappen zart,*
Do der oberſtein kam an die vart,
Es ſprach, ir ſvlt úch des bewegen,
Das ir des ſteines kvnnent pflegen;
Ob der vnder welle ſtreben,
Den druket als ich han getan; ich wil u(i)ch lon darvmbe geben.

DER KVNIG VRIDEBRANT.

18. *HErre ir habt wunderlichen mv(o)t,*
Das ir gegen mir die vrage tv(o)t,
Von ritterſchefte wiſte ich bas,
VVa ienr gelag, wa der geſas,
VVa ſich die ſpene vs helme klungen,
Von ſwerten vber die ſchilte, dar vnder ſich die [25] *recken ſwungen.*

19. *Edoch*

22) *Lignum aloe*) Wolfaram von Eſchilbach;

Und ſaf von lignum aloe fúr der argen liften var
Het er in einem Golde dur den edeln ſu(e)ſſen ſmac
Das machet im dú o(u)gen klar, &c.

Quodnam fuerit hoc ligni, non conſtat inter ſcribentes.

23) §. 16. *Das uuart enein*) Infra;

Ich tru(o)g ie gelich mit in enein.

In Martyrologio Apoſtolorum de Romano populo, colligente oſſa Petri & Pauli cælitus revelata;

Die gu(o)t shar gemeine
Vreute ſich und uuart enein
Das ſi, &c. ibidem;
Sin ſun des enein do uuart.

24) MSC. Biblioth. Regis Chriſtianiſſ. legit: *druhte*, quod idem eſt ac hodiernum *druckte*, premebat. *druhten* occurrit: infra §. 21. *Scherz.*

25) §. 18. *Recken*) Reges, id eſt, heroas, helden. antiquarii noſtri confundunt *rekios* cum *riſiis*, interpretanturque gigantes. imperite, & ingratiis τῇ ἐτύμῳ. non ſanius Chronici noſtri ſapiunt in tradendis priſcis Germanorum Regulis. quos ſcire velim, *Reges* antiquitus apud Germanos fuiſſe populi duces ac defenſores, homines juſtos æque ac fortes, qui terram Germaniam a ferarum, latronum, & hoſtium defenſarent impetu: ſive regioni aut civitati dominarentur, ſeu caſtris tantum. Exſtarent tantum libri veteres, ſuper rei veritate minus dubitaremus. quam ex fabulis ſi cupiam demonſtrare, quibus ſolis fruimur, nugax ſim, nequiquam laboraturus. tamen unum atque alterum exemplum, ubi exſertim rekii ab riſiis diſcriminantur, juvat adicere. Incertus auctor part. III. Heldenbuch de Theodorico Veronenſi Gibichum Vangionem colloquente;

Do ſprach der Bernere
Ir habent reken genu(o)g,
Darumb ſint ich unmere
Alle reken ze ungefu(o)g,
Darumb mu(o)s ich herbringen
Min reken die ich han,
Ir redent von den dingen
Si túrent nieman beſtan.

Tanhuſer, poſtquam plurimos heroas, eosque celeberrimos, enumeraſſet, ſubicit;

Nu laſſen uuir die reken ſin
Und alle die von Trane
Und die von Bridani ane &c.

Wolfaram von Eſchilbach part. II. ejusdem Heldenbuch;

Der uunder ku(e)ne recke
Der uuert ſich ritterlich,
Er slu(o)g mit heldes mu(o)te
Vil manchen iungeling. Et de gigante Baldemar;
Zuuo briune gu(o)t von horne
Het er geleit an ſich,
Darunder der verlorne
Stu(o)nt einem reken glich.

Anonymus in Ecken Uſfart de filiis Ruzinæ gigantis;

Die riſen uuaren beide uuól
Geuuapnet, als man reken ſol,
Da in zuuo brinne veſte.

Ecce ajunt rekiorum in morem modumque illum conſtitiſſe, hos armatos fuiſſe. *Riſii* tamen & ipſi, ubi recte egerunt, *rekii* appellati. Exemplum in d. part. III. de riſiis Gibichi internectis, & aliud in principio libri, qui inſcribitur Ecken Uſfart de Nettingio prognatis. Ceteroqui *riſios* vocabant homines proceros ac robuſtos (unde & *Volant* cognominati, Franco Gallis *Vaillant*, quaſi valentes ſive validi) qui vi viribusque confiſi ſilvas ac montes incolerent gratia latrocinandi. contra quos invocati *rekii*, venerunt, auxilio afflictis fuere. inde quod vocantibus inſervirent, *Degen* dicti, h. e. ſervi. nam id proprie *thegan.* ἀπὸ τῆ *thege*, fide, quam illis præſtant, quibus aſſiſtunt, quo nomine *fideles* dicti vaſalli & quicumque principum miniſtri. unde & verbum *thegen*, fideliter ſervire, ſerviendo bene mereri. ita capio locum Willerami, quem aliter expoſuit Gloſſator, cap. III. *Was uuirthet auor unſer armon, uuir thie ſo getbigan niet ne ſyn, thaz uns plenitudo dierum, id eſt, conſummatio bonorum operum*, &c. *ſo muga commendare.* id eſt, qui non tam fideliter ſervivimus, qui non meruimus. a qua explanatione eſt Otfridus Wiſſenburgenſ. præfat. ad Hludovicum Regem;

Thegan ſin in uuarú
In maniger zalú
Manag leid er tulta
Um thaz do Got gibanta
Vbaruuuant er ſid zar fram
So Gotes thegane gizam:
Eigun uuir thia guati
Gilicha thegan riti. Et lib. I. c. III. Evangel.
Thiu thritta zuabta thanana
Thaz uuarun edil thegana.

Vetus ille Paraphraſtes Teſtamenti Vet.

Enoch der Gotis degin uuis.

idem de Pharaone & Jacobo Patriarcha;

Gap do der Kunic ſinen ſegen
Er lie den edilen Gotis degin.

Digitized by Google

19. *Edoch welt ir ſin niht enbern,*
So wil ich u(i)ch der vrv(i)le wern.
Der vnder ſtein iſt [26] *dv(i) alte é,*
Diue kvmt vńrbas niemer me,
Die hat der megde ſvn verdrvket:
Der ober ſtein das iſt der to(v)f, damit die nu(i)we iſt vfgezuket.

20. *Wert*

Ceterum *Edil thegana* ſeu *degin* inter humanos proprie homo nobilis fortitudine ac virtute præſtans, humani generis officio belli domique paratus. avorum memoria *Edelknecht*, ſed diſpari, ne dicam de generi appellatione. nam illi nullo in diſcrimine ponebant pauperes atque divites, omnibus adæque præſto eſſe parati: hi vero dicti principum, Epiſcoporum, Abbatum, Comitum miniſteriales, qui ſi beneficia (utor illorum verbis) accepiſſent, mutabant nomen in *Dienſtman*. verum ad illa. Dixi; *Degin* eſſe ſervum an miniſtrum. ita gladius nuncupatus, quod ejus miniſterio in defenſione utimur. Et quemadmodum *Degin* de homine bellicoſo & heroico uſurpari cœpit, ita *Wigant* de ſervo Induſtrioſo *Gotis uuigant* in citata multotiens Paraphraſi, ſervus Dei. contrario prorſus exemplo. ſiquidem *uuigant* proprie ac ἰτύμως bellicoſum ſonat, a *uuige*, quod bellum notare ex Vet. Pſalmorum interprete annotavit Lipſius. *Wighuis* Willeramo, quod Franco - Gallis Fortereſſe, arx munita. *Ku(e)ne uuigant* apud Poetas, qui *ku(e)ne degen*, *ku(e)ne reke*, *ku(e)ne held*, in eorumdem libris. ſunt nempe ſynonyma iſta. *Kun* ſive *Chun*, fortis: *Chunheit*, fortitudo. unde *Kuning* dictus Rex, ea forma, qua *adeling*, *Friling*, *buring*, &c., qui fortitudine alios antecellat. in libris antiquis *Kunic*, *Chunic*, *Kuning* quoque in Otfrydi, *Chuninga* Notkeri, & *Chuninge* in perveteri Regulæ Benedicti interpretatione. Eduuardo Regi Anglorum, ei qui vulgo Confeſſor, *Cyning*. verba ſunt in Charta, qua Randulpho Peperking concedit centuriam Dauncingenſem;

Icbe Eduuarde Cyning
Haue yeouen of my foreſt theg Keping.

Ab eadem origine & gens *Chunorum* nomen ſortita. quorum Rex Theodoricus Veronenſis, is quem noſtrates *Dieterich von Berne* indigitant. & hæc vera gentis ſcriptura, ex dura primorum Germanorum pronuntiatione, & imis de faucibus ducta, quam Helvetii, qui ſoli mores moramur antiquos, hodie retinemus. *Chuni* ergo fortes. ſic *Celtæ*.. cujus nominis par eademque ignorantia. veteribus *Cheld*, aut, adſpiratione duplicata, *Hheld*, qui nobis nunc *Held*. Sic puto *Helvetios* dictos quaſi Celtarum cognatos. ſic *Hiltebrandum* quaſi Chelte Bren, h. e. Celtam Brennum. itidem *Hiltebolt*, *Hiltiman*, *Hiltiuuin*, alios. Eſt vero *Chilt* nomen epicœnum, maribus feminis promiſcuum. exempla in *Hiltigart*, *Hiltrut*, *Hiltegunt*, *Adilhilt*, *Reginhilt*, & ſexcentis aliis. Rationem ex fabulis petendum eſt. *Celten* ajunt fuiſſe reginam, cui congreſſus Hercules filium ſuſceperit *Celtum*, unde genti nomen inditum nomina ab illa feminina, maſculina ab iſto. & hanc Celten puto eſſe *Hilte*, quam infantulis vagientibus apud nos nutrices minitantur. Beroſus tamen Regem nominat: & Appianus Celtum Polyphemi tradit, non Herculis filium. fides ſit penes auctores. nos quod ab inſtituto erat, præoptavimus, explicuimusque quod ἰτύμον haberent *reke*, *riſe*, *volant*, *degin*, *uuigant*, *kuning*, *belde*, voces hactenus ignoratæ. Vos nunc Hiſtorici, & qui Principibus a conſilio (utrorumque enim intereſt hæc ſcire) ſi dicta placent, utimini; ſin, reperitote meliora. ego comiter monſtravi viam.

26) §. 19. *Dú alte é*) antiquum fœdus præputio ſignatum. *E*, fœdus, pactum; veteribus *euua*. pro *lege* uſurpavit Willeramus in Cant. Cantic. cap. I. *Wir ne uuillon niet vergezzan, thaz thiu genatho dines evangelii ſuozer is, than thiu auſteritas thero euuo*. quo ſignificatu in translatione Speculi Saxonici, ejusve interprete Rebkau & ipſe notavi, & apud Rudolphum Monachum exſtare in Vita Chriſti annotavit Gloſſator Willerami. Interpres Regulæ Benedicti in præfat. *Teſtamenti veteris novique, dera altun euna iob dera niuuan*. Strikere in geſt. Caroli M.

Als tet unſer herre Got
Hie bevor in der alten é
Eime luden der hies Ioſue.

Paraphraſtes Vet. Teſtamenti;

Abrahame ein é beſchiet
Im ze lobe mit dem ſnitte.

h. e. cum Abrahamo fœdus iniit. Ibidem;

Der Got ſit geru(o)bte gebin
Sine é und uuie ſiv ſolden lebin.
Kriſten é, religio Chriſtiana.

Meiſter Sigeher;

Ich ſach do me rehten gelo(u)ben ſto(e)ren,
Ich ſach Criſten é veruuerfen in den bochſten Cho(e)ren.

N. von Gravenberg in Wigolais;

Mag uuuer ſegen mich beuuarn
Vor der helle, und Chriſtan é,
So uuil ich mich nit ſummen me
Ich enphach der Chriſtan é zehant.

verba ſunt Comitis gentilis miraculo ad fidem converſi. Poſt paulo;

Den to(u)f enphaben und Chriſtan é.

E, omnis cujusque ſectæ religio. In eodem Gravenbergii poemate paganus quidam;

Sit us unſer é bintrait
Der Tiuvel ein ſo uuerden man.

Apud Strikere geſtis Caroli M.

Und bat in das er gehorſam
Ir gotten uuurdi und ir é.

Soror Marſilii Saracenorum Regis, ſollicitans Carolum ad apoſtaſiam. *E*, denique fides, ſeu, ut Jureconſulti loquuntur, fidelitas. apud eumdem jurat Turpinus Archi-Epiſcopus;

Das uuir nibt en zuuifelen me
Uſf min ampt und uf min é:

quam ſc. Carolo M. præſtiterat. Ibidem;

Der kivnig vou vile e
Der hies gebieten bi der é
Und hies da ivberal ſagen
Suuas vaſte mœbte getragen
Das ez die herfart fu(e)re.

Noſtris hodie hanc vocem uſurpatio eſt de fœdere tantum nuptiali.

27) §. 20.

Digitized by Google

20. *Welt ir wiſſen, wie es vmb die kammen ſtat?*
[27] *Zwo vnd ſibenzeg ſprache dv(i)* [28] *werlt hat;*
Der einen der man da wirt gewar,
Dv(i) da iſt von ſo ſv(e)zer par,
Das iſt dv(i) magt von Yſſe her geborn.
Die Got al der werlte herre zeiner mv(o)ter hat erkorn.

21. *Die knappen die der mu(i)le pflegen,*
Das ſind die prieſter, die den ſegen
Habent vber des to(v)fes zil;
* *Wer u(i)ch der rede niht zevil,*
Got gab den pfaffen vf ir eit
Das vngelo(v)ben drvhten, und vffeten die Kriſtenheit.

22. *Welt ir dan wiſſen vmb den man,*
Der nie fleis noh bein gewan,
Des kint tru(o)g einer megde lib,
Die Ivden iahen ſi [29] *wer ein wib,*
[30] *Daniel mit beiden hander ſwu(o)r*
Das ſi mit den gelo(v)ben varn, als Adam vmb den apfel vu(o)r.

[31] 23. *Si habent dannoh pine vil,*
Got [32] *dvr vns niht me ſterben wil,*
Von ſinen tode wart vns zorn,
Er ſprach, iemer wirt geborn,
Den ſi benant des tv(o)fes zil,
Vnd volge den man blatte ſcher, dur u(i)ch ich niht me ſterben wil.

24. *VVan do Got von dirre werlte ſchiet,*
Er beval uns einer [33] *turren* [34] *diet,*
Prieſter nenne ich u(i)ch mit namen,
Kein kv(i)nig ſich niemer darf geſchamen,
Das er das edel ho(v)bet ſin
Mit krone gegen im neiget, des gib ich iv die tru(i)we min.

DER

27) §. 20. *Zuuo und ſibenzeg ſprache*) Vetus Poeta in Ho(e)rnin Súfrid;

Ia betteſt du betuuungen
Das halb teil dirre erdn,
Und zuuo und ſibenzig zungen
Das ſi dir dienten gern.

Non nupera eſt opinio, in orbe ſeptuaginta duas linguas eſſe. cui ſunt qui ex Moyſe fundamentum fulciant Geneſ. cap. X. At mihi potior videtur origo a LXXII. interpretibus eſſe, per quos exiſtimatum fuit verbum Dei in univerſum terrarum orbem emanaſſe. Quod quidem ut verum eſt, ita falſo credidere ſingularum gentium linguis tradidiſſe, qui Græcæ tantum. Prodiit nuper theſaurus polyglottus ex CCCCL. veteris & novi orbis nationum linguis, dialectis, idiomatibus, & idiotiſmis conſtans, auctore quodam Megiſero. Viginti duas Mithrydatem Ponti ac Bithyniæ Regem ferunt calluiſſe Plinius, Plutarchus, Gellius, Valerius, Solinus.

28) *Du uuerlt*) ita ſcriptum obſervo in pleriſque omnibus libris antiquis. recte, ſi originem ſpectes. Vetus Interpres Pſalmorum; *Seculum, uueroltſeculum ſæculi, uuerildi uuerildis:* apud Lipſium Centur. III. ad Belgas epiſt. XLIV. Otfrido *uuoroltInterpres Regulæ Benedicti & Notkerus cum veteri illo interprete conſentiunt. nec ambigo quin Otfridi loca ſint mendoſa. *Goldaſtus.* Nullam video rationem cum credendum ſit Otfridi, qui crebro habet *uuoroltloca eſſe mendoſa. Cum & hodie Anglis Mundus *the uuorld* appelletur. *Scherz.*

* Hujus & ſeqq. duorum verſuum hæc eſt mens:

Non nimium (ſeu ultra veritatem) *diceret,*
Qui aſſereret Deum ad hoc Clericos obligaſſe,
Ut opprimerent religionem falſam, & Chriſtianam extollerent. Scherz.

29) §. 22. *Si uuer ein uuib*) *Wib* pro uxore, quæ virum paſſa eſt. Chu(o)nrat von Helmsdorf Collatione novi Teſtamenti cum veteri hiſtoria, in re gemina;

Und gehailget in ir mu(o)ter lib
Die maget uuer und niht ein uuib.

Heinrich von Frouuenlop;

Ob ich ir ſpreche vro(u)uue und uuip
Die kindes mu(o)ter uuere,
Ich hette an beiden uuar geſagt
Wie uuilent hies ein uuip ein magt.

Sic *mulier* apud Latinos. Ulpianus l. XI. §. 1. D. de contrab. empt. *Quod ſi ego me virginem emere putarem, cum eſſet jam mulier.* Et l. XIV. §. VII. D. de ædilic. edict: *Mulierem ita artare ut mulier fieri non poſſit.* elegante πλοκῇ, quam ingratis Gratiis mutavit Gothofredus. Eſt enim lata vox, quamcumque ſexus feminini comprehendens, auctore Pomponio apud eumdem Ulpianum l. XXV. §. IX. D. de auro, arg. &c. ipſo Ulpiano lib. XIII. in pr. D. de V. S. Modeſtino l. LXXXI. §. 1. D. de legat. III. Tertulliano de Veland. virg. Bonifacio VIII. c. vn. v. ille vero, de Sponſal. & matrimon. lib. VI. ubi notant Doctores.

30) Verba hæc juſto ſunt obſcuriora. Senſus illorum eſſe videtur, quod *Daniel utraque manu* i. e. firmiſſime *aſſeruerit atque jurato quod illi* (Judæi) *cum fide incedant ceu Adamus cum pomo* i. e. male & in perniciem ſuam. *Scherz.*

31) In hoc §. eſt non exigua obſcuritas, inprimis in verſu tertio. Annon ille ita corrigendus?

Von ſinem tode uuart us *zorn*

per ejus mortem extinguebatur (ſmiebatur) *ira* ſc. Dei in homines. *us ſein* pro quo hodie elegantiores dicunt *aus ſein* eſt finiri, ſic dicimus: die predigt iſt aus. pro tu(o)fes in ℣. 5. hujus paragraphi lege: *toufes*, i. e. baptiſmi. *Scherz.*

32) §. 23. *Dur uns*) propter nos. redonanda particula in carmine de Tanhuſer, quod vulgo cantatur & circumfertur, §. ult.

Da mu(o)ſt er dur den Babſt Urban
o(u)ch euuig ſin verloren.

Nempe Urbanus PP. in cauſſa fuit, ut in *Veneris montem*, h. e. lupanaria, in quibus voluptatus erat, Tanhuſer redierit, æternum pereundus. vulgo legitur, *für den Babſt*, ſenſu improbo. Carminis aut fallor aut ipſe Tanhuſer auctor, qui a partibus Imperatoris contra Papam ſteterat, in hujusque contumeliam carmen hoc videtur compoſuiſſe.

33) Lege: *turen* i. e. theuren uuerthen, venerabili, reverendo. *Scherz.*

34) *Einer turen diet*) *Dieta*, turba, multitudo, coetus hominum ac conventus.
Herzoge von Anhalte;

Des en ſih ich an ſchalkhuſter diet niht das.

Her Ru(o)dolf von Rotenburg;

Digitized by Google

DER KVNIG TYROL LERET SINEN SVN.

LIBER II.

25. *IR Herren u(i)ch tv(o)t dis bv(o)ch erkant,*
Wie der Kv(i)nig Tyrol vs der Schotten lant,
Sinen ſvn Vridebrande riet
Die weltlichen lere, das kint von miſſewendę er ſchiet.

26. *Er ſprach; dv ſolt wiſſen, liebes kint,*
Da gegen iſt [35] *ellń lere blint:*
Din lúte ſolt dv willig han,
Sich ſelber, wie mir es ſi ergan,
Ich tru(o)g ie gelich mit in en ein,
Des volget mir von ſtritte vil manig helt gevangen heim.

27. *Dv ſolt o(v)ch wiſſen, was dich gezeme,*
Swas ſchaden in dinen dienſte neme,
Das dv den wider rihteſt ſnel,
Hie vmbe wagent ſi ir [36] *vel:*
Wirt man der tugent an dir gewar,
Dv gefigeſt gegen breiter menge gegen vienden mit kleiner ſchar.

28. *Svn, wilt dich aber ſelbe ſmehen,*
So ſolt dv den vngerne ſehen,
Der dvr dich ſi in kvmber komen,
Vnn ſchaden hat bi dir genomen:
Volgeſt dv den ſelben ſitte,
Got tv(o)t ein [37] *michel wunder, teilt er dir ſin helfe mitte.*

29. *Svn,* [38] *turnei machet* [39] *riſche diet,*
Davon wil ich dir raten niet;
Turnieren wirdet mannes lib,
Dur wirde lobent ſi die wib;
Turnieren das iſt ritterlich,
So bo(e)rt zu(o) ſtrite dringen und veſte halten berteklich.

30. [40] *Laſt*

Die leien und die pfaffen,
Wiſſage, Kunige, und ellń diet

Friderich von Huſen;

Das lies ich dur die valſchen diet.

Nithart;

Nu hat ſich verkeret
Schameloſer valſcher diet iſt ir hof gemeret.

Bru(o)der Wernher;

Do in dú ungeto(u)ſte diet mit nageln an das krúze slu(o)g.

Strikere in geſtis Caroli M.

Das er mit ſiner diete
Einen hof dar gebiete
An ſinen ſtu(o)l ze Ache.

Recte. & inde *dieta*, conventus publicus, comitia, Landtag, Kreisſtag, Reichstag, de quibus feſtivum Caroli V. Imperatoris dictum; *Dieta dietam parit, & partus ſuffocat matrem. Dietę*, gentes. Veteri Pſalmorum Interpreti; *Thiat gens. Thiadon, nationes. Thiede, gentes. Thiadekunne, generationes.* vox compoſita, ſed ſignificans. Nam *kunni* vel *kunnea* veteribus generatio, ab Latino *cunnus*, eidem ipſi Interpreti, Notkero, Otfrido, Interpreti Regulæ Benedicti, aliis. Paraphraſtes Vet. Teſtamenti;

Von Sem das kunne lie ſich ſá
Nider in der grozin Aſya
Mit der diet aller ſiner ſchar.

Notkerus in Pſalm. CXXVI. *Tunc dicent inter gentes: dánne chédent ſie under dietin.* Et Pſalm. CXXXV. *Qui percuſſit gentes multas: manige diete slubg.* Otfridus ad Ludovicum Regem;

VVaz Chriſtus in then gibiete
Frankono thiete. Marner;
War komen ſi der Wilzzen diet.

Reinmar von zvveter;

Var Herzoge Erneſt not erleit,
Was er und Grave Wetzel der geſnahlen diet verſneit.

Strikere in geſtis Caroli M.

So ſivlt ir gebieten
In landen und in dieten.

h. e. in terris & gentibus. Turing von Ringoltingen in Meluſina cap. XXIX. *Das dú Heidiſchen und Türkiſchen diet von Behein us den lande geslagen wurden.* Otfridus lib. III. cap. XIII.

Ergebent mih zinote
Fremidemo thioto.

ex illo Matth. XVI. *tradent me genti* &c.

35) §. 26. *Ellú)* alle. ſic *ermú*, arme: *eltú*, alte: *bertú*, harte; & ſimilia. Apud Gravenbergium in MS. fabula de Wigolais ſcribitur *a(e)lliv*, Strikere & Paraphraſten illum Teſtamenti *alliv. ellentriche*, prædives, paſſim hoc libro.

36) §. 27. *Ir vel)* κατάχρησις pro cuti & nobis hodie. eſt vero Latinorum *vellus*, aut *vel* ſcriptum eſt ἀπὸ τοῦ *phel*, ab Latino *pellis*. Nam mos ille fuit majoribus, ut P. Latinorum Græcorumve mutarent in PH. & hoc porro in F. vel V. exempli gratia: *wîc, fu(e)s:* πίνω, *finfe:* pullus, *fulin:* pugnus, *fuſt:* piſcis, *fiſch:* planus, *flach:* pannus, *fan:* unde *bannum* pro vexillo: pulex, *flob:* probus, *fromb:* primo, *frio:* porcellus, *forle*, &c. interdum in PF. ut piper, *pfeffer:* perſicum, *pferſich:* papa, *pfaf:* palus, *pfal:* palatium, *pfalz:* pignus, *pfand:* parrochia, *pfarr:* pavo, *pfauu:* pilus, *pfil:* pila, *pfiler:* piſtor, *pfiſter:* plantare, *pflantzen:* plaſma, *pflaſter:* plateare, *pflaſteren:* prunum, *pflumen:* poſtis, *pfoſt:* pondo, *pfond:* pluma, *pflum:* pentecoſte, *pfingſten:* pinna, *pfinnen*, &c.

37) §. 28. *Michel uuunder) Michil* de magnitudine & multitudine, Interpreti Pſalmorum *mikil* apud Lipſium, quem vide. Otfrido *mihilan*, interdum *mihilemo:* Notkero *mikel.* Idem *in mirabilibus* convertit *in michelen dingen.* Interpres Regulæ Benedicti; *magnificant, mihhilont. Michler knab*, major, grandior, Heinrico Ticlinger Chron. Bernenſi, *michles ſpil* Alberto von Eib in libro quem Goldinſpil proſcripſit Noribergenſium nomine. Verbum Poetis noſtris familiariſſimum, Trans-Rhenanis eſt antiquatum, non item nobis Helvetiis.

38) §. 29. *Turnei)* Torneamenta, damno nobilitatis abolita. Siquidem in illis, tamquam in igne aurum, mores nobilium probati. Aurifabri, & quos Arabico nomine Alchimiſtas vocamus, ſcorias ab auro pugnant; non ſecus, haſtiludiorum Reges deponere atque ejicere ſolebant latrones

Digitized by Google

ficiis præceptorum prorsus immemorem esse oporteat. E quo socorde hominum genere cum nos haudquaquam simus, minimé equidem mirum esse potest, si in Schilteriani nominis laudationem nostra nos stimulet conscientia, quippe cui non minùs largissima meritorum maximi Viri copia, quàm Veterum sapientum, ad officiosam hanc pietatem adhortantium, gravissimæ voces obversantur. Inter quas non ultimum locum tenent illa Ciceronis verba, quæ de Legibus libro 2. cap. 24. posita instar legis esse possunt: HONORATORVM VIRORVM LAVDES IN CONCIONE MEMORANTOR; hisque conformia, quæ in Oratione pro Archiâ Poëta cap. XI. occurrunt; ubi quidem eloquentissimus Orator, *nullam*, inquit, *virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præter laudis & gloriæ: quâ quidem detractâ quid est, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo & tam brevi tantis nos in laboribus exerceamus? Certè si nihil animus præsentiret in posterum, &, si, quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas, nec tantis se laboribus angeret, nec tot curis vigiliisque angeretur, neque toties de vita ipsa dimicaret. Nunc insidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ stimulis concitat atque admonet, non cum vitæ tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam.* Et hinc vix possumus nobis temperare quin cum Siracide cap. 44. exclamemus: ἀινέσωμεν δὴ ἄνδρα ἔνδοξον, ἃ αἱ δικαιοσύναι αὐτῶ ὐκ ἐπελήθησαν, καὶ ἡ δόξα αὐτῶ ἐξαλειφθήσεται. Τὸ σῶμα αὐτῶ ἐν εἰρήνη ἐτάφη, καὶ τὸ ὄνομα αὐτῶ ζῆ εἰς γενεάς. Σοφίαν αὐτῶ διηγήσονται λαοὶ, καὶ τὸν ἔπαινον ἐξαγγέλλει ἐκκλησία. Verumenimverò licet intelligamus, qualis pietas beatè defuncto Viro hac in parte debeatur, mox tamen vires nostras officio isti, pro dignitate rei præstando, haud satis pares esse sentimus. Neque enim nos Homeri aut Cicerones sumus, quorum sola oratio tanti Viri gloriam æquare posse videtur. Relinquenda ergo est hæc laudandi provincia aliis præconibus, quos natura, ætas atque ars majore quàm nos facundiâ instruxit. Qualem quidem suo tempore etiam circa hoc argumentum, ut aliâs circa alia, experiemur in eo Collega nostro, qui Manibus Schilterianis solenni Oratione parentare statuit, nempe in Consultissimo Domino Doctore FELTZIO nostro, Schilterianæ quondam Scholæ Discipulo, nunc verò gloriæ feliciter æmulo: quem si aliquandò audiverimus Præceptoris sui elogia consuetâ oris gravitate ebuccinantem, haud dubiè Alexandri M. vocem nobis imitari licebit ac dicere: *ô Fortunate Senex, qui talem virtutum tuarum præconem inveneris!* Interim tamen nos ipsi, qui τὸν Μακαρίτην nostrum laudandum esse agnoscimus, hoc ipso judicio nostro laudasse Eundem censeri poterimus. *Licèt enim*, uti Seneca Epist. CII. ait, *vir bonus taceat, sed aliquem judicet dignum laude, laudatus est. Præterea aliud est laus, aliud laudatio. Hæc & vocem exigit. Itaque nemo dicit laudem funebrem, sed laudationem, cujus officium oratione constat. Cum dicimus aliquem laude dignum, non verba illi benigna hominum, sed judicia promittimus. Ergo laus etiam taciti est bene sentientis, ac bonum Virum apud se laudantis. Deinde, ut dixi, ad animum refertur laus, non ad verba, quæ conceptam laudem egerunt & in notitiam plurium emittunt.* Sed quid opus est, ut imbecillitatem nostram operosius hìc excusemus, cum præsens officii ratio non Panegyricum à nobis exigat, sed Programma postulet, in quo Schilterianæ vitæ cursus delineatus exhibeatur! Hunc igitur talem tandem à nobis accipite! Natus est is, quem jam supra additis munerum suorum titulis nominavimus, Illustris DN. D. SCHILTERVS, Pegavii, Misniæ oppido ad Elsteram amnem sito, die 29. mensis Augusti St. Vet. M DC XXXII. Patrem habuit DN. MARCVM SCHILTERVM, Lipsia oriundum, ac inter Pegavienses Mercatorem primarium, eundemque DN. ZACHARIÆ SCHILTERI., Theol. Doctoris ac Professoris, nec non Procancellarii perpetui in Academia Lipsiensi ex fratre Nepotem, Fratremque DN. JOHANIS SCHILTERI, JCti longè celeberrimi, quem Curia Suprema Electoralis & Consistorium Ecclesiasticum, quæ Lipsiæ sunt, quondam Assessorem, & Scabinatus Electoralis Seniorem vidit; Matrem vero BARBARAM STRAVCHIAM, Celeberrimi illius Antecessoris Jenensis, DN. JOHANNIS STRAVCHII Sororem, feminam sexûs sui decoribus fulgentissimam, natam ex Patre, qui Filio modò nominato fuit cognominis, in aulâ Coldicensi quondam Rationalis munere functus. Et hanc quidem nascéndi sortem ex felicitate vitæ ejusdemque

Digitized by Google

demque infelicitate compositam fuisse facile est animadvertere. Nam ad illam pertinebat, ejusmodi nactum esse necessitudines, quarum imaginibus, exemplis, ductu & curâ ad magna rerum studia excitaretur nobile τῦ Μακαρίτε ingenium. Ad hanc verò referre licet calamitosa, in quæ illius nativitas inciderat, tempora. Omnia enim tum flagrabant bellorum incendiis, & hostilis irruptio infantem vix trium hebdomadum unà cum dilectis Parentibus patriâ ejectum, Lipsiæ primò ac deinde Dresdæ latebras fugæ quærere coëgit. Ad exilium accessit mox præmatura orbitas: nam Patrem ardenti febre extinctum amisit nondum anniculus; cumque Mater secundis nuptiis in manus convenisset DN. JOHANNI HARTMANNO, Lipsiensium Senatori, & Præposituræ, quæ ad eam Urbem est, Quæstori Academico, hunc quoque optimum Vitricum primo statim initi conjugii anno contagiosus, qui tum grassabatur, morbus illi iterum abstulit: nec Mater diu supervixit, ut quæ naturæ debitum solvit Anno 1641. Hanc tamen fatorum acerbitatem mitigavit Divina Providentia paterno illo affectu, qui Consultissimi DN. Patrui, supra jam nominati, insederat pectus. Is namque Orphano de victu prospexit atque amictu, eundemque optimis & eruditionis famâ claris Præceptoribus tradidit, nempe *Dn. Christophoro Burchardo*, & *Dn. M. Theophilo Colero*, Jenensium postea Superintendenti Generali: à quorum ultimo Lipsiæ partim, partim Numburgi, in fundamentis religionis Christianæ inque literis humanioribus ita eruditus fuit, ut Prudentissimi DN. Patrui judicio A. 1651. maturus videretur, qui ad capessenda graviora studia Jenensem Academiam peteret. In quâ cum per biennium Philosophiæ strenuam navasset operam, sedulus Auditor celeberrimorum, qui tum tibi erant, Philosophorum, *Slevogti*, *Stahlii*, *Zeisoldi*, *Horstii*, Anno 1653. sub *Dn. Sclevogti* Præsidio Diatribam. Logicam *de Syllogismis ex Hypothesi*, proprio Marte à se conscriptam, masculè tutatus est. Nec enim illotis, uti ajunt, manibus, h. e. neglectis disciplinis instrumentalibus, ad superiorum scientiarum adyta properabat, probé scil. intelligens, ejusmodi studiorum compendium, quod multi quidem sectari solent, revera nihil aliud esse quàm felicium profectuum dispendium. Non deerat quidem Illi suus Aristarchus: prout optimus quisque suos pati Manes cogitur. Nam, (uti videre est ex Epistolâ Slevogtianâ, quæ Praxi Artis Analyticæ in Jurisprudentiâ, unà cum Diatribâ illâ, inserta est, p. 475.) non omnibus placebat ista Disputatio, inprimis nonnemini, cujus nomen in margine libri notatum est litèris D. J. H. sub quibus characteribus quis virorum lateat, facilé subodorabuntur, qui quos Doctores istâ tempestate habuerint Saxonicæ Academiæ, haud ignorant. Interim tamen ipse Slevogtus Disputationem illam *eruditissimam* appellat, admonens simul, *majorem rationem habendam esse veritatis quàm livoris, nec curandum, quod Numina quædam adorari tantùm velint, non corrigi*; adeoque παῤῥησίαν Auctoris vehementer probat. Ceterùm Jenâ relictâ Lipsiam se contulit, ibidemque alterum biennium Philosophico studio impendit, eruditionis suæ merces nunc augens, nunc exponens, nunc ornatas videns. Nam A. 1654. Præside celeberrimo *Dn. M. Friderico Rappolto*, postea SS. Theologiæ D. ac P. P. *Analysin Vitæ T. Pomponii Attici à Corn. Nepote descriptæ*, propriis viribus adornatam, cum applausu audientium defendit. Insequenti autem anno Magisterii sive Doctoris Philosophiæ titulo ornatus, laborum, quos exantlaverat, honorificum accepit præmium. Inde ad Salanam Academiam reversus animum ad Juris studium applicuit: quod quidem fideli informatione publicorum Doctorum, & inprimis Illustris Avunculi sui, *Dn. D. Joh. Strauchii*, perpetuâ manuductione adjutus per spatium quinque annorum feliciter absolvit, interea temporis sæpius inter Commilitiones Opponentis partes sustinens, ac bis Cathedram publicam indutâ Respondentis personâ cum DN. Avunculo suo, ceu Præside, adscendens: semel quidem, cùm proprii ingenii fœtum, Disputationem de *Acquisitionibus*, eruditorum examini subjiceret; iterumque cùm *Exercitationem primam Commentariorum in L. Decisiones* Justiniani, ab ipso *Dn. D. Strauchio* confectorum, defendendam suscepisset. Sic autem magnâ juris scientiâ instructus, quo Theoriæ Praxin adjungeret, forum sectari cœpit, & in Dicasterio Numburgensi per biennium & amplius causarum Patronum egit. In quo opere cùm artem pariter atque fidem suam multis specimimibus probasset, à Reverendissimæ ac Serenissimæ memoriæ Principe DN.

Digitized by Google

MAURITIO, Duce Saxoniæ &c. Episcopatus Numburgensis postulato Administratore &c. Cingulum Magistri Scriniorum accepit: exacto autem lustro Sulanæ Præfecturæ Provinciâ in Comitatu Hennebergico ornatus est, quo dum defungitur munere, Anno 1671. excursione ad Salanum Athenæum factâ., honores Doctorales, quos in utroque jure pridem meruerat, decenter petiit, præstitisque cùm aliis præstandis tum habitâ cum laude sub præsidio Celeberrimi JCti, *Dn. D. Christophori Richteri*, Disputatione Inaugurali *de Cursu publico, de Angariis & Parangariis ac de onere Temonario*, ceu dignissimus Candidatus facilé impetravit. Non multò post à Sereniss imæ memoriæ Principe, DN. BERNHARDO, Duce Saxoniæ, lineæ Vinariensis, in eorum cooptatus est numerum, qui Ipsi erant à Consiliis Aulicis & Consistorialibus, idque munus usque ad Clementissimi Principis sui beatum obitum, qui in An 1678. incidit, feliciter gessit. Post quod tempus non desiit facere, quod jam antea facere consueverat, ut scil. Orbem exasciatis suis Scriptis, & Studiosam pubem, quæ magno ad ipsum confluebat numero, vivâ voce cum magnâ nominis sui famâ erudiret. Tandem verò habitationis Jenensis ob causas sibi notas pertæsus concessit Francofurtum, quod ad Mœnum est, sequente ipsum, qui tum in contubernio Ejus vivebat, S. T. Dn. Joh. Henrico Feltzio, Jurium tunc Studioso, nunc Doctore ac Professore apud nos publico celeberrimoque, Collega atque Adfine nostro honoratissimo. Quod ipsum quidem contubernium felix illa occasio fuit, per quam Argentina nostrâs & Curiæ & Academiæ suæ Schilterianum Sydus sibi vendicavit. Nam cùm Respubl. isto tempore indigeret Advocato & Consiliario, ille, quem modò nominavimus, DN. Collega noster, exaratis ad DN. Parentem suum literis, Ei significavit, spem esse, ut Incomparabilis eruditionis Virum Patria, si vellet, in isto rerum articulo suum facere posset. Quæ res ut ad aures Illustris DOMINI OBRECHTI, Prætoris tunc Regii, delata fuit, ille quidem, ceu genuinus magnorum ingeniorum æstimator, quique ex Scriptis Schilterianis, quantus ipsorum Auctor esset, pridem cognoverat, maximo id egit opere, ut tanto thesauro Urbs nostrâs citra moram potiretur. Oblata igitur est publicorum munerum tunc vacuo Provincia Consiliarii & Advocati Reipublicæ unà cum charactere Professoris in Academiâ Honorarii, opimis sub conditionibus: sed eodem illo tempore Sereniss. etiam Princeps, DUX SAXONIÆ VINARIENSIS, in suam Aulam vocabat beaté defunctum DN. D. SCHILTERUM. Bono autem evenit fato, ut cùm Hic in bivio consiliorum hæreret, Vir maximé Reverendæ dignitatis Dn. D. Spenerus, qui tunc temporis Ministerii Francofurtani Senior erat, nuper verò à Præpositurâ Berolinensi ad Cœlites vocatus est, suo maximè suasu atque auctoritate fluctuantem desideratissimi Viri animum in eam maxime partem impelleret, quæ Argentoratum spectabat. Acceptavit igitur ὁ Μακαρίτης noster, quæ à Republ. nostrate Ipsi oblata erant, munera, venitque in Urbem anno superioris Seculi xxcvi. A quo tempore res Curiæ pariter atque Academiæ, quantum per adversam valetudinem licebat, ad extremum ûsque halitum tantâ fide, tantâ industriâ tantâque dexteritate tractavit, ut nihil unquam in ipso desiderari posset. Licet enim ultimis vitæ suæ annis non amplius potis esset domo egredi, constanter tamen vel lecto affixus Rempubl. perrexit juvare consiliis, Studiosam juventutem ore ac voce, totumque Orbem auro contra Charis scriptis; & sic suo etiam exemplo docuit, umbram Senum gladio juvenum non ubique palmam concedere. Scriptorum, quæ edidit, Catalogus annexus est Tractatibus præcipuis de Renunciationibus, cui addi debet Diatriba Academica *de Condominio circa sacra*, item *Thesaurus Antiquitatum Germanicarum*, adhuc ἀνέκδοτος, quem augere atque polire non prius desiit quàm vivere. Quanto autem in precio Viris summâ eruditione claris opera ab ipso in lucem edita fuerint, vel ex iis Epistolis videre est, quas Illustres Viri, *Seckendorfius, Avianus atque Conringius* ad Eum dederunt, occurrentes hodie in Tomo I. Praxeos Juris Romani in Foro Germanico &c. post Dedicationem. Quod vero majus elogium tribui Ipsi potuit, quam istud est, quo Eum suus ornavit Avunculus, comparando Ipsum cum *Æmilio Paulo Papiniano*, (quem Veterum Romanorum Jurisconsultorum Alpha fuisse novimus) in Programmate illo, quod ad Lectiones Doctorales τῦ Μακαρίτε Academiam Jenensem An. 1671. invitari placuit. Et sanè scientissimus fuit Juris Sacri pari-

pariter atque profani, Romani non minùs quàm Germanici, publici æque ac Civilis; Theologus simul atque Jurisconsultus consummatus; in explicandis Legibus accuratus; in dijudicandis controversiis Fidei moderatus; in negotiis tractandis justus; in laboribus peragendis indefessus; in doloribus corporis perferendis patientissimus; nemini Bonorum gravis, omnibus æquus, & vicissim omnibus charus ac venerabilis, magnumque sui desiderium in Urbe & Orbe relinquens. Privatam τῦ Μακαρίτε quod attinet Familiam, Conjugium ille iniit Anno 1660. cum Virgine Filiâ *Nobilissimi Prudentissimique Viri*, Dn. Henrici Bornii, *Judicis Urbani & Mercatoris Numburgensis*, nomine ANNA SIBYLLA, jam Anno 1699. ante Maritum demortuâ: ex quâ quinque suscepit liberos, inter quos duobus Filiis, totidemque Filiabus vitalem lucem videre contigit, quinta autem proles in utero materno extincta est. De istis etiam Filius unus & una Filia in teneriore ætate diem suprem um obierunt. Alter Filius, (S. T.) Dn. JOH. GOTHOFREDUS, Juris Practicus apud Jenenses, in vivis adhuc est. Altera verò Filia, (S. T.) DNA. SUSANNA SIBYLLA, quæ nupta fuit cum (S. T.) Dn. OBERLACKIO, JCto & Practico Jenensi, Conjugium maturè cum morte commutavit. Post cujus obitum ὁ Μακαρίτης, meliore matrimonio dignissimus, (S. T.) SUSANNAM CATHARINAM, legitimam Filiam *Dn. Abrahami Dieudonné*, qui olim *Illustrissimo Dn. Marescballo Franciæ, Vice Comiti Turenio*, à Secretis castrensibus fuit, ac postea Præfecturam Landspergicam in Meistersheim administravit) & nunc (S. T.) Dn. Friderici Kempferi, *Mercatoris Argentinensis Uxorem*, in Filiam adoptavit, remuneraturus hac ratione sedulam fidelemque operam, quam Illa Ipsi per aliquot annos in gubernandâ re familiari & in curando ægroti Heri corpore præstiterat. Jam enim sex circiter anni sunt, cùm beaté defunctus DN. Advocatus non tantùm senii ingravescentis debilitate, sed etiam perennibus fere, vel saltem sæpius ac post breve intervallum recurrentibus doloribus arthriticis & calculi confectus domi se continere coactus fuit, alienis manibus & levandus de lecto, & ex una sede in alteram deportandus. Quæ tamen corporis afflicti mala magnâ Ille fidei constantiâ magnaque patientia sustinuit, pertulit ac superavit, DEO per beatam ἀνάλυσιν à cunctis hujus mundi miseriis atque calamitatibus pium tandem Senem liberante, & caducæ vitæ molestias æternis cœli gaudiis solatiisque permutante. Quod quidem superiore factum est hebdomade: nam cum nupero die Lunæ vehementiores à calculo dolores unà cum asthmate aliisque symptomatibus insultum in debilitata viscera atque membra feciissent, adeò malè æger habere cœpit; ut quos in privato aliquo Collegio docere volebat Auditores, à se dimittere cogeretur, nec Ipse ab illa virium prostratione recolligere se posset. Mansit verò in isto statu usque ad diem Jovis, qui patienti Hiobo sacer hujus mensis erat XIV. ejusdemque horam tertiam pomeridianam: quo demum tempore inter preces ac gemitus adstantium, mente ad ultimum vitæ finem non perturbatâ, placidissimè exspiravit, uti ellychnium extingui solet, cui deficit pabulum. Implevit autem vivendo annos LXXIII. minus III. mensibus. Vos, Cives Academici, tanti Viri jacturam dolete, memoriam sacra veneratione colite, corpusque sepulchro inferendum frequenti multitudine sequimini. Efferetur funus è tribu, cui Speculum Sphæricum nomen dedit, idque hodie hora II. pomeridiana. Valete! P. P.

Argentorati d. 17. mensis Maji, A. O. R.
M DCC V.

Digitized by Google

PROGRAMMA.

Orationi Parentali præmissum.

RECTOR

UNIVERSITATIS ARGENTORATENSIS,

JOHANNES HENRICUS BOECLERUS,

U. J. D. Institutionum & Juris Publici Professor Publicus Ordinarius, & Canonicus Thomanus.

LECTURIS S.P.D.

NUnquam satis condigne deplorari poterit funestissima illa clades, quæ superiore anno JOHANNEM SCHILTERUM splendidissimum orbis literati sidus, eo ipso, quem ingressi modo sumus, mense extinxit. Tot enim eminentissimis ingenii dotibus enituit, ut vix ullum huic viro parem, superiorem certe neminem sit visura posteritas. Quicquid enim eruditionis, quicquid scientiarum mortalitas capere potest, id omne vastissima indole unus ille erat complexus. Ne sigillatim nunc dicam de infinita Ejus in omni Jure peritia, qua adeo præcelluit, ut tanquam absolutissimum consummati Jurisconsulti exemplar, sit suspiciendus. Et sane cum non tantum in decidendis privatorum litibus, sed in dirimendis quoque, Principum, Regum, Imperatorum, Gentiumque controversiis esset solertissimus, quidni jure meritoque Eum non ciuitatis alicujus, non regni, sed universi orbis Oraculum appellasses? Non amicitia erga Collegam, non veneratio erga Præceptorem quondam nostrum, hoc à nobis elogium extorsit, sed soli tantum veritati litamus, dum talem Ei impertimur laudem. Et facile omnino ab adulationis crimine me absolvet concinens in celebrandis Viri meritis Gallia atque Germania, imo universa fere Europa, per quam fama ejus longe lateque diffusa non magis SCHILTERI, quam Ipsius Jurisprudentiæ nomen ignotum esse sinet. Quæ etiam tot exquisitissimis monumentis ab eo est illustrata, ut singularem prorsus splendorem ab exactissima peritissimi artificis cura acceperit. Mirandum plane est, cum obeunda ipsi officia magnam quotidie temporis partem adsumerent, tot, quot conscripsit opera, perficere eum potuisse. Equidem multi sunt, qui pruritu quodam instigati, facillimo conatu magnam librorum copiam in lucem emittunt, sed infelix plerumque est illa fœcunditas, deformes haud raro partus, imo monstra quandoque. Ast in SCHILTERIANIS scriptis accuratissimum judicium cum immensa memoria perpetuo conspirat, ubique sese exerente ignea illa indole, quæ promovendæ utilitati publicæ divinitus erat destinata. Non ignoravit hoc Argentina nostra, cum peregrinis terris tam illustre ornamentum, ad augendum splendorem suum, eriperet. Quæ eadem si ære, si marmoribus nomen ejus indigere existimaret, nulli esset sumptui, nulli magnificentiæ parcitura. Sed satis nimirum memoriæ nominis sui consuluit, qui in omnium, quotquot usquam sunt, doctorum viro-

virorum animis immortale ſui deſiderium excitavit. Ut adeo non tantum FACULTATIS NOSTRÆ, cujus præcipue nomine id facere conſtituit, ſed communem eruditorum ſententiam ſit declaraturus Nobiliſſimus atque Conſultiſſimus Collega noſter *DN. JOHANNES HENRICUS FELTZIUS*, dum, ne maxima, quibus à Summo VIRO affectus fuit, beneficia ſilentio involveret, publico ſermone Eidem parentare decrevit: digniſſimus, qui totius literati Orbis interpretem agat, Orator. Ad quem audiendum ut copioſiſſime conveniatis, non dubito quin ea quoque cauſa vos impellat, quod nihil magis SCHILTERIANAM gloriam illuſtret, quam tantus, quem laudum ſuarum præconem reliquit, diſcipulus. Et quodnam gratius oblectamentum auribus veſtris poſſem polliceri, quam ut eum in locum vos invitem, in quo, inimitabili pugna, cum dignitate argumenti, dicentis eloquentia, cum magnitudine recenſendarum virtutum, orationis ſublimitas eſt certatura. Adeſte itaque, quicunque Curiam prudentia, Rempublicam conſilio ſuſtentatis, & ſolennes, quas in honorem Summi Juſtitiæ Sacerdotis indixi, cæremonias ampliſſima præſentia veſtra condecorate. Adeſte vos, qui erudiendæ adoleſcentiæ præfecti eſtis, Clariſſimi Doctores ac Profeſſores, non immemores, quam frequentem, quam celebrem reddiderit Univerſitatem veſtram SCHILTERIANA fama, cum undique ad vos advolarent qui vel ſalutaſſe talem virum in felicitatis parte numerabant. Sed vos inprimis, bonarum artium Studioſi Juvenes, ad devenerandos incomparabilis Juriſconſulti Manes, magno numero accurrite. Quod ſi enim nihil magis ad Gloriam inflammare ſolet, quam infixa menti imago eorum, qui præclariſſimis virtutibus ſtipati ad excelſum illud ſcientiarum culmen aſcenderunt, non poterit non maximo vobis eſſe incitamento, tam ſingulare, tam mirandum quod ob oculos veſtros ponetur, exemplum. Valete. Habebitur Oratio die proximo Veneris qui erit Menſis hujus XIV. hora IX. matutina. P. P. Argentorati die VIII. Maji M DCC VI.

Digitized by Google

ORATIO PARENTALIS

Consecrandæ memoriæ

V. Cl.

JOHANNIS SCHILTERI

JCti CONSUMMATI,

NOMINE

FACULTATIS JURIDICÆ

IN

UNIVERSITATE ARGENTORATENSI

D. XIV. Maji, M. DCC VI.

Habita

à

JOHANNE HENRICO FELTZIO,

Doctore & Professore JCto.

Auditores, suis quisque encomiis,

Honoratissimi, Splendidissimi!

Tsi nemo sit in politiori orbe ac literato, ad quem luctus non pertingat ex obitu PRIMATIS ERUDITORUM, quem superioris nobis anni invidia hoc mense & hac ipsa mensis die eripuit; intimius tamen penetravit eorum animos, qui arctiori vinculo juncti præcipuo jure suum dicere SCHILTERUM poterant, nunc autem cogitare nomen sine exquisito doloris tenerrimi sensu non possunt. Itaque, cum Universitas & singula in eadem Collegia, Resp. & omnes ejus ordines acerbis & invicem certantibus lachrymis jacturam TANTI VIRI merito deplorent; nostro interea JCtorum Academicorum ordini id peculiariter incumbit, ut eò luculentiora mœstitiæ suæ signa publice edat, quo luctuosius ille ex morte desideratissimi Collegæ detrimentum passus est. Neque adeo si hæc lugentis animi significatio vel affectus nostri vehementia æquare, vel meritorum SCHILTERIANORUM amplitudini respondere deberet, ullus jam cerimoniæ parentalis apparatus satis splendidus, ulla justorum funebrium anniversaria pompa satis magnifica, vel

ulla

ulla ſummi cujusque oratoris facundia par foret. Immenſa enim ſunt merita & beneficia, quibus TIBI, ut omnem literarium cœtum, ita noſtrum inprimis juridicum conſeſſum firmiſſime obſtrinxiſti, ſplendor ac decus literaturæ omnigenæ, Celeberrime SCHILTERE. Nobis quippe, cum ante hos viginti annos TE adſociari patereris, hunc detuliſti honorem, ut interiori Tuo victu frui, & eruditiſſimi colloquii voluptate tantum non quotidie gaudere poſſemus, in laudem etiam Tuarum & famæ participationem adſumpti. Me autem arctiori dudum ſingularique prorſus nexu TIBI devinxeras, Patrone Maxime, dum Magni OBRECHTI conſilio & commendatione ex ipſiusmet in Tuam diſciplinam recipi deſiderantem hoſpitio convictuque non tantum, ſed interiori ſtudiorum ſocietate, ſed amicitia arctiſſimâ, ſed curato & continuo ductu dignatus es. O! quanta fuit temporis tunc mei in medio ſtudiorum cûrſu felicitas, Doctorum fideliſſime, quo lateri Tuo indeſinenter adhærere, quo TE in dubiis quibuscunque conſulere, quo TE duce, TE teſte, TE judice, ſacris ſtudiorum operari datum fuit! Non poteram ſatis vel amare vel admirari Tuam in ſummo eruditionis & gloriæ faſtigio humanitatem, qua id effectum eſt, ut nihil mihi vel in inſtructiſſima librorum ſuppellectile, vel in recondito animi Tui adyto, vel in eruditionis vaſtiſſimæ theſauro eſſet occluſum. Neque vero TIBI ſatis erat, Mecœnas Optime, humanitatem, amorem, benignitatem, mihi privatim exhibuiſſe prorſus eximiam; niſi & publice editis monumentis optatiſſimum me diſcipulum Tuum & amicum Filii inſtar dilectum profitereris. Ingratiſſimus mortalium forem, Pater benigniſſime, niſi agnoſcerem pariter & publice deprædicarem, Tuo de me benigno judicio magnam qualiscunque fortunæ meæ partem deberi. Atque adeò facile intelligitis Auditores, quod, ſi gravium ſatis rationum momenta Anteceſſorum in hac Academia Collegium impulerunt, ut Parentalia hæc decernerent, non leviores me etiam cauſæ adegerint, ut huic me muneri ultro offerrem. Cœterum, quicquid hoc eſt officii, non id utique ſibi propoſitum habet, ut limata ex dicendi regulis oratione & ſelecto verborum cultu Heroem vobis literarium apte ac decenter deſignare audeam. Relinquendus eſt conatus iſte, quem tamen ipſa nominis amplitudo eludet, vel officioſæ in cultum Conſiliariorum ſuorum Reip. vel univerſæ Academiæ, quæ Oratoris ſui ore & ingenio ſæpius jam illuſtribus eloquentiæ ſpeciminibus ex hoc loco animos ſibi Veſtros penitus devinxit. Nobis, qui Bartolum & Baldum

Nocturna verſare manu, verſare diurna,

qui, ſepoſitis magno ſtudio verborum lenociniis, nudam veritatem proponere conſuevimus, id ſufficiet; ſi reverentiam, ſi pietatem, ſi amorem, ſi gratum animum erga manes SCHILTERIANOS aperte pro viribus ac ingenue declaraſſe cenſebimur. Quo quidem nomine unice confidimus, & TE, Beata Anima, Collegarum Tuorum, quod ex hac TIBI, quam ſæpius olim decoraſti, Cathedra dicetur, Vale non aſpernaturam, & Vos, Auditores optimi, orationem noſtram benigna mente & auribus benevolis acceptam, non ſucceſſu, ſed affectu unice æſtimaturos.

Jamprimum ergo non eſt, cur expectetis, Auditores, ut more ex Rhetorum dictatis recepto, quæ à patriæ commendatione deſumi ſolent, elogia conquiram. Faciant id illi, quibus argumentum ſterile obtigit. In SCHILTERO tam numeroſa tam eminentia dotium virtutumque decora proſtant, ut aliena & fortuita in partem laudis vocare velle incongruum judicaretur. Et ſane, quicquid ILLE honoris, quicquid gloriæ à fertili claſorum Virorum Saxonia adeptus videri poſſet, id omne eidem duplicato dudum ſplendore retribuit, Pegavio inprimis, quod eruditis plerisque vix titulo innotuiſſet, niſi tantum in eo doctrinæ lumen exortum eſſet, cujus radii univerſum inde terrarum orbem illuſtrarunt. Neque adeo mirandum eſt, quod genti etiam familiæque ſuæ plus Noſter ornamenti, plus famæ, plus decoris contulerit, quam ab eadem ILLE primum fuerat conſecutus. Illuſtraverat jam ſtirpem SCHILTERIANAM Vir maximi in doctrina fidei ſalvatrice nominis & eminentium in Eccleſiam CHRISTI meritorum ZACHARIAS SCHILTERUS, quem ſub pio Doctoris Sacri, & egregio Procancellarii Perpetui charactere Lipſienſium Academia, ſub

amabili autem Pro-Patrui titulo SCHILTERUS noſter veneratus eſt. Reddiderat eandem celebrem, clariſſimum Jurisprudentiæ ſidus, JOHANNES SCHILTERUS, Electorum Ducumque Saxonicorum gratia amicitiaque, exercitis cum laude peculiari graviſſimis muneribus, eximiisque in integram Saxonum Reſpublicam meritis inſignis, quocum Noſter communem in Avo ſtipitem agnovit. At, ſi quis celebritatem, qua olim SCHILTERORUM nomen gaviſum eſt, cum amplitudine famæ gloriæque, in quam Noſter id evexit, comparare inſtituat; tam alte hanc illam ſupergredi deprehendet, quam præ una diſciplina ſingulari, univerſus doctrinarum omnium chorus ſupereminet. Nec enim unius tantum artis aut ſcientiæ Doctorem vobis in SCHILTERO ſiſtimus, Auditores; ſed imò, quicquid ingenii & ſolertiæ humanæ ambitus in omni literarum genere continere poteſt, id ex genuinis fontibus victrice omnis ignorantiæ induſtria hauſtum vaſtiſſimus hujus Viri genius plene complexus eſt. Cui quidem omnigenæ ſcientiæ primum omnino ac ſolidum fundamentum jecit ipſa Natura, nobiliſſimam animam iis exornans ingenii, judicii memoriæque dotibus, quibus, accedente præſertim debita cultura, nihil non pateret, quod ſcire hominis intereſt. Itaque, eum providente laudati jam patrui cura vere paterna, in teneriori ſtatim adoleſcentia eruditos primorum ſtudiorum directores nactus eſſet; illorum dictamina non ſecutus eſt, ſed antevertit, expectationem non implevit modo, ſed ſuperavit, adeo, ut jam inter prima iſthæc literaturæ elementa non obſcura futuræ magnitudinis indicia deprehenderentur. Poſtquam vero in ampliorem Univerſitatis tam Jenenſis, quam Lipſienſis palæſtram rite jam ad id præparatus deduceretur, incredibili ſedulitate, antequam principales diſciplinas peragrare aggrederetur, & quæ intellectum in cognitione veri dirigit, & quæ ad enuncianda pure & ornate animi ſenſa pertinet, artem curate addidicit. Itaque, etſi ingenium ipſi vere Heroicum divinitus contigerit, cujus ope eum in modum, quo primi ſcientiarum auctores, duce ſola ratione, argumenti cujusvis tractationi ſuffeciſſet, Artem tamen certiorem Natura ducem ratus, haud ſuperficiariam diſciplinæ rationali dicavit operam. Eo id quidem inſtituto ſucceſſuque, ut à putaminibus nucleum artis probe ſecerneret, & modum, quo in excolenda rerum ipſarum doctrina communi hoc inſtrumento utendum ſit, tum egregiis præceptis, tum in exemplum adornata nobilis materiæ elaboratione demonſtraret. Præſtitit hoc opuſculo, quod plures in annos preſſum, tandem tamen flagitationibus juventutis extorqueri ſibi paſſus, ipſe Cingulo jam Ducali ornatus, Conſultiſſimo Aviano Conſiſtorii Saxo Gothani Præſidi dicavit, ut opere ipſo refutaret eorum errorem, qui animum publicis rebus deſtinatum his doctrinæ ſolidioris præparamentis absque incommodo carere poſſe autumant, qui ſimiles mihi videntur illis, qui ædificii ſtructuram moliuntur, de prævio fundamenti jaciendi labore parum ſolliciti. Sed & ſedulam porro SCHILTERUS noſter curam formando ſermoni adhibuit, in linguis, quæ olim quidem vulgo obtinuerunt, nunc vero doctorum fere genti propriæ ſunt. Romanam dico, Græcam & Hebræam, quarum facultatem, ut ſibi expeditam compararet, ipſos fontes adiit, & Veteres legit ac ſecutus eſt. Neque vulgares etiam, quas ita dicimus, linguas, quæ nimirum hodieque in uſu ſunt univerſis gentibus, quia earum uſum eruditis quoque maximum eſſe probe noverat, neglexit, ſed quantum ad intelligendos cujusque nationis auctores requiri judicabat, itidem excoluit. Quin nec opera ſua ſtudioque indignum cenſuit, in puritate & elegantia linguæ etiam vernaculæ exercitari, quæ & ipſa non minus ac aliæ ſuas habet Veneres, quas cognoviſſe ſi non adeo magnæ laudis eſt, at ignorare turpe Noſter cenſuit; hinc nitidus illi, terſus & elegans, etiam quando Germanice ſcribebat, ſtilus, quem ab aliis fruſtra requires. De cætero, cum & arte jam, quæ bene cogitare, & altera, quæ cogitata concinne proferre docet, uberrime ita eſſet inſtructus, non erat amplius, cur timeret, ne quicquam impetum ingenii ſui in indagandis ulterius omnigenæ & cujusvis reconditæ eruditionis adytis vel impediret, vel retardaret. Itaque, quoscunque ex Romana adhuc Græcaque Antiquitate hiſtoriæ aliarumque rerum ſcriptores ſuperſtites habemus, familiari ILLE commercio ſibi notiſſimos reddidit, & quemcunque ex multiplici Veterum Philoſophorum ſecta temporum nobis invidia integrum reliquit, accuratiſſimo ſtudio evolvit. Loquuntur

Digitized by Google

tur id Diſſertationes, de Vita Pomponii Attici, de Philoſophia Pythagorica, de Jure Hoſpitii, ſed longe amplius teſtantur, quæ de uſu Philoſophiæ Moralis in Jurisprudentia commentatus eſt; Etiamſi enim diu poſtea demum in lucem ſint emiſſa, ex iis tamen undequaque elucet, SCHILTERUM in juventute ſua non ſcholæ ſed vitæ Philoſophatum eſſe, & in ſtudio iſthoc ad oſtentationem nihil, ad uſum omnia retuliſſe. Quo ipſo honeſtamentum Academicum, quod Philoſophorum ſolet Facultas impertire, promeritus, eoque ſolenniter decoratus, laudatiſſimi Patrui ſui juſſu conſilioque in ſingularia Collegiorum, quæ ſuperiora vulgo dicunt, ſtudia eorumque principia propiora aptiſſimus jam explorator curioſe inquiſivit, atque ita ut penitiorem hac via ſibi cognitionem jam acquireret. Nam & in rerum naturalium peritia, quo illa reſpectu Medicinam fundat, quantum proceſſerit, vel eruditiſſima de generatione hominis diſſertatio in teſtimonium advocata profitebitur; & in rerum divinarum notitia non pœnitendos utique profectus fecit. Ut enim hanc inprimis, quæ animæ ſalutem reſpicit, ſolidam ſibi compararet, & ſcripturam à DEO inſpiratam in lingua primæva ipſe animo humili & affectibus minime mancipato, præjudiciisque purgato quotidie legit. Sed & recentibus Doctoribus Veteris Ipſe Eccleſiæ interpretes addidit, & ſubinde conſideravit, in quibus illi ubique ac ſemper conſpirarint, in quibus diſſenſerint, & quando diſſenſus ille cœperit, & ubi alii alios tulerint, ubi non item. Quo pacto ILLE obtinuit, ut in religione propriis oculis videre poſſet, nec cœca aliorum placitis obedientia ſtare cogeretur, ſed & ut ſalubria circa concordiam eccleſiaſticam & emendationem diſciplinæ conſilia ſuppeditare valeret. Verum, quod almæ Themidi, ejusve Myſtis auſpicatiſſimum evenit, ita inclinante divinæ deſtinationis ductu, Jurisprudentiæ denique ſe totum Noſter mancipavit, in qua prævia jam ad ſublimem gloriam illuſtrium majorum exempla habuit, ex materna non minus ſtirpe quam paterna, ut adeo haud male huc illud Poëtæ paululum immutatum transferri, & de SCHILTERO dici potuiſſet, quod eum

Patruus Æneas, & Avunculus excitet Hector.

Præterquam enim, quod JOHANNIS SCHILTERI, cujus ex fratre nepotem lugemus, famam & merita jam memoravimus, JOHANNES STRAUCHIUS, cujus Noſtrum ſorori debemus, magnum Eidem ad veram honeſtamque gloriam ambiendam incitamentum extitit. Ex hujus enim Viri ſingulari plane ac ſolida in Jure pariter & reliqua literatura eruditione, quantum Jenenſi primum inde Gieſſenſium Academiæ, cujus ille Cancellarium egit, imo toti orbi literato ſplendoris affulſerit, partim edita in publicum ex vario literarum genere ſcripta, partim etiam ſæculi ſuperioris Annales Literarii teſtantur. Neque adeo mirandum eſt, quod ſub amabili Cognati tam eruditi tamque celebris ductu SCHILTERUS noſter, tanto inprimis literarum apparatu jam inſtructus, in interiora Jurisprudentiæ penetralia inoffenſo pede pervenerit. Præcipue cum non ILLE, prouti fere fert mos peſſimus hodierni ſæculi præcipitatum tantum Juris, quem vocant, curſum inſtituerit, in quo turpiter curſores impingere quotidie obſervamus, ſed JUSTINIANÆIS monitis obtemperans, integrum ſtudioſis prudentiæ juris in Academia meditationibus quinquennium impendit, & interea profectuum ſubinde rationem publico exactam reddidit. Hoc elapſo, cum maturis jam ſtudiis propria etiam vitæ forenſis experimenta adjungenda duceret, in tribunali Numburgenſi per biennium & amplius cauſas optima fide & prudentia ſingulari oravit, & idoneus jam ac diſertus juſtitiæ innocentiæque patronus complures in togata militia victorias reportavit. Inde jam longe lateque diffundi cœpit SCHILTERI exiſtimatio, pellexitque Principes etiam Viros, ut decus hoc forenſis non modo, ſed civilis doctrinæ omnis propius admovere ſuis commodis laborarent. Itaque MAURITIUS Dux Saxoniæ, cui Epiſcopatus eo tempore Numburgenſis adminiſtratio competebat, primum IPSI in Numburgenſi, inde in Citizenſi Cancellaria ſcriniorum magiſterium detulit. Mox, cum ampliora Eum mereri vel ex ipſo muneris hujus tractatu facile animadverteretur, Sulana in Comitatu Hennebergico Præfectura IPSI commiſſa eſt. Quo mune-

Digitized by Google

re ut eò decentius & ſplendidiori cum honore fungeretur, à JCtorum Jenenſium Collegio Axioma Doctorale, uti decenter petiit, ita nemine Collegarum hæſitante ſtatim obtinuit, Candidatus, qui opere ipſo & actu rerum JCtum jam excellentem dudum ſe præſtiterat. Qua de re cum fama communi non minus ac luculento agnatorum Principum teſtimonio etiam edoceretur BERNHARDUS ex Vinarienſium ſtirpe Dux Saxoniæ, ad majora SCHILTERO noſtro viam aperuit. Cum enim adminiſtro curarum ſuarum, quæ aulica negotia, & quæ Conſiſtorii, quod ita appellant, judicium reſpiciunt, indigeret, tanto honori Noſtrum unice JCtum deſtinavit, neminem reperiens, quem tutius, quem prudentius in Principalium ſolicitudinum communionem reciperet. Plane, cum nec pluribus muneribus inſimul obeundis Virum hunc imparem eſſe propria laudatiſſimo Principi experientia dictaret, conſiliis etiam, quæ redituum conſervationem diſpenſationemque concernunt, novo honoris ampliſſimi charactere adhibuit. Suſcepit illuſtria hæc officia SCHILTERUS, & ea fide, ea dexteritate iisdem usque ad beatum Sereniſſimi Sui obitum defunctus eſt, ut & Principis peculiari gratia floreret, & ſubditorum ſibi omnium amorem ac venerationem conciliaret. Cæterum, evocato ex ſua in cœleſtem aulam Optimo Principe, poterat quidem SCHILTERUS noſter vel eundem in iſthac aula honorem retinere, vel ampliorem adhuc in reliquorum Saxoniæ Ducum aulis facili opera nanciſci. Verum fuerat ille vitæ aulicæ jam pertæſus, &, quia ſingulari prorſus ac citra dubium divinitus indito ardore flagrabat, ſtudioſæ juventuti incomparabilis ingenii ſui dotibus inſerviendi; firmo, quod ſecretorum ego conſcius novi, conſultatione prævia decreto apud ſe conſtituit, nulli amplius muneri publico ſe mancipare, ſed quodcunque ſibi vivendi ſpatium reſtaret, continuandis, quæ inceperat, ſcriptis, & novis, in publicæ Rei emolumentum adornandis operibus dicare. Perſtiterat in hac, quam ſibi IPSE dixerat, propoſiti lege per aliquot annos, cum æſtimio Viri Celeberrimi permotus, & conſilio OBRECHTIANO incitatus, Francofurtum ad Ipſum, quo graviſſimi negotii in foro Reip. agitandi cauſa venerat, profectus, & in conſuetudinem vitæ familiaris ac ſtudii penitiorem ab Ipſo receptus, deprehenderem longe majora eſſe Viri merita, quam Fama de Ipſo vel vulgaverat, vel vulgare poterat. Adeoque nihil amplius in votis habui, quam, ut a privatæ omnimodo vitæ inſtituto abductus in dulciſſimæ Patriæ noſtræ commoda divinæ indolis dotes impendere dignaretur. Cujus rei maxima ſpes affulgere cœpit, poſtquam illuſtris OBRECHTUS, accuratiſſimus ingeniorum ſummusque ſtudiorum omnium arbiter, interprete epiſtola ad me perſcripta, quantocunque pretio hunc Virum Argentorato vindicandum ratus, conditiones & pacti formulas, quas IPSI SCHILTERO dare placeret, ampliſſimis verbis obtulit. Verum turbavit iterum & labaſcentem reddidit ſpem iſthanc, vel retinendi vel recuperandi decoris hujus in ſinu ſuo nati, aviditſſima Saxonia, cum novos Noſtro honores nova munera ſub magnifico præmiorum promiſſo deferret. Vicit tamen & beatiſſimi Speneri pia adhuc pro Rep. noſtra ſolicitudo, quæ SCILTERUM in Argentoratenſium potius partes inclinavit, & illuſtris etiam Kulpiſii abiturientis gratus erga Academiam noſtram animus, qui ſcriptis ex profeſſo literis declaravit, eas ſibi diſceſſus eſſe rationes, quæ IPSUMMET ab accedendo deterrere non poſſint. Itaque effectum tandem eſt, divina ſic gratia benigniſſime providente, ut rariſſimo hoc cœli dono potiretur Univerſitas pariter & Reſp. noſtra, & abſtractus à ſententia ſua SCHILTERUS, quod ipſe jam optabat, inveniret. Quid inde per octodecim & amplius annos decoris & emolumenti Civitati noſtræ conſilia ejus, quid eruditiſſimi labores, quibus Argentoratenſia Statuta in ordinem redegit, & illuſtrandæ Alſatorum hiſtoriæ incubuit, contulerint; quantum Academia ex IPSIUS nomine & conſortio ſplendoris receperit, quam frequentari eandem in mediis licet bellorum turbis & maxima temporum injuria fecerit SCHILTERIANI Nominis fama, id adeo vobis, Auditores, cognitum perſpectumque eſt, ut nullo meo vel indicio vel præconio opus habere videatur. Neque vero erat, cur Saxonia invideret Alſatiæ tam nobile divini erga mortales amoris pignus, cum hæc ita id receperit, ut illa ſe perdidiſſe queri non poſſet. Hoc enim peculiari prorſus æſtimio dignum & veluti miraculo propius vix fidem apud poſteros inveniet, ut,

cui

Digitized by Google

cui à recenſendis judici litibus, à ſuggerendis Reip. conſiliis, à continuo rerum civilium actu, à conſignandis nomine Academico Reſponſis vix interquieſcere licuit, ILLE exaratis in exiquiſitiſſimæ tractationis exemplar operibus, non Alſatiam, non Saxoniam modo, ſed univerſum ſubinde, quaqua literæ pertingunt, orbem erudiret. Sed nimirum nullam ILLE non dicam diem, ſed diei horam, ſed horæ momentum ſine linea abire paſſus, quantum alii ad rem familiarem obeundam, quantum ad ludos ſpectandos, quantum ad alias voluptates temporis abſumunt, tantum IPSE recolendis ſtudiis & veloci quidem ſed eruditiſſimo calamo conſignandis libris deſtinavit, & negotiorum ita tractationem ſoliditate contemplationis, contemplationem viciſſim uſu rerum tanquam mutuo præſidio firmavit. Nihil ILLE, quod ante Ipſum alii tractarunt, repetiit, niſi priorum inventis pulchra quædam haberet, quæ de ſuo ingenio ſuperadderet, aut ſolidius rem & majore cum genio exponendam cenſeret. Imo pleraque omnia, quæ publicæ luci expoſuit, opera ejus ſunt inſtituti argumentique, ut ſimile quid ante eum nemo, ſed primus IPSE & tentaverit & perfecerit, ita porro publice neceſſaria & utilia, ut nova prorſus & ſolidiora Jurisprudentiæ fundamenta inde exſurgant. Fertiliſſima fuerunt ſuperiora ſæcula vaſtarum in Juris Romani reliquias commentationum; at qui Jura Germaniæ propria excoleret, & collatione facta, in utriusque rationem civilem inquireret, quidque recipi ex iſtis vel retineri é Re Germanorum eſſet, exponeret, à repurgatis inde literis nemo fuit repertus, etiamſi magnopere id optarent Hermannus Conringius, & quicunque alii Summi Viri interiori rerum civilium, Germanicarum imprimis notitia pollebant. Itaque ſibi hoc ſumſit SCHILTERUS, jam non niſi ardua, & de quibus ad finem perducendis alii deſperarent, aggredi adſuetus, & edito in priores libros Digeſtorum ſpecimine Eruditorum Summatibus quibusque ſalivam movit, non tamen auſis ſperare, univerſas ita Pandectas iri illuſtratum. ILLE vero non hoc tantum præclaro ſucceſſu dedit abſolutum, ſed æque nova, æque miranda in reliquis juris partibus perfecit omnibus. Nam in jurisprudentia feudali diu ab eruditis deſideratum Antonium Mincuccium de Prato Veteri ex Regiæ Bibliothecæ MS^to. magna omnino cura & cum notis edidit, & Jus Feudale Alemannicum, quod hactenus vel delituit, vel propter obſcuritatem neglectum jacuit, ampliſſimo commentario illuſtratum in lucem emiſit. Quid autem de jure eccleſiaſtico, quid de Germaniæ publico dicam? Utrique profecto novum plane lumen accendit SCHILTERIANA eruditio, dum & Eccleſiarum Germanicarum libertatem per plurium ſæculorum hiſtoriam incomparabili ſcripto adſeruit, & ad Eccleſiæ repurgatæ ſtatum canones legesque ſacras in juſtum redactas ordinem adplicavit, utrumque inaudito hactenus doctrinæ exemplo. In Antiquitatum Germanicarum autem notitia principem occupaſſe locum nemo eſt, qui neſciat; in aliarum gentium hiſtoriis præ omnibus fuiſſe verſatiſſimum, in juris naturæ Gentiumque diſciplina nulli ſecundum, in prudentia civili prorſus incomparabilem. Neque vero ſibi ILLE ſtupendam hanc in omni diſciplinarum genere eruditionem ſervavit, ſed imo quicquid didicerat, id indefeſſo labore & fide, cui parem vix invenias, alios docuit, Vir in bonum ſtudioſæ juventutis publicum natus. Itaque ad extendendam SCHILTERIANI Nominis famam dici vix poteſt, quantum valuerint infiniti per Europam omnem ſparſi diſcipuli, quibus ILLE aulas ubique Principum, quibus Judicum Curias, quibus Literarum Academias implevit. Hinc ſumma SCHILTERI non in Germania modo, quæ orbi dedit, ſed in Gallia, Anglia, Belgio, imo in omnibus terræ partibus, quas non horrida prorſus Barbaries invaſit, auctoritas & veneratio. Quam promovit admodum literarium cum *Gallorum* Mabilloniis, Baluziis, *Germanorum* Conringiis, Seckendorffiis, Speneris, *Belgarum* Gronoviis, Græviis aliisque Eruditis in quaque natione Viris commercium. Quorum plurimi amicitiam Viri tam eminentis ultro ambiverunt; alii lites de rebus literatis ad ipſum ut unice idoneum arbitrum detulerunt, alii in rebus graviſſimis conſilium expetierunt, omnes autem ſummo Eundem æſtimio ſunt proſecuti. Ergo nullum in tanto Literatorum diverſa ſæpe ſententia numero SCHILTERO litigium, nulla contentio, nulla invidia, quam eo ipſo ILLE eſt ſupergreſſus, dum nemo ſe ipſi per omnia æqualem jactare nedum ſuperiorem poterat, ſed omnes ultro cogerentur fateri, ſe doctrina pariter & virtutibus

Digitized by Google

ab eo vinci. Addebat enim, quas hactenus recenſui, dotibus ingens inſuper pretium parum conſueta in tanto famæ gloriæque faſtigio humanitas, qua nemo non colloquendi cum ipſo avidus admittebatur, & plerique doctiores, multi prudentiores, omnes autem ſummopere contenti, votique ſui compotes recedebant, modo juri & æquitati petitum conveniret. Accedebat namque integerrimus immotusque juſtitiæ cultus, à quo nec ambitione donisve, nec adulatoriis illecebris, nec tetro terrentium quoque Magnatum vultu ſe dimoveri unquam paſſus eſt. Jam ſumma in DEUM pietas, in Regem ejusve adminiſtros fides & veneratio, erga Legem reverentia & obſequii promptitudo, in cultu habituque modeſtia, in obligandis omnium animis promptitudo. Nemo ILLO erga amicos magis ingenuus, nemo erga clientes benignior, quos ILLE, preces benevolo ſemper affectu prævéniens, beneficiis maxime obruit. Quid autem de Ejus in perferendis corporis doloribus patientia, in laboribus continuandis conſtantia dicam. In his profecto parem Viro nec facilè elapſa vidit ætas, nec videbit poſteritas. Provoco ad conſcientiam veſtram, Auditores SCHILTERIANI, quos ILLE aſſiduo ſtudio, licet imbecilli ſæpius & morborum vi debilitata voce, inſtruxit. Itaque de hoc illuſtriſſimo totius orbis eruditi Sole vere dici poteſt, quod ſtudioſam inprimis juventutem calore ſuo fovere, quod ſuo illam ſplendore illuſtrare nunquam ceſſaverit, usque dum fatali prioris anni ictu penitus extingueretur. Sed quid ego extinctum dixi lumen, quod in cœlum translatum lucere nunquam deſinet; Vivis omnino, Beata Anima, & quæ mortales docuiſti juſtitiam, immortali jam flore, æterna quiete, ſplendore nunquam obſcurando frueris, &, ubi Tuba Altiſſimi reſonaverit, felix omnino habitaculum renovatum repetes. Neque interea doctrinæ Tuæ radii univerſum illuſtrare orbem deſinent, quamdiu politiſſimis ſcriptis Tuis, ætatem ſi ulla unquam laturis, ſua conſtabit integritas. Atque adeo, quamdiu docendi diſcendique obtinebunt munia, quamdiu juris vigebit adminiſtratio, quamdiu negotiorum civilium tractatus in honore erit, omnia JCtorum Auditoria, omnes Judicum Curiæ, omnes Principum aulæ miro concentu celebrabunt, quam ego nunc impari prorſus ore & balbutiens Tui Nominis memoriam

DIXI.



MONU-

MONUMENTUM SEPULCHRALE
IN TUMULUM
B. SCHILTERI.

Isthuc respice Viator!

Et jacturam luge publicis lacrumis dignam
Hoc namque sub Saxo
Thesaurus latet Maximus

Qui quondam
Proceribus Archivum loquens
Literatis Βιβλιοθήκη Ἔμψυχος
Imò omnis Eruditionis Promus Condus
Insigne nostri Sæculi JCtorum Decus
Summusque Polyhistor
Vir Illustris atque Magnificus
DN. JOHANNES SCHILTERUS, J. U. D.
Reipublicæ Argentoratensis
ut &
Diversorum Principum
Consiliarius Gravissimus
Almæque Universitatis
Professor Honorarius
undiquaque Meritissimus
Hic Natus Pegavii, Misniæ oppido
INCLUTA SCHILTERORUM STIRPE
A. O. R. cIↃ IↃc xxxii. Die 29. M. *Augusti St. Vet.*

Variisque calamitatibus jactatus
Quassante nimirum tunc Saxoniam infausto tricennali bello
Patriâ vix trium septimanarum pusio profugus
Lipsiam primò, dein Dresdam se contulit
At ne sic quidem acerbam fati inclementiam averruncare potuit
Quum septimo ætatis anno utroque jam parente orbatus
Nonnisi ad miseriam natus videretur
Verùm aliter Sacrosancto rerum humanarum Arbitro visum
Qui charissimum pignus *Consultiss.* Dn. *Patrui* JO. SCHILTERI
JCti & *Consiliarii Saxonici Celeberrimi B. M.*

Digitized by Google

Protectioni verè Paternæ commisit
Cujus sub Auspicio
Primitiis literarum Religionisque Christianæ fundamentis
jam probè imbutus
Studio Philosophico Literisque Elegantioribus
in Academia Jenensi
Totum se mancipavit
Hisque per quinquennium assiduè vacans
Titulo Doctoris Philosophiæ
In Celeberrima Lipsiensium Universitate
Ornatus
Tunc demum ad altiora animum applicuit
Atque tanto literarum apparatu instructus
Solidioris Jurisprudentiæ principia
Sub perpetua nec unquam satis deprædicanda Manuductione
Illustris Avunculi sui
B. JOH. STRAUCHII, *JCti, famigeratissimi*
in Alma Universitate Jenensi
Summa ingenii Sagacitate hausit
Hinc jam largissimos laborum fructus colligens
In Utroque Jure Honores Doctorales
Muneribus publicis Eruditioneque haud vulgari jam gravis
Summa cum laude ritè consecutus est
De re familiari postea sollicitus
Matrimonio sibi junxit sociam

Lectissimam tunc Virginem ANNAM SYBILLAM BORNIAM

Quæ Anno cIↃ IↃc xcix. vitam mortalem
cum Æterna commutavit
Ex eaque unicus adhuc Filius superstes

Qui *Optimi Parentis*

Jacturam justo mœrore
Memoriam debitâ reverentia
prosequitur
Utinam is Morituro affuisset propior
Supremam Benedictionem à Venerando sene auditurus

Virum intelligo

Nobilissimum atque Doctissimum

DN. JOH. GOTHOFREDUM SCHILTERUM,

J. U. Licenciatum & Practicum Jenensem.

Cui simul & Posteris

SCHILTERIANI NOMINIS

hæredibus

Propitius adsit DEUS!
Interea Noster, heu quondam! per varios honorum gradus
Quibus Sacra Themis Mystas suos remunerari consuevit
Non tantum in Praxi Forensi
Sed imò
Prudentia Juris Publici
nulli jam secundus

Princi-

Digitized by Google

Principum Dicaſteriis admotus
In Aulis non minus quam in foro Civili atque Eccleſiaſtico inclaruit
Verum aulicæ tandem vitæ pertæſus
Tranquillitatem Muſis omnino gratiſſimam ſectatus eſt
Cujus quoque voti (quantum vitæ Practicæ conditio permittit)
compos factus
Oblatam ampliſſimam à Proceribus noſtris Spartam
ita ſuadentibus Amicis
Et applaudente cum Republica Univerſitate noſtra
in ſe ſuſcepit
in qua functione pro more ſuo
Non Urbi tantùm, ſed Orbi profuit
Hunc ſcriptis edecumatis
Illam Conſiliis maximè cordatis
Studioſam autem Juventutem
Indefeſſo penitus ſtudio
Imbecillitatis quoque ſuæ ſæpius immemor
Quæ provectam & aſſiduo labore exercitam ætatem comitatur
ſtrenuè adjuvit
Donec Senio, morbis & laboribus verè exhauſtus
Animam in ſinu Salvatoris O. M. placidè depoſuit

Die XIV. Maji. Anno cIↃ IↃcc. v.

Cum vixiſſet *Annos LXXIII. minus 3. Menſibus.*

Corporis Exuviæ hic quieſcunt
In ſpe glorioſiſſimæ Reſurrectionis
Quam tubâ Angelicâ mox reſonaturâ præſtolantur
Sic tandem quietem ſibi, mœrorem ſuis paravit
Memoriam verò omnibus Bonis reliquit immortalem
Nec immeritò
Quippe in Divinis pariter atque humanis
ad ſtuporem usque verſatiſſimum
Æterna Ingenii accutiſſimi Monumenta
Laboris indefeſſi
Judicii incomparabilis
Candoris Rariſſimi
Eruditionisque planè peculiaris
Teſtes certiſſimi
Luculenter evincunt
Jurisprudentiam enim & Antiquitatem
Patriam
Eccleſiaſticam atque Civilem
Summo cum applauſu Orbis eruditi
E tenebris erutam priſtino nitori ſuo reſtituit
Quantum denique proh dolor!
Studioſa ſolidioris Jurisprudentiæ Cohors
Amiſerit Præceptorem
Veſtrum eſt dolere Cives Academici
Commilitiones ſuaviſſimi
Quò namque abſtruſas Veterum JCtorum aboleret quisquilias
Juſtitiæ
Quæ cœca pridem pingebatur
verè aperuit oculos
Veram non ſimulatam JCtorum Philoſophiam vobis propinando
Ore & calamo pervigil in Commune Bonum

Digitized by Google

Tu interim Lector Benevole
ſi plura deſideras
Mortuum conſule poſt fata diſertum
DEUMQUE O. M. Rerumpublicarum Statorem
Ardentiſſimis mecum precare ſuſpiriis
Quo Rempublicam hanc cum Alma Univerſitate inconcuſſam
Omnibusque bonis affluentem
Quam diutiſſime conſervet
Orbique Literato tanta jactura nunc afflicto
In poſterum provideat Clementiſſime.

Hoc quicquid eſt
PATRONO DESIDERATISSIMO
Ob amorem plane Eximium
Quô me meaque ſtudia hucusque proſequi dignatus eſt
Et Benignitatem rariſſimam
Quâ per tot annos & ope & Conſilio mihi præſtò fuit
Æviternum obſequentiſſimi animi Teſtimonium

Conſecro

Auditor & Cliens Mœſtiſſimus

JOH. CHRISTIANUS SIMON, *Argent.*

Die XV. *Maji A. O. R.* cIↃ IↃ ccV.

* * *

Hier ligt ein tapffrer Mann, ein Kern der Rechts-Gelehrten,
Den wir bey Lebens-Zeit in hohen Stellen ehrten,
Ein Schutz-Herr der Geſätz, der Themis liebſter Sohn,
Der immerdar das Recht hat pflegen zu verfechten,
Jezt hilfft Er auch dem Tod zu ſeinem alten Rechten,
Und trägt im Sterben auch den ſchönſten Ruhm davon.
Dann Er lieſs jedem das, was ihm gebühret, werden,
Die Seele ſeinem GOTT, des Leibes Reſt der Erden.

CATA-

Digitized by Google

CATALOGUS SCRIPTORUM

à Famigeratiſſimo JCto

JOHANNE SCHILTERO

in publicam lucem editorum, ut & denuo Notis MSStis Auctiorum.

THeſaurus Antiquitat. Teutonicarum Eccleſiaſticar. Civilium Literariar. cum Gloſſario ad Scriptores Linguæ Francicæ & Alemannicæ, Veteris &c. III. Tom. fol. *Ulmæ*, 1728.

Praxis Juris Romani in foro Germanico, ſive Exercitationes ad Pandectas, *Jenæ*, fol. 1713.

Marci Ottonis, & aliorum Conſilia Argentoratenſia. *Argent.* fol. 1701.

Pauli Matthiæ Wehneri, & Joh. Rüdingeri, Obſervationes Practicæ Auctiores. *ibid.* fol. 1701.

Scriptores Rerum Germanicarum, ab Illuſtri quondam Kulpiſio editi, nunc verò in meliorem redacti ordinem, cum Præfatione & Notis. fol. *ibid.* 1702.

Codex Juris Feudalis Alemannici. Notis MSStis Auctior. 4. *ibid.* 1697.

De Libertate Eccleſiarum Germaniæ Lib. VII. cui acceſſit de Prudentia Juris Chriſtianorum pars Generalis, itemque de fatis Eccleſiarum S. Johanni revelatis Diſſertatio. Cum Notis MSStis. 4. *Jenæ*, 1683.

Joh. Limnæi, Jus Publicum, auctius & correctius editum, 4. *Argent.* 1699.

Herennij Modeſtini Fragmenta Περὶ Ἐυρημάτων, Commentario illuſtrata, cui adjuncta eſt Hiſtoria Dogmatis Eccleſiæ Chriſtianæ de Diſſolutione Matrimonii quoad vinculum. 4. *ibidem.* 1687.

D. Aurelii Auguſtini Libri 2. de Adulterinis Conjugiis ad Pollentium, cum Notis Juridicis ac Moralibus, quibus dogma Eccleſiæ de Matrimonii Diſſolutione illuſtratur, 4. *Jenæ*, 1698.

Jacobi de Kœnigshoven, *Aelteſte Teutſche, ſowohl allgemeine, als inſonderheit Elſaſſiſche und Straſsburgiſche* Chronica, *mit Hiſtoriſchen Anmerckungen.* cum Notis MSStis. 4. *Argent.* 1698.

Tractatus præcipui de Renunciationibus, utpote Giphanii, Dalneri, Breulæi & Kellenbenzii, cum Notis & Præfatione. Tomo 2. exhibentur Viri Celeberrimi Chriſt. Leonh. Leuchtii, Conſiliarii Norimb. Meritiſſimi Additiones ad Dalnerum, annexis inſuper quibusdam Reſponſis &c. 4. *ibid.* 1701.

Nicolai Betſii, Tract. de pactis familiarium Illuſtrium, cum Præfatione & Notis. 4. *ibid.* 1699.

Diatribe de S. R. G. Imperii Comitum Prærogativa, ac Jure inter ipſos & Ordinem Equeſtrem Imperii Immediatum, ſecundum quosdam controverſo. 4. *ibid.* 1702.

Diſſertatio de Condominio circa Sacra. 4. *Ibid.* 1704.

Epinikion Rhythmo Teutonico acclamatum Ludovico Regi A. C. 883. verſione Latina & Obſervationibus Hiſtoricis illuſtratum. 4. *ibid.* 1696.

Notæ ad Struvii Syntagma Juris Feudalis. 4. *ibid.* 1711.

Digitized by Google

Tractatus de Paragio & Apanagio, item de Feudis Juris Francici Dissertatio, ut & Velitationes de Successione Lineari, nec non Justi Mejeri de Rei Feudalis Vindicatione Disceptatio. 4. *ibid.* 1701.

Manuductio Philosophiæ Moralis ad Jurisprudentiam. Cum Notis MSStis. 8. *Jenæ*, 1676.

Praxis artis analyticæ in Jurisprudentia. Cum Notis MSStis. 8. *ibid.* 1678.

Epitome Juris Privati. 8. *Argent.* 1698.

Institutiones Juris Civilis Justinian. cum Notis MSStis. 8. *ibid.*

- Juris Publici Romano-Germanici. Cum Notis MSStis. 8. *ibidem.* 1696.
- Seu Introductio ad Jus Feudale utrumque Germanicum & Longobardicum. Cum Notis MSStis. 8. *ibid.* 1721.

Institutiones Juris Canonici. Cum Notis MSStis. 8. *Jenæ*, 1721.

De Pace Religiosa, Liber singularis. 8. *Argent.* 1700.

Disputatio, exhibens Analysin Vitæ T. Pompon. Attici à Corn. Nepote descriptæ, sub Præsidio Friderici Rappolti, P. P. Lipsiæ habita. 4. 1654.

Dissertatio de Acquisitionibus per hos, qui sunt in potestate, sub Præsidio Johannis Strauchii, JCti. & P. P. 4. *Jenæ*, 1658.

Commentatio ad Constitut. Argentorat. de Emponematum Jure, vulgò *vom Schauffel-Recht.* Respond. Joh. Casp. Bitschio. 4. *Argent.* 1698.

FINIS.

Digitized by Google

TATIANI SYRI
HARMONIA EVANGELICA,

E Latina VICTORIS CAPUANI Verſione translata

In

Linguam Theotiſcam Antiquiſſimam

Editio poſt primam PALTHENIANAM

Nova Emendatior:

Ad Apographa duo MSSta & Curas JO. SCHILTERI posthumas

Studioſe recenſita, ſubjectis notulis:

PRÆMISSA PRÆFATIONE GEMINA.

Accedit

FRAGMENTUM ALIUD THEOTISCUM,

Quo

Chriſti cum Samaritana Muliere Colloquium rhythmo Vetuſtiſſimo exhibetur.

U L M Æ,

Sumptibus DANIELIS BARTHOLOMÆI,

M DCC XXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google



JOANNES FRICKIUS

Lectori S.

Miraberis fortaſſe, quisquis es, Lector Benevole, comparere hic, ordine ut apparet plane præpoſtero, Harmoniam Evangelicam demum poſt Legum Francicarum & Alemannicarum Collectiones, poſt Carmina Teutonum de Bellis; & luſus ingeniorum morales; monumenta Evangeliis profecto nullo modo æquiparanda, nedum præponenda. Dices ergo, ad primum Theſauri tomum indubie, imo unice pertinuiſſe Opuſculum haud minus Divinum ac Otfridi Opus Evangelicum eſt, & quod præter exactam argumenti Sacri ſimilitudinem etiam antiquitate idiomatis Francici non multum operi Otfridiano concedit. Eccur igitur omiſſum ſuo loco, & nunc velut Appendicis inſtar Civilibus ac dramaticis monumentis adjectum? Vix id reprehenſione cariturum apud plurimos!

Fateor ſane ultro, me pridem idipſum animo volviſſe, ac proinde aliquandiu diſſuaſiſſe inſtitutum Bibliopolæ. Verum aderant cauſæ non leves, quæ Virum optimum ut pergeret tamen perpulerunt; & quibus expoſitis ut ipſe lubens adquievi; ita æquum abs Te, Lector, Judicium, ubi ſeriem rei geſtæ cognoveris, exſpecto. Videlicet, cum primum MSSta Theſauri Schilteriani Volumina noſtras in manus tradita accepiſſemus; Harmonia Evangelica Tatiani nuſpiam comparebat; unico ſolum folio excepto, quod præter titulum libri Fragmentum cœptæ à Schiltero Præfationis, ſed non abſolutæ (quod noſtræ nunc præfationi ſubjecimus) continebat. Nec data inquirentibus in Opuſculum ipſum reſponſio alia, niſi, quo devenerit non liquere. Interim exſtabat ante oculos editio Tatiani minime invenuſta, imo curis multis ac erudito labore Gryphiswaldiæ A. 1706. adornata per JOANNEM PHILIPPUM PALTHENIUM; Virum uti vario doctrinæ ſingularis apparatu in Jurisprudentia & literis elegantioribus conſpicuum, ita inprimis peritia linguæ veteris Teutonicæ (cui horas plurimas non ſine multo fructu inſumſerat) eminentem. Hunc cum ipſe Schilterus laudet in præfatione, ut ſibi amiciſſimum, & qui ex Anglia Tatianum Theotiſcum Oxonio primus ſecum attulerit; non abſurde, ut reor, ſuſpicabamur, ſperatæ Palthenii amici editioni Senem optimum adquieviſſe, & ab edenda denuo Harmonia penitus reſiliiſſe. Ideo & in Conſpectu Theſauri mentio ejus omnis omiſſa eſt: abiitque annus integer, quo nos omnino latuit numquid ſchedarum de Harmonia Tatiani amplius ſupereſſet.

Digitized by Google

Tandem vero repertus nuper Campoduni Codex geminus inter Schilteriana MSSta. (Volumine alio quam quod talia pollicebatur) qui mox novam rei faciem induit, atque ut de inferenda quoque Thesauro nostro Harmonia cogitaremus effecit. Nam, ne quid te celemus, Lector, adsunt unà epistolæ complures Palthenii ad Schilterum, quæ de Tatiano reliquis Thesauri monumentis una inserendo agunt sollicite: adest exemplum Harmoniæ manu Palthenii, summa, ut testatur plus semel, accuratione depictum, quo exacte Junianus Codex exprimeretur: perscriptæ simul apparent lectiones variæ, quas à manu recentiore sed ignota, (forte tamen Marq. Freheri, si recte Palthenius divinat) margini Codicis Juniani additas Palthenius deprehendit, & quarum arbitrum facit semper Schilterum. Adest rursus aliud Harmoniæ apographum, quod unde venerit prorsus ignoramus: & quod ut neque nitore aut emendata scriptura, neque vetustate placere potest (manum enim recentem ubique prodit) ita tamen nonnullas habet varias, quæ à Paltheniani Codicis lectione abeunt in diversum. Quin &, quod mireris, differt haud raro editus typis publicis à Palthenio liber à Codice, quem sua ipse manu vir doctus scripserat. Hæc igitur brevibus omnia notulis indicare non videbatur inconsultum.

Jam itaque cum Literatum orbem jure merito abs nobis efflagitare crederemus quidquid ad Collectionem monumentorum Teutonicorum Schilterus congessit; maluimus etiam postlimio recensitam abs nobis dare Harmoniam paullo tardius erutam; ponereque loco, non quidem quo decebat, sed quo nunc licet & integrum nobis est; quam omittere monumentum illustre Pietatis veterum Germanorum: quod ævo Otfridiano suppar, quoad linguæ indolem, esse conjicimus: quodque in Glossario B. Schilteri paginam subinde utramque facit.

Notas doctissimi Palthenii, quem quinquennio post obitum B. Schilteri, præmatura mors ultima Maji die anni 1710. abstulit, non addidimus textui subjectas: at quidquid ad explicationem vocum Teutonicarum in iisdem pertinet, ut fere omnia sunt, Glossario suis unumquodque locis inseri studiose curavimus.

De libro Harmoniæ ipso, & de Tatiano quem autorem titulus falso fert, non est quod multa dicamus. Poterunt enim è Schilteriana præfatione quam mox dabimus, uti vides, hauriri. Vetus error fuit sexto jam seculo Victoris Capuani, isque geminus: tum quod Tatianum vocavit *Alexandrinum*; qui Syrus fuit & Ægyptum forte nunquam vidit: tum quod Harmoniam abs se Latine versam Tatiano adscripsit. Utrumque refellit merito Schilterus: præeuntes secutus Henr. Valesium, Annot. ad Eus. H. E. IV. 25. Phil. Labbeum de Scr. Eccl. T. II. Guilielmum Cave in Hist. Scr. Eccl. Literaria, aliosque. Et tamen vulgo Tatianus *Alexandrini* cognomen male retinet, etiam in editione B. Palthenii; quam & imprudenter hac in re columnarea tituli novæ hujus editionis, sero abs nobis deprehensi, sequuntur: Genuinam Tatiani Harmoniam, qualis olim ab ipso confecta extitit, non superesse amplius omnino; neque quam dedit Latine Victor Capuanus, & cujus Theotiscam habemus hic versionem, esse Ammonii Alexandrini, quod multi putant; sed *incerti* omnino autoris, viri summi demonstrant B. THOMAS ITTIGIUS, Præceptor olim meus quoad vixero venerandus Hist. Eccl. Sec. II. p. 17. sq. & JO. ALBERTUS FABRICIUS, summus noster Amicus, ὁ πάνυ Biblioth. Gr. Volum. V. p. 83. qui & annotat; Specimen Veteris Harmoniæ Evangelicæ Francicum ab *Hickesio* editum prodiisse T. I. Thesauri LL. Septentr. p. 189. sq. Ceterum quam incerta sit de autore hujus Harmoniæ opinio, pridem observavit jam Seculo XII. medio eruditus scriptor *Zacharias Chrysopolitanus*, (non Episcopus, sed monachus) qui Commentarium hanc in Harmoniam scripsit minime contemnendum, editum Coloniæ 1535. Is, postquam in præfatione prima monuit p. 11. incertum esse, *num opus sit Theophili Antiocheni* (quippe cui Hieronymus alicubi talem librum, Unum ex IV. Evangelistis compositum, sive vere sive falso adscribit) *an Tatiani Assyrii, aut Ammonii Alexandrini, seu alius cujuslibet congruo componentis ordine unam ex quatuor narrationem*: rursus præfatione tertia locum Augustini allegat, qui in secundo de Concordia Evangelistarum libro, unam ex diversorum dictis narrationem faciens, inquit: Hoc exemplo sive ut à me factum est, sive alio modo com-

commodius fieri possit, videat unusquisque & in ceteris locis fieri posse. Infert inde Zacharias. Ejus igitur (Augustini) exemplo ac persuasu nonnulli fortasse unam ex " quatuor narrationem perstrinxere. At vero hujus operis quis autor, imo ordinator ex- " titerit, nihil interest ignorare. Etenim tam verba quam sententiæ nonnisi Evangeli- " starum sunt, &c. Dixerat paullo ante memorabili effato. Sane, si Tatiani hæresiar- " chæ supereffet opus Evangelicum (quod S. Justini lateri adhærens forsans explicuit) in " eo Domini Jesu verba diligenter amplecti, & secure legere, ovibus ejus vocem cognoscen- " tibus nil prohiberet. Nam, sicut Sacramenta sine sui corruptione participantur & à " malis; sic veritatis verba sive dicta sive scripta, ab hæreticis suo proprio tenore mini- " me privari possunt. Quo fit, quod Origenis errorum perversitas ejus studium, in qua " parte claruit, nequaquam decoloravit. Vitæ quoque Salomonis enormitas ejus, imo " Dei in eo sapientiam nullatenus obnubilavit. "

Igitur quis non commendaret studium Germaniæ veteris Christianæ Francorum, cum tale monumentum, ut est Harmonia præsens, transferre in vernaculam studuerunt, quo & vulgus ovium audire Pastoris vocem, & suscipere Verbum Veritatis ex ipsiusmet ore posset, viam, veritatem & vitam habituri. Utinam modo integrum haberemus istud opusculum, quo se plurimum haud dubie olim ædificarunt optumi Teutones! Ast dolendum ingenti hiatu à capite LXXVI. ad CLIII. magnam ejus partem deesse. Juvat tamen & Fragmentum eximium. Cui adjecimus *Colloquium Christi cum muliere Samaritana*, vetustissimo expressum rhythmo, quod & ipsum in conspectu Operis primo promissum fuerat; at non recte omissum deinceps tomo primo nonnullos stomachari comperimus. Tu his monumentis Teutonum fruere nobiscum Lector rerum Sacrarum & Patriarum veterum studiose; & in Domino Vale.

JO. SCHILTERI
PRÆFATIO
DE
INSCRIPTIONE LIBELLI:
TATIANI ALEXANDRINI
HARMONIA IV. EVANGELISTARUM.

§. I.

ITa quidem habetur in Cod. MS. quem è Bibliotheca Bonaventuræ Vulcanii possedit FRANC. JVNIVS, ut me docuit Vir CL. & Famigratissimus JO. PHILIPPVS PALTHENIVS, JC. & P. P. Academiæ Gryphiswaldensis, qui & ipse suâ manu Oxonii hunc librum descripsit ac pro humanitate & amore amicitiæ mihi liberaliter transmisit. Porrò Autor translationis Germanicæ est ignotus; illud verò constat, quod ex Latina Translatione nostra hæc oriunda sit, quum textus aliquis Græcus nullibi extet.

§. II.

Verum enim verò quum extent in Latino idiomate duæ diversæ editiones, quarum una extat in Orthodoxogr. Basileensibus p. 117. sqq. altera p. 241. ex editione Heroldi, itemque in Bibliotheca Patrum, quarum prior est nostræ matrix & quum in manus Victoris Episcopi Capuani, florentis circa A. C. 545. fortè incidisset, nec ille, inveniret nomen autoris, sed quod duo imprimis tales Harmonias concinnarint, Ammo-

Digitized by Google

nius Alexandrinus, & Tatianus, priorem Tatiano sola sua conjecturâ adscribit, sed infelici. Nam primò Tatianus non fuit Alexandrinus, sed Syrus è Mesopotamia, ut notum. Deinde arguit: *Tatianus licet profanis implicitus erroribus, non inutile tamen exhibens studiosis exemplum, hoc Evangelium, ut mihi videtur, solerti compaginatione disposuit. Et forsitan adhuc B. Justini adhærens lateri, illius eruditionis merito, hoc opus explicuit. Arbitror enim propterea non Ammonii, sed hujus esse eruditionem memorati voluminis, quod Ammonius Matthæi fertur relationi, Evangelistarum reliquorum relationem discretos annexuisse sermones: hîc verò S. Lucæ principia assumta.*

§. III.

Sed mihi videtur Victor confundere justam Harmoniam Evangelistarum, & brevem aliquam unius Evangelistæ cum reliquorum Evangelistarum textibus collationem & suppletionem. Prioris generis Harmoniam intendit Autor nostræ Harmoniæ, unde non tam à S. Matthæi neque à S. Lucæ primordiis orditur, sed S. Johannis. Cæterum brevem collationem S. Matthæi cum reliquis Evangelistis edidit, ut reor, idem Tatianus. (*) De qua fortè & Epiphanius, *Evangelii secundum Ebræos* Hæresi XLVI. faciens mentionem: Λέγεται δὲ τὸ διὰ τεσσάρων Εὐαγγελίων ὑπ' αὐτῆ γεννηθαι, ὅπερ Κατὰ Ἑβραίους τινὲς καλοῦσι. *Ferunt opus illud quod ex quatuor Evangeliis contextum esse, quodque secundùm Hebræos nonnulli vocant, ab eo esse conscriptum.* (**) Contraria etiam est Inscriptio à Tatiano ipso addita, de qua ipse Victor ait: *Ex Historia quoque ejus* (Ammonii) *comperi, quod Tatianus vir eruditissimus & Orator illius temporis clarissimus, unum ex quatuor compaginaverit Evangelium, cui titulum DIAPENTE imposuit* (***) Verùm Eusebius L. IV. H. E. c. 25. ὁ Τατιανὸς συναφειάν τινα ἢ συναγωγὴν ἐκ οἱῶν ὅπως τῶν Εὐαγγελίων συνθεὶς, τὸ διὰ τεσσάρων τοῦτο ὠνόμασται· ὃ ἢ παρά τινων ἔτι νῦν φέρεται. *Tatianus catenam & collectionem nescio quam Evangeliorum contexuit quam* διὰ τεσσάρων *hoc est Evangelium ex quatuor Evangeliis compositum nominavit: quod opus à quibusdam etiamnum habetur.* E postremis verbis colligere posset aliquis, Tatiani *Diatessaron* non in usque adeò magna auctoritate fuisse, quum intra seculi unius alteriusve spatium nonnulli duntaxat illud habuerint.

§. IV.

Verum obstat, Theodoretus, qui circa A. C. 423. floruit, & *Lib. I. Hæret. Fab. c. 20.* scribit, *quod diatessaron dicatur composuisse* Tatianus, *sed amputatis genealogiis & aliis omnibus, quæ DOMINVM ex semine David secundùm carnem natum ostendunt:* Addit, usos esse libro illo, *non modò qui ejus sectæ essent, sed etiam qui Apostolica dogmata sequebantur, compositionis fraudem non cognoscentes, sed simplicius tanquam compendiario libro utentes; Natum etiam sese fuisse libros hujusmodi supra ducentos in honore habitos in Ecclesiis, quos omnes in unum congestos seposuerit, & pro his quatuor Evangelistarum Evangelia introduxerit.* Ex his verbis patet, dispersum per Ecclesias late fuisse Tatiani Diatessaron: sed simul evidenter liquet, hanc Harmoniam quæ à Victore Capuano Latine translata est, Tatiani fœtum credi non posse: quippe quæ retinet Christi genealogiam, quam Tatianus plane sustulerat, Theodoreto referente. Porro credibile est Theodoretum omnia exemplaria quæ nanciscì ponit, suppressisse. Unde nec S. Hieronymus, qui circa A. C. 378. floruit, ullam istius Diatessari facit mentionem. Concludimus igitur, Tatianum hujus Harmoniæ Latinæ auctorem non esse: quis autem fuerit, æquè incognitum esse, ut Translationis Teutonicæ: Interim tamen in allegando hoc libro vulgarem inscriptionem sequimur, & nomine Tatiani cum Franc. Junio citamus: Denique de altera editione, Ammonio à Victore adscripta, hîc non solliciti sumus, quum ea extra nostrum institutum sit.

(*) Valde vereor, ut multos habiturus sit Schilterus hac in re sibi consentientes, cum sine omni teste & verisimilitudine conjecturam faciat.

(**) Hallucinatur graviter Epiphanius, aut profecto errorem aliorum incautus refert. Nunquam enim Evangelium sec. Hebræos idem fuit cum Harmonia.

(***) Credibile est, Victorem scripsisse διὰ πάντων nempe unum ex omnibus videl. quatuor Evangelii, librum; quod alii DIATESSARON multo rectius vocant.

TATIANI



TATIANI ALEXANDRINI HARMONIÆ EVANGELICÆ VERSIO THEOTISCA.

PROLOGUS.

Luc. I, 1-4.

Bithiu uuanta manage
Zilotun ordinon
Saga, thio in uns
gifulta ſint, rachono.
2. So uns ſalthun,
thie thar fon anaginne
ſelbon giſahun, inti ambahta
uuarun uuortes.
3. Was mir giſehan, gifolgentemo
fon anaginne allem gernlihho,
after antreitu thir ſcriben,
thô bezziſto Theophile.
4. Thaz thu forſtantes thero
uuorto, fon thene
thu gilerit biſt, uuâr.

QUoniam quidem multi
conati ſunt ordinare
narrationem, quæ in nobis
completæ ſunt, rerum.
2. Sicut tradiderunt nobis,
qui ab initio
ipſi viderunt, & miniſtri
fuerunt ſermonis.
3. Viſum eſt mihi, aſſecuto
à principio omnibus diligenter,
ex ordine Tibi ſcribere,
optime Theophile.
4. Ut cognoſcas eorum
verborum, de quibus
eruditus es, veritatem.

CAP. I.

Divinitas Chriſti.

Jo. I, 1-5.

IN anaginne uuas uuort,
inti thas [1] uuort uuas mit Gote,
inti Got ſelbo uuas thas uuort.
2. Thas uuas in anaginne
mit Gote, alliu thuruh thas
uuurdun gitan, inti uzzan ſiu
ni uuas uuiht gitanes,
thas thar gitan uuas.
3. Thas lib uuas in imo,
inti thas lib uuas lioht manno.
4. Inti thas lioht in finſtarneſſen.
leuhta, inti finſtarneſſen.
thas ni bigriffun.

IN principio erat verbum,
& verbum erat apud Deum,
& Deus ipſe erat verbum.
2. Hoc erat in principio
apud Deum, omnia per ipſum
facta ſunt, & ſine ipſo
factum eſt nihil,
quod factum eſt.
3. Vita erat in ipſo,
& vita erat lux hominum.
4. Lux in tenebris
lucebat, & tenebræ
eam non comprehenderunt.

1) Schilterianum Apographum *thaz*.

Digitized by Google

CAP. II.

Prædictio Nativitatis Johannis.

Luc. I, 5. ſqq.

WAs in tagun Herodes, thes Cuninges
Judeono, ſumer biſcof,
namen Zacharias,
fon themo uuehſale Abiaſſes,
inti quena imo fon Aarones tohterun,
inti ira namo uuas Elizabeth.
2. Siu uuarun rehtiu beidu fora Gote,
gangente in allen bibotun
inti in Gotes rehtfeſtin uzzan laſtar,
inti ni uuard in ſun, bithiu uuanta
Elizabeth uuas unberenti
inti beidu framgigiengun in iro dagun.
3. Ward tho, mit thiu her
in biſcofheite giordinot uuas,
in antreitu ſines uuehſales, fora Gote,
after giuuonu thes biſcofheites,
in lozze framgieng, thaz her uuihrauh brahti,
ingangenti in Gotes tempal,
inti al thiu menigi uuas thes folkes
uzzi, betonti in themo ziti thes roubennes.
4. Araugta ſih imo
Gotes engil, ſtantenti in zeſo
thes altares thero wihrouh brunſti.
Thanan tho Zacharias uuard gitruobit
thaz ſehenti, inti forthana fiel ubar inon.
5. Quad tho zi imo ther engil:
Ni forthi thu thir Zacharia!
uuanta giborat iſt thin gibet,
inti thin quena Elizabeth
gibirit thir ſun,
inti nemnis thu ſinun namon Johannem.
6. Inti her iſt thir giſehо inti blidida,
inti manage in ſinero giburti mendent.
Her iſt uuarlicho [2] mihhil fora Truhtine,
inti uuin nob cidiri trinhit,
inti heiliges Geiſtes uuirdet gefullit ſon hinan
ſon reva ſinero muoter,
inti manage Iſrabeles barno
giuuerbit zi Truhtine Gote iro.
7. Inti her ferit fora inan
in geiſte inti in megine Heliaſes,
thaz her giuuente herzun fatero in Kind,
inti ungiloubfolle zi vviſtuome rehtero,
garuuen Truhtine thuruhtigan folc.
8. Inti quhad [3] Zacharias zi themo engile:
Wanan vveiz ih thas?
ih bin alt, inti min quena
fram iſt gigangan in ira tagun.
9. Tho antlingenti thie engil quhad imo:
Ih bin Gabrihel, thie azſtantu
fora Gote, inti bin giſentit zi thir,
thiſu thir ſagen [4]
Inti nu uuirdiſt ſuigenti, inti ni mahſt [5]
ſprehhan unzun then tage, in themo
thiſu uuerdent, bithiu uuanta

FUit in diebus Herodis, Regis
Judææ, quidam Sacerdos,
nomine Zacharias,
de vice Abia,
& uxor illi de filiabus Aaron,
& nomen ejus erat Elizabeth.
2. Erant juſti ambo apud DEUM,
incedentes in omnibus mandatis
& in juſtificationibus DEI ſine querela,
& non erat illis filius, eo quod
eſſet Elizabeth ſterilis,
& ambo proceſſiſſent in diebus ſuis.
3. Factum eſt autem, cum
ſacerdotio fungeretur,
in ordine vicis ſuæ, ante Deum,
ſecundum conſuetudinem ſacerdotii,
ſorte exiit, ut incenſum poneret,
ingreſſus in templum Domini,
& omnis multitudo erat populi
foris, orans hora incenſi.
4. Oſtendit ſe illi
Angelus Domini, ſtans à dextris
Altaris incenſi.
Inde Zacharias turbatus eſt
videns, & timor irruit ſuper eum.
5. Ait autem ad illum Angelus:
Ne timeas Zacharia!
quoniam exaudita eſt deprecatio tua,
& uxor tua Elizabeth
pariet tibi filium,
& vocabis nomen ejus Joannis.
6. Et ipſe erit gaudium Tibi & exultatio,
& multi in nativitate ejus gaudebunt.
Erit enim magnus coram Deo,
& vinum & ſiceram non bibet,
& Spiritu Sancto replebitur adhuc
ex utero matris ſuæ,
& multos filiorum Iſrael
convertet ad Dominum Deum ipſorum.
7. Et ipſe præcedet ante illum
in Spiritu & virtute Eliæ,
ut convertat corda patrum in filios,
& incredulos ad prudentiam juſtorum,
parare Domino plebem perfectam.
8. Et dixit Zacharias ad Angelum:
Unde hoc ſciam?
ego ſum ſenex, & uxor mea
proceſſit in diebus ſuis.
9. Tum reſpondens Angelus dixit ei:
Ego ſum Gabriel, qui aſto
ante Deum, & miſſus ſum ad Te,
hæc Tibi evangelizare.
Et nunc eris tacens, & non poteris
loqui usque in diem, quo
hæc fiant, eo quod

thu

2) Schilt. *uuarlihho.*
3) Schilt. *quad.*
4) Schilt. *ſagan.*
5) Schilt. *mabt.*

Digitized by Google

thu ni giloubtos minen uuorton,
thiu thar gifulta uuerdent in iro ziti.
10. *Inti uuas thaz folc beitonti Zachariam,*
inti uuontorotun thaz her lazzeta in temple.
Her uzgangenti in mohta ſprebban zi in,
inti forſtuontun thaz her geſicht giſah in temple.
Inti her uuas boubnenti in,
inti thurahuuoneta ſtum.
11. *Inti tho* [6] *gifulte uuirdun taga ſines ambahtes,*
gieng in ſin hus, after then tagen
intfieng Elizabeth ſin quena,
inti tamgihta ſih ſinf manoda, quedenti:
VVanta ſus teta mir Trohtin in tagen,
in then her geſcouuuota
arfirran minamo itiuuiz
untar mannon.

non credidiſti verbis meis,
quæ implebuntur in tempore ſuo.
10. Et erat plebs expectans Zachariam,
& mirabantur quod tardabat ipſe in templo.
Egreſſus autem non poterat loqui ad eos,
& cognoverunt quod viſionem vidiſſet in tem-
Et ipſe erat innuens illis, (plo.
& permanſit mutus.
11. Et ut impleti ſunt dies officii ejus,
abiit in domum ſuam, poſt hos autem dies
concepit Eliſabeth uxor ejus,
& occultabat ſe menſibus quinque dicens:
Quia ſic mihi fecit Dominus in diebus,
in quibus reſpexit,
aufferre opprobrium meum
inter homines.

CAP. III.

Annunciatio Mariæ & Conceptio Chriſti.

Luc. I, 26. ſqq.

IN themo ſechſten manode giſentit uuard
engil Gabribel fon Gote in thie burg
Galileæ, thero namo iſt Nazareth,
iz thiornum gimahaltero gommanne,
thero namo vvas Joſeph, fon huſe
Davides, inti namo thero thiornun Maria.
2. *Inti ingangenti ther Engil zi iru quhad:*
Heil vvis thu gebono follu! Truhtin mit thir,
geſegenot ſis thu in vvibon.
3. *Tho ſiu thiu giborta, vvas gitruobit*
in ſinemo uuorte, inti thahta,
uuelih uuari thas uuolaqueti.
4. *Quhat* [7] *iru ther engil: Ni forhti thir Maria,*
thu fundi huldi mit Gote,
ſeno nu intphahis in reve, inti gibiris ſun,
inti ginemnis ſinan namon Heilant.
5. *Ther iſt mihhil, inti thes hoiſteri ſun*
iſt ginemnit, inti gibit imu Truhtin
ſedal Davides ſines fater,
inti rihhiſot [8] *in huſe Jacobes zi euuidu,*
inti ſines ribbes niſt enti.
6. *Quad tho Maria zi thamo engile:*
Wio mah thas ſin?
uuanta ih gommannes uuis ni bin.
7. *Antlingenti tho ther engil quad ira:*
Thio [9] *heilago Geiſt quimit ubar thih,*
inti thes hohiſten megin biſcatuit thih,
bithiu thas thar giburan uuordet heilag
thas uuirdit ginemnit gotes barn.
8. *Seno nu Elizabeth thin magin*
ſiu intphieng ſun in ira alttuome,
inti this iſt ther ſehſto manod thera,
thiu thar ginennit iſt unberenta:
Bithiu uuanta niſt unodi mit gote
jogiuuelih uuort.
9. *Tho quad Maria: Seno nu Gotes thiu,*
uueſe mir after thinemo uuorte.
Inti arfuor tho fon ira ther engil.

IN menſe ſexto miſſus eſt
angelus Gabriel à Deo in civitatem
Galilææ, cui nomen Nazareth,
ad Virginem deſponſatam Viro,
cui nomen erat Joſeph, de domo
Davidis, & nomen Virginis Maria.
2. Et ingreſſus angelus ad eam dixit:
Ave gratiæ plena! Dominus tecum,
benedicta tu in mulieribus.
3. Quæ cum audiſſet, turbata eſt
in ſermone ejus, & cogitabat,
qualis eſſet iſta ſalutatio.
4. Ait Angelus ei: Ne timeas Maria,
inveniſti gratiam apud Deum,
ecce concipies in utero, & paries filium,
& vocabis nomen ejus JEſum.
5. Hic eſt magnus, & filius Altiſſimi
vocatur, & dat ei Dominus
ſedem Davidis Patris ſui,
& regnabit in domo Jacob in æternum,
& regni ejus non erit finis.
6. Dixit Maria ad Angelum:
Quomodo fiet iſtud?
quoniam virum non cognoſco.
7. Reſpondens Angelus dixit ei:
Spiritus S. ſuperveniet in te,
& virtus altiſſimi obumbrabit te,
ideo quod naſcetur ſanctum
vocabitur filius Dei.
8. Et ecce Eliſabeth cognata tua
ipſa concepit filium in ſenectute ſua,
& hic eſt menſis ſextus illi,
quæ vocatur ſterilis:
Quia non eſt impoſſibile apud Deum
omne verbum.
9. Tum dixit Maria: Ecce ancilla Domini,
fiat mihi ſecundum verbum tuum.
Et diſceſſit ab illa Angelus.

6.) ex Schilt. voc. *tho* addidimus quam quidem in textu non exhibet Palthenius, addendam eſſe in Præfat. agnoſcit.
7.) Schilt. *quhad.*
8.) Schilt. *ribhiſat.*
9.) Schilt. *thie.*

Digitized by Google

CAP. IV.

Visitatio B. Mariæ, & Nativitas Johannis.

Luc. I, 39. sqq.

ARstantenti Maria in then tagon
gieng in giburgu, mit ilungu,
in Judeno burg,
ingieng tho in hus Zachariases,
inti beilizita Helisabeth.
2. Ward tho, so siu gihorta
beilizunga Mariuns, [10]
gifah thas Kind in ira reve.
3. Ward tho gifullit heilages geistes Helisabeth,
arrof mihhilero stemmi, inti quad:
Gisegenot sis thu untar uuibon,
inti gisegenot si thie uuahsmo thinero uuamba,
inti uuanan is mir, thaz queme
mines Truhtines muoter zi mir?
4. Seno nu so sliumo so thiu stemma uuard
thines heilizunges in minero oran,
gifah in gifehen Kind in minemo reve,
inti saligu thiu thar giloubta,
uuanta thiu gifremitu uuerdent,
thiu thar giquetan [11] *uuirdun iru fon Truhtine.*
5. Tho quad Maria:
Mihhiloso min sela Truhtin,
inti gifah min geist in Gote minemo heilante,
bithiu uuanta her giscouuota odmuoti [12] *sinero thiuvi,*
6. Seno nu fon thiu saliga
mih quedent alliu cunnu,
bithiu uuanta mir teta mihelu, thie thar mahtig ist,
inti heilag sin namo,
inti sin miltida in cunni inti cunnu [13] *inan forhtanten.*
7. Teta maht in sinemo arme,
zispreitta ubarhuhtige muote sines herzen,
nidargisazta mahtige fon sedale, inti arhuob odmuotige,
hungerente gifulta guoto, inti otage forliez itale.

8. Intphieng Israhel sinan Knebt,
zi gimuntigonne sinero miltida,
so her sprah zi unsern fateren,
Abrahame inti sinemo samen zi uuerolti.
9. Wonata Maria mit siu nah thri manoda,
inti warb zi ira hus.
Elizabeth warlihho ward gifullet zit zi beranne,
inti gibar ira sun.
10. Inti gihortun thas ira nahoston inti ira condon,
thaz Truhtin mihhilosota sina miltida
mit iru, inti gifahun mit iru.
11. Ward tho in themo ahtoden tage,
quamun zi bisnidanne thas Kind,
namtun inan sines fater namen Zachariam.
Antlingota tho sin muater inti quad:
Nio in altere, uzzan sin namo scal sin Johannes.
Inti quadun zi iru:

EXurgens Maria in diebus illis
abiit in montana, cum festinatione,
in oppidum Judæ,
& intravit in domum Zachariæ,
& salutavit Elisabeth.
2. Factum est autem, cum illa audiret
salutationem Mariæ,
exultavit infans in utero ejus.
3. Tunc impleta est Spiritu S. Elisabeth,
exclamavit voce magna, & dixit:
Benedicta sis tu inter mulieres,
& benedictus sit fructus ventris tui,
& unde hoc mihi, ut veniat
mater Domini mei ad me!
4. Ecce enim ut facta est vox
salutationis tuæ in auribus meis,
exultavit in gaudio infans in utero meo,
& beata quæ credidit,
quoniam perficientur,
quæ dicta sunt ei à Domino.
5. Tunc ait Maria:
Magnificat anima mea Dominum,
& exultavit spiritus meus in Deo salutari meo,
quia respexit humilitatem ancillæ suæ.
6. Ecce enim ex hoc beatam
me dicent omnes generationes,
quia fecit mihi magna, qui potens est,
& sanctum nomen ejus,
& misericordia ejus in progenies & progenies
timentibus eum.
7. Fecit potentiam in brachio suo,
dispersit superbos mente cordis sui,
deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles,
esurientes implevit bonis, & divites dimisit
inanes.
8. Suscepit Jsrael puerum suum,
memorari misericordiæ suæ,
sicut locutus est ad patres nostros,
Abraham & semini ejus in secula.
9. Mansit Maria cum illa quasi mensibus tribus,
& reversa est in domum suam.
Elisabeth autem impletum est tempus pariendi,
& peperit filium suum.
10. Et audierunt hoc vicini & cognati ejus,
quod Dominus magnificavit misericordiam
cum illa, & congratulabantur ei. (suam
11. Tunc factum est in die octavo,
venerunt ad circumcidendum puerum,
vocabant eum nomine patris sui Zachariæ.
Respondit tum mater ejus & dixit:
Nequaquam, sed nomen ejus erit Johannes.
Et dixerunt ad illam:

Nioman

10) Schilt. *Mariums.*
11) Schilt. *giquetun.*
12) Schilt. *odmuati.*
13) Palth. in Præfat. *inti in cunnu.*

Digitized by Google

Nioman niſt in thinemo cunne,
thie thar ginennit ſi theſemo namon.
12. *Boubnitun tho ſinemo fater,*
wenan her wolti inan ginemnitan weſan?
Bat tho ſcribſabſes ſcreib ſus quedanti:
Johannes iſt ſin namo,
wuntorotun thas tho alle.
Gioffonota ſih tho sliumo ſin mund,
inti ſin zunga, inti ſprah Got uuihenti.
13. *Ward tho forhta ubar alle iro nahiſton,*
inti ubar allu gibirgu Judeno
wurdun gimarit allu thiſu wort,
inti giſaztun alle thie iz gihortun
in iro herzen, ſus quedante:
Was vvanis theſe Knebt ſi?
inti Gotes hant [14] *was mit imo.*
14. *Inti Zacharias ſin fater ward gifullet heilages geiſtes,*
inti wizagota ſus quedanti:
Givvihit ſi Truhtin Got Iſraëlo,
bithiu uuanta uuiſota inti teta loſunga ſinemo folke,
inti arihta horn heili uns
in huſe Davides ſines Knehtes.
15. *So ber ſprah thuruh mund heilagero,*
thie fon uuerolte uuarun, ſino wizagono,
heili fon unſaren ſianton,
inti fon henti allero thie unſih hazzotun,
zi tuonne miltida mit unſaren faterun,
inti zi gihugenne ſinero heilagun giuuizneſſi,
thero eidbuſti thie her ſuor zi Abraham
unſaremo fater, ſih uns zi gebanne.
16. *Thaz uzzan forhta fon hentin unſero ſianto*
arloſte thionomes imo
in heilagniſſe inti in rehte fora imo
alle unſaron tagon.
17. *Inti thu Knebt wizago thes hohiſten biſthu ginennit,*
foraferis uuarlihho fora Truhtines annuzzi
zi garuuenne ſinan uuege,
zi gebanne uuiſtuom heili [15] *ſinemo folke*
in forlazneſſi iro ſuntono.
18. *Thuruh innodilu miltida unſares Gotes,*
in then uuiſota unſih ufgang fon hohi,
inliuhtigen then, thie thar in finſtarneſſin
inti in ſcuvven todes ſizzent,
zi giribtenne unſera fuozza in uuog ſibba.
19. *Ther Knebt uuohs,*
inti uuard giſtrengiſot geiſte,
inti uuas in uuoſtinnu unzan then tag
ſinero arougoneſſi zi Iſrahel.

Nemo eſt in cognatione tua,
qui vocetur hoc nomine.
12. Innuebant tunc patri ejus,
quem vellet eum vocari?
Tunc poſtulans pugillares ſcripſit dicens:
Johannes eſt nomen ejus,
& mirati ſunt univerſi.
Apertum autem eſt ſubito os ejus,
& lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum.
13. Et factus eſt timor ſuper vicinos eorum,
& ſuper omnia montana Judææ
divulgabantur omnia verba hæc,
& poſuerunt omnes qui ea audierunt
in cordibus ſuis, ita dicentes:
Quis putas puer iſte erit?
& manus Domini erat cum illo.
14. Et Zacharias pater impletus eſt Spiritu Sancto,
& prophetavit ita dicens:
Benedictus ſit Dominus Deus Iſrael,
quia viſitavit & fecit redemptionem plebis ſuæ,
& erexit cornu ſalutis nobis
in domo David pueri ſui.
15. Sicut locutus eſt per os ſanctorum,
qui à ſeculo ſunt, prophetarum ejus,
ſalutem ex inimicis noſtris,
& de manu omnium qui oderunt nos,
ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris,
& memorari teſtamenti ſui ſancti,
jusjurandum quod juravit ad Abraham
patrem noſtrum, daturum ſe nobis.
16. Ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum
liberati ſerviamus illi
in ſanctitate & juſtitia coram ipſo
omnibus diebus vitæ noſtræ.
17. Et tu puer propheta Altiſſimi vocaberis,
præibis enim ante faciem Domini
ad parandum vias ejus,
ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus
in remiſſionem peccatorum eorum.
18. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri,
in quibus viſitavit nos oriens ex alto,
illuminare hos, qui in tenebris
& in umbra mortis ſedent,
ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.
19. Puer creſcebat,
& confortabatur ſpiritu,
& erat in deſertis uſque in diem
oſtenſionis ſuæ in Iſrael.

14) Schilt. *band.*

15) Schilt. *heil.*

Digitized by Google

CAP. V.

Genealogia Christi. Matth. I, 1. sqq. Luc. III, 34. sqq.

Apparitio Angeli Josepho facta. Math. I, 18. sqq.

Nativitas Christi. Luc. II, 1. sqq.

Buoh cunnes Heilantes Christes
Davides sunes, Abrahames sunes.
Abraham gibar Isaken,
Isaac gibar Jacoben,
Jacob gibar Judam inti sine bruoder.
16 *Judas gibar --- Jessen.*„
2. David cuning gibar Salomonen

* * *

3. Josias gibar Jechoniasen inti sine bruoder
in thero ferti zi Babiloniu,
inti after thero ferti zi Babiloniu.
Jechonias gibar ---
4. Jacob gibar Joseben gomman Marium,
son thero giboran ist Heilant, thie thar ist ginemnit Christ.
Abraham uuas sun Thare,
ther uuas Nachor, ther uuas Seruh,
17 *ther uuas Ragau, ther uuas Phalec,*
ther uuas Heber, ther uuas Sale,
ther uuas Cainan, ther uuas Arphaxad,
ther uuas Sem, ther uuas Noë,
ther uuas Lamech, ther uuas Methusala,
ther uuas Enoch, ther uuas Jared,
ther uuas Mahalaleel, ther uuas Cainan,
5. Ther uuas Enos, ther uuas Seth,
ther uuas Adam, „ *ther uuas Gotes.*
6. Allo thio giburti son Abrahame
unzan Davidem,
uuarun fiorzehen giburti,
inti son Davide unzan uzfart zi Babiloniu
fiorzehen giburti,
inti son thero uzferti zi Babiloniu
unzan Christ fiorzehen giburti.
7. Christes cunni uuas so:
Mitthiu uuas gimahalit
thes Heilantes muoter Maria Josebe,
er thiu zisamene quamun,
uuas siu fundan scaffaniu 18
son themo heilagen Geiste.
Joseph ira gomman mit thiu her reht man uuas,
inti ni uuolta sie meldan,
uuolta tougola sia forlazzan.
8. Imo tho thas thenkentemo,
girado Trubtines Engil in troume
araugta 19 *sih imo inti quad:*
Joseph Davides sun ni curi thu forhtan,
zi nemanne Marium thina gimahhun,
uuanta thas in iru giboran ist

Liber generationis Jesu Christi
filii David, filii Abraham.
Abraham genuit Isaac,
Isaac genuit Jacob,
Jacob genuit Judam & fratres ejus.
Judas genuit --- Jesse.
2. David autem Rex genuit Salomonem
ex ea quæ fuit Uriæ,
Salomon genuit --- Josiam.
3. Josias genuit Jechoniam & fratres ejus
in transmigratione Babylonis,
& post transmigrationem Babylonis.
Jechonias genuit ---
4. Jacobus genuit Joseph virum Mariæ,
de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.
Abraham autem fuit filius Tharæ,
qui fuit Nachor, qui fuit Seruch,
qui fuit Ragau, qui fuit Phalec,
qui fuit Heber, qui fuit Sale,
qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad,
qui fuit Sem, qui fuit Noë,
qui fuit Lamech, qui fuit Methusalæ,
qui fuit Enochi, qui fuit Jared,
qui fuit Mahalaleel, qui fuit Cainan.
5. Qui fuit Enos, qui fuit Seth,
qui fuit Adam, qui fuit Dei.
6. Omnes generationes ab Abraham
usque ad David,
erant generationes XIV.
& à David usque ad transmigrationem Babylonis
generationes XIV.
& à transmigratione Babylonis
usque ad Christum generationes XIV.
7. Christi generatio sic erat:
Cum esset desponsata
JEsu mater Maria Josepho,
antequam convenirent,
inventa est in utero habens
de Spiritu S.
Joseph vir ejus cum esset justus,
& nollet eam traducere,
voluit occulte dimittere eam.
8. Hæc autem eo cogitante,
ecce Angelus Domini in somnio
apparuit ei & dixit:
Joseph Fili David noli timere,
accipere Mariam conjugem tuam,
quod enim in ea natum est

thas

16) Omittuntur hæc in Schilteriano apogr.
17) Hæc omnia, sine dubio ex incuria scribæ, in Schilteriano apographo omissa sunt.
18) Schilt. *scaffantu.*
19) Schilt. *arougta.*

Digitized by Google

thas iſt ſon themo heilagen Geiſte,
ſiu gibirit ſun, inti thu ginemnis ſino namo Heilant,
bithiu uuanta her ſinaz ſolc heilaz tuot
ſon iro ſunton.
9. *Thaz* [20] *algaro gitan iſt,*
thaz uuari gifullit thas thar giquetan uuas
ſon Truhtine thurub then [21] *wizagen ſus quedantan:*
Seno nu thiorna in reve habet, inti gibirit ſun,
inti giheizzent ſinan namon Emanuel,
thas iſt arrekit; mit uns Got.
10. *Arſtantanti tho Joſeph ſon ſlaffe,*
teta ſo imo gibot Truhtines Engil,
inti intphieng ſina gimahhun,
inti ni uuard ira uuis,
unzan ſiu gibar ira ſuno eriſtboranon,
inti gihiez ſina namon Heilant.
11. *Ward tho gitan in then tagon,*
framquam gibot ſon themo aluualten Keiſare,
thaz giſcribin uuirde al theſe umbiuuerft.
Thas giſcrib zi eriſten uuard gitan
in Siriu ſon themo [22] *Graven Cyrine,*
inti fuorun alle thaz bijahin
thionoſt, jogiuuelih [23] *in ſinero burgi.*
12. *Fuor tho Joſeph ſon Galilea*
ſon thero burgi, thiu hiez Nazareth,
in Judeno lant, inti in Davides burgo,
thiu uuas ginemnit Betleem,
bithiu uuanta her uuas ſon huſe inti ſon hiuuiske Da-
thaz her jahi ſaman mit Mariun (*vides,*
imo gimahaltero gimahhun ſo ſcaffanerit.
13. *Tho ſie thar uuarun,*
uuirdun taga gifulte thaz ſiu bari,
inti gibar ira ſun eriſtboranon,
inti biuuant inan mit tuochon,
inti gilegita inan in crippea,
bithiu uuanta in ni uuas ander ſtat in themo gaſthuſe.

de Spiritu Sancto eſt,
pariet filium, & vocabis nomen ejus JEſum,
quoniam ipſe ſalvum faciet populum ſuum
à peccatis eorum.
9. Hoc autem totum factum eſt,
ut adimpleretur quod dictum erat
à Domino per Prophetam ita dicentem:
Ecce Virgo in utero habet, & pariet filium,
& vocabunt nomen ejus Emanuel,
quod eſt interpretatum; nobiscum DEUS.
10. Exurgens autem Joſeph à ſomno
fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini,
& accepit conjugem ſuam,
& non cognoſcebat eam,
donec peperit filium ſuum primogenitum,
& vocavit nomen ejus JEſum.
11. Factum eſt autem in illis diebus,
exiit edictum ab Auguſto Cæſare,
ut deſcriberetur univerſus hic orbis.
Hæc deſcriptio primùm facta eſt
in Syria à Præſide Cyrino,
& ibant omnes ut profiterentur
obſequium, unusquisque in ſuam civitatem.
12. Ivit tunc Joſeph à Galilæa
de civitate, quæ vocabatur Nazareth,
in Judæam, & in civitatem David,
quæ vocatur Bethlehem,
eo quod eſſet de domo & familia David,
ut profiteretur cum Maria
ſibi deſponſata uxore prægnante.
13. Cum ibi eſſent,
impleti ſunt dies ut pareret,
& peperit filium ſuum primogenitum,
& involvit eum pannis,
& reclinavit eum in præſepi,
quia illis non erat alius locus in diverſorio.

CAP. VI.

Nativitas Chriſti Paſtoribus annunciata.

Luc. II, 8-20.

WArun tho hirta in thero lantſheſſi [24]
uuahhante, inti bihaltente
nahtuuahta ubar iro euuit.
Quam thara Gotes engil, inti giſtuont nah in,
inti Gotes berahtneſſi biſchein ſie,
inti giforhtan ſie in tho in mihhiliro forhtu.
2. *Inti quad in ther engil: Ni curet ju forhtu,*
ih ſagen ju mihhelan gifehon,
ther iſt allemo folke,
bithiu uuanta giboran iſt ju hiutu Heilant,
ther iſt Chriſt Truhtin in Davides burgi;
Thaz ſi ju zi zeichane, thaz ir findet
Kind mit tuochon biuuntanaz
inti gilegitaz in crippea.
3. *Tho sliumo uuard thar mit themo Engile*
menigi himiliſches heres

ERant tunc paſtores in illa regione
vigilantes, & cuſtodientes
vigilias noctis ſuper gregem ſuum.
Venit ibi Angelus Domini, & ſtetit juxta illos,
& claritas DEI circumfulſit eos,
& timuerunt ſibi tunc timore magno.
2. Et dixit illis Angelus: Nolite timere,
ego evangelizo vobis gaudium magnum,
quod erit omni populo,
quia natus eſt vobis hodie Salvator,
qui eſt Chriſtus Dominus in civitate David;
Hoc ſit vobis ſignum, quod invenietis
infantem pannis involutum
& poſitum in præſepi.
3. Et ſubito factum eſt cum Angelo
multitudo militiæ cœleſtis

20) Schilt. *thas.*
21) Schilt. pro *thurub then*, ſaltem habet *them.*
22) Schilt. *demo.*
23) Schilt. *jogiuuelias*, vitioſe.
24) Schilt. *Lantsheſti.*

Digitized by Google

Got lobontiu inti quedentiu :
Tiurida ſi in then hohiſton Gote,
inti in erdu ſi ſibba mannon guotes uuillen.
4. *Ward tho thaz arfuorun ſon in thie engile*
in himil, tho ſprachun thie hirta untar in zuis-
gene :
Farames zi Betleem, inti giſehemes
thas uuort, thas thar gitan iſt,
thas Truhtin uns araugta.
Inti quamun tho ilente,
inti fundun Marium inti Joſeben
inti thaz Kind gilegitaz in crippea.
5. *Sie tho giſehente forſtuontun ſon themo uuorte,*
thas in giquetan was ſon themo Kinde,
inti alle thie thas gihortun uuarun thaz wuntoronte,
inti ſon themo [25]*, thiu giquetanu wurdun*
zi in ſon them hirtin.
6. *Maria uuarlihho gibielt allu thiſu uuort*
ahtonti in ira herzen.
7. *Wurbun tho thie hirta heimuuartes,*
diurente inti lobonte Got
in allen then, thiu ſie gihortun inti giſahun,
ſoſo zi in giſprochan uuas.

laudantium Deum & dicentium :
Gloria ſit in altiſſimis DEO,
& in terra ſit pax hominibus bonæ voluntatis.
4. Et factum eſt ut diſceſſerunt ab iis Angeli
in cœlum, tunc loquebantur paſtores ad in-
vicem :
Tranſeamus in Betleem, & videamus
hoc verbum, quod factum eſt,
quod Dominus oſtendit nobis.
Et venerunt tunc feſtinantes,
& invenerunt Mariam & Joſeph
& infantem poſitum in præſepio.
5. Illi ergo videntes cognoverunt de verbo,
quod dictum erat illis de hoc puero,
& omnes qui audierant mirati ſunt,
& de his, quæ dicta erant
ad ipſos à paſtoribus.
6. Maria autem conſervabat omnia verba
conferens in corde ſuo. (hæc
7. Tunc reverſi ſunt paſtores domum verſus,
glorificantes & laudantes Deum
in omnibus iis, quæ audierant & viderant,
ſicut ad illos dictum erat.

CAP. VII.

Circumciſio Chriſti & Purificatio Mariæ Cantico Simeonis & Prophetia Hannæ celebrata.

Luc. II, 21 - 39.

After thiu tho argangena uuarun ahtho taga,
thaz thas Kind biſnitan wurdi,
uuard imo ginennit namo Heilant,
thie namo uuard ginennit ſon engile,
êr thanne her in reve intpbangan uuurde,
2. *Inti after thiu gifulta uuarun taga ſinero ſubar-*
neſſe [26]
after Moyſeſes euuâ,
brahtun ſie inan tho in Jeruſalem
thaz ſi inan Gote giantwurtiten
ſo iz giſcriban iſt in Gotes euuâ :
Bithiu uuanta jogiuuelih gommanbarn
thas uuamba eriſt inttuot,
heilag Gote ginennit.
3. *Inti thaz ſie gabin obphar,*
after thiu giquetan iſt in euuâ Truhtines,
zua gimachun turtilutubun edo zuei tubielin.
4. *Seno nu tho uuas man in Hieruſalem,*
thes namo uuas gibeizzan Simeon,
inti ther man uuas reht inti gotforht,
beitanti Iſrahels fluobra,
inti heilag Geiſt uuas in imo,
intpbieng tho antwurti ſon themo heilagen Geiſte,
thaz er ni arſturbi,
êr thanne her giſahi Chriſt Truhtines.
5. *Quam tho in geiſte in thas Gotesbus,*
inti tho ſie ingileittun thas Kind Heilant
ſine eldiron, thaz ſie tatin after

ET poſtquam conſummati ſunt dies octo,
ut circumcideretur puer,
vocatum eſt nomen ejus JEſus,
quod nomen vocatum eſt ab Angelo,
priusquam in utero conciperetur.
2. Et poſtquam impleti ſunt dies purgatio-
nis ejus
ſecundum legem Moſis,
tulerunt eum tunc in Jeruſalem,
ut ſiſterent eum DEO,
ſicut ſcriptum eſt in lege Domini :
Quia quævis maſcula proles,
quæ vulvam primum aperit,
ſancta Domino vocabitur.
3. Et ut darent hoſtiam,
ſecundum quod dictum eſt in lege Domini,
par turturum aut duos pullos columbarum.
4. Et ecce homo erat in Jeruſalem,
cui nomen Simeon,
& iſte homo erat juſtus & timoratus,
expectans conſolationem Iſrael,
& Spiritus S. erat in eo,
& reſponſum acceperat à Spiritu S.
quod non moreretur,
priusquam videret Chriſtum Domini.
5. Venit ergo in Spiritu in templum,
& cum inducerent puerum JEſum
parentes ejus, ut facerent ſecundum

giuuonu

25 Schilt. *themu.*

26 Schilt. *ſubarneſſi.*

Digitized by Google

giuuonu enuh furi inan,
her tho intphieng inan in fine arma,
inti lobota Got inti quad:
6. Nu forlaz thu Truhtin thinan scalc
after thinen uuortun in fibba, (Heilant,
bithiu uuanta gisahun mina ougun mina ougun thinan
then thu giantuuurtitos fora annuze allero folco,
lioht zi intriganneſſe thiotono
inti zi diuridu thines folches Iſraelo.
7. Was tho ſin fater inti muoter wuntoronte
ubar thiu, thiu thar giquetanu uuarun fon inan,
inti uuihita in tho Simeon,
inti quad zi Marium finero muoter;
8. Senonu theſe iſt geſezit in fall
inti in urrefti managero in Iſrael,
inti in zeichan themo man uuidarquidit,
inti thin ſelbes ferah thuruhfarit fuert,
thaz uuerden intrigane fon managen herzen githanca.
9. Was tho thar Anna uuizzaga,
dohter Fanueles fon cunne Aſeres,
thiu gigieng fram in managa taga,
inti lebeta mit ira gemmanne
ſibun jar fon ira magadheiti,
inti thiu uuas uuituua
unzan fioru inti abtuzug jaro,
thiu not fuor fon themo temple,
uzouh mit faſtun inti mit gibeta
thienota tages inti nahtes.
10. Thiu tho in theroſelbun ziti quementi
lobota Truhtin,
inti ſprah fon themo allen then,
thie thar beitotan arlosneſſe Hieruſalem.
11. Inti tho ſie gifremitun alliu
after Truhtines euuh,
wurbun tho zi Galileam
in ira burg Nazareth.

conſuetudinem legis pro eo,
ipſe accepit eum in ulnas ſuas,
& benedixit Deum & dixit:
6. Nunc dimittis ſervum tuum Domine
ſecundum verbum tuum in pace,
quia viderunt oculi mei ſalutare tuum,
quod paraſti ante faciem omnium populorum,
lumen ad revelationem gentium
& ad gloriam plebis tuæ Iſraël.
7. Et erat pater ejus & mater mirantes
ſuper his, quæ dicebantur de illo,
& benedixit illis tunc Simeon,
& dixit ad Mariam matrem ejus:
8. Ecce poſitus eſt hic in ruinam
& reſurrectionem multorum in Iſrael,
& in ſignum cui contradicitur,
& tuam ipſius animam pertranſibit gladius,
ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.
9. Erat tunc ibi Anna Prophetiſſa,
filia Phanuel de tribu Aſer,
hæc proceſſerat in diebus multis,
& vixerat cum viro ſuo
ſeptem annis à virginitate ſua,
& hæc erat vidua
usque ad annos octoginta quatuor,
quæ non diſcedebat de templo,
ſed jejuniis & obſecrationibus
ſerviebat die & nocte.
10. Hæc igitur ea ipſa hora ſuperveniens
confitebatur Domino,
& loquebatur de illis omnibus,
qui expectabant redemptionem Jeruſalem.
11. Et ut perfecerunt omnia
ſecundum legem Domini,
reverſi ſunt in Galilæam
in civitatem ſuam Nazareth.

CAP. VIII.

Stella & Adventus Magorum.

Matth. II, 1-12.

Mitthiu ther Heilant giboran uuard
in Betleem Judeno burgi,
in tagon Herodes thes Cuninges,
ſenu tho Magi oſtana quamun
zi Hieruſalem, ſus quedante:
War iſt ther thie giboran iſt
Judeno Cuning?
uuir gisahumes finan ſterron in Oſtarlante,
inti quamumes inan zi betonne.
2. Tho thas gihorta Herodes ther Cuning,
uuard gitruobit inti al Hieruſalem
mit imo, inti giſamanonti [27]
then herduom [28] thero biſcofo
inti thie gilérten thes folches,
eisgota fon in,
uuar Chriſt giboran uuari.
3. Sie tho quadum imo, in Betleem Judeno burgi.
in scinentemo giuuate.
3. Mitthiu sio tho fohrtun,
inti beldtun iro annuzi in erda,
quadun zi in: Was souhet ir
lebentan mit toten?
nist er hier ob her arstuont.
4. Gihuget uuio her zi ju sprah,
mit thiu her nob nu in Galilea uuas,
quedenti, uuanta gilimfit
thes mannes sun zi selenne in hant
suntigero manno, inti arhangan uuerdan,
inti thritten tages arstantan.
5. Inti sliumo gangante quaedet sine jungiron,
inti senu her forafuor juuuih in Galilæam,
thar gisehet ir inan,
senu bifora sageta her iz ju.

ET factum est, dum mente
consternatæ essent de isto,
2. Ecce duo viri steterunt secus illas
in veste fulgenti.
3. Cum timerent autem,
& declinarent vultum in terram,
dixerunt ad illas: Quid quæritis
viventem cum mortuis?
non est hic sed resurrexit.
4. Recordamini qualiter locutus est vobis,
cum adhuc in Galilæa esset,
dicens, quia oportet
filium hominis tradi in manus
peccatorum, & crucifigi,
& die tertia resurgere.
5. Et cito euntes dicite discipulis ejus,
& ecce præcedet vos in Galilæam,
ibi eum videbitis,
ecce prædixit vobis.

47) Schilt. *fizzantan.*

48) Schilt. *zuuene.*

Digitized by Google

CAP. CCXIX.

Mulieres abeuntes annunciant id Petro & Johanni.

Matth. XXVIII, 8. Marc. XVI, 8. Luc. XXIV, 8. 9. Joh. XX, 2.

INti gibugitun ſinero uuorto,
inti fuorun uz sliumo
fon themo grabe, mit forhtu [49]
inti mit mihhilemo giueben,
loufente ſagen ſinen jungoron.
2. *Lief tho, inti quam zi Simone Petre,*
inti zi andremo jungoron, then thar minnota ther Hei-
inti quad in: Namun minan Trohtin (*lant,*
fon themo grabe, inti ni uueiz ih
uuara ſie inan tatun.

ET recordatæ ſunt verborum ejus,
& exierunt cito
de monumento, cum timore
& magno gaudio,
currentes nunciare diſcipulis ejus.
2. Cucurrit ergo, & venit ad Simon Petrum,
& ad alium diſcipulum, quem amabat Jeſus,
& dixit eis: Tulerunt Dominum meum
de monumento, & neſcimus
ubi poſuerunt eum.

CAP. CCXX.

Petrus & Johannes ad ſepulchrum currunt.

Luc. XXIV. 12. Joh. XX, 3-9.

UZgieng tho Petrus, inti ther ander jungoro,
inti quamun zi themo grabe.
2. *Liofun zuene ſaman,*
inti ſenu ther ander jungoro
furiliof sliumor Petruſan,
inti quam ér zi themo grabe.
3. *Inti mit thiu her ſih nidarbeldita,*
giſah thiu lininun lachan [50] *gilegitin,*
ni gieng tho uuithero in.
4. *Quam tho Simon Petrus folgenti imo,*
inti ingieng in thas grab,
inti giſah thiu lininun lachan ligentin,
inti thas ſuueizlachan, thas thar uuas
oba ſinemo houbit,
nalles mit then lininen lachanon ligenti,
ob ſuntrigon biwuntan in eina ſtat.
5. *Tho ingieng ther jungero,*
the thar ér quam zi themo grabe,
inti giſah inti giloubta:
Nob thane ni uueſtun ſie giſcrib,
thaz inan githarf fon tode zi arſtantanne.
Abur giengun tho zi in ſelben thie jungeron.

EXiit ergo Petrus, & ille alius diſcipulus,
& venerunt ad monumentum.
2. Currebant autem duo ſimul,
& ille alius diſcipulus
præcucurrit citius Petro,
& venit primus ad monumentum.
3. Et cum ſe inclinaſſet,
vidit poſita linteamina,
non tamen introivit.
4. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum,
& introivit in monumentum,
& vidit linteamina poſita,
& ſudarium, quod fuerat
ſuper caput ejus,
non cum linteaminibus poſitum,
ſed ſeparatim involutum in unum locum.
5. Tunc ergo introivit & ille diſcipulus,
qui venerat prius ad monumentum,
& vidit & credidit:
Nondum enim ſciebant ſcripturas,
quia oportet eum à mortuis reſurgere.
Abierunt ergo iterum ad ſemetipſos diſcipuli.

CAP. CCXXI.

Mariæ Magdalenæ primum apparet Chriſtus.

Matth. XXVIII, 9. Marc. XVI, 9-11. Joh. XX, 11-17.

MAria Magdalenisgiu,
fon theru her uzuuarf ſibun dituala,
ſtuont zi themo grabe uzze uuofanti.

MAria Magdalena,
de qua ejecerat ſeptem dæmonia,
ſtabat ad monumentum foris plorans.

2. *Mit*

49) Schilt. *forohtu.*
50) Palth. Præf. & Schilt. *liniwut lachan*, Junio *liniwut* idem videtur quod *liniwar* (leg. *liniwat*) linea veſtis. Hanc poſteriorem ( ) incluſam lectionem etiam Schilterus pro vera agnoſcit.

Digitized by Google

2. *Mit thiu ſiu tho uuiof, quad iru :*
Wib uuaz uuofis ? Quad imo :
Wanta ſie namun minan Trobtin,
inti ih ni ueiz uuara ſie inan legitun.
3. *Mitthiu ſiu thiſiu quad giuuanta ſih uuidar,*
inti giſah then Heilant ſtantentan,
inti ni ueſta thaz iz ther Heilant uuas.
Tho quad iru ther Heilant :
Wib uuaz uuofis ? uuenan ſuohis ?
4. *Siu tho uuanenti thaz iz garteri uuari*
quad imo : Trobtin, oba thu inan namis,
quid mir uuara thu inan legitis,
thaz ih inan neme.
5. *Tho quad iru ther Heilant : Maria !*
ſio tho giuuanta ſih quad imo : Robboni,
thaz iſt giquetan Meiſtar.
6. *Tho quad iru ther Heilant: Ni curi mih ruoran,*
nob nu ni arſteig ih zi minemo Fater.
7. *Far zu minen bruothoron,*
inti quid in : Ih ſtigu zi minemo Fater,
zi minemo Gote inti zi juuueremo Gote.

2. Dum ergo fleret, dicit illi :
Mulier, quid ploras ? Dicit ei :
Quia tulerunt Dominum meum,
& neſcio ubi poſuerunt eum.
3. Hæc cum dixiſſet, converſa eſt retror-
& vidit Jeſum ſtantem, (ſum,
& non ſciebat quia Jeſus eſt.
Dicit ei Jeſus :
Mulier quid ploras ? quem quæris ?
4. Illa exiſtimans quia hortulanus eſſet
dicit ei : Domine, ſi tu ſuſtuliſti,
dicito mihi ubi poſuiſti eum,
& eum ego tollam.
5. Dicit ei Jeſus : Maria !
converſa illa dicit ei : Rabboni,
quod dicitur Magiſter.
6. Dicit ei Jeſus : Noli me tangere,
nondum enim adſcendi ad Patrem meum.
7. Vade autem ad fratres meos,
& dic eis : Aſcendo ad Patrem meum,
ad Deum meum & Deum veſtrum.

CAP. CCXXII.

Cuſtodes ſepulchri à Pontificibus pecunia corrupti.

Matth. XXVIII, 11-15.

SEnu tho ſume fon then uuarton
quamun in thia burg,
inti ſagetun then heroſton thero Heitbaſtono
alliu, thiu thar gitan wurdun,
2. *Inti giſamanote mit then alton,*
girate intfanganemo,
ginuhtſaman mietſcaz gabun then kemfon, 51
quedente : Quaedet, bithiu uuanta
ſine jungiron quamun nahtes,
inti forſtalun inan,
uns ſlafenten.
3. *Inti oba thaz giborit uuirdit fon themo Graven,*
uuir ſpanen inan, inti unſuorgo 52 *tuomes juuih.*
4. *Sie tho, intfanganemo mietſcazze,*
tatun ſo ſie uuarun gilerte,
inti uuas tho gimarit thas uuort
mit then Judeon unzan biutlichan tag.

ECce quidam de cuſtodibus
venerunt in civitatem,
& nunciaverunt principibus Sacerdotum
omnia, quæ facta fuerant.
2. Et congregati cum ſenioribus,
conſilio accepto,
pecuniam copioſam dederunt militibus,
dicentes : Dicite, quia
diſcipuli ejus nocte venerunt,
& furati ſunt eum,
dormientibus nobis.
3. Et ſi hoc auditum fuerit à Præſide,
nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus.
4. At illi, accepta pecunia,
fecerunt ſicut erant edocti,
& divulgatum eſt verbum
apud Judæos usque in hodiernum diem.

CAP. CCXXIII.

Chriſtus apparet mulieribus : quod diſcipulis incredibile viſum.

Matth. XXVIII, 9. 10. Marc. XVI, 10. 11. Luc. XXIV, 10. 11.

QUam Maria Magdalene
inti ſageta then jungoron :
Bithiu uuanta ih giſah Trobtinan,
inti thiſu quad her mir.

VEnit Maria Magdalena
& dixit diſcipulis :
Quoniam vidi Dominum,
& hæc dixit mihi.

51) Schilt. *kempfon.*

52) Palth. Præf. *urſuorge.* Schilt. mavult legi *urrecht.*

Digitized by Google

2. *Inti ſenu ther Heilant gieng ingegin in-*
quaedenti : Heile uueſet !
Sie giengun tho zuo,
inti habetun ſine fuozi, inti betotun.
3. *Tho quad in ther Heilant :*
Ni curet ju forabtan,
faret inti ſaget minen bruoderon,
thas gangen in Galilæam,
thar giſehent ſie mih.
4. *Mit thiu ſie tho thana giengun,*
ſagetun thiſiu alliu
then einlivin uuofenten inti riozenten,
inti anderen allen, thie mit imo uuarun.
5. *Inti ſie tho giborente, thaz her lebeta,*
inti giſehen uuas ſon in,
ni giloubtun in,
inti giſehan uuarun ſora in
ſama ſo tobunga th ſiu uuort,
inti ni giloubtun in.

2. Et ecce Jeſus occurrit illis
dicens : Avete !
Illæ autem acceſſerunt,
& tenuerunt pedes ejus, & adorarunt eum.
3. Tunc ait illis Jeſus :
Nolite timere,
ite nunciate fratribus meis,
ut eant in Galilæam,
ibi me videbunt.
4. Quæ cum abiiſſent,
nunciaverunt hæc omnia
illis undecim lugentibus & flentibus,
& ceteris omnibus, qui cum eo fuerant.
5. Et illi audientes, quia viveret,
& viſus eſſet ab eis,
non crediderunt eis,
& viſa ſunt ante illos
ſicut deliramentum verba iſta,
& non credebant illis.

CAP. CCXXIV.

Apparet diſcipulis duobus Emmauntem abeuntibus.

Marc. XVI, 12. 13. Luc. XXIV, 13-35.

AFter thiu tho zuuein fon then
arougit uuas gangenten
in themo ſelben tage in burgilun,
thas uuas in ſtuke
ſtadiono zehenzug inti ſehzug fon Jeruſalem,
in namen Emaus.
2. *Inti ſie ſprahun untarzuisgen*
fon then allen, thiu thar giburitun,
inti uuard tho, mit thiu ſie ſprahun
inti mit in ſuohtun,
3. *Inti therſelbo Heilant nahlihonti*
gieng mit in, iro ougun uuarun bihabetiu,
thaz ſie inan ni forſtuontin.
4. *Inti quad her zi in : Was ſint thiſiu uuort,*
thiu thir 53 brenget untar zuisgen
gangente, inti birut gitruobit ?

POſthæc autem duobus ex eis
ambulantibus oſtenſus eſt
hac ipſa die in caſtellum,
quod erat in ſpatio
ſtadiorum centum & ſexaginta ab Hieroſoly-
nomine Emaus. (mis,
2. Et ipſi loquebantur ad invicem
de his omnibus, qui acciderant,
& factum eſt, dum fabularentur
& ſecum quærerent,
3. & ipſe Jeſus appropinquans
ibat cum illis, oculi autem eorum tenebantut,
ne eum agnoſcerent.
4. Et ait ad illos : Qui ſunt hi ſermones,
quos confertis ad invicem
ambulantes, & eſtis triſtes ?

CAP. CCXXV.

Sermo lugubris Cleophæ.

INti untlingenti tho einer, themo namo uuas Cleophas,
*quad imo : Biſtu eino * elilenti*
in Hieruſalem, inti ni forſtuonti
thiu thar gitan uuarun in theſen tagen.
Then quad her : Wolichio ?
2. *Inti quadun : Fon themo Heilante Nazarenisgen,*
thie thar uuas gomman uuizzago
mahtig in uuerke inti in uuorte
fora Gote, inti fora allemo folke,
inti uuio inan ſaltun
thie hohiſtun Bisgofa inti unſere beroſton
in nidarneſſi todes,
inti arbiengun inan.
3. *Wir uuantumes,*
thaz her uuari arloſenti Iſrael,
inti nu ubar theſin allin
thritto tag iſt hiutu, thaz thiſu gitan ſint.

ET reſpondens unus, cui nomen Cleophas,
dixit ei : Tu ſolus peregrinus
in Jeruſalem, & non cognoviſti
ea, quæ facta ſunt in illis diebus.
Quibus ille dixit : Quæ ?
2. Et dixerunt : De Jeſu Nazareno,
qui fuit vir propheta
potens in opere & ſermone
coram Deo, & omni populo,
& quod eum tradiderunt
ſummi Sacerdotes & principes noſtri
in damnationem mortis,
& crucifixerunt eum.
3. Nos autem ſperabamus,
quia ipſe eſſet redemturus Iſrael,
& nunc ſuper hæc omnia
tertia dies eſt hodie, quod hæc facta ſunt.

53) Palth. not. legendum *ir*.

* Quidam legit *einer*. Schilterus indifferenter poni ait.

CAP.

Digitized by Google

CAP. CCXXVI.

Continuatio pavidi ſtuporis.

OH ſumiu uuib fon unſeron
bruogitan unſih, thie thar ér themo liobte
uuarun zi themo grabe.
2. Inti ni fundanemo ſinemo lichamon
quamun quaedente, ſie giuuiſſo
giſiht engilo giſehan,
thie quaedent inan leben.
3. Inti giengun ſume fon uns
zi themo grabe, inti ſo fundun,
ſo thiu uuib quadun,
inan giuuiſſo ni fundun.

SEd & mulieres quædam ex noſtris
terruerunt nos: quæ ante lucem
fuerunt ad monumentum.
2. Et non invento corpore ejus
venerunt dicentes, ſe etiam
angelorum viſionem vidiſſe,
qui dicunt eum vivere.
3. Et abierunt quidam ex noſtris
ad monumentum, & ita invenerunt,
ſicut mulieres dixerunt,
ipſum vero non invenerunt.

CAP. CCXXVII.

Chriſtus redarguit & meliora docet.

INti her quad zi in:
Wola tumbe inti lazze in herzen
zi giloubanne in allen then
thiu thar ſprachun thie uuizagon!
2. Eno ni githarf thiſiu Chriſt truuen
inti ingangan in ſina thiurida?
3. Inti bigonda fon Moyſe
inti fon allen then uuizogon, arrekita
in alle giſcribon, thiu thar fon imo uuarun.

ET ipſe dixit ad eos:
O ſtulti & tardi corde
ad credendum in omnibus
quæ locuti ſunt Prophetæ!
2. Nonne ergo hæc oportuit Chriſtum pati
& ita intrare in gloriam ſuam?
3. Et incipiens à Moyſe
& omnibus Prophetis interpretabatur
illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant.

CAP. CCXXVIII.

Agnoſcitur in fractione panis.

INti nahlibotun tho thera burgilun
thara ſie fuorun, inti her lichizeta ſih
rumor faran.
2. Inti beittun inan ſus quedente:
Wone mit uns,
uuanta iz abandet,
inti intheldit iſt ju ther tag.
Inti ingieng mit in.
3. Inti uuard tho, mit thiu her ſaz mit in,
intfieng thas brot, inti giuuihita,
inti brah, inti gab in.
4. Inti gioffanot uuurdun iro ougon,
inti forſtuontun inan,
inti her abfuor fon iro ougon.

ET appropinquaverunt caſtello
quo ibant, & ipſe finxit
longius ire.
2. Et coëgerunt illum dicentes:
Mane nobiscum,
quoniam adveſperaſcit,
& inclinata eſt jam dies.
Et intravit cum illis.
3. Et factum eſt, dum recumberet cum illis,
accepit panem, & benedixit,
& fregit, & porrigebat illis.
4. Et aperti ſunt oculi eorum,
& cognoverunt illum,
& ipſe evanuit ex oculis eorum.

CAP. CCXXIX.

Emmauntinorum gaudia & reditus in urbem.

INti quadun untar zuuisgen:
Eno unſer herta ni uuas iz brimenti in uns,
mit thiu her ſprah in uuege,
inti offanota uns thiu giſcrip?
2. Inti arſtantente in theruſelbun ziti
uuidargiengun zi Hieruſalem,
inti fundun giſamanote thie einliui,
inti thie, thie thar mit in uuarun,
ſus quedente:

ET dixerunt ad invicem:
Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis,
dum loqueretur in via,
& aperiret nobis ſcripturas?
2. Et ſurgentes eadem hora
regreſſi ſunt in Jeruſalem,
& invenerunt congregatos undecim,
& eos, qui cum ipſis erant,
dicentes:

Digitized by Google

Thaz Trohtin arſtuont uuarlibo,
inti arougita ſih Simoni.
3. *Inti ſie ſagetun thiu thar gitan uuarun*
in uuege, inti uuio ſe inan forſtuontun
in brehchanne [54] *thes brotes,*
noh in ni giloubtun.

quod ſurrexit Dominus vere,
& apparuit Simoni.
3. Et ipſi narrabant quæ geſta erant
in via, & quomodo cognoverunt eum
in fractione panis,
nec illis crediderunt.

CAP. CCXXX.

Chriſtus apparet diſcipulis abſente Thoma januis clauſis.

Luc. XXIV, 36-40. Joh. XX, 19. 20.

MIt thiu ſie thiſiu ſprachun,
mit thiu iz ſpato uuas theſſelben tages
eines ſambaztages, inti thuri uuarun bislozzan,
thar tha uuarun thie jungiron thurih Judeno forahta.
2. *Quam ther Heilant, inti ſtuont in mittinen*
ſinero jungiron, inti quad in:
Sibba ſi ju, ih bin, ni curet ju forahtan.
3. *Gitruobte inti arbruogite*
uuantun ſih geiſt giſehan.
4. *Tho quad her in: Waz birut ir gitruobte,*
inti githanka arſtigent in juuuerin herzun?
5. *Giſehet mino henti inti fuozi,*
thaz ih ſelbo bin, greifet inti giſehet,
bithiu uuanta geiſt fleisg inti gibein ni habet,
ſo ir mih giſehet haben.
6. *Inti mit thiu her thas quad, arougta in*
henti, fuozi, inti ſita.

DUm autem hæc loquuntur,
cum eſſet ſero die illa
una ſabbathorum, & fores eſſent clauſæ,
ubi erant diſcipuli congregati propter metum Judæorum.
2. Venit Jeſus, & ſtetit in medio
diſcipulorum ſuorum, & dixit eis:
Pax vobis, ego ſum, nolite timere.
3. Conturbati vero & perterriti
exiſtimabant ſe ſpiritum videre.
4. Et dixit eis: Quid turbati eſtis,
& cogitationes aſcendunt in corda veſtra?
5. Videte manus meas & pedes,
quia ipſe ego ſum, palpate & videte,
quia ſpiritus carnem & oſſa non habet,
ſicut me videtis habere.
6. Et cum hæc dixiſſet, oſtendit iis
manus, & pedes, & latus.

CAP. CCXXXI.

Cibum ſumit, illosque confirmat.

Luc. XXIV, 41-44.

IN noh tho ni giloubenten
inti uuontronten furi giuehen,
quad: Habet ir hier uuaz thaz man ezzan mogi?
2. *Si tho brahtun imo furi*
deil giroſtites fisges inti uuaba honuges.
Inti mit thiu her tho az fora in,
nam tho thia leibba [55] *inti gab in.*
3. *Inti quad zi in: This ſint thiu uuort,*
thiu ih ſprah zi ju,
mit thiu ih noh thanne uuas mit ju,
bithiu uuanta notthurft uuas zi gifullane alliu,
thiu thar giſcriban ſint in euuu Moyſeſes,
inti uuizagon, inti in ſelmin, fon mir.

ADhuc illis non credentibus
& mirantibus præ gaudio,
dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur?
2. At illi obtulerunt ei
partem piſcis aſſi & favum mellis.
Et cum manducaſſet coram eis,
ſumens reliquias dedit illis.
3. Et dixit ad eos: Hæc ſunt verba,
quæ locutus ſum ad vos,
cum adhuc eſſem vobiscum,
quoniam neceſſe eſt impleri omnia,
quæ ſcripta ſunt in lege Moyſis,
& prophetis, & pſalmis, de me.

CAP. CCXXXII.

Script. S. de ſe agentem plenius aperit. *Spirit. Sanct. donat.*

Luc. XXIV, 45. Joh. XX, 21-23.

THo gioffanota her in ſens,
thaz ſie forſtuontin giſcrib.

TUnc aperuit illis ſenſum,
ut intelligerent ſcripturas.

2. *Inti*

54) Schilt. *brechchanne.*

55) Palth. Præf. Junius legendum putat *aleibba.*

Digitized by Google

2. *Inti quad in : Bithiu ſo giſcriban iſt,*
inti ſo githarf [56] *Criſt troen,*
inti arſtantan fon tode thritten tages,
inti predigon in ſinemo namon riuuua
inti forlazneſſi ſuntono in alla thiota,
biginnenten fon Hieroſolyma.
3. *Ir birut urcundon therero*
inti ih ſentu gibeizi mines Fater in juwih.
4. *Givahun tho uuarliho thie jungoron*
giſehenemo Trohtine.
5. *Tho quad her in abur : Sibba ſi ju,*
ſo mih ſanta ther Fater ſo ſentu ih juuuih.
6. *Thas mit thiu her quad,*
tho anablies inti quad in :
Intfahet then heilagon Geiſt,
then ir forlazzet ſunta,
then uuordent ſie forlazzeno,
inti then ir ſio bihabet , bihabeto ſint.

2. Et dixit eis : Quoniam ſic ſcriptum eſt,
& ſic oportebat Chriſtum pati,
& reſurgere die tertia à mortuis,
& prædicare in nomine ejus pœnitentiam
& remiſſionem peccatorum in omnes gentes,
incipientibus ab Hieroſolyma.
3. Vos autem eſtis teſtes horum,
& ego promitto promiſſum Patris mei in vos.
4. Gaviſi ſunt ergo diſcipuli
viſo Domino.
5. Dixit ergo eis iterum : Pax vobis,
ſicut miſit me pater & ego mitto vos.
6. Hoc cum dixiſſet,
inſufflavit & dicit eis :
Accipite Spiritum ſanctum,
quorum remiſeritis peccata,
remittuntur eis,
& quorum retinueritis, retenta ſunt.

CAP. CCXXXIII.

Apparet diſcipulis præſente Thoma.

Joh. XX, 24-29.

Thomas eino [57] *fon then zuuueliuin,* [58]
thie thar iſt giquaetan Didimus,
ni uuas mit in,
thanne ther Heilant quam.
2. *Tho quadun imo andere jungoron :*
Wir giſahumes Trohtinan.
3. *Her tho quad in :*
Nibi ih giſehe in ſinen hanton
thas bilidi thero nagalo,
inti ſente minan fingar in ſtat thero nagalo,
inti ſente mina hant in ſina ſita,
ni giloubo.
4. *Inti after abto tagon*
abur uuarun ſine jungoron inne,
inti Thomas mit in.
5. *Quam ther Heilant bislozzanan turon,*
inti ſtuont in mittumen, inti quad : Sibba ſi ju!
6. *After thanan quad* [59] *Thomaſe :*
Bring thinan fingar heru,
inti giſih mino henti,
inti ſenti in mina ſita,
inti ni curi uueſan ungiloubfol ob gitruwer. [60]
7. *Tho antuuahrtota Thomas inti quad imo :*
Min Trohtin inti min Got !
8. *Tho quad imo ther Heilant :*
Bithiu uuanta thu mih giſahi, giloubtos, [61]
ſalige ſint, thie ni giſahun inti giloubton.

THomas unus ex duodecim,
qui dicitur Didymus,
non erat cum eis,
quando Jeſus venit.
2. Dixerunt ergo ei alii diſcipuli :
Vidimus Dominum.
3. Ille autem dixit eis :
Niſi videro in manibus ejus
figuram clavorum,
& mittam digitum meum in locum clavorum,
& mittam manum meam in latus ejus,
non credam.
4. Et poſt die octavo
iterum erant diſcipuli ejus intus,
& Thomas cum eis.
5. Venit Jeſus januis clauſis,
& ſtetit in medio, & dixit : Pax vobis !
6. Deinde dicit Thomæ :
Infer digitum tuum huc,
& vide manus meas,
& mitte in latus meum,
& noli eſſe incredulus ſed fidelis.
7. Reſpondit Thomas & dixit ei :
Dominus meus & Deus meus !
8. Dixit ei Jeſus :
quia vidiſti me, credidiſti,
beati qui non viderunt & crediderunt.

CAP. CCXXXIV.

Signa Jeſu quo fine ſcripta.

Joh. XX, 30. 31.

Manigiu giuueſſo inti anderiu zeichan
teta ther Heilant in thio giſiuni
ſinero jungerono,
thiu ni ſint giſcriban in theſemo buoche.
2. *Thiſiu ſint giſcribaniu, thaz ir giloubet,*
thaz ther Heilant iſt Criſt Gotes ſun,
inti thaz ir giloubente lib habet
in ſinemo naman.

MUlta quidem & alia ſigna
fecit Jeſus in conſpectu
diſcipulorum ſuorum,
quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.
2. Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis,
quia Jeſus Chriſtus eſt filius Dei,
& ut credentes vitam habeant
in nomine ejus.

56) Palth. Præf. *gilouf*, quod forte eſt à *gilimpban.*
57) Palth. Præf. *einer.*
58) Schilt. *zuuclivin.*
59) Palth. Præf. pro *after thanan quad, after quad.*
60) Schilt. *gitruuua.*
61) Schilt. *giloubtas.*

Digitized by Google

CAP. CCXXXV.

Petrus cum ſociis piſcatum provehitur.

Joh. XXI, 1 - 3.

After thiu giougozorbta ſih ther Heilant abur zi themo ſeuue, ther Tiberiadis hiez, giougozorbta ſih ſo.

2. Waran ſaman Simon Petrus, inti Thomas, ther thar iſt giquetan Didymus, inti Nathanael, ther uuas fon Chanan Galileæ, inti ſumi Zebedeuſes, inti andere fon ſine jungoro zuuene.

3. Tho quad in Simon Petrus: Ih faru fisgon. Tho quadun ſie imo: Quaememes uuir mit thir. Inti uzgiengun tho, inti arſtigon in shef, inti in thera nabt niouuiht ni gifiengun.

POſtea manifeſtavit ſe iterum Jeſus ad mare Tiberiadis, manifeſtavit autem ſic.

2. Erat ſimul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filii Zebedei, & alii ex diſcipulis ejus duo.

3. Dicit eis Simon Petrus: Vado piſcari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt & aſcenderunt in navem, & illa nocte nihil prendiderunt.

CAP. CCXXXVI.

Chriſtus apparet benedictione miraculoſa.

Joh. XXI, 4 - 8.

Morgane ju tha giuuortanemo ſtuont ther Heilant in ſtathin, nalles thoh uuidaro forſtuontun thie jungoron, thaz iz ther Heilant uuas.

2. Tho quad in ther Heilant: Knehta, eno habet ir uuas muoſes? Sie tho antalengitun imo: Nein.

3. Tho quad her in: Sentit in zeſo thes skefes [62] nezi, inti ir findet.

4. Santun uuarlicho, inti ju ni mohtun thaz ziohan fora thera menigi fisgo.

5. Quad uuarlicho ther jungoro, then ther Heilant minnota, Petruſes: Trohtin iſt iz.

6. Simon Petrus mit thiu her giborta, thaz iz Trohtin uuas, mit thunichan gigorta ſih, (uuas uuarlicho nachet) inti ſanta ſih in ther ſeo.

7. Thie andere jungoron mit ferennu quamun, ni uuarun ſie ferro fon erdu, oh ſo zuuei hunt elinono uuas, thinſente thaz nezzi fisgo.

MAne autem jam facto ſtetit Jeſus in littore, non tamen cognoverunt diſcipuli, quia Jeſus eſt.

2. Dicit ergo eis Jeſus: Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Reſponderunt ergo ei: Non.

3. Dixit ergo eis Jeſus: Mittite in dextram navigii rete, & invenietis.

4. Miſerunt ergo & jam non valuerunt illud trahere à multitudine piſcium.

5. Dicit ergo diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus, Petro: Dominus eſt.

6. Simon Petrus cum audiſſet, quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe, (erat enim nudus) & miſit ſe in mare.

7. Alii autem diſcipuli navigio venerunt, non enim longe erant à terra, ſed quaſi cubitis ducentis, trahentes rete piſcium.

CAP. CCXXXVII.

Prandet cum illis & agnoſcitur.

Joh. XXI, 9-14.

So ſie tho arſtigun in erda, giſahun zantron ligente, inti fiſg obaligentan, inti brot.

2. Tho quad in ther Heilant: Bringet fon then thie ir nu gifiengut. (fisgon,

3. Erſteig tho Simon Petrus, inti zog thaz nezzi in erda, fol mihilero fisgo zihenzug inti finfzug inti thriu. Inti mit thiu ſie mihile uuarun, niſt gislizzan thaz nezzi.

UT ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuppoſitum, & panem.

2. Dicit eis Jeſus: Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc.

3. Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti eſſent, non ſciſſum eſt rete.

4. Tho

62) Schilt. *shefes.*

Digitized by Google

4. *Tho quad in ther Heilant :*
Quaemet, inti ezzet.
Inti nioman ni gidorſta [63] *thero ſizzentero*
fragan inan : Wer biſtu ?
ueſtun thaz iz Trobtin uuas.
5. *Inti quam ther Heilant, inti intfieng brot,*
inti gab in, inti ſama then fiſg.
6. *In thiu ju thrittun ſtuont*
giougozorbtot uuas ther Heilant then jungoron,
mit thiu her erſtuont fon tod.

4. Dicit eis Jeſus :
Venite, prandete.
Et nemo audebat diſcumbentium
interrogare eum : Quis tu es ?
ſcientes quia Dominus eſt.
5. Et venit Jeſus, & accepit panem,
& dabat eis, & piſcem ſimiliter.
6. Hoc jam tertio
manifeſtatus eſt Jeſus diſcipulis ſuis,
cum reſurrexiſſet à mortuis.

CAP. CCXXXVIII.

Petri amorem Chriſtus ter tentat, ter denuo illum vocat.

Joh. XXI, 15-19.

Mit thiu ſie tho azzun,
quad Simone Petre ther Heilant :
Simon Johannis minnoſtu mih
mér theſen ? Quad imo : Ziſperiu, Trobtin,
thu ueiſt thaz ih thih minnoti.
Quad ir imo : Fuotri minniu lembir.
2. *Tho quad her imo thrittun ſtunt :*
Simon Johanneſe minnoſtu mih ?
Gitruobit uuas tho Petrus,
uuanta her imo quad thrittun ſtunte :
Minnoſtu mih ? Inti quad imo : Trohtin,
thu ueiſt alle, thu ueiſt thaz ih thih minnon.
Tho quad her imo : Fuotri miniu lembir.
3. *War, uuar, quidu ih thir,*
mit thiu thu jungiro uuari bigurtos thih,
inti giengi thara thu uuoltas,
mit thiu thu altes,
thenis thino henti,
inti andre thih gurtit,
inti leittit thih thara thu ni uuilis.
4. *Thas quad her gizeibnonti,*
in uuelihemo tode her giberohtonti uuas Got.

Cum ergo prandiſſent,
dicit Simoni Petro Jeſus :
Simon Johannis diligis me
plus his ? Dicit ei : Etiam, Domine,
tu ſcis quia amo te.
Dicit ei : paſce agnos meos.
2. Dicit ei tertio :
Simon Johannis amas me ?
Contriſtatus eſt Petrus,
quia dixit ei tertio :
Amas me ? & dicit ei : Domine,
tu omnia ſcis, tu ſcis quia amo te.
Dicit ei : Paſce oves meas.
3. Amen, amen, dico tibi,
cum eſſes junior, cingebas te,
& ambulabas ubi volebas,
cum autem ſenueris,
extendes manus tuas,
& alius te cinget,
& ducet quo tu non vis.
4. Hoc autem dixit ſignificans,
qua morte clarificaturus eſſet Deum.

CAP. CCXXXIX.

Petri quæſtio de Joanne intempeſtiva.

Joh. XXI, 20-24.

Thas mit thiu her quad,
quad imo : Folge mir.
2. *Giuuentit Petrus giſah then*
jungeron, [64] *then ther Heilant minnotenti uuas,*
folgentun, ther thar lineta
in themo abantmuoſe obar ſina burſt,
inti quad : Trobtin uuer iſt,
ther thih ſelit ?
3. *Then mitthiu inan giſah Petrus,*
quad themo Heilante : Trobtin,
uuaz ſal theſer ? Quad imo ther Heilant :
So uuol ih inan uuonen unz ih quimu,
uuas thih thes ? thu mir folge.
4. *Uzgieng thas uuort untar thie bruodor,*
thaz ther jungero ni ſturbi.
Inti ni quad imo ther Heilant :
Her ni ſturbi,
oh : Nibi uuillu thaz her uuone
unz ih quimu, uuas thih thes ?
5. *Ther iſt ther jungoro,*
ther thar giuuizſcaf ſaget fon then,
inti ther thiſiu ſcreib,
inti uueizumes thaz uuar iſt
ſin giuuizſcaf.

Et cum hoc dixiſſet,
dicit ei : Sequere me.
2. Converſus Petrus vidit illum
diſcipulum, quem diligebat Jeſus,
ſequentem, qui & recubuit
in cœna ſuper pectus ejus,
& dixit : Domine quis eſt,
qui tradet te ?
3. Hunc ergo cum vidiſſet Petrus,
dixit Jeſu : Domine,
hic autem quid ? Dicit ei Jeſus :
Si eum volo manere donec veniam,
quid ad te ? tu me ſequere.
4. Exiit ergo ſermo iſte inter fratres,
quia diſcipulus ille non moritur.
Et non dixit ei Jeſus :
Non moritur,
ſed : Si eum volo manere
donec veniam, quid ad te ?
5. Hic eſt diſcipulus,
qui teſtimonium perhibuit de his,
& ſcripſit hæc,
& ſcimus quia verum eſt
teſtimonium ejus.

CAP. CCXL.

Concluſio Evang. Johannei.

C. XXI, 25.

Sint andriu managiu,
thie ther Heilant teta,
oba thiu alliu giſcribaniu uuurdin ſuntringon,
2. *nob thaſſelba ni uuan ih theſan mittilgarte bifahan*
magan, thio zi ſcribanne ſint buob.

Sunt autem & alia multa,
quæ fecit Jeſus,
quæ ſi ſcribentur per ſingula,
2. nec ipſum arbitror mundum capere
poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.

63) Palth. in not. leg. videtur *gidorſta*, quod in præſenti habet *githarf* v. c. 127. §. 2. & 132. §. 2. hodie *darf, dorfte*. Eſt tamen & in Rhythm. S. Annon. §. 9. *gidorſtin*. conf. Opitius in not. ad §. 22.
64) Schilt. *jungoron*.

Digitized by Google

CAP. CCXLI.

Apparitio Chriſti in Galilæa.

Matth. XXVIII, 16. 17. Marc. XVI, 14.

Einlif jungoron giengun
in Galilæam in then berg,
thar in ther Heilant gimarcota,
inti ſehente inan betotun inan,
ſume giuueſſe zuuchotun.
2. *Inti ituuizota iro ungilouffulli*
inti thia hertida thes herzen,
uuanta then, thie in giſahun
erſtantan, ni giloubtun.

Undecim diſcipuli abierunt
in Galilæam, in montem,
ubi conſtituerat illis Jeſus,
& videntes eum adoraverunt,
quidam autem dubitaverunt.
2. Et exprobravit incredulitatem illorum
& duritiam cordis,
quia his, qui viderant
eum reſurrexiſſe, non crediderunt.

CAP. CCXLII.

Apoſtolorum ad munus ſacrum immiſſio.

Matth. XXVIII, 18-fin. Marc. XVI, 15. 16.

Inti ſprah in zuo quedenti: [65]
Gigeban iſt mir al giuualt
in himile inti in erdu.
2. *Get in alle ueralt,*
predigot Evangelium allera giſcefti,
inti leret alle thiota, toufente ſie
in namen Fater inti Sunes
inti thes heilagen Geiſtes,
leret ſie zi bihaltanne alliu,
ſo uuelichiu ſo ih ju gibot.
3. *Inti ſenu ih bin mit ju*
allen tagen, unzan enti ueralti.
4. *Ther the giloubit inti gitouſit uuirdit,*
ther uuirdit heil, ther thar abur
ni giloubit, ther uuirdit forniderit.

Et locutus eſt eis dicens:
Data eſt mihi omnis poteſtas
in cœlo & in terra.
2. Euntes in mundum univerſum
prædicate Evangelium omni creaturæ,
docete omnes gentes, baptizantes eos
in nomine Patris & Filii
& Spiritus Sancti,
docentes eos ſervare ōmnia,
quæcunque mandavi vobis.
3. Et ecce ego vobiscum ſum
omnibus diebus, usque ad conſummationem ſeculi.
4. Qui crediderit & baptizatus fuerit,
ſalvus erit, qui vero
non crediderit, condemnabitur.

CAP. CCXLIII.

Signorum ſecuturorum promiſſio.

Marc. XVI, 17. 18.

Zeichan theri, [66] *thie giloubent,*
thiſiu folgent.
2. *In minemo namen diuuala uuerſent,*
niūwen zungen ſprehhent,
natrun nement,
3. *inti oba ſie todlihes uuaz drinkent,*
ni terit iz in.
4. *Obar ſubtige legent ſie henti,*
inti ſie habent uuola.

Signa autem eos, qui crediderunt,
hæc ſequuntur.
2. In nomine meo dæmonia ejicient,
novis linguis loquentur,
ſerpentes tollent,
3. & ſi mortiferum quid biberint,
non eis nocebit.
4. Super ægros manus imponent,
& bene habebunt.

CAP. CCXLIV.

Ultima Valedictio, in cœlum Aſcenſio, diſcipulorum in urbem Hier. regreſſus.

Marc. XVI, 19. 20. Luc. XXIV, 50-53.

Ir ſizzet in thera burgi,
unz ir ſit giuuatite mit megine fon hohi.
Tho leitta her ſie uz
in Bethaniam,
inti uferhabenen ſinen hentin
uuihita in.
Inti uuas tho giuuorthen,
mit thiu her in uuihita,
er uuas fon in,
inti uuas brat [67] *in him - - -*
inti ſaz in zeſo Gotes.
Inti ſie tho betonte
uuidargiengun in Hieruſalem
mit michilomo giuehen,
inti uuarun ſimbolon
in themo temple, lobente
inti uuihente Got.
Inti farenti predigotun jo giuuar,
Trohtine ebanuuirkontemo,
inti uuort feſtinontemo
folgenten zeichanon.

Vos autem ſedete in civitate,
quoad usque induamini virtute ex alto.
Eduxit autem eos foras
in Bethaniam,
& elevatis manibus ſuis
benedixit eis.
Et factum eſt,
dum benediceret illis,
receſſit ab eis,
& ferebatur in cœlum,
& ſedet à dextris Dei.
Et ipſi adorantes
regreſſi ſunt in Jeruſalem
cum gaudio magno,
& erant ſemper
in templo, laudantes
& benedicentes Deum.
Et profecti prædicaverunt ubique,
Domino cooperante,
& ſermonem confirmante
ſequentibus ſignis.

65) Schilt. *quædenti.*
66) Schilt. *then.*
67) Palth. in not. lege aut intellige *brabt.*

FRAGMEN-

Digitized by Google

FRAGMENTUM

ANTIQUÆ LINGUÆ THEOTISCÆ,

Quo continetur

Colloquium Chriſti cum Samaritana,

ex S. Johannis Evangelio cap. 4.

quod optima fide & diligentia produxit, & publici juris fecit

Ill. PETRUS LAMBECIUS,

Commentar. de Biblioth. Cæſar. Vindobon. l. 2. c. 5. p. 383. ex MSCto, propter ſcripturæ & linguæ vetuſtatem nec ſatis legibili nec intelligibili, ut idem ibidem teſtatur, cujus lacunæ aliquot quomodo ex probabili conjectura, & ad mentem Authoris, ſuppleri poſſint, appoſito ad marginem aſteriſco mutataque literarum forma, in gratiam Philo-teutonum annotatur.

Cum Interpretatione hujus fragmenti de verbo ad verbum, tam apographum Lambecianum, quam ſupplementa Latine reddente.

Digitized by Google

* * *

LEſan uuir thaz fuori
Ther Heilant fartmuodi,
Ze untarneuuizzun thaz
Er zeinen brunnen kiſaz.
Quam fone Samario
Ein quena ſario,
Scephan thaz vuazzer.
Thannanoh ſo ſaz er,
Vurbon ſina thegana,
Beſina lipleita,
Bat er ſih ketrincan
Daz uip, thaz ther thara quam.
Biuuaz keroſt thu, guotman,
Daz ih thir geba trinkan?
Ja ne nezant, vuizze Xriſt,
Thie Iudon unſera waſt.
Vuip, obe thu vuiſſis,
Vuielih gotes gift iſt
Vnte den erkantis,
Mit themo do koſotis,
Tu batis der unnen
Sines kecprunnen.
Diſiu buzza iſt ſo tiuf,
Zedero ih heimina liuf,
Noh tu ne habis kiſcirres
Daz thu des kiſcephes.
Vuar maht thu, guotman,
Neman quecprunnan?
Ne biſtu liuten, kelop,
Mér than Jacob,
*Ther gab *uns then ſelban*,
* *Er* brunnan tranc eran,
*Joh ſina man, ſiniu ſmale, *&r*
* *Truncon fon themo* wazzer.
Ther trinkit thiz wazzer
* Der *durſtet jamer mer*,
Der afar trinchit daz min
* Then lazit *iz undurſtac ſin*,
**Trenckit* Got imon pruſton
In euuon mit luſton.
Herro, ih thicho ze dir,
Das wazzer gabiſt du mir,
Daz ih mer ubar tac
Ne liufi hera durſtac.
Vuib, tu dih anne vaert,
Hole herra dinen Virt.
Siu quat, ſus libiti.
Commen ne hebiti.
Veiz ih daz du war ſegiſt,
Daz du commen ne hebiſt,
Du hebitos her finfe
Dir zi volliſte,
Dæz mattu ſichure ſin
Nu hebiſt ein der ni is din.
Herro, in thir uuigit ſcin,
* Daz thu maht *Vuizſago ſin.*
Forunſer giborana
Betoton hiar in berega,
Unſer altmaga
Suchton hia genada,
Tho hir ſagant kicorana
Thia bita in Hieroſolem.

* * *

LEgimus quod proficiſceretur
Salvator itinere feſſus,
Ad demonſtrandum hoc
Ille ad fontem conſidebat.
Veniebat ex Samaria
Mulier confeſtim,
Haurire aquam.
Cum adhuc ſederet ille,
Ibant ejus miniſtri
Emere alimenta,
Rogabat ille ſibi potum
Mulierem, quæ tum eò veniebat.
Cur cupis, tu optime vir,
Ut ego tibi dem bibere?
Omnino non fruuntur, ſcias Chriſte,
Judæi noſtris cibis.
Mulier, ſi tu ſcires,
Quod donum Dei eſt,
Et eum cognoſceres
Cum quo locuta,
Tu rogares aquas
Sui vivi fontis.
Hic puteus eſt tam profundus,
Ad quem ego domo currebam,
Tum etiam non habes vas
Ut inde haurias.
Ubi poſſis tu, optime vir,
Sumere vivum fontem?
Non es tu hominibus, crede,
Potior quam Jacob,
Ille *dabat nobis eundem*,
Is fontem bibebat prius,
Ac etiam ejus viri, ejus pecora, *antea*
Bibebant de hac aqua.
Qui bibit hanc aquam
Ille *ſitit ſemper magis*,
Qui autem bibit meam,
Eum ſinit *illa non-ſitientem eſſe*,
Potum præbet ipſi Deus in pectus
Semper cum voluptate.
Domine, ego oro ad te,
Illam aquam des tu mihi,
Ut ego amplius quotidie
Non curram huc ſitiens.
Mulier, da te in viam,
Accerſe huc tuum maritum.
Illa dicebat, ita viveret.
Virum non habebat.
Scio quod verum dicas,
Quod tu virum non habeas,
Tu habuiſti jam quinque
Tibi in adjutorium,
Hujus poteris eſſe certa,
Jam habes unum, qui non eſt tuus.
Domine, in te dimicat ſplendor,
Quod tu poſſis *Propheta eſſe*,
Noſtri majores
Orabant hic in monte,
Noſtri antiqui cognati
Petebant hic gratiam,
Cum vos dicatis
Has preces comprobatas in Hieruſalem.

PER-

Digitized by Google

PERBREVES NOTÆ
in
Præmiſſum Fragmentum.

Hiſtoriam hanc & colloquium Chriſti cum Samaritana habet etiam Otfridus L. II. c. 14.

v. 1. ***Leſan*** legere & colligere, Goth. *laisjan* docere, unde dicitur Doctor legens id eſt docens. Sv. *Läſa* eſt legere & orare. *Fuori* proficiſcebatur, ibat, à verbo *Faran*, ire, ambulare uſurpaturque variis modis, cujus actioni tamen ſemper ſignificatio motus ineſt, hinc *verfahren*. Otfridus edit. Flac. (nam meliorem à magno Schiltero, quo peritiorem in linguis antiquis Francica vel Theotiſca Germania non habet, exſpectamus) pag. 218. *fuar ingegin imo ſar*, proficiſcebatur ipſi obviam cito. Willeram. p. 33. *Hiz neuerit nu ſo niet* [*es gebet nun ſo nicht*] & pag. 28. *Min wine verid al in ſprungen* (*mein Freund kömpt in vollen ſprüngen*) hinc *Vart* vſ. 45. via. Otfrid. Pſ. I. *Dero argen vart wirt farloran.* Item: *Si zevarent alſo das ſtuppe* [*ſie vergehen als ſtaub*] Rhythm. de S. Annon. §. III. *Die ſterrin bihaltent ire vart.* Metalli foſſores hoc verbum *fahren* ſuæ artis fere proprium fecerunt, unde dicunt: *in die ſchacht fahren*, *in die grube fahren. Fahrt*, ſcala, gradus, nam dicere *leiter* ipſis religio eſt & contra regulam artis. Huc pertinet etiam compoſitum *Fartmuodi*, *müde von der reiſe.*

v. 2. ***Heilant***, ſervator, eſt participium à verbo *heilen*, ab *heel* integer, totus, ſalvus.

v. 3. ***Zeuntarneuuizzun***, *zu zeigen*, *zu unterweiſen.* Potius ſcribendum puto *ze untaruuizzunne* in particip. gerundivo, quod Teutonibus & Anglo-Sax. frequens eſt ejusmodi formatio participiorum.

v. 4. ***Zeinen*** Pro *ze einen. Kiſaz*, *ge gi ga ka* antiquitus verbis crebro præponebantur, hodie *ge* verbis præpoſitum nota eſt verbi præt.

v. 5. ***Quam***, veniebat. Gl. Ker. *Qhueman* venire, *ubarqhuimit* ſupervenerit, *Picheme* perveniet. Ne varia orthographia & diverſa ſcriptura lectorem turbet, hic oportune monendus eſt, in vetuſtioribus ſcriptis magnam eſſe inconſtantiam orthographiæ; Sed & nec hodie noſtram ſcribendi rationem ſibi ſatis conſtare, uſum ſolum pro lege eſſe.

v. 6. ***Quena*** mulier. Vid. Jun. not. ad Willeram. p. 262. ubi Junius plura quæ huc pertinent, deduxit, nobis inde reſtat vox *quäne*, juvenca nondum vacca. *Sario*, *ſar*, *ſareo* in Gl. Keron. mox, extemplo, illico.

v. 7. ***Scephan*** haurire, *ſchöpffen* vſ. 26. *kiſcephes*, *ſchöpffeteſt.*

v. 9. ***Vurbon.*** *Warban* Gl. Ker. *Hwarban* redire, ire, negotiari, agere, acquirere. Originem hujus & plurium vocum oſtendit Stiernh. in Gloſſ. ſuo Ulphila-Gothico in *Hairto* qui hic omnino conſulendus. In ſermonibus Tauleri edit. 1521. fol. 1. a. *ein gewirbigs Bijnle*, negotioſa apicula. *Thegana*, *Thegan*, miniſter, ſed honoratioris conditionis, hinc *Theganus*, *Thanus*, *Thegn*, idem. Vid. Verel. Ind. p. 262. Goldaſt. *in Reichshandlungen* p. 286. *der auserwehlt Degen* pro valde nobili.

v. 10. ***Beſina.*** Si hæc lectio vera eſt, quod vix credo, ingenue fateor, me iſtud verbi nunquam alibi legiſſe. Textus Anglo-Saxonicus hoc in loco ita habet: *wolder him mete bycgen*, volebant ſibi emere cibum. Vocem enim *beſigen* id eſt occupatum eſſe, huc referendam non ſtatuo. *Bycgan*, *gebucyan*, A. S. eſt emere. Goth. *bugjan*, idem. *Lipleita* cibus, alimentum, à *lip* & *leiton*, ex quo vita agitur. Gl. Florent. *Lipneri*, ſtipendium, paſtum. Gl. Ker. *leitit*, ducit, *leitet*, ducat, *uzliete*, exceſſus.

v. 12. ***Uip*** & vſ. 17. *Vuip*, ſupra dixit *Quena*, mulier.

v. 13. ***Keroſt***, cupis. Gl. Keron. *keron* deſiderare, *keros* cupit, *kerot* cupit, *kirida* concupiſcentia; hinc *gern*, libenter, & ipſum nomen Keronis vel Geronis. *Guotman* proprie bone vir. Saxones nobiles appellant *Gutman*, nobilitas enim debet ſtudere virtuti & prodeſſe ſuis. Megalander noſter Luth. in cap. XIV. Geneſ. T. II. fol. 39. b. Schilt. in Epinicio pag. 46.

Ther ther thanne thiob uuas,
Ind er thanana ginas,
Nam ſine vaſton,
Siddwarth her guotman. Vid. Otfr. p. 61.

v. 14. ***Trinkan.*** bibere, infinit. loco nominis. Willeram. p. 101. *ande ſie ze eriſt lernan drinkan* de rivulis ſcripturarum. p. 85. *Drinkat ande werthet drunkan.* p. 128. *Ther ſelvo gethrade naph ni werthet niemer drinchenes uuanigh*, ille ſcyphus tornatilis nunquam fit potus indigus ſive vacuus. *Ketrincan* ſup. v. 11. idem bibere, potum dare.

v. 15. ***Nezant***, fruuntur. Otfrid. p. 56. *Erdrihes niezen*, agro frui. p. 75. *Niazen gerno.* p. 550. *Thar niazent liohto ziti*, illic fruuntur claro tempore. Willeram. habet voces hinc deſcendentes p. 120. *Niud*, delicatus, *niedlich*, *aller niudeſt*, delicatiſſimum, hinc *niedet mich*, delectat me. *Niezari* 70. 171. 104. idem.

v. 16. ***Waſt.*** Legendum hic eſſe *uuiſt*, evincit non tantum ipſe rhythmus cum voce *Chriſt* in præced. verſu, ſed etiam ſignificatus vocis. *Wiſt* enim eſt cibus. Otfrid. p. 204. & 399. Sv. idem notat *Wiſthus*, penuarium.

v. 20. ***Koſotis***, loquereris. *Koſon* loqui. Otfrid. p. 123. *koſon bigonda. Koſonti* loquens p. 498. Radix eſt *Queden.* Gl. Ker. *kaquuit*, ſententia. v. 47. hoc fragm. *Siu quad*, illa dicebat, quod verbum apud Otfridum eſt frequentiſſimum. Nobis inde eſt *liebkoſen*, blande colloqui.

v. 21. ***Unnen*** alias ſcribitur *unden* ſ. *undon*, *waſſer.* Clauberg. Art. Etymol. Teuton. p. 55. agnoſcit vocem eſſe Gothicam, cui & convenit vox latina unda. Otfr. p. 520. *In theſen uuo-*

Digitized by Google

rolt undon, in mari hujus mundi. In Chron. Königsh. p. 281. *Von Johanſe zu Hunden* id eſt *das Cloſter S. Johannis in undis*, uti p. ſq. exponitur.

v. 22. ***Kecprunnen***, fontem vivum. A. S. *Cuc*, vivus, infra v. 28. ſcribitur tamen *quecprunnan*. Otfr. p. 329. *Quek uuard ſar imo thaz muat*. p. 117. *Iz uuas in imo io quegkaz*. *Queg* pecus, jumentum. *Quehſilipar* electrum in Gl. R. M. nos *quickſilber*, *quecholder*, juniperus. Ab hoc *quek* ſive *kec* eſt *kücken*, *küchlein*, pullus avis vel gallinæ.

v. 23. ***Buzza***, puteus fons, hodie *pfütze*. Gloſſ. Florent. itidem *Buzza* puteus. *Tiuf* profundus, ita & Gloſſ. R. Mauri *tiuf*, profundum.

v. 25. ***Kiſcirres***, vas, inſtrumentum, *geſchirr*. Radix eſt ex Goth. *Scauron*, mundare. Belgis, ita & Germanis *ſchuren*, *ſcheuren*, fricando mundare, quod ſine inſtrumento fieri nequit, hinc vox generalis *geſchirr*, quæ quodvis inſtrumentum vel vas denotat, nata eſt.

v. 27. ***Maht thu***, potes tu. Radix vocis *magen* Alemann. *magan* A. S. *mögen* Germ. *maga* Sv. poſſe, à radice Sv. *ma* poſſe. *Magiu*, potens. Vid. plura apud Stiernh. in Gl. U. G.

v. 33. ***Siniu ſmale***, ejus pecora, animalia domeſtica, vaccæ, capræ, oves. Vox ſatis antiqua, ſed rariſſime, ut puto, occurrens. In antiquis Gothicis occurrit, *Bu ſmali*, armenta, *Smalamadur*, cuſtos armentorum. Baazius in Invent. Hiſt. Eccleſ. Sueo-Gothor. p. 44. teſtatur, à quibusdam Smolandenſibus adhuc ſuo tempore armenta & oves vocari *ſmale*. Hinc *Schmalzehenden*, decimæ ex pecoribus, ut *Kornzehenden* decimæ ex frumentis.

v. 36. ***Jamer*** ſemper, ſæpius ap. Otfr. & alios.

v. 38. ***Undurſtac*** ut v. 44. *durſtac* eſt ſitiens, ſic *undurſtac* non ſitiens.

v. 39. ***Jmon*** contr. *imo in*.

v. 41. ***Ticho ze dir***, oro ad te. Otfr. p. 32. *Thigiti*, orabat. p. 528. 536. *Thigget*. Gl. Ker. *Dike*, petat. *Dikit*, petierit. *Digi*, petierit. *Digi*, petitio. *Dikii*, petitionis. Otfr. p. 32. *Thiggenti*, petens. *Tiggia*, Sv. emendicare. *Tiggare*, mendicus. *Tiggebrödere*, Dan. *Bettelmönche*. Mirum ergo eſt virum eruditiſſimum, qui hoc fragmentum primus produxit, hic in longe alia abire, & non animadverſo ſatis plano ſenſu, ritum ſupplicantium, tangendi caligas, huc trahere.

v. 48. ***Commen***, maritum, quæ vox iterum v. 50. occurrit. Gl. Ker. *Comman*, vir. *Commane*, viro. *Goman*, vir, maritus. A. S. *Guma*, vir, homo. Stiernh. monet, affine eſſe græcum γαμεῖν & interdum ſimpliciter vir. Otfr. p. 56. *Gomman ouh uuib*, vir & mulier, & ab hac voce eſt poſterior compoſiti pars in *bräutigamb*.

v. 52. ***Uolliſte***, auxilium, adjumentum. Vox antiqua Francica & Saxonica. Occurrit hæc vox in Sacramento populi præſtito Ludovico & Carolo fratribus, illi Germaniæ, huic Galliæ Regi. Nithardus Hiſt. l. 3. *Imo ce folluſti widhar Karle ne wirdhic*. *Fulluſt*, adjutorium. *Folleiſten*, opitulari. A. S. *Fülſtian*.

v. 55. ***Uuigit***. ***Uuigan***, bellare, pugnare. *Uuigbus*, caſtellum, fortalitium. *Uuigant*, bellator, bellicoſus. Præſenti autem loco verborum *micare* & *dimicare* ſignificatus haud dubie confunditur. Illud ſplendori proprie, hoc nulla ratione competit. *Scin*, ſplendor, lux. *Sceinen*, oſtendere. Willer. p. 39. 84. *Skeinet her ſih ſelbon*, oſtendit ſe ipſum. Luth. crebro hac phraſi uſus; *Es iſt gut ſchein*, luculenter apparet.

v. 56. ***Thu maht***, tu potes. Supra v. 53. dixit: *mattu*. Willer. p. 14. *So ne mahtu ouh min drut ſin*, non potes tu eſſe dilecta mea. Autor hujus fragmenti ne per ſomnium quidem cogitavit, de Urim & Thummim quicquam dicere, quod tamen Vir Celeberrimus conjecit. Confer ejus Notas ad hoc fragmentum.

. ***Wizſago ſin***. Si Dn. Lambecius perſpexiſſet, rhythmicum eſſe hoc fragmentum, hic omiſſas eſſe voces quasdam etiam facile intellexiſſet; non aliter autem lacunam ſuppleri poſſe, quivis gnarus mihi facile largietur. Eſt autem *wizſago*, Propheta, & etiamnum nobis in uſu eſt verbum *weiſſagen*, prophetare. Tatian. in Cantico Zachariæ, *beilagero wizageno*, ſanctorum Prophetarum. In appendice ſermon. Taul. fol. 253. *als der Weyſag ſpricht*, *Herr du biſt ein verborgener Gott*. Otfrid. crebro utitur voce *Foraſago*, Propheta.

v. 58. ***Berega***, mons, *berg*, à verbo *bergen*, tegere, abſcondere, (2) eripere periculo, ſervare. Hinc Pergamum & Pergama, Voſſius d. V. L. S. p. 128. adde Stiernh. Gl. U-G. *Berger-Lohn*, *Berger-Geld*, merces, quæ debetur pro opera præſtita bonis naufragis mari eripiendis, hinc πύργος, & *Burg*, *Bürger*, qui loco tuti ſunt. *Kornberg*, *Heuberg*, ſunt tecta, quibus ſervant frumenta, fœnum.

v. 59. ***Altmaga***. *Mage*, cognatus. *Altmaga*, majores. Goth. *Magus*, puer. *Magath*, virgo, vox pluribus linguis uſitata.

v. 60. ***Suchton***, quærebant, potius petebant, nam utrumque vox hæc notat. Otfr. p. 266.

So uuer ſo thes ruahta,
Thaz fruma zimo ſuachta,
Quisquis id curabat,
Ut commodum ab ipſo peteret.

Hia, legendum hic quoque *hiar*. *Hir* leg. *Ihr*.

v. 61. ***Kicorana***, probatas, ratas. Gl. Ker. *kechoroter*, comprobatus. *Farchoraner*, reprobus. *Si kechoroot*, comprobetur. *Nichurit*, nolite. *Chorat*, probate. *Chorungu*, probatione, quæ probamus, tentamus ante. In Paraph. antiqua Otfridi, quæ extat L. II. Commentar. de Aug. Bibl. Cæſar. p. 462. *Unde in dia chorunga ne leiteſt du unſih*. Et ne nos inducas in tentationem.

v. 62. ***Bita***, oratio, preces. v. 58. *betotun*, orabant. Goth. *Bidja*. peto, rogo, oro, mendico. Otfr. loco parallelo:

Giuuiſſo uuan ih thes,
Thaz thu hiar bita ouh ſuaches.
Certe conjicio ego jam,
quod tu hic expetas orare.

Hieroſolem. Ad rhythmum efficiendum leg. *Hieroſolema*.

INDEX

Digitized by Google



INDEX
CAPITUM
TATIANI
HARMONIÆ EVANGELICÆ.

Prologus.

CAP. I. *Divinitas Christi.*

II. *Prædictio Nativitatis Johannis.*

III. *Annunciatio Mariæ & Conceptio Christi.*

IV. *Visitatio B. Mariæ & Nativitas Johannis.*

V. *Genealogia Christi: Apparitio Angeli Josepho facta: Nativitas Christi.*

VI. *Nativitas Christi Pastoribus annunciata.*

VII. *Circumcisio Christi & Purificatio Mariæ Cantico Simeonis & Prophetia Hannæ celebrata.*

VIII. *Stella & Adventus Magorum.*

IX. *Fuga Christi in Ægyptum.*

X. *Infanticidium Herodis.*

XI. *Reditus Christi ex Ægypto & habitatio in Nazareth.*

XII. *Christi duodecennis disputatio in templo Hierosolymitano.*

XIII. *De Johannis Baptistæ Baptismo & Prædicatione.*

XIV. *Baptismus Christi: Johannis de eo testimonium.*

XV. *Christus à Diabolo in deserto tentatus.*

Digitized by Google

INDEX CAPITUM TATIANI

CAP. XVI. *Christus â Johanne digito monstratus, vocat primos discipulos.*

XVII. *Nathanaelis ad Christum accessus.*

XVIII. *Christus docet in Patria Nazareth.*

XIX. *Vocatio Petri, Andreæ & filiorum Zebedæi.*

XX. *Vocatio Matthæi.*

XXI. *Discipulorum Baptistæ de Christo disputatio, Johannisque decisio: Christi in Capernaum habitatio.*

XXII. *Peragratio Christi per totam Galilæam: Numerus Discipulorum: Concio Christi in monte de Beatitudinibus.*

XXIII. *Concio Christi, de Maledictionibus.*

XXIV. *Apostoli Sal Terræ.*

XXV. *Apostolorum cum lumine Comparatio: Legis explicatio.*

XXVI. *Præcepti V. explicatio.*

XXVII. *Reconciliationis necessitas.*

XXVIII. *Præcepti VI. explicatio & de Scandalo.*

XXIX. *De Divortio.*

XXX. *De Juramento.*

XXXI. *De vindicta prohibita.*

XXXII. *De diligendis Inimicis.*

XXXIII. *De Eleemosyna pie eroganda.*

XXXIV. *De precibus Hypocriticis & Deo placentibus.*

XXXV. *De Jejunio vero & Hypocritico: De quærendis thesauris cœlestibus.*

XXXVI. *De Veris Thesauris.*

XXXVII. *De Mammona.*

XXXVIII. *Ejusdem argumenti Deductio.*

XXXIX. *De non temere judicando: De Sancto canibus non dando.*

XL. *De precum assiduitate: In proximum æquitate: Porta angusta.*

XLI. *De vitandis falsis Prophetis.*

XLII. *Continuatio præcedentis argumenti.*

XLIII. *Epilogus Concionis Christi in monte.*

XLIV. *Christus discipulos suos ad prædicandum emittit.*

XLV. *Nuptiæ in Cana Galileæ celebratæ.*

XLVI. *Leprosus â Christo Sanatus:*

XLVII. *Servus Centurionis Capernaitici â Christo restitutus.*

XLVIII. *Socrus Petri â Christo Sanata.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. XLIX. *Juvenis Nainitici Reſuſcitatio.*

L. *Aliorum infirmorum Sanatio.*

LI. *Chriſti imitatio, Mundi abnegatio.*

LII. *Tempeſtas maris ſedata.*

LIII. *Dæmoniacorum liberatio; Gadarenorum ingratitudo.*

LIV. *Paralytici Sanatio & Chriſti Apologia.*

LV. *Reguli filius ſanatur.*

LVI. *Chriſtus cum peccatoribus diſcumbit, idipſum defendit & præſentes inſtruit.*

LVII. *Phariſæos ſignum petentes ſevere Chriſtus redarguit.*

LVIII. *Beatus Mariæ venter; & beatus auditor verbi ſedulus.*

LIX. *Fideles matri & fratribus Chriſtus comparat.*

LX. *Mulier â profluvio ſanata: Puella ê morte excitata.*

LXI. *Chriſtus duobus cœcis viſum reſtituit: Dæmonium mutum ejicit.*

LXII. *Blasphemia Phariſæorum; & peccatum in Spir. Sanctum.*

LXIII. *Martha ſerviens; Maria optimum eligens.*

LXIV. *Johannis ad Chriſtum legatio: Illius commendatio.*

LXV. *Civitatum Chorazin, Bethſaidæ & Capernaum reprehenſio.*

LXVI. *Apoſtolorum reditus: Chriſti, cum illis in deſertum ſeceſſus.*

LXVII. *Septuaginta Diſcipulorum miſſio factorumque relatio, Chriſti exultantis gratiarum actio, omnium ad ſe invitatio: Abnegationis ſui inculcatio.*

LXVIII. *Diſcipulos Sabbatho ſpicas evellentes Chriſtus defendit.*

LXIX. *Aridæ manus in Sabbatho curatio, ejusque facti excuſatio.*

LXX. *Chriſtus in monte orans, & in Navi prædicans.*

LXXI. *Parabola ſeminis in quadruplici terra.*

LXXII. *Parabola boni ſeminis & zizaniorum.*

LXXIII. *Parabola grani ſinapis.*

LXXIV. *Parabola fermenti: Rationem reddit cur in Parabolis loquatur.*

LXXV. *Expoſitio Parabolæ quadruplicis terræ.*

LXXVI. *Semen ſponte creſcens.*

*** *** ***

CLIII. *Conſilium Judæorum de Chriſto occidendo.*

CLIV. *Contractus cum Juda de mercede proditionis.*

CLV. *Pedilavium Chriſti.*

CLVI. *Pedilavii expoſitio.*

Digitized by Google

CAP. CLVII. *Supremi Paſchatis Chriſti Præparatio.*

CLVIII. *Ultimum Paſcha ipſum, & Chriſti de traditione ſui prædictio.*

CLIX. *Proditoris Manifeſtatio.*

CLX. *Sacræ Cœnæ Inſtitutio.*

CLXI. *Prædicit Chriſtus ſui deſertionem, & Petri abnegationem.*

CLXII. *Chriſtus Via, Veritas, Vita.*

CLXIII. *Chriſtus erudit Apoſtolos de ſui unione cum Patre.*

CLXIV. *Precum exauditio: Paracleti promiſſio.*

CLXV. *Chriſti reſponſum de ſui Patrisque dilectione & inhabitatione.*

CLXVI. *Chriſti admonitio emblematica de Pera & Gladio.*

CLXVII. *Chriſtus Vitis, fideles palmites.*

CLXVIII. *Chriſtus adhortatur ſuos ad amorem mutuum.*

CLXIX. *Prædicit mundi odium & perſecutiones.*

CLXX. *Patientiam inculcat.*

CLXXI. *Offendiculum excommunicationis removet.*

CLXXII. *Pavorem minuit. Paracletum promittit.*

CLXXIII. *Paracleti promiſſi officium.*

CLXXIV. *Denuo Chriſtus Paſſionem ſuam indicat, ſuosque de ea informat.*

CLXXV. *Precum commendatio & exauditio.*

CLXXVI. *Effectus Sermonis Chriſti.*

CLXXVII. *Emphatica Chriſti ad Patrem Oratio.*

CLXXVIII. *Preces Chriſti pro ſuis diſcipulis.*

CLXXIX. *Summi Paſtoris preces pro grege ſuo.*

CLXXX. *Paſſionis Chriſti in horto initium.*

CLXXXI. *Preces Chriſti in horto & ſomnolentia Apoſtolorum.*

CLXXXII. *Agon & Sudor Chriſti Sanguineus.*

CLXXXIII. *Judæ proditio Chriſti.*

CLXXXIV. *Hoſtium Chriſti proſtratio: Chriſti Vincula.*

CLXXXV. *Malchi auricula præciſa: Sacerdotes correpti: Chriſtus ad Annam deductus.*

CLXXXVI. *Petri prima abnegatio.*

CLXXXVII. *Chriſti accuſatio coram Pontifice, & Colaphus.*

CLXXXVIII. *Petri abnegatio repetita & pœnitentia.*

CLXXXIX. *Falſi teſtes contra Chriſtum producti.*

CXC. *Chriſti coram ſummo ſacerdote Confeſſio.*

CXCI. *Caiphas veſtem ſcindit, Chriſtum condemnat.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. CXCII. *Christi illusio & ad Pilatum deductio.*
CXCIII. *Judæ desperatio & pernicies.*
CXCIV. *Christus coram Pilato accusatus.*
CXCV. *Pilati examen, Christi confessio.*
CXCVI. *Christus ad Herodem remissus.*
CXCVII. *Innocentia coram Pilato & Herode: Novum examen & Parrhisia.*
CXCVIII. *Christus adhuc coram tribunali.*
CXCIX. *Barrabas dimissus: Uxoris Pilati Somnium: Christus condemnatus.*
CC. *Idem spinis coronatus ac eductus.*
CCI. *Turba flens: Christus illam graviter admonens.*
CCII. *Christus aceto & felle potatus, pro crucifigentibus orat.*
CCIII. *Christi crucifixio, vestimentorum divisio.*
CCIV. *Titulus crucis Christi.*
CCV. *Christus in cruce illusus: Latro conversus.*
CCVI. *Christus in cruce Matris curam gerit.*
CCVII. *Auxilium divinum implorans.*
CCVIII. *Sitiens Christus potatur: Clamans moritur.*
CCIX. *Miracula in morte Christi.*
CCX. *Centurio & multi alii conversi: Cognatæ Christi reversæ.*
CCXI. *Latus Christi perfoditur.*
CCXII. *Sepultura Christi.*
CCXIII. *Locus Sepulturæ.*
CCXIV. *Mulieres funus comitantes & aromata præparantes.*
CCXV. *Sepulchri custodia.*
CCXVI. *Fœminæ ad Christum ungendum veniunt.*
CCXVII. *Christi Resurrectio.*
CCXVIII. *Angeli Christum excitatum prædicant.*
CCXIX. *Mulieres abeuntes annunciant id Petro & Johanni.*
CCXX. *Petrus & Johannes ad sepulchrum currunt.*
CCXXI. *Mariæ Magdalenæ primum apparet Christus.*
CCXXII. *Custodes sepulchri à Pontificibus pecunia corrupti.*
CCXXIII. *Christus apparet mulieribus: quod discipulis incredibile visum.*
CCXXIV. *Apparet discipulis duobus Emmauntem abeuntibus.*
CCXXV. *Sermo lugubris Cleophæ.*

Digitized by Google

CAP. CCXXVI. *Continuatio pavidi ſtuporis.*

CCXXVII. *Chriſtus redarguit & meliora docet.*

CCXXVIII. *Agnoſcitur in fractione panis.*

CCXXIX. *Emmauntinorum gaudia & reditus in urbem.*

CCXXX. *Chriſtus apparet diſcipulis abſente Thoma januis clauſis.*

CCXXXI. *Cibum ſumit, illosque confirmat.*

CCXXXII. *Script. S. de ſe agentem plenius aperit: Spiritum Sanctum donat.*

CCXXXIII. *Apparet diſcipulis præſente Thoma.*

CCXXXIV. *Signa Jeſu quo fine Scripta?*

CCXXXV. *Petrus cum Sociis piſcatum provehitur.*

CCXXXVI. *Chriſtus apparet benedictione miraculoſa.*

CCXXXVII. *Prandet cum illis & agnoſcitur.*

CCXXXVIII. *Petri amorem Chriſtus ter tentat, ter denuo illum vocat.*

CCXXXIX. *Petri quæſtio de Johanne intempeſtiva.*

CCXL. *Concluſio Evangelii Johannei.*

CCXLI. *Apparitio Chriſti in Galilæa.*

CCXLII. *Aſtoſtolorum ad munus Sacrum immiſſio.*

CCXLIII. *Signorum ſecuturorum promiſſio.*

CCXLIV. *Ultima Valedictio; in Cœlum Aſcenſio, diſcipulorum in Urbem Hieroſolymam regreſſus.*

FINIS.

Digitized by Google

RERVM SVEVICARVM SCRIPTORES ALIQVOT VETERES

Velleji Galli Fragmentum vetuſtum.

Iſidori Hiſpalenſis, Ioannis Boëmi Aubani, Henrici Bebelii nonnulla ad res Sueuorum.

Præcipue

FELICIS FABRI HISTORIA SVEVICA.

Partim primum editi, partim emendatius auctiusque.

In quibus

Sueuorum Origo, Migratio, Regna, Principes, bella, fœdera, religiones, monaſteria, Ciuitates, Comitatus, Duces, Imperatores, inde ab initio vſque ad Maximilianum I. ſumma fide atque induſtriâ, pro æui illius eruditione, memoriæ mandantur, & Italorum in Sueuos Imperatores calumniæ excipiuntur.

Ex Bibliotheca & recenſione

MELCHIORIS HAIMINSFELDII GOLDASTI.

Editio Secunda, emendatior.

ULMÆ,

Impenſis DANIELIS BARTHOLOMÆI,

M DCC XXVII.

Digitized by Google



REVERENDISSIMIS, ILLUSTRISSIMIS, REVERENDIS, ILLUSTRIBUS, GENEROSIS, STRENUISSIMIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,

SAC. ROM. IMPERII

PRINCIPIBVS, DVCIBVS, CAPITANEIS, MARCHIONIBVS, LANTGRAVIIS, COMITIBUS, BARONIBUS, EQUITIBUS, MILITIBUS, CIUITATIBUS LIBERIS, VNIUERSIS DENIQUE SUEUICI FOEDERIS SOCIIS

Salutem & Victoriam D.

MELCHIOR HAIMINSFELDIVS GOLDASTVS.

SI, quod priſcus ille Sapiens dixit, turpe eſt homini nobili eius Ciuitatis, in qua verſetur, ius ignorare; quanto turpius erit eius gentis, in qua natus eductusque ſit, maiorumque ſuorum res præclare geſtas non cognouiſſe? Iuris namque prudentia rerum diuinarum atque humanarum generales quaſdam præſcribit definitque regulas, quibus qui inſtructus eſt, nec in vſu ſtudet vitæ accommodare humanæ, haut magis prudentis nomen meretur, quam ille, qui abundat præceptis diſciplinisque Catholicæ Eccleſiæ, nec exercet, Chriſtiani. Rerum autem geſtarum monumenta regulas illas ad ὑπόθεσιν reuocant, ac velut in ſpeculo quid quemque deceat, ex perſonis demonſtrant: & illud, quod ad honeſtatem vtilitatemque publicam pertinet, decorum multo pulchrius Vlpiano depingunt; & hoc, quod ſpectatur in vnoquoque genere virtutis, cuius laus omnis in actione conſiſtit, melius *Chryſippo*, vt ait Poeta, *& Cranthore dicunt.* Et quamquam omnium totius orbis hiſtoriarum cognitio cum

Cum ſocios Suevici Fœderis hic legis, intellige Ordines Circuli, mi Lector. Nam quod antehac ſeculo decimo quinto & ſexto magnum nomen habuit Fœdus Suevicum proprie ſic dictum, dudum ante Goldaſtum etiam natum exſpiraverat, pridem A. 1533. ſublatum.

Digitized by Google

tio cum iucunda tum vtilis est, patriarum vero vtilissima summeque necessaria. *Quorum enim patres aut maiores*, scribit in Offic. Cicero, *aliqua gloria præstiterunt, student plerumque eodem in genere laudis excellere.* Imitamur nempe quos amamus, atque ad eorum studia iustitutaque impellimur. Inde adeo fit, vt opinione hac imbuti, ciues nostros rectam vitæ sequi viam, ad eorum consuetudinem moremque deducamur, & quæ maioribus nostris pulcherrima visa, ea maxime exoptemus. Quod si qui non possunt propter infirmitatem virium aut inopiam rei familiaris maiorum similes esse, illi tamen summa ope atque industriis omnibus eniti debent, vt ea præstent, quæ sunt in illorum potestate, iustitiam, fidem, liberalitatem, modestiam, temperantiam, quo minus ab iis id, quod defit, requiratur. quas ipsas virtutes e maiorum suorum monumentis haurient, quorum gloriæ virtutis rerumque gestarum (quæ optima hereditas a maioribus traditur posteris omnique patrimonio præstantior) dedecori esse, nefas & vitium iudicandum est. quod vt fugere possent, quidam ex ordine vestro nobilissimi viri mecum orarunt, vt de veterum Sueuorum, quam ego quotidianis sermonibus libenter prædicabam, virtute ac præstantia aliquid conscriberem, essetque illud instar Herculei boli, quo inuidis insuper ac mordacibus Cerberis ora obturarent. Illorum vero petitioni hactenus nullum relinquerent negotia mea locum, morem tamen gerere non omnino negaueram. Interim dum in aulis quorumdam Principum discendi cognoscendique studio peregrinor, sæpe audiui libertatem vestram, quam maiorum virtute partam fortiter vsque tutati ad posteros propagatis, in dubium vocari ab illis viris, qui videbantur nonnullius auctoritatis, mihi aut rerum omnium imperiti aut gnauiter impudentes. Dicant si volunt, libertas quam Imperator dedit, Pontifex confirmauit, Principes consenserunt, libertas non erit? Nulli ergo, vt isti verba prædicant, liberi Barones erunt in Imperio, nullæ liberæ Ciuitates, si libertas ab Imperatore data atque concessa vigorem non obtinet. Eccuius rei insigne existimant S. Georgii vexillum? Quod dum egomet mecum otiosus voluo, argumentaque in pectore meo instituo, offertur mihi historia Sueuorum *a Felice Fabri Priore Dominicano eiusque Ordinis Prouinciali*, simpliciſſima mente & veriori fide quam iudicio perscripta. quam, quia ab instituto nostro facere videbatur, si præscriptio libertatis Sueuicæ aduersus N. instituenda foret, auide perlegi. nec animi falsus sum. Etenim reperi in eo Scriptore, quæ frustra alibi quæsiueram. Quæcumque cæteri Scriptores, quos nunc Germania habet bene multos, vi aut metu coacti suppresserunt, iste tamquam prætorio edicto in possessionem reduxit. Quanta vtitur libertate, quæ magna historiæ virtus, dicendi? Nemini parcit, non Episcopis, non Abbatibus, non ipsi quidem summo Pontifici, nedum Principibus, quos vocant, secularibus. Dicam sine dolo, quod fidem rerum gestarum attinet, (cæteras enim nugas & gerras monasticas nihil moror) nullum in Germania exstare scriptum præstabilius, nullum dignius, cuiusque magis Reip. nostræ interfit non perire. Erunt fortean, qui barbariem stilique obiecturi sint horrorem. Hi sibi dictum putent, quod Polybius, grauissius auctor, dicit; *Nequaquam succensendum est antiquis rerum gestarum Scriptoribus, si quid vel omiserint, vel deliquerint. quin potius, quod talibus temporibus inuestigare aliquid potuerint, laudandi atque admirandi.* Et Antonius Campanus, eruditissimus Apruti Episcopus in eo libro, quem de rebus gestis Brachii conscripsit, non minus eleganter quam vere; *Extant* (inquit) *monumenta maiorum, quæ etsi non accurate magnificeque scripta sunt, continent tamen aliquid quod legi possit, & sunt cognitione dignissima, iis præsertim, qui non tam scriptorum elegantiam desiderant, quam notitia delectantur antiquarum rerum.* Quorum me singularis auctoritas, summum iudicium, & maxima rerum omnium experientia commouit, vt animum ad eius editionem adiicerem, alioſve eiusdem argumenti coniugarem, qui voto illorum, qui id mihi oneris, vti supra memoraui, imposuerunt, meam vicem responderent. Idque eo magis, ne peius esse paterer vestræ genti, quam cæteris plerisque, quarum fere omnium monumenta nunc coniuncta videmus. Et vero etiam non est ab re, sub vno aspectu intueri, quid veteres, superiores quid de vnaquaque gente senserint, dixerint, vel scripserint. magnum ea res emolumentum affert rebus gerendis, & consiliorum limam, vt ita dicam, quodammodo trahit. Id ita esse, vti prædico, sciunt ii, qui legationum defunguntur munere,

vel

Digitized by Google

vel in consiliis Principum & aulis adhibentur, vbi sparsos auctorum adire libros per negotia non est licitum.

Ergo igitur hos consentientes in laudemque vestram conspirantes scriptores sub vestro Reuerendissimo, Illustrissimo, Reuerendo, Illustri, Generoso, Strenuissimo, Nobilissimo, Amplissimo nomine, quod bonum sit factum, foras produco. nec aliter facere debui. Sueui sunt, Sueuica tractant. Iustum & æquum facietis, vbi eos, vbi eos, qui causam vestram defendendam susceperunt, nomine ac patrocinio vestro fueritis complexi. Ego ipse quidquid illis operæ & olei impendi, consideratione meæ præstiti originis: qui quamuis apud Heluetios ortus, a Sueuis sum oriundus. Nam, si qua est historiis & famæ publicæ fides, Erchanbold de Haiminsfeld, is qui primus Goldasti cognomen est sortitus possessione sua in agro Brixiano vi expulsus, perveniens in Alemanniam, quam nunc Sueuiam quoque dicimus, pagum Nibalgouium, a Comitibus Montfortiis, qui tum in eo præpotentes, bona prædiaque accepit. cuius posteri quum alii ab officio Episcopi Constantiensis essent, alii Abbatis S. Galli, ab illis in Sueuia possessiones in beneficium, vt loquuntur, habuere. cui rei argumenta dant non pauca nec nupera in vtroque loco monumenta. Itaque officii mei esse recte arbitratus sum vestras suscipere partes; nec muto factum. Vestrum nunc est ea, quæ hic præscripta sunt, non negligenter habere, & ad maiorum instituta omnes actiones, quod facitis, conformare, ita illorum virtute animati; inferiores eritis nulli vmquam genti, superiores plerisque. Specimina quotidie non vulgaria exhibetis. primum ac summum est, quod in Hungaria cernitur. Equidem fidem omnium hominum testor, si Imperator absque opera vestra opeque esset, tantam immanissimorum hostium vim tam diu sustinere potuisset? cuius vestræ virtutis æmulos habetis Saxones, qui sese in partem gloriæ vestræ cupiunt venire. Cætera vobis propria sunt, quæ vt bona, ampla, atque perpetua velit Is, qui supra nos rebus humanis curat, & res actionesque vestrorum omnium, quæ maxime in rem communem sint, bene peregri & domi expedire, id vero cum omnibus votis veneror,

— Valete, bene rem gerite, & vincite
Virtute vera, quod feciſtis antibac.

Francof. ante d. III. Non. April. A. D. N. cIↃ. IↃcv.

Digitized by Google



DE AVCTORIBVS ET EORVM SCRIPTIS ANNOTATIO.

IN hac rerum Sueuicarum collectione non ſumus ſecuti ætates Scriptorum, ſed ſeriem gentis & , quoad eius potuit, rerum ipſarum ordinem. Primus tradit originem gentis, eiusque in has terras, quas nunc incolit, inundationem. alter bellum, quod poſt regni conſtitutionem a Romanis motum. tertius irruptionem ex Burgundia in Hiſpaniam, occupationem regni, eiusdemque amiſſionem. quartus gentis in Germania iam late dominantis regiones, mores, conſuetudines, atque leges. quintus eiusdem ita dominantis res geſtas factaque præclara, adnexa defenſione contra invidos & obtrectatores. ſextus atque vltimus & omnia illa & alia perplurima.

ANONYMVS SCRIPTOR.

Hoc ſiue fragmentum ſiue integrum ſcriptum debetur Marquardo Frebero a Keſſingen V. N. & Conſiliario Palatino, qui id ex Bibliotheca illuſtriſſimi Principis Electoris Friderici IV. ſua manu deſcriptum mecum, vt alia omnia, lubens communicauit. Fides Hiſtoriæ ſit penes auctorem, quem ſcriptor iſte ſecutus eſt. Sunt qui omnem omnino fidem eiusmodi ſcriptis derogandam cenſent; ſunt qui prorſus acceptandam. neutri recte. Nam & bona multa continent, etſi plura falſa. quæ ſeligere ac diſcernere doctus & eruditus lector haut difficulter poterit, cuius iudicio libellum committimus. Nos quidem, vbi quædam cum iis contulimus, quæ probatis ponuntur in ſcriptoribus, reperiuimus vero non diſſimilia.

VELLEIVS GALLVS.

Super hoc ſcriptore Geſnerus in Bibliotheca; Vellei Paterculi fragmentum de bello Auguſti Cæſaris contra Sueuos in Noricis & Vindelicia, extat Viennæ Auſtriæ apud Wolffgangum Lazium. *qui ab ſe repertum iactat in peruetuſto cod. membraneo, litteris antiquiſſimis ſcriptum hoc indice; VELLEI EXCERPTA EX GALLICA HISTORIA, in libb. de Republica Romana: & vel Cæſarem, vel hunc ipſum Velleium eius ſcriptorem credit. Sunt qui ad Auguſtum auctorem referant. & hos & illum falli argumentis neceſſariis euicit M. Velſerus vir impenſiſſime doctus Auguſtanorumque Duumuir, Rer. Vindelicar. lib. 3. vbi ætatem quoque auctoris gentemque ſagaciſſime odoratus eſt. ſcilicet hominem Gallicanum fuiſſe Caroli Magni aut præter propter temporibus. cui non inuiti adſen-*

Digitized by Google

adſentimur. * *quippe tum, qui humanioribus paullo, vnde docti dicimur, litteris tincti, veterrimos ſcriptores imitari non vt artifices, ſed tamquam tyrones, ei rei operam dabant. ad eum modum Einhardus Suetonium, Lupus Plinium, alii alios expreſſere, vt noſter iſte Salluſtium, qui tum in ſchola proponebatur pueris. Porro quid vetuit Velleium aſſerere ſcritorem? aut quid eſt quod fidem detrabat Lazio in re intra fidem? Velleium, inquam, non Paterculum, vt exiſtimauit ille, ſed vero, vti nos arbitramur, ſiue Monachum ſiue Epiſcopum, qui hoc ſibi nominis pro more aſſumpſit illius æui, quo pro libitu ſibi varia veterum nomina adſciſcebant. Nonne eodem illo tempore Flaccum Albinum ſe vocauit, qui prius Alcuinus? Nonne Bonifacium, qui Wunefridus? Paullum, qui Warnefridus? Engilbertus vir illuſtris vocatur Homerus ab Alcuino epiſt. 46. & ſeq. Damœta vocatur Flauius ab eodem epiſt. 41. Mos iſte natus inter amicos, qui familiares, quos videbant alicuius ſcriptoris amore duci atque trahi, illius nomine compellabant, hodie non inſuetus. vnde hunc alterum Ciceronem, illum alterum Liuium, illum Virgilium, alium Salluſtium appellamus. Eſt eius moris exſertum teſtimonium apud Sidonium Apollinarem lib. 8. epiſt. 11. vbi ait;* Hic me quondam (vt inter amicos ioca) Phœbum vocabat, ipſe a nobis vatis Odryſii nomine accepto: *An & ita Virgilius, qui ſub Carolo M. Iuuanenſis Epiſcopus?*

ISIDORVS HISPALENSIS EPISCOPVS.

Quis aut qualis fuerit, latere poteſt neminem in tanta eius claritudine ac celebritate nominis. Vitam eius ex veteribus tradidere Braulio Cæſaraugustanus, Honorius Augustodunenſis, Sigebertus Gemblacenſis, &, niſi memoria fallit, Hildefonſus. Vixit A. D. N. DCXXX. in numero Sanctorum recenſitus. **

IOANNES BOEMVS AVBANVS.

Deſcripſit omnium gentium mores, leges, & ritus: quod opus tribus libris abſoluit. ſunt vero iſthæc ex lib. 3. cap. 16. in quod quia diligenter, quæ Cæſar & Tacitus de Sueuis memoriæ reliquerunt, quaſi vnam in tabulam coniecit, non ab re viſum fuit adiicere. claruit A. D. cIↃ. IↃ xx. ***

HENRICVS BEBELIVS IVSTINGENSIS.

Hic primus fuit linguæ Latinæ apud Germanos inſtaurator, vir non indoctus, ſed genti ſuæ præter æquum addictior. Vixit Tubingæ vtriusque linguæ interpres publicus & Poeta coronatus circa A. D. M. CCCC. XC. ****

Goldaſt. Res Sueu.)( )(FELIX

* Verba Velſeri ſunt eximia Opp. pag. 220. Etſi fragmentum Auguſtam ſpectat, & Auguſta aliquid inde lucis expectat, cavendum tamen, ne à famoſa nec lucida face plus aliquanto fuliginis quam fulgoris inferatur. Inprimis nimis obeſæ naris eſt, ſi quis Auguſtum aut Paterculum auctorem autumat: — plumbum iſtud longe eſt ab auro omnis illius ævi. Et ſi melioris metalli venæ intercurrunt, hoc tantum indicant, auctorem in bonis ſcriptoribus non prorſus fuiſſe hoſpitem. Quæ de templo narrat, multo poſt Coloniam deductam, quæ tamen ſub Auguſto deducta, contigiſſe credi poſtulat. Rhætias numero plurium appellat; cujus rei Hadriani temporibus uſus obtinuit: & quæ de Norico notavimus, multis adhuc annis recentiorem poſt ejectos demum Romanos ſcripſiſſe oſtendunt. Quin ab ejectis Romanis aliquem temporis modum ad hanc ſcriptionem fluxiſſe intelligimus, qui ſciamus, iſta tunc ſtudia mire jacuiſſe. Si divinare licet, eo feror, ut Caroli M. tempora ſentiam, in quibus primum cogitationes de literarum ſtudiis à noſtris hominibus ſuſceptæ, rudes quanquam & incompoſitæ: nam multa ab illo ſeculo falſa veris intermixta turpido quodammodo alveo ad nos fluxerunt. - - Hanc temporum disquiſitionem conſequitur, auctorem, utut antiquum, ſed qui Auguſto & memoria rerum narratarum procul vixerit, in iis quæ ab antiquioribus monumentis diſſentiunt, fidem neutiquam mereri: in reliquis nonniſi conſiderate & circumſpecte mereri. Hæc Velſerus, qui amplius annotat, Othonem Friſingenſem nonnulla ex hoc fragmento Vellejano hauſiſſe: multo plura autem Conradum Abbatem Urſpergenſem, qui totum illud, ſed interpolatum Chronico inſeruit ſuo p. 308. ſq. edit. Argent. 1532. Velſerum ſequitur preſſo pede G. Jo. Voſſius de Hiſt. Lat. L. I. c. 24.

** Obiit Iſidorus A. C. 636. ut ex Braulione & Luca Tudenſi pridem annotarunt Baronius atque Bellarminus. Ildefonſus Toletanus annis fere 30. junior Iſidoro ejusque olim diſcipulus utique vitam illius & ſcripta breviter recenſuit; opuſculo de Viris Illuſtr. c. 9. nec fefellit memoria Goldaſtum.

*** Opus integrum Boëmi hujus tribus libris abſolvi, Aſiam, Africam & Europam complecti, primò Friburgi Brisgojæ prodiiſſe 1540. in 8. dein ap. Gryphium Lugduni 1541. 8. tum alibi in fol. refert in Bibliotheca Conr. Geſnerus p. 391. edit. primæ & præſtantiſſimæ 1545.

**** Imo demum A. 1497. Tubingæ cœpit profiteri literas humaniores: notante Voſſio de Hiſt. Lat. l. III. c. 10. p. 649. qui & plura illius ſcripta refert ab ipſo Goldaſto in Politicis Imperialibus edita.

Digitized by Google

FELIX FABRI MONACHVS DOMINICANUS.†

Ex nobili & vetuſtiſſima Schmidiorum familia, quæ hodieque apud Tigurinos præfulget. Patrem amiſit valde puer, vt ipſe narrat, pro patria & domo Auſtriaca contra Suicios pugnantem. Orphanum patruus Præfectus Comitatui Kyburgenſi, ſuſcepit, aluit, & tandem ætate exigente Vlmam in monaſterio bonis litteris ac moribus imbuendum miſit: vbi ſumpto ordine religioſam omnibusque probatam duxit vitam. De quo Mart. Cruſius Annal. Sueuic. part. 3. lib. 2. cap. 8. De Offenhuſano monaſterio ſatis multa, quæ ædita non ſunt, populari lingua ſcripſit 1489. Salutis anno, quidam Tigurinus Pater Prædicatorii ordinis Vlmæ, illarum Monialium confeſſor: qui ſuum nomen non aliter in illis prodidit, quam ſexta alphabeti litera tertiata F. F. F. quod ego interpretor, Frater Felix Fabri; qui fuit illo tempore in Prædicatorum apud Vlmenſes monaſterio: vir eruditione, & vna atque altera Hieroſolymam peregrinatione (quarum unam, lingua itidem Germanica ab eo deſcriptam & typis editam, habemus) celebris, & in rebus ſuæ profeſſionis gerendis induſtrius. *Et Geſnerus ſeu potius Simlerus in Biblioth.* Felix Fabri, alias Schmidt, ordinis Prædicatorum Conuentus Vlmenſis, deſcripſit peregrinationem Bernardi de Breitenbach Decani Eccleſiæ Moguntinæ. *Significauit nobis Gaſpar Waſerus, Profeſſor Tigurinus, ſeruari ab Heinzelio Patricio Auguſtano peregrinationem aliam ineditam ipſius Felicis manu exaratam. An ea ſecundi itineris acta perſecutus eſt, quod inſtituit ſocio atque comite Barone quodam a Rappoltzſtein, vt ipſemet in hac hiſtoria teſtis eſt? Paucos nactus eſt laudatores, exſcriptores plurimos. Nam & Boemus ille, cuius Sueuiam appoſuimus, multa inde tacito auctoris nomine verbatim libauit, plura Munſterus in Coſmogr. Bruſchius in Monaſteriis, Stumpfius in Chron. Et de Franco ſcribit Cruſius p. 2. lib. 10. c. 4.* Legatur Sebaſt. Francus in Chron. qui res Vlmenſes fere ex MSCR. libro Felicis Fabri, vt video, ſumpſit. *Noſtrum exemplar, quod quondam fuit Achillis Gaſſari, ex eadem Bibliotheca nobiſcum idem ille Freberus participauit, amicus noſter optimus maximus. quod non periiſſe quam referret ſupra memorauimus. Nunc vitia eius pariter detegemus, quæ quidem, ſi Rempub. quam attinent nihil, ſpecies, leuia videntur; magna, ſi rem litterariam. Errat primum in lacus Conſtantienſis deſcriptione. Nam Acronius eſt ſuperior, Venetus inferior, contra quam ille putauit. In Suicerorum origine quam ridiculus? quam ipſe ſibi diſſentaneus? ſcilicet vt quidque legerat apud varios ſcriptores, ita variis in locis inculcauit ſine iudicio, ſine conſideratione, haut ſcio dicamne etiam ſine memoria. Non tango bellorum tumultus depulſo Auſtriacorum iugo, non pugnas, quas ego veriſſimas autumo; ſed quæ præter illas. In etymologiis quam inepte abſurdus? quas nugas blattit de Muſarum priſco cultu? quas gerras nectit in ciuitatis Vlmenſis tædioſa enarratione? vt alia nunc mittam: quæ quidem homini Monaſtico inque ſolitudine degenti condonanda cenſuimus. Quin miramur inſuper potuiſſe eum in tanta barbarie omniumque adeo rerum ignoratione tantum præſtare, quantum præſtitit ante ſe nemo vnus. Quare nec demere nec mutare quidquam voluimus, ne in verbis quidem, docti a Baldo & Felino Iuris prudentibus*, notarium non poſſe corrigere falſam Latinitatem, ne ſub prætextu Latinitatis fieret fraus. *Idem Correctoribus librorum dictum putate. Valete, & bene rem gerite.*

† Miror Voſſium l. III. pag. 570. ubi de Felice Fabri agit, nullam hujus Operis, quod Goldaſtus edit, facere mentionem. Sed nimirum exciderat memoria viri ſummi. Hinc Sandius addidit in Not. ad Voſſ. H. L. pag. 215. Ed. Amſtel.

Lectori

Digitized by Google



Lectori Benevolo

Bibliopola. S.

QUam hic accipis Scriptorum de Rebus Suevicis Collectionem, plus integro abhinc seculo primum à Goldasto publicatam (Francofurti A.1605.) ut nova indutam veste, & emendatam recudi curarem, suasor non unus fuit; nec causa levis. Non diffitebitur lector æquus & historiæ patriæ amator, vel ipsam libri raritatem novum à Suevis cultum flagitasse, cum passim videamus prodire in lucem denuo egregias & voluminosas Freheri, Urstisii, Reuberi, Pistorii Collectiones Rerum Germanicarum: cumque nostra ætate summi etiam viri Scriptores Rerum aut patriarum aut selectarum Germaniæ Provinciarum v. g. Brunsuicensium, Goslariensium, Lusaticarum, Bambergensium, Moguntinensium, Wurzburgensium, noviſſime Austriacarum, Fuldensium, &c. certatim in lucem magno cum orbis Eruditi plausu proferant.

Ecquis ergo nobis vitio vertet, quod redditos ornatu novo Suevicos etiam Scriptores denuo prodire jubemus, quos haud parum notitiæ de patriis rebus nostris inservire palam est. Non ignoro, plurima dici de Suevica Gente posse egregia, tum multo etiam plura de Imperatoribus Ducibusque Suevicis, quæ in hoc volumine non occurrunt: alibi collecta editaque per Freherum, Reuberum, & alios. Ast in supplementum illorum Goldastiana isthæc collectio utiliſſime adhibebitur & necessaria omnino videtur: quippe quæ multa commemorat aliis non dicta.

Auctorum, è quibus constat, recensionem instituit in Præfatione Goldastus ipse minime indoctam: cui tamen addere nonnulla sub asteriscis annotata ad uberiorem lectoris instructionem non inutile visum fuit. De Felice Fabri quod nonnihil inclementius judicat Goldastus ob *tædiosam*, ut ait, *Ulmensis civitatis enarrationem*, (libro II. Historiæ Suevicæ) non idem, ut spero, omnium sensus erit. Interest enim rei historicæ haud parum, de civitatibus Imperii insignioribus multa nosse. Ulmam vero tum temporis, quo Felix Faber scribebat, fuisse in his oris præcipuam, partim militiæ robore viribusque inclutam, partim divitiis eminentem; nemo, ut opinor, negabit: Igitur, qui Lector in Ulmensi Conventu sui ordinis fuerat Felix noster, multis Ulmensium beneficiis cumulatus; cum ex commentariis antiquioribus hausisset plurima de urbe notatu digna; tum vero & ipse præclara vidisset: ut gratum sese Ciuitati bene meritæ hospitem demonstraret, documento non uno historiam ejus posteris legendam reliquit. Non uno, inquam, documento. Nam extare adhuc in MSS. aliam Felicis Fabri de Ulmæ nostræ ortu & statu relationem: quæ præter regimen Civitatis antiquum, rem militarem domi forisque fortiter institutam, Civium ordines, &

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Nobilium familias ſigillatim exponit, didici ab amico, qui excerpta libri inediti non inſuavia poſſidet: forte etiam typis noſtris ea donaturus, ni delicatiores nonnullorum ſtomachos vereretur, quibus, ut Goldaſto, tædium facile talibus è ſcriptis obrepit, quod nollet. Interim is ipſe me monuit, extare in Bibliotheca Illuſtr. Reip. Ulmenſis Evagatorium (i. e. Itinerarium) Felicis Fabri ſat ſpiſſis duobus voluminibus in fol. comprehenſum: quod Itinera duo exponit, primum, *Hieroſolymitanum*, alterum *Sinaiticum*, ad ſepulchrum ut ait: S. Catharinæ A. 1484. inſtitutum. Nuncupavit opus integrum Fratribus Conventus Ulmenſis Dominicanis. In eo late omnia quæ viderat juxta menſium ſuæ peregrinationis, tum & locorum ad quos appulit, ordinem fuſe recenſet: immiſtis haud raro cognati argumenti hiſtoriis aut obſervationibus non contemnendis. Verum de his plus ſatis. Tu interim, Lector, hac noſtra, quam damus, editione Scriptorum de Rebus Suevicis emendatius repetita fruere benignus, & vel ſecundo Theſauri Schilteriani Tomo, cui nunc operæ noſtræ maxime inſudant, ob aliquam argumenti cognationem ſubnecte; vel ſeorſim tibi ſerva ut lubet, forte cum Scriptoribus *Rerum Alamannicarum* à *Goldaſto* collectis, quos propediem nova quoque recuſos editione expectamus, ſcite compingendos. Tandem fac ut viſum fuerit commodiſſimum: modo nobis fave & Vale.

JAm finem feceram huic meæ præfatiunculæ: cum Epiſtolam ſequentem accipio Viri Docti ad amicum; de argumento illuſtri, quam tibi invidere nefas duco.

VIR CLARISSIME.

Video Felicem Fabrum capite XIV. libri II. Hiſtoriæ Sueviçæ, quam recudunt noſtri, p. 50. ubi mortem præmaturam Henrici VII. Imperatoris glorioriſſimi, plurimis de veneno ſuſpectam refert, magnopere ſtomachari ob crimen veneficii ſane quam horrendi, monacho neſcio cui Dominicano impactum, ac ſi ſub ſpecie Panis Euchariſtici venenum ille Henrico Imp. porrexiſſet: *Peſtilentes* vocat Faber delatores illos, ac *nefarios homines, qui ſuadente Diabolo mendacium iſtud excogitaverint*; & multus omnino eſt in crimine refellendo. Hæc cum legiſſem, incidit quod pridem obſervaveram, ab auctore quodam, ut tunc rebar, anonymo, *Hiſtoriæ cujusdam Eccleſiaſticæ*, quæ ἀνέφαλος in Codice MSS. Perilluſtris Reipublicæ noſtræ adſervatur, paulo aliter, ac Faber contendit, hiſtoriam mortis Optumi Henrici referri: nimirum ita, ut monachus minime abſolvatur. Dignam igitur arbitrabar rem iterata inſpectione, tum & indagatione ſollicita, ſi quid de auctore illo certius adſequi forte poſſem. Nec me pœnitet laboris. Siquidem dubium *primo* nullum eſt, auctorem fuiſſe Henrico VII. & Ludovico IV. Bavaro coævum, quippe qui ultimo Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ Novæ capite, quod eſt XLI. libri quarti & viceſimi, verbis ultimis teſtatur, ſcripſiſſe ſe *inchoante anno Dominicæ incarnationis M CCC XXIX.* poſtquam anno præcedente Ludovicus Imp. contra Johannem XXII. Antipapam conſtituerat Petrum de Corbario. Inde mihi *ſecundo* indiciis patuit indubitatis, auctorem operis eſſe Ptolomæum Lucenſem, cujus *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* hucusque ineditam ſed variis in Bibliothecis extantem, Vaticana, Vindobonenſi &c. pridem à Blondo, Platina, Paulo Langio, Cuſpiniano, multisque aliis laudatam memorat accuratus *G. J. Voſſius de Hiſt. Lat. l. II. c. 64. p. 509.* eaque Hiſtoria Ptolomæum non minus ac alio Annalium abs ſeſe editorum opere *nomen illuſtre ſibi comparaſſe* refert: quippe qui & Imperatorum res geſtas, & Vitas Pontificum ſedulo congeſſerit, & memoriam undique conſervarit virorum illuſtrium & doctorum: quæ omnia reperiuntur in fragmento noſtro: quod extrema ſolum Operis continere dolemus, nimirum à capite IX. libri viceſimi ſecundi incipiens, paulo ante mortem Friderici II. Imp. anno 1248. ac deinceps ordine usque ad A. 1329. pergens: addita ſemper in fine cujusque libri formula conſueta: *Explicit liber XXII. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Novæ: incipit liber XXIII. Hiſt. Eccl. N.* Ut adeo, ni fallor, res de autore Ptolomæo Lucenſi liquida & extra dubium omne poſita ſit. Ætatem porro & codex membranaceus & characteres literarum facile coævam tuentur.

Digitized by Google

tuentur. Ceterum, ubi desinit historia Ptolomæi, sequitur ejusdem Continuatio sub hoc lemmate. *Hic incipit liber XXV. conscriptus à Domino* Henrico Dapifero de Diessenhoven, *Doctore Decretorum, Canonico Constantiensi, ac Capellano Papæ Johannis XXII.* Hujus continuatoris ex Illustri stirpe Truchsesiorum, qui & iidem Comites Kyburgenses erant, cognomenque à Diessenhofen ducebant, oriundi, nomen cum nullibi alias reperiam annotatum, ab oblivione vindicari eo plus meret, quo præstantius est studium illius, quod ad historiam sui temporis condendam affert usque ad finem anni 1361. *quem hic complemus* (verba auctoris sunt) *Papa Innocentio VI. Avinione cum Curia sua morante, & Karolo Imperatore IV. Nativitatem Domini in Nurenberg peragente. Nam Papa & Imperator bene concordabant: sed maxime in congreganda & extorquenda pecunia à suis subjectis. Sed ipsos excusare potest, quod paci dabant operam; quæ vix sine pecunia defenditur propter malos, quorum numerus magnus est.* Obiter illud etiam ex Ulmensi Codice animadverti, Historiam Eccl. Ptolomæi haudquaquam ad annum usque 1342. esse productam; quippe quæ desinit A. 1329. neque continuationem usque ad A. 1370. quæ cum A. 1371. finit. Ut in eo bis deceptus fuerit errore aliorum magnus vir G. I. Vossius, dum annos istos perperam apponit.

Sed quo prolabor, qui de tragica Henrici VII. Imp. Lucelburgici morte adversus Felicis Fabri declamationem nonnulla me è scriptore coæuo prolaturum in me recepi? Nimirum hæc videbantur præstruenda testimonio, quod nunc apponam.

Ita vero mors Henrici describitur capite XL. libri XXIV. *Post hæc Cæsar fortunam in mari experiri conatus jussit per nuncios tractari varia & plurima, & profectus usque ad Cegiam fluvium peracta cœna in fluvii ripa considens cinctis ob refrigerationem in aqua & cruribus subeuntem sensit languorem, & comperta sub dextro cruris genu pustula quæ anthrax vocatur, noctem duxit insompnem.* Posthæc uno tenore ab eadem manu sequitur: *Addicio. Intoxicatus fuit per quendam Fratrem de Ordine Prædicatorum in speciebus Corporis Christi:* ut à suis qui secum fuerant, audivi. *Et forte iste legerat de Victore III. supra: & hoc dedit Imperatori in speciebus panis, quod Victor in vini speciebus percepit. Ex hoc etiam multas tribulationes sustinuerunt Prædicatores in Alamannia ex prædicto facto.* Jam porro pergit relatio Ptolomæi Lucensis post additionem velut parenthesi inserendam. *Et dato mane signo tollendorum signorum* (Imp. Henricus) *Bonconventum properat pagum XII. milliaribus à Senis distantem: ibique viam universæ carnis ingressus est Regni sui anno quinto, Imperii autem anno primo, mense uno, & diebus XXIIII. in Festo S. Bartholomæi: qua die Cunradinus à Karolo Neapoli securi percussus est. De morte Cæsaris Heinrici nota versus:*

Cæsaris Henrici mortem plangamus amici,
Qualiter hic vitam finivit per Jacobitam.
Per Corpus Christi venenum traditur isti:
Hinc in laude Dei moritur die Bartholomæi.
Est Pisam latus & cum fletu tumulatus
Anno milleno tricenteno terideno.

Hucusque relatio Ptolomæi Lucensis & Continuatoris Henrici Dapiferi: quæ spernenda meo judicio non est, quippe à coævis scriptoribus prodita. Scripsit alias & vitam Clementis V. Papæ Ptolomæus iste Lucensis, Ordinis Prædicatorum (is ipse nimirum cujus est Ecclesiastica Historia) relatam inter Vitas Paparum Avenionensium à Cl. Steph. Baluzio collectas, T. I. & in ea quoque p. 53. refert mortem Henrici: *Moritur*, inquit, *23. die Augusti morte naturali: quanquam aliqui malivoli dixerunt, quod fuerat datum sibi venenum in Eucharistia. Infirmitas autem sua incepit ab apostemate in coxa, & inde venit ad febrem, de*

Digitized by Google

qua decima die moritur; ſicut à fide dignis accepi qui fuerunt præſentes. Hæc iis, quæ noſtro ex MSS. protulimus, videntur non omnino reſpondere, potius contradicere. Verum, dum & reliquas Clementis V. Vitas à Baluzio editas perluſtro; Quinta occurrit, cujus auctor dicitur *Venetus quidam coætaneus*, p. 85. quæ adhuc præſentem ad ſcopum erit memoranda. Nam & hæc mortem refert Henrici VII. Imperatoris iisdem plane verbis, quæ in Hiſtoria Eccl. MSSta. Codicis noſtri occurrunt: & quæ denuo apponemus: *Profectus itaque usque Origiam* (nam ſic nominat, non Cegiam, ut MSStum Ulm., rectius ut opinor) *XII. diſtantem ab Senis millibus, peracta cœna in fluvii ripa conſedens, cinctis ob refrigerationem in aqua cruribus ſubeuntem ſenſit languorem, & comperta ſub dextri cruris puſtula quæ antras vocatur, noctem duxit inſomnem. Summo autem diluculo ſigno dato tollendorum caſtrorum ad Boncoventum tranſit pagum XII. millibus ab Senis diſtantem, ibique viam univerſæ carnis ingreſſus eſt: regni ſui anno quinto, imperii anno uno, menſe uno & diebus 24. in feſto B. Bartholomæi.* Hic locus ut non diffitear, movet me, ut inſcriptionem vitæ ſecundæ Clementis, quæ eſt apud Baluzium, fallere putem, & vitioſe Ptolemæo Lucenſi tribuere quod ipſius non eſt. Porro vix dubito, quintam potius, quæ adſcribitur Veneto anonymo, illi Ptolemæo deberi: quippe quæ cum Hiſtoria Eccleſiaſtica nimis manifeſte conſentit. Inſimul vero ex hoc loco vitæ Clementis liquet, quæ præcipue verba addiderit Henricus à Dieſenhofen, continuator Ptolemæi: ſed cui profecto, cum & ipſe fuerit coævus, item Sacri Ordinis, & de plebe homo, fides de maturata per venenum monachi morte Henrici abrogari tam facile non poterit. Unde nec audet pernegare Baluzius facinus monachi venenum in euchariſtia porrigentis. vid. Notas illius p. 614. Hæc tibi, Vir Clariſſime, pro jure amicitiæ denegare non potui. Tu judica & Vale.

Dabam Ulmæ d. 26. Martii 1727.

J. F.

ANONY-

Digitized by Google



ANONYMI SCRIPTORIS DE SUEVORUM ORIGINE, LIBELLUS.

IN plaga Septentrionali quædam provincia adiacet mari, quam Sueuiam aſunt nuncupari. quæ dudum idololatriæ fuit in tantum dedita, vt præ cæteris nationibus ob cultum idolorum perpetraret ſcelera immaniora. Omni itaque anno in honore Deorum ſuorum duodenos Chriſtianos ſolebant trucidare, atque hoc nefario ritu ipſos ſibi placare. Huius facinoris enormitate Deus cœli exaſperatus in vltionem Chriſtiani ſanguinis Comprouinciales illos flagellauit attenuitate famis. Eo tempore habuerunt Regem quemdam vocabulo Rudolphum, virum æqui prudentiſſimum. Hic cunctos ſuæ regionis Optimates acciuerat, vt conſultu ipſorum gens ſibi ſubdita euaderet famis incommodum. Atque illi absque liberis, ſicut eis denunciatum fuerat, ad regalem curiam profecti pari conſenſu ſtatuerunt, quatenus hi, qui plures filios haberent, omnes præter vnum ſibi cariſſimum interimerent. idque ea ratione decreuerunt, vt quanto pauciores haberentur in prouincia, tanto minus graſſaret in populo famis inopia. Huic aſſentationi quidam Anshelmus intererat, qui liberos quinos habebat. Hic poſtquam eſt diſceſſum, & ipſe mœſtus repedauit domum. Tum vnus ex filiis ipſius nomine Ditwinus animadvertens patrem ſolito triſtiorem, cauſam mœroris ſciſcitatur, ſed tamen à parente minus illi condita res oſtentatur. Tandem pater à filio coactus acquieuit, & ei, quæ in regali curia fuerant decreta, pandit. Cui Ditwinus; & ſi, inquit, hæc ita ſe habuerint, conſequens erit & me peremtum iri, quoniam me cariorem habes filium. Verumtamen & in hoc vehementer admiror, tot Satrapas prudentes in tantum deſipuiſſe, non vt crederent aliter poſſe Comprouinciales famem euadere, niſi liberorum ſuorum nece. reuera ſi veſtris colloquiis interfuiſſem, longe ſaniora conſilia depromſiſſem. Ad hæc pater; Jam fili cariſſime, oro, vt ad Regis curiam mecum feſtines in proxima ſeſſione, & quod tibi videatur ſuper hac re, cunctis maturato exponere. Cum igitur omnes prouinciæ Principes in id ipſum conveniſſent, vt dictam ſententiam prioris ſeſſionis in liberos omnium promulgarent, Ditwinus quaſi ore omnium locutus, Regi cæterisque ait optimatibus; Domini mei, liceat veſtra prouidentia gubernari debeant omnia noſtra, tamen non bene circumſpecta fuit in hoc veſtra prudentia, vt ob famis inopiam ſtatueretis aboleri ſtirpem noſtram. Hoc Rex audiens, dolore tactus, ſimulque Principes illius pro ſuis caris pignoribus compellat Ditwinum, quatinus depromat eis ſanius conſilium. At ille ait; Si Regi cunctisque ſuis optimatibus placuerit, innoxius ſanguis hominum pro hac neceſſitate non effundatur, ſed plures carinæ adquirantur, in quibus hi, qui debuerant interimi, trans marina deducantur. Quæ ſententia cum vniuerſis placuiſſet, diuerſa genera nauigiorum ſparſim congregantur, vt his qui fuerant proſcripti mare transveherentur. Interea exoritur totius prouinciæ concurſus pro filiis ac filiabus, & lamentum ineffabile ex eorum relegatione. Igitur præparatis claſſicis inſtrumentis omnes, qui erant occidendi, carinas illas aſcenderunt, moxque vento arrepti vehementiſſimo eiecti ſunt in portu Danorum, in loco Sleswik nominato. Quo vi tempeſtatis appulſi cunctas ſcaphas minutatim conſciderunt, ne denuo repatriaret quisquam eorum. Deinde prouinciam illam perluſtrantes, tanta ex ea ſpolia diripuerunt, vt viginti milia de ſuis aſcenſores prædatorum

ſtatuerent caballorum. Reliqua vero multitudo comitabatur equitantes gradiendo. cumque regionem illam Danorum manu valida peragraſſent, ad Albam fluuium commigrarunt, eoque tranſito per finitima loca ſeſe diffuderunt.

Ea tempeſtate graue duellum inter Regem Francorum Theodericum, & Irminfridum Regem fuerat Thuringiorum. Cauſa vero congreſſionis in hiſtoria * Saxonum deſcribitur talis. Clodoueus Rex quatuor filios habuerat, quibus quatuor regna diuiſerat. quorum quartus, Theodericus videlicet, terram Auſtraſiorum, in qua Metis oppidum ſitum eſt, obtinuit, atque ex Francorum electione Rex illic conſtitutus imperauit. Quo regnante miſit legatos ad Irminfridum Regem, qui in matrimonium duxerat ſororem ſuam, quam eius pater Clodoueus ex legitimo coniugio progenuerat, pro pace & concordia, regnique ſui ſtabilitate. Cuius legationem Irminfridus benigne quidem ſuſcepit, & iure pacem, concordiam quoque cum eo habere aſſeruit, quod ſororem ſuam in matrimonio ſibi copulaverit: ſuper regni vero ſtabilitate nil ei poſſe reſpondere, niſi Principum ſuorum aſſentatione. Soror itaque Regis Theoderici indignum ducens ipſum Regem conſtitutum, affirmabat illum non iure ſibi regnum vindicaſſe, ſed potius ex paterna hereditate ſibi debere attinere. accitoque Iringo Irminfridi conſiliario egit cum eo, quatinus in auribus Principum ac fratris veredariorum conferret, Theodericum patris ſui concubinæ filium fore: & ideo merito ſibi ſeruum non debere regnum inuadere, quod eam attingeret ex paterna ſucceſſione. His auditis legati non mediocriter verecundati ad Dominum ſuum rediere, ſibique huiusmodi verba intulere. Qui furorem animi ſimulans ſtatuit, quia Irminfridus ſe pro ſeruo haberet, quantocyus ei ad obſequendum occurreret, & collecta multitudine Francorum, Thuringiorum terras inuaſit, & immanius vaſtare cepit. Interea, vt præfixum eſt, Sueui Albia flumine transuadato fixerunt tentoria in illius terræ confinio. Porro Theodericus Rex vt audivit, quod copioſus exercitus Sueuorum aduentaſſet, illico extimuit, ne Irminfridus eos in auxilium ſui nanciſceretur, prior illos anticipauit, eo quod eos propius ſibi caſtra metaſſe comperit. miſſisque ex optimatibus ſuis ſpoſpondit eis terram illam in proprietatem traditurum, quantum fluuius Salza per decurſum ſuum cingeret, defluendo in flumen Sala. Qua pactione ſancita omnis equeſtralis ala Sueuorum feſtinarunt Theoderico in auxilium, relicto pedeſtrali exercitu in loco caſtrorum. Quod vt Irminfridus reſciuit, manum validam equeſtrium elegit, & ad pugnandum contra Theodericum direxit. In qua congreſſione Irminfridus terga vertit, atque amnem Vmſtrort cum ſuis celerius tranſivit, & in ripa eiusdem fluminis hoſtibus acrius reſtitit. Quem Theodericus phalangis Francorum atque Sueuorum inſecutus, & ipſe alteram fluminis ripam econtra per dies tres occupauit, nec quemquam illorum remanere ſinebat. vbi dum caſtra metaſſet cum Francis in ſuperiori fluminis parte, Sueui quoque in inferioribus ſua tentoria fixerunt. Thuringi vero ſe cernentes deuictos pari deliberatione decreuerunt, quod exercitibus Theoderici minus repugnare poſſent, ſeſe in ipſius deditionem conferrent. vnde Iringum compilatorem talis confœderationis ſtatuerunt, & quod incentor bellorum foret, & auctor pacis inter ſe & Theodericum fieret. Qui abiens quosque Regis optimates conuenit, & eorum obtentu cum Theoderico pro patria ſua fœdus compoſuit. Cum igitur Rex diu reluctaretur, nec fœdus inire mallet, tandem ſororis commonitus, vt intercederet pro amore illius. Qua prece flexus Theodericus hac conditione cum Thuringiis iniit fœdus, quatinus hoc quod poſſederant hereditarie, id ab eo reciperent in beneficii iure. Præterea forte accidit, vt quidam ex Thuringiis, Wito vocabulo, ripam fluminis accipitrem manu geſtans deſcenderet: alteram quoque ripam Gozholdus quidam de Sueuis e regione aſcenderet. Et mittens Wito accipitrem ad irretiendam ardeam flumen transuolare, a Gozholdo ambæ aues ſunt interceptæ. quem Wito imprecatus, vt ſi ſuum volatile ſibi reſtitueret, rem quam ignoraret, ei inſinuaret. Tum demum Gozholdus fecit eum amnem tranſire, & accipitrem cum ardea recipere. qui caballo vadum quoddam pernatauit, atque ardeam cum accipitre recepit: Gozholdo quoque inquit, id pro certo tibi notifico, quod Reges ſunt placati, & hoc quod hactinus hereditarie poſſidebamus, ex Iringi ſuperflua ratiocinatione modo in præſtationem recepimus. Hoc audiens Gozholdus ad commilitones ſuos rediit, eisque cauſam pactionis examuſſim expoſuit. At illi confœderationes Regum metuentes, ne vel Theoderici ſponſione frauderentur, vel Regum conſpiratione ex prouincia propellerentur, decreuerunt noctu vadum per Gozholdum monſtratum tranſire, ac Thuringiorum caſtra ex improuiſo irrumpere. Quo peracto tantam ſtragem de hoſtibus dederunt, vt vix quingenti cum Irminfrido euaderent, qui etiam commigrauerunt ad Hunnorum Regem Attilam. Porro Sueui Thuringiis interemptis occupauerunt cuncta in aruis, in pratis, in nemoribus Vmſtrort flumini contigua, ac deinceps nemine reſiſtente incoluerunt ea. Pedites vero Sueuorum, qui in papilionibus remanſerant, vt cognoverunt quia commilitones dimicando obtinuiſſent loca ad commanendum oportuniora, profecti ſunt & ipſi, vt ſicvbi reperirent habitationes contiguas ſibi. Et venientes ad Danubium tranſierunt illum: deinde paludes eiusdem fluminis ingenti labore tranſeuntes in campo amœniſſimo ac latiſſimo, Swabowa ab eadem gente modo nun-

* *à Witichindo.*

Digitized by Google

do nuncupato, sese diffuderunt, vt illic aliquandiu pausantes liberius transcenderent Penninas Alpes. Decreuerant enim Longobardiam ire; ac illam prouinciam inhabitare. Erant autem ex vno latere campi Danubius, ex altero vero ampliſſimum nemus. Eo tempore Wilzhi Alpkerum filium Rorsteini de Wilzin in ipsa regione creauerant Ducem pro Rege, quod iidem Wilzhi cum longe ante trucidarentur, Rex suus Waldericus cum omni stirpe regia est deletus. Quam ob rem ex Burgundionum progenie Adiluolchum Walderici Regis filium Regem sibi constituere. Siquidem Sueuis, vt præfatum est, in campo constitutis Alpkerus Dux legationem Adiluolcho Regi fecerat in Burgundiam, vt copia armatorum veniret, ac peregrinas nationes, quæ in illa prouincia emersissent, opprimeret. His compertis Sueui consilio cuiusdam Luitholdi matronas suas optimis vestibus amicierunt, auro quoque & argento ornatius decompserunt, ac in papilionibus cum infantibus reliquerunt. Porro viri ipsarum armis assumptis in siluam secessérunt, & illic in insidiis latuerunt. Et factum est, cum hostes venirent, & neminem in castris nisi mulieres cum infantulis reperirent, ingentem prædam exercuerunt, seque onustantes cum fœminis ac puerilis abierunt. Denique Sueui pedetentim ex latibulis emergentes collectam multitudinem armatorum inuaserunt, spoliisque ereptis omnem illam militiam Burgundionum extinxerunt, & terras ipsas circumquaque in suum dominium contraxerunt.

VELLEII GALLI FRAGMENTVM

De Victoria Sueuorum contra Romanos.

DVm hæc circa Rhenum geruntur, in Noricorum finibus graue vulnus Romanus populus accepit. Nam Germanorum gentes, quæ Rætias occupauerant, non longe ab Alpibus, tractu pari, patentibus campis, vbi duo rapidissimi amnes inter se confluunt, in ipsis Norici finibus, ciuitatem non quidem muro, sed vallo fossaque cinxerunt, quam appellabant * Cisaram, ex nomine Deæ Cisæ, quam religiosissime colebant. Cuius templum quoque ex lignis barbarico ritu constructum, postquam eo colonia Romana deducta est, inuiolatum permansit, ac vetustate conlapsum, nomen colli seruauit. Hanc vrbem Titus Annius Prætor, ad arcendas Barbarorum excursiones, Cal. Sextil. exercitu circumuenit. Ad meridianam oppidi partem, quæ sola a continenti erat, Prætor ipse cum legione Martiâ castra operosissime communiuit. ad occidentem vero, qua Barbarorum aduentus erat, Auar, Bogudis Regis filius, cum equitatu omni & auxiliaribus Macedonum copiis, inter flumen & vallum, loco castris parum apto, infelici temeritate extra flumen consedit. pulchra indoles, non minus Romanis quam Græcis litteris instructa. Igitur quinquagesimo nono die quam eo ventum est, quum is dies Deæ Cisæ, apud Barbaros celeberrimus, ludum & lasciuiam magis quam formidinem ostentaret, immanis Barbarorum multitudo, ex proximis siluis repente erumpens, ex improuiso castra irrupit. equitatum omnem, & quod miserius erat, auxilia sociorum deleuit. Auar cum in hostium potestatem regio habitu viuus veniisset, pecudis more mactatur. Oppidani vero non minori fortuna, sed maiori virtute Prætorem in auxilium sociis properantem adoriuntur. Romani haut segniter resistunt. Duo Principes oppidanorum Habino & Cacus in primis pugnantes cadunt. & inclinata iam res oppidanorum erat, ni maturassent auxilium ferre socii, in altera ripa iam victoria potiti. Denique coadunatis viribus castra irrumpunt. Prætorem, qui paulo altiorem tumulum frustra ceperat, Romana vi resistentem obtruncant. Legionem diuinam, vt ne nuncius cladis superesset, funditus delerunt. Verres solus Tribunus militum amne transmisso in proximis paludibus se occultans, honestam mortem subterfugit. Nec enim multo post Siciliæ Proconsul immani auaritia turpem mortem promeruit.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI

Historia Suevorum. **

SVeui duce Hermerico Rege cum Alanis & Wandalis simul Hispanias ingressi sunt Era CCCC. XCVII. Hi † Galliciam cum Wandalis occupant. Wandalis autem transeuntibus Africam, Galliciam soli Sueui sortiti sunt; quibus præfuit Emericus annis quatuordecim. Gallici autem in parte prouinciæ regno suo vtebantur; quos Emericus assidua vastatione deprædans tandem ob morbi dolorem eis pacem dedit: quo morbo diutissime per annos septem oppressus interiit. Post quem Riccila filius eius successit & regnauit annis octo. Hic iubente patre ab eo missus, Vndebotum Romanæ militiæ ducem cum suis omnibus copiis ad Singilium Beticæ fluuium inito bello prostrauit, magnis eius auri argentique copiis occupatis. Post obitum autem patris suscepto regno, Hispania ab eo obtenta cum Betica, Carthaginenses prouincias in suam redegit potesta-

* *Augustam Vindelicorum interpretantur.* ** *De rebus in Hispania gestis.* † *al. Gallaciam.*

Digitized by Google

teſtatem. Quo defuncto Rectiarius ſuccedit in regnum annis nouem. Hic accepta in coniugio Theudoridi Regis Gotthorum filia in initio regni ſui ..... deprædatur. Mox ad Theudoridum ſocerum ſuum profectus Cæſarauguſtanam regionem cum auxilio Gothorum rediens deprædatur, irruptaque per dolum Ilerdenſi vrbe, egit ibi magnam captiuitatem. Ad vltimum dum Theudoridus Rex Hiſpaniam ingrederetur, inito prœlio aduerſus eum primo fugatus, deinde captus occiditur. Occiſo Rectiario Sueui bifarie diuiſi; pars Fratan, pars Masdran ſibi Regem conſtituunt. Masdras autem cum manu Sueuorum ſtatim Luſitaniam deprædatur, acta illic Romanorum cæde prædisque contractis. Ciuitas etiam Oliſepona ſub ſpecie pacis intratur. Nec mora, Fratan mortuo, Sueui, qui cum eo fuerant, ad Masdram reuertuntur, regionem Galliciæ adhærentem flumini Durio deprædantur. Masdras autem peracto tertio anno regni ſui iugulatur. Quo extincto inter Frumarium & Remiſmundum Masdræ filium oritur de regni poteſtate diſſenſio. Sed Frumarius cum manu, quam habebat, Flauienſem ciuitatem grandi euertit excidio. Remiſmundus autem vicina ſibi pariter Arigenſium loca & Lucenſis conuentus maritima populatur. Frumario autem mortuo, Remiſmundus omnes Sueuos in ſuam ditionem revocat, pacem cum Gallicis reformat, legatos fœderis mittit ad Theudoridum regem Gothorum; a quo etiam per legatos & arma & coniugem, quam haberet, accepit. Tertio regni anno ad Luſitaniam tranſiit, Cimbricam pace deceptam diripit. Oliſepona quoque ab eo occupatur; ciues vero, qui illic præerant, cuſtodiendos tradidit Luſidio. Huius tempore Alax natione Galata, effectus apoſtata & Arrianus, inter Sueuos regis ſui auxilio fidei Catholicæ hoſtis emerſit. cuius ſeductione Sueui a fide Catholica recedentes in Arrianum dogma declinant. Poſt multos deinde Reges regnum Sueuorum ſuſcepit Theudemirus, qui fidem Catholicam adeptus, Arrianæ impietatis errore deſtructo, Sueuos vnitati fidei reddidit. Huius temporibus Martinus monaſterii Dumienſis Epiſcopus fide & ſcientia claruit: cuius ſtudio & pax eccleſiæ reddita eſt, & multa monaſteria condita. Poſt Theudemirum, Miro Sueuorum Princeps efficitur, & regnauit annis XIII. Hic bellum ſecundo regni ſui anno contra Roccones intulit: deinde in auxilium Liuuigildi Gothorum regis aduerſus rebellem filium ad expugnandam Hiſpalim pergit, ibique vitæ terminum claudit. cui Eburicus filius in regnum ſuccedit, quem adoleſcentem Audicas aſſumpta tyrannide regno priuat, & monachum factum in monaſterio damnat, pro quo non dilata eſt ſententia. mox enim Liuuigildus Gothorum Rex Sueuis bellum inferens, obtento eodem regno Audicam deiecit, atque detenſo eo poſt regni honorem presbyteri officio conſecravit. Sic enim oportuit, vt, quod Regi ſuo fecerat, rurſum idem ab alio congrua meriti viciſſitudine pateretur. Regnum autem Sueuorum deletum in Gothos transfertur, quod manſit annis CXXVI.

Explicit Hiſtoria Sueuorum.

JOANNIS BOEMI AVBANI

Suevia.

SVeuia Germaniæ prouincia ætate noſtra iſtis finibus deſcribitur: ab oriente Baioariis, ab occaſu Alſatenſibus & Rheno iungitur; Alpium iuga a meridie habet, a ſeptentrione Franconiam. a Sueuis populis dicta, qui ex ea Scythiæ parte, quæ hodie Liuonia & Pruſſia eſt, digreſſi ibi conſederunt, auctore Antonio Sabellico, & confirmare iſtud Lucanus videtur inquiens:

Fundit ab extremo flauos Aquilone Sueuos.

Alemannia prius nominata fuit a lacu Lemanno, qui & Lauſanenſis vocatur. Suprema portio totius Germaniæ Sueuia eſt, duobus clariſſimis fluminibus Rheno & Danubio irrigatur, quorum alter modico fluxu in occidentem Oceano miſcetur; hic e diuerſo in orientem per innumeras gentes volutatus Pontum influit. Terra partim plana, partim montoſa. Ager fertilis, cuius nulla pars inculta iacet, præter quam aut lacus aut montes vel ſiluæ occupant. Nemora in ea multa, & ob id genti venatio frequens, aucupium peculiare, frumentorum abundantia, pecorum magna vis. Conualles plurimæ perennibus riuis clariſſimæ, vndique amnes procurrunt, qui ſe vniuerſi in Rhenum & Danubium exonerant. Tota inſuper prouincia ſalubritate gaudens, celebratiſſimis vrbibus, vicis & caſtellis referta. Arces excelſæ natura & arte munitæ, & quod ad Chriſtianam religionem pertinet, pulcherrimis atque ditiſſimis templis, collegiis, monaſteriis variorum ordinum ſexus vtriusque baſilicis, parochialibusque eccleſiis eſt exornata. Circa montes ferrum, argentum, & metalla procreat. Gens populoſa, fortis, audax, & bellicoſa, procero corpore, flauo crine, venuſta facie & decora, ingenio ſingulari prædita, *præſtantiſſima Germanorum* a Plutarcho dicta. cuius gloria eò vsque creuiſſe memoratur, vt virtute & armis imperium orbis meruerit, illudque vltra vnius ſeculi ſpacium magnificentiſſime tenuit. Sed viduata poſtea ſuis Principibus, neſcio qua forſunæ iniquitate dicam aut ignauia mox ſubſtitit, quaſi non extet, qua famam ſuam extendere, aut quod minus eſt, tueri poſſit. Caius Julius Cæſar in L. IV. Commentarior. de hac ita ſcribit: *Sueuorum gens longe maxima ac bellicoſiſſima Germanorum omnium centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis ſingula milia armatorum bellandi cauſa e finibus educuntur, reliqui, qui domi remanſerint, ſe atque illos alunt. Hi rurſus inuicem anno poſt in armis ſunt, illi domi remanent. ſic nec agricultura*

neque

Digitized by Google

neque ratio, atque vſus belli intermittitur, ſed priuati ac ſeparati agri apud eos nihil eſt, neque longius anno remanere vno in loco incolendi cauſa licet. Non frumento ſolum, ſed vulgo lacte & pecore viuunt, multumque ſunt in venatione; quæ res & cibi genere & quotidiana exercitatione & libertate vitæ (quod a pueris nullo officio aut diſciplina conſuefacti nihil omnino contra voluntatem faciant) & vires alit & immani corpore homines efficit. atque in eam ſe conſuetudinem adduxerunt, vt ſub cœlo frigidiſſimo habitantes neque veſtem vllam præter pelles habeant, quarum propter exiguitatem maior corporis pars nuda & aperta eſt. Lauantur in fluminibus. Mercatoribus eſt ad eos aditus magis, eò quod quæ bello ceperunt, vendant, quam vt aliquam rem ad ſe deferri deſiderent. quin etiam iumentis, quibus Galli maxime delectantur, quæque impenſo parant pretio, Germani non vtuntur, ſed quæ apud eos ſunt & natura parua & deformia, hæc quotidiana exercitatione ſummi vt ſint laboris efficiunt. Equeſtribus prœliis ſæpe de equis deſiliunt, ac pedites prœliantur, & eos eodem veſtigio remanere edoctos, vbi vſus eſt, celeriter repetunt. neque moribus ſuis quicquam inhoneſtius aut inertius putant, quam ephippiis vti. Itaque ad quemuis ephippiatorum equitum numerum, quamuis pauci, adire audent. Vinum ad ſe importari omnino non ſinunt, quod ea re ad laborem ferendum remolleſcere homines atque effœminari arbitrentur. Publicæ eſſe laudis putant quam latiſſime a ſuis finibus vacare agros: hac re ſignificari magnum ciuitatum numerum ſuam vim ſuſtinere non poſſe; propter quod vna parte à Sueuis circiter mille ſexcentorum paſſuum agri vacare dicuntur. Cornelius Tacitus, vbi de Germanorum ſitu & gentis moribus ſcribit, de Sueuis ita refert; *Maiorem*, inquiens, *Germani partem propriis adhuc nationibus nominibusque diſcreti ſunt, quamquam in communi Sueui vocentur. Inſigne*, inquit, *gentis eſt obliquare crinem nodoque ſubſtringere: ſic Sueuia a cæteris Germanis, ſic Sueuorum ingenui a ſeruis ſeparantur: apud eos vsque ad canitiem horrentem capillum retro ſequuntur, ac ſæpe in ipſo vertice religant, Principes ornatiorem habent. Statuto tempore in ſilvam auguriis patrum & priſca formidine ſacram omnes eiusdem ſanguinis populi legationibus coeunt, cæſoque publicè homine celebrant; barbari certe ritus horrendaque primordia. Eſt & alia luco reuerentia. Nemo niſi vinculo ligatus ingreditur, ut minor, & numinis poteſtatem præ ſe ferens. ſi forte prolapſus, attolli & inſurgere haut licitum; per humum euoluuntur, eoque omnis ſuperſtitio reſpicit, tanquam inde initia gentis, vbi regnatur omnium Deus, cætera ſubiecta atque parentia. Pars quoque Sueuorum,* vt idem Cornelius habet, *Iſidi ſacrificat. peculiaria cætera Germanis & ipſis ſunt communia.* Verum enim vero non ſolum apud Sueuos, ſed & apud omnes fere gentes mutati ſunt mores, & quod dolendum plurimum eſt, fere in peius. Nam hodie potentiores Sueuorum fere omnes mercaturæ vacant, ſocietatem ſiue confœderationem vnam multi ineunt, ac certam pecuniæ ſummam quisque ponit, qua non ſolum aromata, ſerica, atque alias pretioſas merces, quæ ad nos a tranſmarinis & remotiſſimis regionibus tranſuehuntur, emunt; ſed vilia etiam, vt cochlearia ſunt, acus, ſpecilla, pupæ, & huiusmodi. præëmunt etiam vina & frumenta. quod ego tamen non laudo; quum id non minus opificibus & agricolis graue damnoſumque ſit (qui ſua ante tempus gryphonibus iſtis, ne potius dicam vel mercatoribus vendunt, quæ poſtmodum neceſſitate cogente duplo ære redimere ab ipſis debent) quam toti prouinciæ: quæ quibuscunque indiget, non apud vicinas gentes, a quibus minori pretio habere poſſit, accipere debet (ſic enim a corruptis munere Principibus impetratum) ſed ab illis in Stutgardia aut alias vbi emporia habent. Ipſi tamen per ſe non negotiantur, ſed communibus ſeruitiis, qui contractam rurſus pecuniam vna cum lucro congregantes certo tempore rationem ponunt, ſingulisque Dominorum lucri partim fideliter præbent. Priuati Sueuorum nulla alia re, nullo artificio magis occupantur, quam lini operatione, cui adeo incumbunt, adeo dediti ſunt, vt in quibusdam Sueuiæ locis nedum mulieres & puellæ, ſed adoleſcentes & viri hyemis tempore colo admoueantur. Panni genus faciunt, cuis tela linea eſt, intextum bombycinum, *pargath* illud vocantes. Faciunt & totum lineum, quod *golſch*, appellant. Compertum habeo apud Vlmenſes ſolum, quotannis vtriusque generis pannos parari centum milia. ex quo quisque coniecturare poteſt, quam incomprehenſibilis incredibilisque ſumma in tota regione elaboretur. Ad remotiſſimas nationes iſti panni tranſuehuntur, & maxime bis in anno ad emporium Franconafordenſe, vbi quam ingens vectigal Sueuicæ nationi accedit. Præterea quoniam bonis mala commixta ſemper ſunt, & nulla ex omni parte erecta, ſunt Sueui in Venerem ſupra modum proni; fœmineus ſexus virili ad malum facile conſentiens, immature vterque prævaricatur, ſero reſipiſcit. Ego huic vitio maxime ſuffragari exiſtimo, quod, quemadmodum in aliis Germaniæ prouinciis, eccleſiaſtica cenſura publici illi fornicarii, adulteri, raptores minus inſectentur. Prouerbium ortum, *Vnam Sueuiam toti Germaniæ ſatis meretricum tranſfundere:* quemadmodum *Franconiam copiam dare raptorum & mendicantium, Boemiam hæreticorum, Baioariam furum, Heluetiam carnificum & lenonum, Saxoniam potatorum, Friſiam atque Weſtualiam periuratorum, Rhenum gulonum.*

FINIS.

Digitized by Google

HENRICI BEBELII IVSTINGENSIS Epitoma LAVDVM SVEVORVM

Ad

Virum nobilem atque magnanimum Conradum Thum de Neuburg, Principis Vdalrici VVirtenbergenſis Marſcalcum.

SCripturo mihi defenſionem Sueuorum, libuit obiter & verecunde in eorum laudibus prædicandis immorari: quorum tamen immortalia facta, resque præclariſſime geſtæ maxima ex parte Scriptorum penuria venerunt in obliuionem. Nam *eorum qui fecere virtutes* (ut ait Criſpus & Hieronymus) *tanta habetur auctoritas, quanta eam verbis potuere extollere præclara ingenia*, vti Alexander Magnus ad Achillis tumulum non obſcure demonſtrauit. Quæ ſi cum ita ſint, & Germania nullos vmquam habuerit rerum ſcriptores, ſaltem vetuſtos, ego ſæpe alias vt nunc Germaniæ motus commiſeratione, nihil a Diis immortalibus maiori voto religioſiusque optaui in rebus profanis, quam nobis ab antiquo fuiſſe rerum ſcriptores, qui citra omnem vel affectionem vel adulationem res Germanas ſcriptitaſſent. Qui ſi fuiſſent, non aliunde exemplum omnium virtutum petendum eſſet, quam a Sueuis. Quod cum ſcriptores defuerint nobis, triplici ex cauſa res noſtræ fortiter geſtæ venerunt in oblivionem. Primum enim vehementiſſima ſuſpicione carere non poſſum, quin Romani (quibus ſemper fere Germani & Sueui hoſtes fuere) quamtum potuerint, geſta noſtrorum vel ignoratione (quippe quibus numquam tota Germania cognita fuit) vel odio propriæque laudis ſtudio extenuare vel obfuſcare, vel ſua plus æquo dilatare & extollere non neglexerint, adeo vt (teſte Ioſepho) *aut Romanorum obſequio aut externorum odio contra fidem rerum falſa confirmauerint*, ut dum *Romanos valuerunt oſtendere magnos, externorum res extenuaverint, & in humilitatem dejecerint*, vt idem teſtatur Ioſephus. Quod etſi Cæſar Iulius, Titus Liuius, Suetonius, Corn. Tacitus, & alii nonnulli fide digni habentur ſcriptores, ſicuti nec ego inficias ire volo, multo tamen laudatiores & magis celebres contenderim eſſe Germanos, ſi & hos ipſos eſſe Germanos contigiſſet. adeo nemo noſtrum eſt, quem non patriæ dignitas & amor interdum permoueat, vt longe liberalius & effuſius diſertiusque in illius laude recenſenda, quam exterorum & præſertim inimicorum rebus glorioſe geſtis perſiſtat. ad quod credendum iuſtiſſimis rationibus inducor. Nam FL. Vopiſcus hiſtoricus ait, *Neminem non hiſtoricum, quantum ad hiſtoriam pertinet, aliquid eſſe mentitum.* addit quoque *proderem quin etiam in quo Liuius, in quo Salluſtius, in quo Corn. Tacitus, in quo denique Trogus manifeſtis teſtibus conuinceretur.* Præterea *ſcribe*, inquit, *vt libet, ſecurus, quod velis, dices, habiturus mendaciorum comites, quos hiſtoricæ eloquentiæ miramur auctores.* Et Aſinius Pollio dixit; *Parum diligenter, parumque integra veritate compoſitos commentarios Cæſaris.* Et Cicero; *Quæ enim Cæſar numquam neque fecit neque feciſſet, ea nunc ex falſiſeius commentariis proferuntur.* Et Pollio contra Liuium dicit, *quod pleraque per alios geſta temere crediderit.* Nonne, vt ad Græcos veniam, omnes inter ſe Græcorum ſcriptores certant, de falſitate hiſtoriarum inter ſe mutuo digladiantes? Teſtis eſt Ioſephus Iudæus contra Appionem Grammaticum, & Euſebius lib. 10. de Præparat. Euangelica dicens; *Pugnant inter ſe omnes, & alter alterius falſitatem redarguit. non eſt opus vt eos moneam, qui melius me ſciunt, quid Hellanicus, contra quem Acuſilaus, de genealogiis ediderit; nec vt enumerem in quot quantisque Heſiodum reprehendit; nec dicam quomodo Epborus Hellanicum, Timeus Epborum, Timeum poſteriores, Herodotum omnes reprehendunt. non eſt neceſſe de ſingulis atque minoribus dicere, cum de Perſarum in Græciam impetu, & de præclaris facinoribus tunc geſtis inter ſe vehementer ſcriptores diſcrepent, cum etiam Thucydidem, qui accuratiſſime ſuorum temporum hiſtoriam conſcripſiſſe creditur, quaſi mendacem nonnulli accuſent.* Nonne & Herodianus Græcus dicit, *plerosque hiſtoriographos plus oſtentatione eloquentiæ quam amore veritatis ſcripſiſſe?* Alios vero (ſicut & Polybius aſſerit) *plus fauore & aſſentatione vel odio Tyrannorum vel populorum egregia elevaſſe atque extenuaſſe, vel humilia ſupra veri fidem dicendi artificio atque elegantia celebraſſe atque in cœlum ſuſtuliſſe.* Ex quibus nemo dubitare poteſt, quin Sueuorum & omnium Germanorum res & in obſcuro manſerint, & mendaciter ſint poſteris traditæ ob ſcriptores exteros & hoſtes Germanorum. Secunda cauſa eſt, cur Sueui non ſint pro rerum dignitate & meritis celebrati: quia quicquid apud cæteros a Sueuis egregie geſtum eſt, communiter Germanis aſſcribitur. nec enim Itali ita nouerunt differentiam inter Sueuos & cæteros Germanos, vti nos. Et quoniam Galli illis notiores ſunt, ſæpe quæ Germani vel ſine vel cum Gallis fecerunt, ipſi tantum Gallis aſſcripſerunt, ſicuti nos iam facimus, & præſertim

sertim vulgus. quicumque non lingua nostra loqui nescit, vocamus Italum, vernacule *Walchen.* Tertia causa obscuritatis Sueuorum; quia nunc Sueui, nunc Alemanni dicimur. inde quicquid Alemanni vbique terrarum gesserunt, Sueuis ascribendum est: sed quod Alemanni Sueui sint, testatur D. Hieronymus in vita Hilarionis; *Inter Saxones*, ait, *quippe & Alemannos gens est Francorum, non tam lata quam valida, &c.* Hoc item Paulus Diaconus, *Ex Sueuorum*, dicens, *id est, Alemannorum gente oriundus.* Et Gualfridus Abbas S. Galli; *Dum duo sunt*, inquit, *vocabula, Suevia atque Alemannia, vnam gentem significantia, priori nomine nos appellant circumpositæ gentes, quæ Latinum habent sermonem, omniaque priuilegia Augiæ Maiori à Carolo Magno eiusque successoribus data declarant Alemannos vocari iuxta lacum Constantiensem, monasteriumque esse in Alemanniæ partibus, vt dicit Carolus tertius.* Hoc item testatur historia elegantissima cuiusdam Abbatis, qui de Henrico V. ita dicit: *Mittuntur in legatione Romam à Lotharingia Bruno Treuirensis, à Saxonia Magdeburgensis, à Francia Otho Babenbergensis, à Bauaria Eberhardus Ehistettensis, ab Alemannia Geberhardus Constantiensis, à Burgundia Curiensis.* Albertus item Magnus dicit, *Sueuos Alemannos à maximo lacu Lemanno, qui ante radices Alpium effunditur, per cuius medium transit Rhenus, qui modo Constantiensis, & Brigantinus etiam à Solino dicitur.* Laurentius Vallensis cum Alberto sentit; *Hi videntur à Lemanno lacu, id est, Constantiensi, Alemannos dictos.* Et Gotfredus Viterbiensis;

Rhenus ab antiquis describitur esse Lemannus.

Alii autem ab Hercule Alemanno; quia, vt dicit Berosus, *Hercules Alemannus apud Turyscones regnauit.* Et Annius Viterbiensis ibidem credit, *aut Manni filium fuisse, vel qui Manno in regno successerit.* Qui Hercules Alemannus religiose apud Germanos cultus est. Nam, vt dicit Tacitus, *Germani apud eos Herculem fuisse commemorant, primumque omnium fortium virorum ituri in prœlia canunt.* Et hodie in Augia Maiori insula Rhenana visitur idolum Alemanni æreum, & in æde sacra in rei memoriam seruatur, quod & Lemanno lacui nomen dedisse videtur, & Alemannis, & monasterio Almanswiler, & villæ Almanshoffen, & aliis nonnullis pagis. Abeant hinc somniatores, qui volunt Alemannos à Lemanno Lacu Galliæ Celticæ, inter quos est Sabellicus, dici. nihil enim nec receptum nec verisimile dicunt, vt satis supra ostendi. Alii modo maiori impudentia volunt Alemannos esse genus aduentitium ex varia colluuione gentium, quod multo minus quadrat, & quod tamquam commentum omnino transeo, contentus dixisse, quæ nemo sanus reprobet. Quod si volueritis hinc legere, quid Alemanni Sueui gesserint per totam Italiam & alias regiones, inuenietis eos celebratissimos. Nec ego Heluеticos, Confœderatos modo dictos, Sueuos esse admito, sicuti nec ipsi volunt, (Alemannos tamen non negabo, qui latius extenduntur) licet nobiles se de Sueuis confœderatis aliquando scripserint. Fuerunt enim Ducum Sueuiæ & *Alemannici ducatus* (vt vocat Ludovicus Francorum Rex Ludouici Pii Cæsaris filius) clientes & sub illorum ditione, subditi quoque non Sueui, quos Gallos ante existentes Sueui Alemanni Rhenum traducentes in seruitutem redegerunt & linguam mutare coëgerunt. Nam tempore Cæsaris, teste Orosio, Heluetii, modo Suitenses, exierunt proprias sedes ea de causa quod perpetuo pene cum Germanis bello altercabantur, à quibus Rheno tantum flumine dirimebantur. Nobiles à Principibus præfectos oppidorum atque castrorum impositos etiam ipse Sueuos ex origine existimo. Cum igitur istis ex causis Sueuia non sit pro rerum meritis celebrata, & maxime quia nullos nisi hostiles scriptores habuit, qui non nisi obiter suos Duces extollendo res nostras tetigerunt, volo tamen pauca quædam ex historicis colligere & scriptoribus, quibus quilibet optime coniecturare potest, gesta nostrorum esse amplissima, si scriptores vernaculos habuissemus. Primum Sueui singulariter præ aliis Germanis *Nobiles* dicuntur. Testis Seneca Hispanus in Medea;

Lucis Sueui nobiles Hercyneis.

Quod si aliquis à corpore laudandus venit, Sueuia est terra populosa, cui gens procero corpore, flauo crine & pulcherrimo, venusta facie, decora specie, robore membrorum & lacertorum validissimo, in quos denique Dii immortales tanta naturæ & corporis bona atque ornamenta fortunæ congesserunt, vt nullis gentibus cedere debeamus. Sed alia sunt, à quibus plus commendamur. Corn. Tacitus à fide nos commendat (quos perfidiæ accusare nititur * Supplementum Chronicarum) dicens *Gens fidei commissæ patientior.* Et nostri maiores semper latera Imperatorum Romanorum stipabant, in singularis fidei & integritatis testimonium. Et vt postremo integerrimam semper nobis fidem esse adhibitam nosque omnium nationum non solum Germaniæ fortissimos & fuisse apud veteres, & recentiores esse ostendam, tale sit vobis argumentum. Nam cum Vitellius, teste Corn. Tacito, à *Germanico exercitu* (non *Germaniciano*, vt Beroaldus homo alioquin doctissimus falsè & contra omnes historicos illius rei persuadere voluit) esset Imperator acclamatus, solisque Germanis comitibus imperium esset adeptus, & aliorum Imperatorem Othonem victis sæpe illius exercitibus ad mortem voluntariam compulisset, effetque à Romanis electus Cæsar contra Vitellium, Vespasianus in re militari expertissimus feliciſſimusque Imperator, diu deliberavit, an imperium susciperet propter Germanicarum legionum vim, famam & robur, tandem fortissimos Germanos non nisi Germanis vincendos existimans, Sidonem atque Italicum Sueuorum Reges in auxilium & partes suas traxit, qui cum suis Sueuis primori in acie ver-

* *Cuius auctor Iacobus Philippi Bergomensis.*

Digitized by Google

sati vicerunt Germanos, Vespasianumque in imperio firmaverunt, sicuti etiam successu temporis Constantinum Magnum ad imperium auxilio suo euexerunt, teste Aurelio. Ecce summam fidei & fortitudinis opinionem in Sueuis apud veteres & Romanos. Quod si ad recentiora tempora descendamus, inueniemus Sueuos vniversæ nationi Germanicæ animi magnitudine, fide, & virtute præpositos. Nam dum quidam Abbas Hersfeldensis Saxo describeret & eleganter quidem Henrici IIII. Imperatoris gesta contra Saxones, ita inquit; *Datum est negocium Rudolpho Sueuorum Duci, vt ipse cum suis prima acie confligeret peculiari Sueuorum priuilegio, quibus ab antiquis iam diebus lege datum est, vt in omni expeditione Regis Theutonici ipsi exercitum præcedere & primi committere prælium debeant.* Hoc idem confirmat Gotfredus Viterbiensis non Sueuus, neque Germanus, sed Italus his nominibus:

Iudicio cœli dominantur in orbe Sueui,
Nunc vbicumque geri Respublica prælia quærit,
Ordine primus erit, gladio vult primus haberi,
Moreque signifieri primus in hoste ferit.

Hoc etiam, vt vetera dimittamus, comprobauit coronatio Fœderici III. Cæsaris Augusti nuper defuncti, quem Romam pro Augustali corona intrantem præibant omnium primi Sueui, vexillum S. Georgii, quod Aquilam præcesserat, gestantes. Quibus ex rebus relinquo vniuersi mundi iudicio, qualis antiquitus fuerit & nunc esse debeat Sueuorum existimatio, quæ non nisi ex rebus præclarissime gestis progressa dinoscitur. Quare hanc eximiam maiorum nostrorum prærogatiuam, & incomparabilem gloriam à Carolo Magno, vt dicitur, vsque in hunc diem summa cum laude nostra nobis delatam, Vdalrice Princeps inuicte atque fortissime, non sinas vnquam sub te aut tuo tempore aboleri, aut ab alio præripi. Quoniam nullum maius virtutis testimonium vnquam aliqua gens præferre aut sibi arrogare, mea opinione, potest. Æmulemur, quæso, te Duce & Principe maiores nostros, qui rebus fortiter gestis hanc pepererunt laudis & gloriæ prærogatiuam. Sumus illorum sanguis, illorum effigies expressissima: in nobis relucet mirifica illa maiorum nostrorum nobilitas & animi magnitudo. Turpissimum ducamus, precor, ab illis degenerare: nec committamus, vt clarissimum hoc virtutis nomen & candidissima fides, quam maiores & patres nostri multo sanguine & rebus felicissime gestis iure quodam quasi hereditario reliquerunt, nos ipsi per segordiam & negligentiam amittamus, etsi te Duce, Princeps illustrissime (Dii bene faueant) numquam formidare debeam. Et vt latius externorum testimonio cæteris Germanis nos præstare probetur, dicit Iul. Cæsar. lib. 4. *Sueuorum est gens longe maxima & bellicosissima.* Item Tencatheri & Vsipetes Germani à Sueuis sedibus suis pulsi ita loquuntur apud Cæsarem; *Sese vnis Sueuis concedere, quibus nec Dii quidem immortales pares possint, reliquum quidem in terris neminem esse, quem non superare possint.* Plutarchus dicit *præstantissimos Germanorum Sueuos.* Paulus Orosius dicit, *maximam & ferocissimam esse gentem:* & alibi, *fortissimam:* & L. Florus, *validissimam.* &, vt dixi, Sueui Tencatheros & Vsipetes amplissimas nationes expulerunt, & insuper alias Germaniæ nationes sub se habuerunt, vt idem Cæsar testatur. Publice autem maximam putabant laudem esse, quam latissime à suis finibus vacare agros; hac re significari magnum numerum ciuitatum suarum vim sustinere non posse. Itaque vna ex parte tempore Cæsaris à Sueuis circiter millia passuum sexcenta agri vacabant. ad alteram partem successerunt Vbii, h. e. Colonienses, quos vectigales fecerunt, & postremo trans Rhenum secedere compulerunt, vbi adhuc habitant. Sed quid maius aut glorioſius dicere possum de Sueuis? Quamquam *Romani gentium domini & terrarum Reges, quibus maria obœdiuerunt, à quibus oriens & occidens lustratus est triumphis,* & quibus (vt dicit Egesippus) *supra nubes viantibus & vltra columnas Herculis imperium propagantibus nihil inuium fuit,* nos vnicos Sueuos numquam obœdientes habuerunt, quos & timuerunt & victores viderunt. & quibus Romanis non restiterunt non solum terræ ab illorum regione siluarum interuallis atque vastitate, alpibus, montibus, fluminibusque distinctæ, verum etiam quas (vt gloriantur) æternis ardobus inaccessas aut continua hieme separatas, aut interfusis æquoribus abuinctas ab his natura disterminat, se trementes submiserunt: adeo vt non Indus Oceano, non frigore Mæotis, non Arabs medio sole securus fuerit: his Sueuorum sola & inuicta virtus restitit. Et ecce Iulius Cæsar, cuius fortuna humanæ felicitatis modum supergressa est, cuius virtus numquam intremuerat, & incitatissimus bellorum & triumphorum successus & cursus instar amnis hibernis niuibus aucti profluens, hactenus numquam substiterat, apud solos Sueuos elanguit, resedit, & consistere coactus est. Nam bis traducto Rheno vlcisci Sueuos putauit ob auxilia (quæ *nemini*, vt alius dicit, *contra Romanos denegabant*) Treuiris missa, & quod assidue Vbios, qui erant in fide Romanorum, premerent; sed bis, postquam Sueuos audiuit esse in armis, paucis diebus trans Rhenum moratus, pontem quem fecit, rescindens aufugit. Quod si æqualibus Asinio Pollioni & Ciceroni Tullio fuit suspectus, quod in suis laudibus esset nimis & vltra veritatem profusus, multo celebratiores credo esse Sueuos, si Sueuus hanc illius trans Rhenum & contra Sueuos expeditionem atque rursus fugam scripsisset. Hoc vnum dico, Iulius immodicus animi numquam dimisisset Sueuos, si non eos timuisset. Qui quomodo, precor, causari vult vastitatem siluæ Hercineæ, quo minus illos sit aggressus, qui Britannos alterius orbis homines & hactenus ignotos Romanis per infestissimum mare quæsiuit, & cui ante & post Sueuos nulla regionum longinquitas, nulla iniquitas locorum nec vastitas, nec noxii serpentes, nec feruores Lybiæ, nullius tempe-

Digitized by Google

ſtatis aſperitas obſtitit? quos cum nequiret vincere, tandem amicos ſibi fecit cum cæteris Germanis, & eorum auxilio Galliam ſubegit & Pompeium cum toto Oriente atque innumeris Regibus cruentiſſimo bello vicit, adeo vt nihil egregium ſine illis auxiliatoribus gereret, adeo vt illis vitam & imperium monarchiamque accepta referre debeat. Quid dicam de Auguſto Cæſare, ſub quo totus mundus pacatus eſſe dicitur, cui ſe Perſæ ſubmiſerunt, & Indorum Reges muneribus honorauerunt? Nonne Imperatoris illius poſt natos homines fortunatiſſimi apud ſolos pene Sueuos felicitas claudicauit? Nam Quintilium Varum cum tribus legionibus ab illo ad arcendas Barbarorum excurſiones contra Auguſtam miſſum Sueui ad internecionem deleuerunt, ablatis ſignis & aquilis duabus. vnde adeo conſternatum ſcripſit Suetonius Auguſtum, vt per continuos menſes barba capilloque ſubmiſſo caput interdum foribus illideret, vociferans; *Quintili Vare legiones redde*, diemque cladis quotannis mœſtum habuerit atque lugubrem. Sed non ſolum tres legiones, verum Ducem etiam, Legatum, & auxilia omnia amiſit, vt ait Suetonius, quæ miſſa ſunt ab vniuerſis ſociis & ſubditis Romanorum, inter quæ erat Auar Græcus Bogudis Regis filius cum Macedonico exercitu, vt hodie antiquitates Auguſtæ vrbis declarant, vbi etiam hii verſus ſunt reperti;

His nomen terris Bogudis dat regia proles
*Græcus Auar, * pecudis de Sueuis more litatus.*

Fuit autem hoc graviſſimum & atrociſſimum inter Romanos & Germanos bellum, & poſt Africanum maximum. *Vnde notari poteſt*, dicit Otho Friſingenſis, *quanti roboris prædicta gens Germanorum fuerit, quæ in ſumma auctoritate Romani populi & imperii ſtragem Romani militis dederit. Tradunt Auguſtenſes hanc cædem ibi factam, oſtenduntque in argumentum collem ex oſſibus mortuorum compactum, quem in vulgari Perleich, eo quod legio ibi perierit, vſque hodie vocant, vicumque ex nomine Vari appellatum monſtrant.* Hæc Otho. Et tamen hanc ignominiam & memorabilem cladem à Sueuis acceptam Auguſtus numquam vindicauit, ſatis expertus Sueuos; ſed verſus ad Deorum Auxilia vouit magnos ludos Ioui, vt Reipub. ſtatum reformaret atque in meliorem ſtatum conuerteret. Tiberius Auguſti ſucceſſor timens, vt videtur, Sueuos Regem eorum Marobolum (vt teſtatur Euſebius & Sex. Aurelius) blande & amice ad ſe vocauit, callideque circumuenit, nec vmquam ad ſuos redire permiſit. Druſus autem Cæſar Tiberii frater præclariſſimas omnium res in Germania geſſiſſe prædicatur ſub Auguſto, ſed multo ſuorum ſanguine. Claudianus;

Nobilitant veteres Germanica fœdera Druſos,
Marte ſed ancipiti, ſed multis cladibus empta.
Quis meminit victum ſola formidine Rhenum?

Goldaſt. Res Suev.

De quo ita ſcribit Oroſius; *Poſtea fortiſſimas nationes & quibus natura vires, conſuetudo experientiam virium dabat, Cheruſcos, Sueuos, & Sicambros pariter vno bello, ſed etiam ſuis aſpero ſuperauit: quorum ex eo conſiderari virtus ac feritas poteſt, quod mulieres quoque eorum, ſi quando præuentu Romanorum inter plauſtra ſua concludebantur, deficientibus telis, vel qualibet re, qua velut telo vti furor poſſit, paruos filios colliſos humi in hoſtium ora iaciebant, in ſingulis filiorum necibus bis parricidæ. inde natum prouerbium, illorum mulieres cæterarum gentium viris fortiores & bellicoſiores eſſe.* Sed Druſus tandem prope Rhenum belligerans eſt a Germanis occiſus. Et *Germania*, teſte Floro, *magis turpiter eſt amiſſa quam glorioſe acquiſita.* Sed quota pars Germaniæ? parua profecto ab eo acquiſita, vt ex Oroſio probare poſſum in ſexto libro. *Tiberii ſucceſſor C. Caligula*, teſte Eutropio, *bellum contra Germanos mouit, ingreſſusque Sueuiam nihil ſtrenue geſſit*, imo timidiſſime fugit, & adeo conſternatus eſt animo, vt fugam tranſmarinam cogitaret & pararet. Nam quod Suetonius de Germanis refert, non poſſum ex Eutropio niſi de Sueuis intelligere. Ita autem dicit Suetonius; *Aduerſus Barbaros quoque minaciſſimus cum trans Rhenum inter auguſtias depreſſumque agmen iter eſſedo faceret, dicente quodam non mediocrem fore conſternationem ſicunde hoſtis appareat, equum illico conſcendit ac propere verſus ad pontes, vt eos calonibus & impedimentis ſtipatos reperit, impatiens moræ per manus ac ſuper capita hominum translatus eſt. Mox etiam audita rebellione Germaniæ fugam & ſubſidia fugæ claſſes apparebat, vno ſolatio acquieſcens, tranſmarinas ſibi ſuperfuturas prouincias, ſi victores Alpium iuga ut Cimbri, vel etiam Vrbem vt Senones, quondam, occuparent. Vnde credo percuſſoribus eius poſtea conſilium natum apud tumultuantes milites ementiendi ipſum ſibi manus intuliſſe, nuncio malæ pugnæ perterritum.* Poſterioribus vero temporibus non contenti Sueui & Alemanni in patrio ſolo Romanos non timere, immo vero Romano imperio grauiſſimi & formidabiles in primis, ſedibus ſuis relictis, crebras excurſiones in Italiam, Galliam, & Hiſpaniam fecerunt, omniaque vaſtantes atque victorioſis ſignis ſuppeditantes, contra Antoninum Verum, Maximianum, Conſtantium, Conſtantinum, Aurelianum, Iulianum, & alios Imperatores varia fortuna in Gallia ſæpe pugnauerunt. Tandem ſub Arcadio & Honorio vaſtatis Gallis transmiſſisque Pyrenæis montibus direptisque Hiſpaniis in Galetia conſederunt, ſeptemque ibi Reges per ordinem habuerunt, vaſtata ſæpe Tarraconenſi Carthaginenſique prouincia, vt auctores referunt. & quorum auxilio Huni toto orbe formidabiles ſæpius cæſi ſunt. Sed quid fecerint Senones, Longobardi, Angli (ſcriptorum nobiliſſimorum ſuffragio Sueui) nouit Gallia, Roma, Pannonia, Ilyris, Græcia, Macedonia, & Aſia teſtatur. Horum autem geſtorum auctores fuiſſe Sueuos oſtendi alibi non obſcure, & olim multo efficacioribus perſuaſionibus probabo. Poſtremo ſi vellem pro rerum dignitate laudare

* *Ex Velleii fragmento.*

Digitized by Google

dare Sueuorum Duces, qui imperium Romanum a Carolo magnificentiſſime & glorioſiſſime ad centum & viginti annos adminiſtrauerunt, opus eſſet profecto integro libro. Qui omnes aut ex Waiblinga oppido, aut caſtro Stauffa, hereditaria terra Principis noſtri Vdalrici originem ducentes cunctis fere Europeis gentibus iugum ſeruituti impoſuerunt, & feras illas atque indomitas Turcarum gentes ſæpe vaſtatione, prœliis, cædibus, ferro, & igni domuerunt: præſertim Conradus II. qui per Aſiam victricia ſigna tulit, atque cum perfidis Sarracenis in terra Sancta ſtrenuiſſime decertans illuſtriſſimis triumphis enituit. cuius vnum ex multis facinus memorabile quidem omnibusque Chriſtianis nedum Germanis & præſertim Sueuis glorioſum non duxi prætereundum. Ille enim dum apud Damaſcum præclariſſimam vrbem atque Syriæ caput maximam Sarracenorum atque Turcarum multitudinem atque infeſtiſſimum exercitum obuiam haberet, dimiſſo equo in prima Chriſtianorum acie conſiſtens dimicauit ſtrenuiſſime, & cum ex altera parte quidam gygas proceriſſimæ ſtaturæ ſuis ſpem maximam præberet viriliter pugnando, noſtrumque Imperatorem per collum apprehendiſſet, is educto gladio gygantem deſuper per medium diſſecuit. quo facto Sarraceni perterriti atque retro cedentes ſpecioſiſſimam Chriſtianis victoriam reliquerunt. Fœdericus Primus Armenia & magna Aſiæ parte in ſuam ditionem redacta, Saladinum victorioſiſſimum Regem atque vniuerſam Mahumetis perfidiam exterminaſſet, niſi cum ſummo Reipub. Chriſtianæ damno in paruo flumine eſſet ſubmerſus. Sub Henrico V. (penes quem pacis & belli gerendi auctoritas eſt atque adminiſtratio) Goffredus Germanus, Comes Bulionis & tandem Dux Lotharingiæ cum Germanis & aliis Chriſti fidelibus ſepulchrum Chriſti ab infidelibus eripuit. Fœdericus II. ſola aduentus ſui fama Sultanum ex Iudæa fugauit, in quam cum exercitu ingrediens in die Palmarum eſt Hieroſolymis Rex acclamatus atque coronatus. Quod ſi ad Europam reuertemus, inueniemus Sueuos Imperatores ſæpe Boiemis rebellibus iugum ſeruitutis impoſuiſſe, Sarmatarum & Polonorum regnum in Ducatum redegiſſe atque tributarium feciſſe, regnum item Burgundionum in prouinciam imperii inſtituiſſe, Hungaros ſæpe in propriis ſedibus percuſſiſſe, atque prioribus pulſis Reges impoſuiſſe, vtramque Rheni ripam, Saxoniam, Franciam orientalem, atque Bauariam, iuſtam interdum ſeruitutem detrectantes, pulſis vel exilio damnatis eorum Ducibus, maximis ſæpe calamitatibus & victrici manu, vt reſipiſcerent & ad ſanitatem mentis obœdientiamque reuerterentur, coegiſſe comperiemus. Qui quantis cladibus ſuperbas Gallias præſertim Ciſalpinam, Romam, Tuſcos, atque totam Italiam factioſam atque rebellem affecerint, quamque triumphalibus atque fortunatiſſimis aquilis ſub iugum ſeruitutis deiecerint, nemo eſt qui neſciat, cui ſaltem paucæ hiſtoriæ ſunt notæ. Horum plures Imperatores Romani, Reges Hieruſalem, Siciliæ, Apuliæ, Sardiniæ & Corſycæ Reges Dominique fuerunt. Quorum illuſtria atque immortalia facta viuent & in ore omnium hominum verſabuntur in perpetuum, cum aliorum ingeniis præclariſſimis, tum etiam meo, ſi Dii immortales mihi vitam, incolumitatem, & ſcribendi felicitatem ſunt conceſſuri. At vita comite ſpero me ſaltem aliis materiem & occaſionem præbiturum, vt eorum ingenio acriori exquiſitiorique dicendi genere immortalitati commendentur, quæ fortiter Sueui geſſerunt. Quod ideo dico: nam Itali, propterea quod Germania nullos habuit ſcriptores & literatores, qui eorum mendacia confutaſſent, libere ſunt in bonos Imperatores Germanos mendaciis debacchati, & præſertim in vtrumque Fœdericum, quorum amplitudo, magnificentia & maieſtas cunctis nationibus illuſtris, Italis viſa eſt exitialis atque intoleranda. Et Blondus, ſiue ſuo ingenio ſiue (quod magis credo) quia ita ab aliis acceperit, qui Pontificibus ſunt blanditi, quibusque Germanica virtus & rerum geſtarum gloria fuit exoſa, quod conſideraui in Sueuorum Imperatoribus, aliquando ab omni veritate hiſtorica aberrat, eorum extenuando gloriam & acerbius accuſando fortitudinem. Merito igitur conquerar defuiſſe nobis rerum ſcriptores. Nam, vt ad inſtitutum regrediar, quod maiorum noſtrorum res fortiter geſtæ venerint maiori ex parte in obliuionem, ſintque obſcuratæ per externos & hoſtes noſtros, poſſum lucidiſſime etiam ex noſtris temporibus colligere, dum ea quæ nos aut vidimus aut ex viuentibus & rerum geſtoribus audiuimus, peruertuntur mirum in modum a Chronographis recentioribus. Sumamus exempla noſtrorum temporum. Scripſit nuper * quidam Supplementum ſupplementi Chronicorum, qui inter cætera narrat captiuitatem Ludouici Ducis Mediolani ante ſex annos factam, & inter alia refert *Ludouicum proditorie eſſe in manus Gallorum traditum ab Angelis quibusdam* (vt ipſe dicit) & *Sueuis*. quod cum pellegiſſem, ſtomachabar partim hominis ſimplicitatem, partim miſerabar, quod ea quæ ſunt recentiſſima Coſmographiæ ignarus falſo narrauerit. Qui enim ſint Sueui, quique eorum fines minus bene nouit, dum alibi dicat, Maximilianum Cæſarem bellum habuiſſe contra Sueuos anno M. CCCC. XCIX. cum Heluetii fuerint. quoniam Sueui, columna & fundamentum imperii exiſtentes officio & obſequio in Regem nulli mortalium cedunt, pro cuius vitæ incolumitate, ſalute, & imperio propagando ubique terrarum militant, corpusque & ſanguinem intrepidi exponunt. Sed quid in re manifeſtiſſima laboro, cum ille ipſe Supplementator Sueuos excuſet, niſi in nomine erraſſet? Illi enim, qui contra Regem pugnauerunt, non Sueui ſed Heluetii dicuntur,

* *Iacobus Philippi Bergomenſis.*

Digitized by Google

tur, quos ipſe videtur criminari. Sed illos ego nec excuſo nec accuſo, laborans ad hoc vnum, ne Sueuorum nomen in tam turpi facinore falſo ad poſteritatem tranſeat: ſed cum acres habeat aculeos contumelia, non immerito ſtomachabar. Quis enim Sueuus æquo ferat animo ſuos proditionis inſimulari? a quo crimine nihil magis alienum eſt, quam virtus & fides Sueuorum. A quo deteſtando facinore, præter præfati ſcriptoris excuſationem, veriſſimus ego aſſertor Sueuos & omnes (ita enim dicuntur noſtri) * Lancearios ſanctiſſima fide immunes affirmo, obteſtorque omnes Longobardos Ducemque adhuc captum, nec non Italos omnes, qui Ducis partes fouerunt & ſecuti ſunt, pro veritatis teſtimonio, ipſos denique Diuos in teſtes voco, Sueuos & Lancearios nihil tale commiſiſſe, quin immo paratiſſimos fuiſſe experiri fortunam cum Gallis, nec certamen vmquam detrectaſſe, quippe quibus parua ſalus niſi in armis propoſita erat. quorum conſiliis dum parere Dux contempſit, factum eſt vt captiuus Gallicanus atque ſeruitium regium habeatur. & maximum argumentum, noſtros non conſenſiſſe in illam proditionem, eſt; quod noſtri primores, qui plurimum in exercitu apud Ducem poterant, ſunt maiori ex parte a Gallis Gallicanoque exercitu rebus omnibus exuti. Summus enim præfectus noſtratium copiarum a Gallis captus vitam & ſalutem vltra fortunas ſuas redemit. item nobilis vir Marcus de Emps captus & precio redemptus. ita multis aliis contigit centurionibus, ſigniferis, & illis, qui acierum inſtruendarum curam gerebant. Taceo de illis, quibus ea deditio mortem intulit. Hoc noſtri ex ſingulari Heluetiorum, qui paulo ante hoſtes noſtri erant, in ſe odio, qui vtramque partem fouebant militibus, ante formidantes, ſuæque virtuti inuictæque animi magnitudini confidentes non dubitaſſent contra vniuerſam Galliam eo die fortunam tentare, memores priſtinarum victoriarum, quibus ſæpe Gallos parua manu longeque inferioribus viribus fugarunt. Sed Dux quos fideles habuerit vel non, captiuus cogitur aliquando meminiſſe. Ego autem veriſſime dico

At nec Germanus natura prodere nouit,
Hinc ſpurius ſoleat prodere ſi quis erit.

Ita enim noſtri a patribus maioribusque ſuis didicerunt, vt virtute ſpectataque fide atque integritate, non dolo aut inſidiis nedum proditione contendant atque belligerent. Sueui autem & Lancearii illi ſunt, quorum auxilio & virtute inuictoque animo Reges Gallorum atque Gallicanus Heluetiorumque copioſiſſimus exercitus iam toties noſtris temporibus Apulia ſunt deturbati, fugati, & proſtrati: Errat & auctor ille Supplementi, vt alibi dixi, dum bellum Sigismundi Ducis Auſtriæ aduerſus Venetos narrat. errant & alii, ſiue de induſtria & adulatione veritatem ſupprimant. Nam & Petrus Marcellus de Venetorum Ducibus ſcribens, ita ait; *Conſpirauerunt namque omnes fere Germaniæ Principes aduerſus Venetos, qui ingenti Barbarorum exercitu comparato, nullo prius indicto bello, Atheſi apud Tridentum ſuperato, ſubito incurſu ad Rouerenſe oppidum caſtra poſuerunt.* O quanta iniuria veritati & rebus geſtis facta eſt, dum nemo non ſciat bellum fuiſſe ſolius Ducis Sigismundi, neque quemquam alterum Principem interfuiſſe, aut aliquo fœdere ſuum duxiſſe bellum! Sed quod ipſe prior, nullo prius indicto bello laceſſiuerit Venetos, ſcit totus mundus eſſe aliter factum. Nam præter hoc, quod Princeps fuit iuſtiſſimus & integerrimus, & nihil iniquum tale umquam cogitauerit, nemo etiam non nouit adeo fuiſſe pacis amatorem, vt niſi coactus illatum propulſare, numquam Venetis vel cuiquam mortalium bellum intuliſſet: E contrario vero Venetos agi præcipites dominandi libidine, pro qua nec fidem nec diuina humanaque iura penſi habere prædicantur vel maxime ab ipſis Italis. Addo autem alia inter ſe diſcrepantia, quæ ſcribunt Veneti de hoc bello. Subiungit idem Marcellus, *ad famam aduentus Germanorum tanto fuiſſe terrore perculſos Venetos, vt momento temporis ſine vllo maiori certamine in fugam verterentur, confractoque ponte Atheſis plurimi armati in aquas præcipitati cum equis vi fluminis abſorberentur, & Robertum Seuerinatem cum ſuis fere omnibus eodem furore perculſis in aquas demerſum concidiſſe.* Bergomenſis dicit, *ingentem fuiſſe Germanorum cædem*, cui & verba Marcelli refragantur & ipſa veritas. nullum enim detrimentum intulerunt Veneti. Qui enim fieri poteſt, vt ii qui ne vultum quidem Germanorum atque aciem fulgoremque oculorum ferre potuerunt, fugientes nondum bene viſos, ſtragem vllam edidiſſe credantur? vbi vllis in annalibus hoc lectum eſt? At noſtri fugientes & attonitos & ad potandum Atheſim feſtinantes Venetos conſecuti memorabili illos clade affecerunt. Dicitur & Antonius Sabellicus pariter cum ſuperioribus conſenſiſſe, & variis prœliis varia eſſe fortuna decertatum. Sed dicant quicquid velint omnes, Veneti defucare ſtudeant quibuscumque poſſint coloribus rem geſtam, nemo non nouit etiam in Italia cunctis prœliis ſiue leuibus ſiue iuſtis numquam Venetos ſuperiores, ſemper victos, captos, trucidatos, vel aquis ſubmerſos eſſe: veriſſimumque eſt epitaphium in ſepulchro Roberti Seuerinatis Tridenti;

Italiæ victor Seuerina ſtirpe Robertus
Sigmundum Auſtralem ſenſit in arma Ducem:
Ter proceres Veneti bello petiere Tridentum,
Ter victi, & victus ecce Robertus adeſt.

Baptiſta autem Mantuanus laudans vere laudandum & præſtantiſſimum rei militaris Ducem Robertum, eius in hoc bello fortiter res geſtas plus poetice quam hiſtorice ſcripſiſſe exiſtimatur. Et vt pateat quam parum probe

* *Lantzknecht.*

Digitized by Google

sint instructi de rei gestæ veritate, notum est Antonium Mariam Roberti filium, hominem proceritate & præstantia corporis atque animi magnitudine inter suos illustrem prouocasse ad monomachiam singulareque certamen quemcunque Germani vellent, natalibus tamen & nobilitate egregium: ex Germanis vero Ioannem Comitem de Sonnenberg, h. e. de Monte Solis, conditionem accepisse atque pro laude Sueuorum & totius Germaniæ fortiter pugnantem superiorem victoremque extitisse. Quod certamen Sabellicus enarrans dicit *ex Germanis fuisse Georgium Gombergium.* Qui quis sit, ego nescio. Sed vt concludam aliquando, quid splendidius, quid magnificentius aut maius ad gloriam Germanorum addi potest? quam paucis nostrorum copiis & nudis lanceaque tantum instructis militibus, robustis tamen viriumque & animi plenissimis pulsos esse, prostratos & cæsos copiosissimos Venetorum exercitus, ingentissimamque eorum cataphractorum manum, quorum equi operimento ferri munitiores nostrorum corporibus erant, nudorum Lanceariorum aspectum expauisse, ac ne primum quidem impetum aut congressum sustinere potuisse? Et profecto post degustatas iam frameas nostras postquam se ex fuga in tuta recepissent, ita trepidatum est totis castris, ita consternatus fuit maximus exercitus, vt optimum Ducem Robertum atque de Repub. Veneta meritissimum post abscessum Germanorum in vndis submersum quærere non auderent. quem tandem nostri pietate moti inuentum retulerunt Tridentum, ibique honorifice sepelierunt, subuersis tamen & fractis Venetorum signis. Postremo Supplementum iam sæpius nominatum falsissime narrat, Maximilianum nostrum Cæsarem Augustissimum ingressum ante aliquot annos Hungariam profligatum esse a Rege Vladislao. Nouit enim Hungaria & Germania vel vniuersus potius orbis præter hunc vnum Maximilianum Principem inuictissimum atque Christianissimum, postquam intrauerit Hungariam, obuia quæque strauisse, munitissimamq; totius regionis vrbem Albam Regalem maximis copiis instructam eo, quo aduenerat, die vel potius hora sine omni machina atque tormentis admotis, sed milite fossas profundas tranante atque muros integros propugnaculaque scalis ascendente fortiter oppugnasse atque cepisse, neque postea vidisse hostem vllum. quippe nostrorum virtute conterriti vniuersi regnicolæ se sponte Regi nostro summisissent, nisi ille militari tumultu suorumque seditione, dum inter se pedites & equites parum liberaliter æqualibusue portionibus parta spolia optimasque prædas diuisissent, domuitionem (vt verbo vtar Apuleiano) capere fuisset coactus. & cum post abscessum Regis sequenti æstate Hungari coadunatis viribus Albam Regalem & alia oppida oppugnata & capta repeterent, nostri, qui hinc inde in subsidiis oppidorum erant collocati, dum Regis aliis impliciti negotiis auxilium desperassent, nec diutius tantæ multitudini resistere possent, propterea quod infida erant omnia circumquaque nec commeatus vlterius suppeditaret, conuenientes & collecti, tametsi paucissimi, Germanica, tamen & innata virtute tantam hostium multitudinem adorti prœlium commiserunt victoresque erectis signis manuque potenti regnum exeuntes Hungaricum, in tuta sese receperunt. Habes igitur, Conrade Magnanime, luculentissimum argumentum ex paruo hoc laudum nostrarum epitomate, glorioſissimas fuisse res Sueuas atque Germanas, si scriptores habuissent: & e contrario maximam suspicionem magnam rebus nostris gestis antiquitus fuisse illatam iniuriam, dum parum integra veritate Itali, genus in suam laudem effusissimum, describant, quæ ipsi vidimus & scimus. In culpa harum rerum sunt Principes Germaniæ, qui si coluissent scriptores, neque eos esurire passi essent, reperissent plurimos, vti non dubito, qui pro vindicanda Germania ab omni obliuione atque defraudatæ laudis falsæque insimulationis iniuria omnem suam industriam atque ingenium intendissent. Sed dum illos Principes neglexerunt, neque iustis præmiis dignati sunt, factum est vt memoria eorum vna cum exitu vitæ extingueretur: & si quid egregium gesserunt, venerit in obliuionem, aut per externos sit omnino obfuscatum. Vale & me commendatum habe. Tubingæ, M. D. IV.

FELI-

Digitized by Google

FELICIS FABRI MONACHI VLMENSIS

HISTORIÆ SUEVORUM

Liber I.

CAPUT I.

Descriptio aliqualis nostræ terræ, & prouinciæ Theutoniæ, & nationis Sueuiæ.

EX dictis beati Hieronymi, & Orosii, & Bedæ, & ex commentariis Cæsaris, & ex Plutarchi descriptionibus, & magistri Vincentii Beluacensis, & Bartholomæi libro de Proprietatibus rerum, & aliorum de terris loquentium inuenio quatuor nomina prouinciæ nostræ. Dicitur Alemannia, & Germania, Theutonia, & Cimbria. Primum nomen trahit a sua origine: secundum a fecunditate glebæ: tertium a cultu & conditione: quartum a moribus populi. Et hæc quatuor nomina bene intellecta & etymologizata plene illius regionis descriptionem continent. Prima duo terræ conditiones demonstrant: alia duo hominum incolarum terræ mores indicant. Nam prima duo nomina in sua significatione immanitatem & magnitudinem ingentem importare videntur. nec frustra. Est enim Alemannia vel Germania latissima regio, complectens totum spacium, quod est inter Danubium & Rhenum fluuios, a fontibus eorum vsque ad maria, quæ ambo influunt: & vltra Transdanubium & Transrhenum sunt regiones & principatus Alemanniæ connumeratæ, & infra ostia Danubii protenditur per longum valde vsque ad Ripheos montes, qui sunt ad litus Oceani, qui tota Scythia Europæ Germaniæ magna pars est. Sicque Germania habet ab oriente Danubium, a meridie Rhenum, a septentrione & occasu Oceanum. In hoc autem spacio medio continentur multa regna potentissima, & principatus terribiles, & prouinciæ ac regiones amplissimæ, diuersi populi, variæ linguæ, gentes multæ, & nationes innumeræ. Quamuis enim capita & fontes illorum duorum fluminum, Danubii scilicet & Rheni, sint sibi propinqui in decursu, tamen terga sibi inuicem vertunt, & caudas longissimo spacio maribus diuersis infigunt: ille contra occidentem in mare Britannicum: iste contra orientem in pontum Euxinum. Addunt etiam aliqui omnes illas regiones Germaniæ, per quas flumina fluunt, quæ prædictis duobus fluminibns iunguntur: & ita multæ Galliarum regiones trans Rhenum, de quibus mittuntur flumina in Rhenum, erunt nostra prouincia; & multæ Transalpinæ regiones, vt est Hystria, Dalmatia, & aliæ quam plures Cisalpinæ regiones, quæ mittunt in Danubium flumina grandia. Est autem Germania duplex, scilicet superior, quæ se extendit a Moguncia vsque ad Alpes: inferior vero est circa Rhenum. Sed posset sic diuidi Germania, scilicet inferior, superior, & exterior. & illa est latissima, quia protenditur vltra limites Rheni, Danubii, & Alpium. ex quo autem Danubius & Rhenus sunt nostræ prouinciæ & terræ limites, & quasi sepes, quibus includitur Alemannia, placet nunc ambos describere fluuios, & originem eorum ac finem breuiter ponere.

CAPUT II.

De Danubio Germaniæ fluuio.

DAnubius fluuius Europæ permaximus in iugis Germanicis oritur monte Iraneauco vel Irammeo dicto, effusus in villa, quam nominant Theutonici *Dunoweschingen*, Latine Danubii lotio, quia ibi primo desub petra erumpens abstergit terram. Verum non longe super villam prædictam in Baccenis, id est, in Silua nigra, fons oritur, qui prædicto fonti iungitur, ex quo primum initium Danubii est. Est autem locus artus Danubii non longe a Rethicis Alpibus, a quibus Rhenus profluit, ex aduerso Augustæ Rauricæ oppidi Gallorum, quod hodie Basilea ciuitas est transrhenensis. Effluit autem ab occiduo in orientem, & per octo miliaria Theutonica propter paruitatem suam innauigabilis est usque ad Vlmam. ibi auctus Blauio & Hylaro fluminibus, & aliis fontibus & riuulis, nauigia onusta & rates abducit, & decurrens per innumerabiles labitur nationes, a sinistris linquens Germanicas, & a dextris Theutonicas & Pannonias. Et postquam plurimum sui cursus lapsus est, mutato nomine, quam statim Illyricum tangit, Hyster dicitur; sed postea nomine suo reassumpto suscipit in se Saum fluuium maximum iuxta Taurinum. Hic fluuius Saus tam poteater in Danubium ruit, vt eum obruat & nomine suo priuet, eique vocabulum suum Saus tribuat. post vlteriorem de-

Digitized by Google

curſum iterum ſuum primum nomen acquirit, ſicque ſexaginta maximis fluminibus auctus per ſeptem ora in Euxinum mergitur mare. Sunt iſta LX. flumina pene omnia nauigabilia. Dum autem mare influit, tanto impetu hoc fit, vt vltra LX. milia paſſuum infra amaras vndas dulcem quærentibus exhibeat hauſtum. Negotiatoribus noſtris multum commodum affert hic Danubius, qui a ciuitate Vlmenſi per ipſum in Bauaria, Auſtria, Pannonia, Walachia, & Bulgaria, &c. negotiantur, onuſtæque naues deſcendunt & aſcendunt tractu equorum cum ferro, vino, & aliis. Hunc fluuium noſtrum (dico Danubium) ſacratum veteres dicebant nauigatione Argonautarum. Cum enim Argonautæ primum nauigiis vſi ſint, tanto apud veteres * Græcos eorum nauigatio penſata fuit, vt maria & flumina ſancta æſtimarent, per quæ nauigia duxiſſent. Notum eſt enim legenti veterum hiſtorias, quomodo Jaſon miſſus a Rege Theſſaliæ in regionem Colchidis pro vellere aureo aſſumpſit omnem electam iuuentutem noblilium, ſplendidiſſimos genere, & fabricata ſibi oblonga naui ab Argo per indevirginatum mare cum ſociis in Colchos venit. Eſt autem Colchis regio Aſiæ ad ſeptentrionem inter pontum Euxinum & Caucaſum montem incluſa, & magna ex parte ad mare Euxinum pertendit, in qua iuga Caucaſi ad Ripheos montes torquentur, altero latere in Euxinum & Meotim deuexa, altero in Caſpium & Hyrcanium mare. In ea regione torrentes aurum ferunt, quod Barbari lanoſis pellibus excipiunt, vnde aurati velleris fabula conficta eſt. De quo vellere cum apud omnes eſſet fama, & propter periculum adire terram illam nemo auderet, Jaſon, vt dictum eſt, cum ſociis iter aſſumpſit, & de Theſſalia Macedoniæ ciuitate ad ſinum Pelasgicum maris Egei peruenit, ibique naui aſſcenſa per Helleſpontum in Propontidem, & inde per Bosforum in pontum Euxinum traiectus eſt, per quem longa nauigatione in Colchidem venit. Adepto autem ibi theſauro deſiderabili non rediit via, qua venerat, ſed per pontum vsque ad oſtia Danubii nauigauit, & contra impetum fluminis exiens per Danubium aſcendit, eumque totum ſacrum reddidit. In Taurinum autem cum veniſſet, derelicto Danubio Saum fluuium intrauit, & contra aquam nauigans de Alpione nauem ſubmiſit adiutorio ſociorum in Plabem fluuium, per quem in Adriaticum mare redierunt. Verum ſi fidelium hiſtorias reuoluimus, ipſum fluuium verius conſecratum inuenimus victoria Heraclii Imperatoris, & ſanguine infidelium in ponto Danubii effuſo, & ſanctæ crucis ac totius Orientis redemptione, & multorum milium gentilium in flumine baptizatione, ſicut habetur in Specul. hiſt. lib. 24. cap. 11. & 12. Hunc fluuium Leonardus de Vtino in quadrageſimali de legibus, ſerm. 42. connumerat *inter nouem nobiliſſima mundi flumina.* Aquas habet fœcundas, & piſces gignit optimos & grandes, ſcilicet ſturgiones & hauſones, carpones, barbulos, & ſingulariſſimos lucios. Sanæ etiam & medicinales ſunt aquæ Danubii. vnde nonnumquam infirmi eius balneatione curantur. Nauigatio huius fluminis rarò auditur eſſe inſecura, præterquam in Auſtria prope caſtrum Struden & eccleſiam ſancti Nicolai in alta rupe ſitam. vbi creditur in medio aluei eſſe vorago grandis, quæ ſorbet magnam fluminis partem, & niſi caute naues ducantur, etiam ipſa nauigia abſorbentur.

CAPUT III.

De Rheno fluuio.

RHenus, alius limes vel limbus Theotoniæ, fluuius celeberrimus noſtræ prouinciæ non longe a Danubii & Rhodani fontibus, & fere in medio eorum oritur ex Rethicis Alpibus, de quibus non longe abinuicem maxima & celeberrima totius Europæ flumina prodeunt, Italiam, Galliam, atque Germaniam abluentes, vt eſt Padus, Rhodanus, Plabus, Syler, Atheſis, Saus, Rhenus, Licus, Ynus, & Hylarus, &c. Rheni autem ortus eſt ex aſperrimis & ſcopuloſis montanis a pluribus fontibus in vallem decurrentibus, quæ & vallis Rheni nominatur. Altior tamen fons & primus eſt in vaſta ſolitudine ab hominum habitatione longius ſemotus, & e cauerna profundæ petræ erumpit, aquas habens frigidiſſimas, clariſſimas, viridemque colorem præferentes, & quadam, licet vix diſcerni poſſit, ſalſedine infectas. Dicunt autem, qui locum viderunt, ſupra rupes, de quibus ebullit, eſſe quædam vetuſta veſtigia ædificiorum, quæ multi opinantur fuiſſe..... aliqui templum Nympharum ibi ſtetiſſe credunt. Ego autem vtrumque credo: quia antiquitus gentiles ſolebant flumina Diis dicare aquarum. & illi Nymphæ, cui flumen ſacratum extitit, templum & phanum in loco originis ædificabant Naiades. Sed ceſſante errore illo Domini locorum de templis illis ſibi domus & caſtra fecerunt, quæ etiam iam in pluribus locis defecerunt. Fons autem ille defluens continue ex concurſu aliorum fontium augmentatur, & ſtatim nauigabilis efficitur, & Curienſem percurrens agrum deſcendit. Hic paruo adhuc effuſus curſu dum fines Nantuatium i. e. Conſtantienſium, attingit, duos facit lacus, Venetum ſcilicet & Acronium. ſic enim antiquitus nominabantur illi duo lacus, inter quos Conſtantia ciuitas eſt ſita, quos nos a ſitu nominamus, primum Superiorem, & ſecundum Inferiorem; vel a ciuitatibus in litoribus eorum ſituatis: vt, primum nominamus lacum Conſtantienſem a Conſtantia ciuitate; ſecundum dicimus Cellacenſem ab oppido quod dicitur Cella Rudolphi. vel nominamus lacum a dominis, qui hodie iuxta litus habitationes & caſtra habent, & olim forte dominium totius lacus obtinebant, qui dicuntur nobiles de Bodma,

* *Manuſcript. preces.*

Digitized by Google

ma, quod castrum Bodma super lacum est, & inde dicitur *Bodmarsee* lacus Bodmæ. Alii putant lacum ideo dici Bodmæ lacum propter nimiam profunditatem, quasi videatur carere fundo, quia fundus Latine *boden* dicitur Theutonice. Quare autem illi duo lacus nominentur Venetus & Acronius, ab Johanne Boccacio in tractatu de lacubus & fluminibus declaratur. vel quia duæ dictiones sunt Latinæ, opinari potest, hæc nomina his lacubus imposita a Latinis tempore quo Romani Reipub. orbis præerant. Tollebant enim sæpe a locis nomina barbarica, & Latina imponebant ad placitum eorum, sicut etiam populum latinizare cogebant. Et possibile est quod de Venetiana prouincia positi fuerint ad lacus gubernationem Veneti, a quibus & lacus nomen obtinuit, & quod Acronius fuerit nomen alicuius præfecti iuxta lacum inferiorem, qui lacui nomen suum eidem communicauerit. Lacubus autem sic per Rheni affluentiam generatis mox iterum effluere incipit per profundum alueum, & quieto cursu occidentem petit. Vbi autem impedimenta sui cursus inuenit, tam violenter in obuios scopulos suo impellitur impetu, vt vasto aquarum se frangentium rumore stuporem incutiat etiam longe existentibus, & terrorem generet videntibus. Nam inter oppidum Schafhusen & ciuitatem Basileam variis incitatus irritamentis montium coartatur rupibus, & adeo terribili fremitu fluctuat, vt homo astans nonnumquam putet sub pedibus suis terram moueri & tremere, præsertim infra Schafhusen, vbi Rhenus per præceps deorsum ruit tanto impetu, vt penitus nulla ibi valeant descendere nauigia. Et infra oppidum Loufenberg artatur petris, per quas adeo impatienter penetrans decurrit, vt præ furore & fremitu non aqua sed spuma albissima appareat. & per hunc districtum naues vacuæ funibus submittuntur, vel arte quorundam sine funibus deducuntur, qui artifices vitam pro pecunia exponunt periculo, vnde eis denegatur euchariſtiæ sacramenti communio, vt dicitur. Vtrumque modum submissionis nauium sæpe vidi. Post hoc supra oppidum Rinfelden alueo facto latiore de fundo prominent capita rupium vbique & nonnumquam in altum protensa stant, sicut gigantea corpora, sicque totus alueus rupibus & scopulis plenus aquis accurrentibus vndique impedimenta præstat, & quanto plura sunt impedimenta, tanto maiora sunt irritamenta; quæ aqua tanto conatu nititur euadere, vt mirum intuenti videatur, quod saxa perpetuos aquarum insultus sustinere valent. Cum tanto enim impetu impinguntur aquæ petris, vt longe sursum saliant, & nonnumquam altas rupes transiliant. Per hanc autem rupium siluam via nauium est curuissima, & arte haut dubium audacissimorum virorum inuenta primitus, per quam nemo nolens ducitur. Nam singulis diebus de superioribus regionibus naues magnæ onustæ hominibus & rebus aliis descendunt; sed antequam amnem ruposum intrent, litus petunt, & si cui placet, exire potest vel manere, & post finem rupium iterum ad litus naues ducunt & reassumunt eos, qui exiuerant. Dicitur autem locus ille Vncus inferni, vulgariter Theutonice *der Hellhagg*, quia sicut vnco subito res capitur, sic nauis pertransiens continue & sæpe raperetur, nisi vigilantissima arte custodiretur naucleorum. Sic ergo post illam aquæ offensam procedit adhuc atrox, spumansque amplo gurgite ad Augustam Rauricam vsque (dico Basileam) euoluitur, eamque per medium secans ciuitati & ponti plurimum, non manifeste sed quasi in occulto insidiatur. Ipsa enim Basilea crebris terræ motibus concutitur, & multum terrorem patitur. Vnde anno Domini M. CCC. LVI. vt de antiquis taceam terræmotibus, ruit quasi tota ciuitas, vt manifeste videtur in choro Prædicatorum, cuius testudo mansit stare, de qua tamen multæ peciæ ceciderunt & frusta, qua refectio superinducta cernitur. Me etiam ibi existente iuuene tres terræmotus fuerunt, & semper omni momento expectantur. Rhenus enim, de quo sermo est, quia petrarum illisionibus ab origine assuetus, cum iam petris careat, terram cauat, & ventis ac aquis subintrantibus terræmotus causantur. Credo autem hoc modo antiquam Rauricam Augustam defecisse, quæ supra Basileam stetisse in loco villæ Augst ruinis maximis cernitur, & thesauris quondam ibi quæsitis & inuentis proditur, cuius antiquum nomen nunc Basilea a descriptoribus sortita est. Eo etiam anno, quo primum terram sanctam intraui, inundatione facta Rhenus pontis partem abduxit, & Basilienses timore & expensis plurimum damnificauit. Inde autem consequenter Rhenus violentia posita placidus ac nauigabilis magis efficitur. Vnde a Colonia nauigiis ascendisse vsque Basileam sanctam Vrsulam cum suis sodalibus legitur. Verumtamen littora rodit & alueos sibi nouos continue quærit, & multa nocumenta infert. Vnde oppidi Noui castri *(Nuwenburg)* partem, quæ super litus situata fuerat, totaliter abduxit, domos muratas, mœnia, turres, & muros. Sic ergo per planum decurrens sæpe per multos alueos diuisus ante Argentinam congregatur, ita vt pons, licet longissimus, de littore in litus sit ibi factus; est que ille vltimus Rheni pons preciosissimus, non ratione materiæ, quia ligneus est, sed ratione quotidianæ innouationis, quia, ut dictum est, Rhenus mutat continue alueum, & fugit a ciuitate, quem nouis ædificiis oportet quotidie sequi. Vlterius autem Rhenus descendens grandes vrbes, Spiram, Wormatiam, & Mogunciam abluit. In Moguncia Carolus Magnus pontis opus egregium quingentorum cubitorum latitudinis per Rhenum extruxit; cuius tamen nunc nullum apparet vestigium. A Moguncia continenter Rhenus descendit, iterum montana Rincauiæ secat, susceptisque Mogano & Mosella fluminibus Coloniam a Tuico diuidit grandi spacio, per quod tamen ferunt pontem

Digitized by Google

insignem fuisse, cuius adhuc vestigia videntur Rheno paruo & claro existente. Postquam autem appropinquat Oceano, multis iam susceptis fluminibus in plures diffusus partes multas facit insulas ingentes, quarum tres a Frisiis, reliquæ a Sicambris, id est, Geldrensibus, & Holandininis, qui olim Battaui dicebantur, ac aliis feris nationibus incoluntur. Hiç fluuius sacratus est non Jasonis nauigatione sed sanctæ Ursulæ & XI. milium martyrum peregrinatione in agone martyrii in eo passorum iuxta Coloniam. Faciunt ergo ista duo prænominata flumina cum mari Britannico & Oceano septentrionali circulum ingentem pro prouincia nostra, & est quasi maior pars totius Europæ.

CAPUT IV.

De nominibus nostri territorii.

OPtaui videre aliquam Germaniæ descriptionem, sicut aliarum prouinciarum inueni, sed nullam reperire potui, nisi quædam breuia ex Isidoro & aliis, ex quibus & de experientiis propriis eam, quæ sequitur, non dico descriptionem, sed circumscriptionem comportaui. Positis enim ex circumscriptione duorum fluminum terminis terræ nostræ, videndum nunc est de ipsa prouincia infra illa duo flumina contenta, quæ cognosci faciliter potest, si eius nomina, quibus vocatur, considerentur. Dicitur enim Alemania, Germania, Theutonia, Cimbria, & Franconia. & hæc nomina significant quandoque totam illam prouinciam, quandoque vero significant solùm partem eius.

CAPUT V.

De Alemania.

ALemania est primum nomen nostræ terræ, secundum quod & gentes eam inhabitantes Alemani dicuntur. Dicitur autem Alemania a lacu Gebenensi vel Lausanensi, qui Lemanus nominatur, & populi iuxta eum habitantes Lemani dicebantur. Olim autem cum populus ille nimis cresceret, nec terra iuxta Lemanum eos capere posset, collecto grandi exercitu, natali solo derelicto, emigrauerunt quæsituri sedes. Venientes autem vltra Rhenum in regionibus Rheno & Danubio inclusis consederunt, & deserta illa colere ceperunt, & ita terræ illi nomen perenne attulerunt a suo loco, & Alemania dicta est a Lemano lacu. Alii dicunt, quod Lemanus etiam dicatur quidam fluuius terræ nostræ, a quo Alemania sit denominata. sed vbi fluuius ille sit vel in qua parte, inuenire non potui. Alii opinantur, quod a copia alimentorum dicatur Alemania, quasi alimenta habens *immania*, id est, maxima: vel quod eam inhabitantes indigeant magnis & multis alimentis. & vtrumque verum est. Nam terra fœcunda est & alimentorum ferax quasi vndique & quia frigida est regio, indigent inhabitantes eam multo alimento: vel homines ibi geniti, quia immanes sunt, alimentis multis nutriuntur. Alii dicunt quod ab Alania prouincia dicatur Alemania. Est autem Alania prouincia prima Scythiæ inferioris pertingens vsque ad paludes Meotidis, tangitque Daciam, quæ est pars Alemaniæ. A quo autem casu vel euentu regio ab illa nomen trahat, non inueni scriptum.

CAPUT VI.

De ratione nominis Germaniæ.

GErmania est aliud nomen nostræ regionis, quæ sic est dicta multiplici ratione, quæ habetur in virtute ipsius nominis. Dicitur enim a *germinando* & *immania*; vel a *germine* & *magno*; vel a *gero* & *magno*, quia gerit terra illa magnos & immanes nationes, magnitudine & multitudine ingentes; vel quia est terra germinatiua alimentorum multorum & immanium hominum, qui & proceritate, fortitudine, & arte bellandi, & animositate cunctos antecellunt. Hoc enim verum est, *si Germani essent vbique concordes, totum orbem domarent.* vel dicuntur Germani eo, quod continue crescant, nonvmquam suis limitibus contenti fuerint, sed vltra Danubium, & vltra Alpes usque in Italiam & Lombardiam creuerint, & vltra Rhenum in Sabaudiam & in Galliam se extenderint. vnde potior pars Galliæ Belgicæ Germani sunt lingua & moribus. & non solum antiquitus creuerunt, sed hodie crescunt ad omnem partem, & alienas sedes occupare quærunt. Dicitur etiam Germania a germine & mania, quasi germinans gentem maniam, id est, furiosam. Nam Germani ex ipso cœli rigore mores contrahunt, suntque indurati frigoribus, & ideo feroces sunt, animo indomiti, sæui, & iracundi, atque maxime bellicosi, sitientes sanguinem.

CAPUT VII.

De Theutonia.

THeutonia vel Theotonia est aliud nomen prouinciæ nostræ, quod quidam ei adinuenit a quodam vetustissimo tyranno, Duce quondam illius terræ de genere Theucri. siquidem Theucer & Aiax duo fratres, viri fortissimi, cum aliis Græcis arma sumpsere ad delendum Troiam in cuius captione Aiax occisus fuit. Cum autem Theucer sine fratre rediret, non fuit a suis receptus ciuibus, sed coactus cum vxore & filiis alias sedes quærere. ingressus est ergo Cyprum. ibi loco inuento pro se, filios suos longius a se eiecit, exilii sui damna in propriiis natis vindicans. De quibus .... Alpibus transcensis in has regiones venit, virque magni nominis & potentiæ euasit, & audito quod esset Theucri filius, patriam ipsam Theutoniam appellauere in perenne decus illius terræ, & in memoriam tam insignis

Victoriæ

victoriæ contra tantam vrbem, & tam nobiliſſimos & fortiſſimos tyrones, de quibus multitudo fugiens diuiſa per mundi prouincias, nepos Priami Regis Troiæ Francio, &c. in has noſtras regiones euaſit, & in Franconiam veniens ſibi nomen hoc tribuit, ſicque terra noſtra vetuſtiſſima nobilitate Troiana excellens facta ingenuo ſanguine præ cæteris pollet. Cæteræ enim regiones nobilitatæ ſunt per victos Troianos & fugitiuos; hæc autem per victos & victores. Sed mirum eſt apud me, qua pace Theucer cum Francione conuenire poterat. nec aliud video, niſi quod illi duo nobiles implacabiliter diſcordes infecto ingenuo ſanguine, furore incenſo, cauſam dederunt, vt inter Principes & nobiles Theutoniæ numquam ſit pax, ſed perpetuæ lites, diſcordiæ, & bella perſeuerent. Propter iſtam ergo antiquam Theutonicorum nobilitatem ſingulariter dicuntur Germani viri nobiles. vnde Panormitanus ſuper cap. venerabilem, dicit; *Theutonici dicuntur Germani, id eſt, viri nobiles.* Et hodie familiæ clariores & nobiliores per ciuitates Italiæ reputantur, ſi ex Theutonicis originem habuiſſe comprobatum fuerit. ſicut patet de clariſſima familia Gonzagorum ciuitatis Mantuæ, quam Supplementum Chronicorum dicit *ex nobiliſſimis ortam Theutonibus* in lib. 13. Et de familia nobili Suardarum e Germanis orta ciuitatis Bergomenſium. Sed & Venetiarum clariſſima familia, dicta Conterinorum, iactat ſe e Germanis ortam, dicentes quod Conterinus idem ſit quod Comes Rheni. Marchio etiam Montisferrati Alaramus emigrans a Theutonia in Italiam totius Italiæ dominatum adeptus eſt, eiusque progenies in tantum aucta, vt Reges ex ea conſurgerent. Nam Guilhelmus, dictus Longaſpata, Marchio Montisferrati a Balduino Leproſo VII. Rege Ieruſolimitano fuit ſubſtitutus in gubernatorem ſancti Regni, tradiditque ſibi ſororem ſuam Sybillam primogenitam Almarici Regis VI. Ieruſolimitani, ad quam mortuo fratre iure hereditario totum pertinebat regnum, cum qua vnicum filium habuit, quo nato Guilhelmus obiit, & Balduinus Leproſus Rex puerum Balduinum Wilhelmi & Sybillæ filium coronari in Ieruſalem in Regem fecit. Sed non diu puer ſuperuixit. Ex eadem etiam progenie fuerunt Reges Theſſaliæ & Domini Candiæ. Inſuper ex Theutonicis venit in Lombardiam & Italiam illa generoſa familia Malateſtarum vetuſtiſſima, de qua Italorum Chronici miras virtutes recitant. Eſtenſes etiam Marchiones, Turriani, & Carrarienſes ex Theutonicis donati ſunt Italiæ & Lombardiæ, & pene omnes præcellentes & antiquæ familiæ emerſerunt e Germania in Italiam. Et quod his præſtantius eſt Francigenarum vel Gallorum nobilitas omnis potentia & nomen ipſum Francia a Theutonicis ortum accepit. quod breuiter conabor oſtendere in loco, vbi de hoc nomine Francia dicendum veniet, vbi dicam quomodo ſunt primi & veri Franci, nec quondam aliqua nobilitas ibi erat ante ingreſſum Theutonicorum, quorum primi Reges Theutonici extiterunt, vt patebit. Sed & ipſe Carolus Magnus, in quem translatum eſt imperium a Græcis, Theutonicus fuit, per quem in immenſum nobilitati ſunt Germani, quamuis Galli vel Francigenæ negent eum fuiſſe Germanum. Quod autem Carolus fuerit Theutonicus, patet auctoritatibus & rationibus. Auctoritate quidem ſic habetur in cap. venerabilem, de elect. §. veris, & de iureiur. Romana in pn. clem. ſcilicet quod *imperium de Græcis in Germanos in perſona magnifici Caroli translatum eſt.* & in ſpec. hiſt. lib. 24. cap. 175. vbi habetur, quod *Carolus iuxta propriam linguam, id eſt Theutonicam, 12. menſibus & ventis nomina impoſuit.* Triplici autem ratione haberi poteſt, ipſum fuiſſe Theutonicum. prima ſumitur conſiderata perſona ipſius Caroli. Fuit enim Francus Germanicus de patre Theutonico, & matre Vngara. Id etiam habet communis aſſertio Germanorum dicentium eſſe locum natiuitatis ſuæ villam Ingelheim, quæ ad duo tantum miliaria diſtat a Moguncia. Fama autem communis probare videtur, præſertim in hiis quorum memoria non habetur, vt ff. de proba. l. ſi arbiter, & ff. de aqua pluu. ar. l. fi. in ſuam, §. item Labeo, cum concord. Vnde Gotfridus in Chron. hunc ponit verſum; *Natus in Ingelheim, cui Germanus pater, Vngara mater.* Idem habetur ex Chron. Euſebii. Dedit etiam Carolus Theutonicis quaſdam leges in ſuo idiomate, quæ adhuc habentur. Ex quibus colligitur Carolum Francum fuiſſe Germanum, & translatum Imperium ad Reges Francorum in Germanos. Hii enim Germani, quibus Troiani Franci primo commixti fuerant, proprie dicti ſunt Franci. Galli vero ex eis nati, non Franci ſed Francigenæ ſunt dicti, vt patebit infra. Secunda ratio ſumitur conſiderato initio & origine regni Francorum. Licet enim omnes nationes ab Aquitania vsque in Bauariam fuerint de regno Francorum, origo tamen regni fuit ex Germania, vt patebit infra de Francis Troianis: & ita imperium quamuis dicatur eſſe translatum a Græcis in Francos, non tamen Francigenas, ſed in Francos Germanos, a quibus regnum Francorum ſumpſit exordium. Tertia ratio ſumitur ex diuiſione regni longe poſt mortem Caroli, quia Lotharius & filii ſui, apud quos manſit portio Germaniæ, apud eos manſit imperium, & non apud Reges Galliæ nec Italiæ, ſicut clare ex Chronicis habetur. Ex omnibus hiis patet nobilitas Theutonicorum ex antiqua origine Troianorum & Francorum Imperatorum, & quoniam nomen hoc Theutonia a Teucro Troiano venit, a quo & Turcos prodiiſſe quidam ferunt. Alibi legi, quod prouincia noſtra dicta eſt Theutonia a quodam tyranno in ea regnante dicto Theutomodo vel Theudolo vel Theutobaldo. Alii in hoc nomine non ponunt u. ſed o. dicentes Theotonia, cuius nominis etymologiſatio eſt bona & terræ noſtræ ſatis appropriata. Dicitur enim Theotonia a *theos* quod eſt timor, &

Digitized by Google

tonos terra, quasi timor terræ. Quæ enim est terra, quæ non paueat animositatem Theotonicorum? quæ gens? quæ Theotonicos non timeat? Vel Theotonia dicitur a *theos*, quod dicitur Deus, & *tonos*, concordia & terra, quasi terra Deo concordans. Nam inter omnes Catholicos meliores & deuotiores sunt Theotonici, diuinis maxime affecti. Vnde in dies construunt ecclesias, & monasteria multiplicant, præbendas sacerdotum constituunt, & mira faciunt ad Dei cultum. Vnde in ea sunt ditissimi episcopatus, & regalia monasteria, & hospitalia habundantia, canoniæ & præbendæ pinguissimæ, ita ut quasi potior & maior terræ pars cedat in Ecclesiæ & ministrorum eius vsum. Ab eo enim tempore, quo Theotonia fidem suscepit, semper in deuotione ad Deum permansit, & in obedientia ad sedem Romanam. Susceperunt autem Theotonici sub Gregorio II. prædicante eis Bonifacio Archiepisc. Moguntinensi anno Domini DCC. XIV. vt dicunt Chronicæ. quamuis longe ante hoc tempus fides Christi eis fuisset prædicata, & ab aliquibus regionibus Theotoniæ suscepta, anno tamen præfato confirmationem in fide Theotonia suscepit. Verum quia regio Germanica latissima est, secundum supra positam dimensionem, & multas habet vastas regiones gentesque ferales, æstimo vsque in hanc diem Christi fidem non vndique susceptam. Nam post Bonifacium Carolus Magnus Saxones & Westfalos coegit prœliis religionem Christi accipere, relicto idolorum cultu, ad quem dum sæpius relaberentur, nec iusiurandum aduerterent, vt metu pœnæ rebellionem compescerent, instituit gloriosus Princeps in Westfalia iudices occultos, quibus potestatem dedit, vt quam primum deieraſſe aliquem comperissent, aut fregisse fidem, aut aliquod aliud flagitium commisisse, mox illum supplicio afficerent, vbi primum comprehendi posset, nulla citatione præuia aut defensione præmissa. Elegit ad hoc viros graues & recti amantes, quos plectere innocentes haut verisimile fuit. Terruit ea res Westfalos & alios Theutonicos, ac demum in fide continuit, cum sæpe in nemoribus & proceres & mediores viri laqueo suspensi inuenirentur, nulla accusatione prius audita. Quærentibus tamen causam, constabat fregisse fidem, aut magnum aliquod scelus commisisse, qui necati reperiebantur. Id *iudicium* vsque ad nostram perdurat ætatem, vocaturque *vetitum*. Qui ei præsunt, *Scabini* appellantur, quorum ea præsumptio est, vt per totam Germaniam iurisdictionem extendere velint. Secretos habent ritus & arcana quædam, quibus malefactores indicant ea, quæ nondum quisquam repertus est, qui vel precio vel metu reuelauerit. Ipsorum quoque Scabinorum magna pars occulta est, qui per prouincias discurrentes criminosos notant & inferentes iudicio accusant probantque vt eis mos est. Damnati describuntur in libro & minoribus Scabinis committitur executio. Reus ignarus suæ damnationis, vbicumque repertus fuerit, supplicio afficitur. Degenerauit autem hoc iudicium. nam & viles aliquæ personæ admittuntur, & ciuilia negocia tractare audent, quibus erat solum de infidelitate & criminalibus permissa potestas. Hoc ergo metu multæ Theutonicorum prouinciæ ad fidem inductæ sunt per Carolum Christianissimum. Et quanquam glorioſus Imperator multum admodum fidem Christi auxerit in toto terrarum orbe, totam tamen Germaniam suam inducere ad fidem nequiuit. Nam Pruteni gens barbara & idolorum cultrix vsque ad Fridericum Imperatorem eius nominis Secundum fuit. Sub eius imperio cum amisissent Christiani Ptholomaidam siue Acon Syriæ ciuitatem, fratres ordinis Theutonicorum sanctæ Mariæ a Ptholomaida fugati in Germaniam rediere, viri nobiles & rei militaris periti. qui, ne per otium marcescerent, Fridericum accedentes Prussiam Germaniæ magnam partem Christi cultum spernere dixerunt & conuicinos Christianos incursionibus & prædationibus vexare, & tantum petierunt vt imperiali auctoritate concederetur sibi compescere gentem illam barbaram. Annuit Princeps, prouinciamque dicti ordinis fratribus perpetuo iure possidendam tradidit, si eam armis acquirant, & quas voluere litteras sub aurea bulla concessit. Milites ergo illi sumptis armis breui tempore omnem Prussiam ceperunt, & barbaros ecclesiæ iugo subiecerunt. Ex illo autem tempore lingua Theutonica introducta est, & cultus Christi gentibus imperatus in terra illa pluribus de post annis decursus. Iidem milites Domini Theutonici ingressi Liuoniam prouinciam vltimam Christianorum, eam armis quæsiuere & Christi sacramenta suscipere coegerunt, cum esset antea gentilis & idola coleret. Iungitur autem hæc prouincia Ruthenis ad septentrionem, & eam alluit ab occidente mare Baltheum, quod plerique veterum Oceanum esse putauere, estque incompertæ magnitudinis. Hæc terra nec Græcis nec Romanis cognita fuerat prius, sed Christiana religio hanc orbis partem nostro generi aperuit, quæ fortissimis gentibus detersa barbarie mitioris vitæ cultum accepit. Similiter & Lituania parum ante Concilium Basilienſe ad Christi fidem fuit inducta. Est autem Lituania late patens regio Polonis connexa ad orientem, palustris ferme omnis & nemorosa. Ad Lituanos æstiuo tempore difficilis transitus est palustribus aquis cuncta obsidentibus. Hyems præbet aditum a strictis gelu lacunis. Mercatores super glaciem & niuem iter faciunt plurium dierum cibaria in vehiculo ferentes. nulla certa via: meatus, sicut in mari & in petrea deserto, siderum cursus ostendit. Rara inter Lituanos oppida, neque frequentes villæ. Opes apud eos præcipuæ, animalium pelles, quibus nostra ætas Zobellinis, hermelinis, vechinisque nomina indidit. Sermo gentis Sclauonicus est. latissima enim est hæc lingua, & in varias diuisa sectas.

Ex

Digitized by Google

Ex Sclauis enim alii Romanam ecclesiam sequuntur, vt Dalmatæ, Croatini, Carni, & Poloni: alii Græcorum sequuntur errores, vt Bulgari, Rutheni, & multi ex Lituanis: alii proprias hæreses invenere, vt Boemi, Moraui, & Basnenses, quorum magna pars Manichæorum imitatur insaniam: alii gentili adhuc cæcitate tenentur, quemadmodum multi ex Lituanis idola colentes. horum magna pars æuo nostro ad Christum conuersa est per quendam Hieronymum dictum de Praga, virum vita & scientia præclarum. Hic Hieronymus, cum iam anno Domini M.CCCC.XXIX. fuisset Boemia hæresi Hussitarum corrupta & inualescere inciperet, fugiens pestiferum virus in Poloniam transiuit, vbi acceptis litteris a Rege Vladislao commendaticiis prædicaturus Euangelium Christi ad Witoldum principem in Lituaniam penetrauit, multosque populos Witoldi fauore fretus ad salutiferam Dei Christi fidem conuertit. & inde vocatus a Iuliano sancti Angeli Cardinali ad Concilium Basilienſe vt de rebus Boemicis consuleret. Hic mira solebat narrare de Lituanis, quæ pene incredibilia videbantur, quæ Papa Pius, cum in minoribus esset, asserit ab eius ore audiuisse. Cuius, vt asserit Papa Pius, hæc ad eum narratio fuit. *Primi, quos adiit ex Lituanis, serpentes colebant. patresfamilias suum qnisque in angulo domus serpentem habuit, cui cibum dedit, ac sacrificium fecit in feno iacenti. Hos Hieronymus iussit omnes interfici, & in foro adductos publice cremari. Inter quos vnus inventus est, qui maior cæteris, quem sæpe admotum ignis consumere nullo pacto valuit. Post hos gentem reperit, quæ sacrum colebat ignem, eumque perpetuum appellabat, & sacerdotes templi materiam, ne deficeret, ministrabant. Hos super vita ægrotantium amici consulebant illi noctu ad ignem accedebant. mane vero consulentibus responsa dantes vmbram ægroti apud ignem sacrum se vidisse aiebant. Quæ cum se calefaceret signa vel mortis vel vitæ ostendisset. victurum ægrotum facies ostensa igni; contra si dorsum ostendisset, moriturum portendit. Hunc ignem licet multa difficultate Hieronymus dissipauit, & Christianos mores induxit. Profectus Hieronymus introrsus aliam reperit regionem, in qua gens Solem colebat, & malleum ferreum raræ magnitudinis singulari cultu venerabatur. Interrogati sacerdotes, quid ea sibi veneratio vellet, responderunt olim pluribus mensibus non fuisse visam Solem. Quem Rex quidam potentissimus captum reclusisset in carcere minutissimæ turris. signa Zodiaci deinde opem tulisse Soli ingentique malleo perfregisse turrim, Solemque liberatum hominibus restituisse. Dignum itaque veneratu instrumentum esse, quo mortales lucem recepissent. Risit eorum simplicitatem Hieronymus inanemque fabulam esse monstrauit. Deinde processit, & alios populos adiit, qui siluas Dæmonibus consecratas venerabantur, & inter alias vnam cultu digniorem putauere, quibus prædicans imperauit vt siluam succiderent. vbi populus cum securibus affuit, nemo erat qui sacrum lignum contingere auderent. Prior itaque Hieronymus assumpta bipenni excellentem quandam arborem detruncauit. Tunc secuta multitudo alacri certamine, alii serris, alii dolabris, alii securibus siluam deiciebant. Ventum erat ad medium nemoris, ubi quercum vetustissimam & ante omnes arbores religione sacram, & quam potissime sedem esse putabant, percutere aliquandiu nullus præsumpsit. Postremo, vt est alter altero audacior, increpans quidam socios, quod lignum rem insensatam percutere formidarent, eleuata bipenni magno ictu cum arborem cedere arbitraretur, tibiam suam percussit, atque in terram semianimis concidit. Attonita circum turba flere, conqueri, Hieronymum accusare, quod sacram Dei domum violari suasisset: neque quisquam amplius ferrum exercere audebat. Tunc Hieronymus illusiones esse Dæmonum affirmans, quæ deceptæ plebis oculos fascinauerat, surgere, quem cecidisse vulneratum dixi, imperauit, & nulla in parte læsum ostendit, & mox ad arborem adacto ferro adiuuante multitudine ingens onus cum magno fragore prostrauit, totumque nemus succidit. Erant in ea regione plures siluæ pari religione sacræ, ad quas dum Hieronymus amputandas pergit, mulierum ingens numerus plorans atque eiulans Vitoldum Regem adiit, sacrum lucum succisum conqueritur, & domum Dei ademptam, in qua diuinam opem petere consueuissent: inde pluuias, inde soles obtinuisse: nescire iam quo in loco Deum quærant, cui domicilium abstulerunt. Concurrit ad accusandum Hieronymum demum omnis multitudo, quorum fletibus Rex motus litteras Hieronymo traditas reuocauit, & Hieronymum de prouincia exire compulit.* sicque in ea parte populus in errore idololatriæ mansit usque in hanc diem. Non minori fatuitate laborabat populus in Liuonienſi prouincia ante conuersionem eorum, sicut recitat Bartholomæus de propriet. rerum cap. *de Liuonia.* Sic ergo Lituania, quæ est regionis nostræ prouincia, numquam ex toto fidem recepit. Sed & in terris nobis cognitis Christi fides quasi noua plantatio paululum ante nos florere cepit. Nam inter Heluetios vallis quædam est populosa, quam nominant Subsiluanam, vulgariter Vnderwalden, supra Lucernam, vbi dicunt antiqui, quod patres eorum viderint homines illius generationis, qui primo Christi fidem receperunt. vnde dicunt fuisse acerrima prœlia inter Lucernenses & Subsiluanienses propter disparem cultum, quia Lucernenses dudum receperant fidem ante Subsiluanienses. Ex Legenda sanctorum patere potest, quod Theotonia non simul eodem tempore est conuersa, sed successiue vna natio longe post aliam, suntque Theotonici vltimi conuersi ad fidem, & feruentiores omnibus, vt Domini sententia verificaretur Matth. 20. *Erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.* Nec dico hoc vt tantum commendem nostram regionem, sed vt veritati manifestissimæ testimonium perhibeam. Transeat homo ad quamcumque mundi plagam, videbit statim extra Theotoniam remissionem & intermissionem cultus diuini, & omnium, quæ ad fidem pertinent, quandam quodammodo corruptionem. Vnde aliquando, dum in Italia essem, & apud Italos prudentes Theotonicorum religionem in fide commendarem supra cæteros, dicebant *non esse mirum Theotonicos deuotiores esse cæteris, quia noua scoba bene scobat: sic nouus fide melius credit, sicut noultius in monasterio deuotior est quam monachus.* Iuste ergo dicitur terra nostra Theotonia, quasi

Digitized by Google

terra Deo concordans vel Deo concordata per fidem. Dicitur etiam Theotonia a theos quod est timor, & tonos terra, quasi timor terræ, & Theotonici quasi terræ metuendi, & hoc propter singularem quandam fortitudinem & audaciam prœliandi. Sed hoc quæso, non me, sed eloquentissimum Æneam Siluium laureatum poetam, & postea Pium Papam, audiamus in oratione ad Principes Alemanniæ, qua inducit eos ad repugnandum Turco. Inter alia sic dicit; *Græcorum, inquam, scripta vos Germanos Theucros vocant, ex quibus est Romanorum origo. At mihi seu noua consideranti, seu vetera mente repetenti, inter omnes nationes, quas bello idoneas iudicant, nulla expeditior, nulla fortior, nulla peritior vel audentior, quam vestra videtur. Vobis homines, vel equi, vel arma, vobis pecuniæ sunt. Nulla ratio tam grandis sub cœlo est, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut adest vobis Dominus Deus noster. Et vbi, obsecro, tot clarissimi Principes, tot generosi proceres, tot fortissimi equites, tot potentes ciuitates, tot diuitiæ, tot auri, tot argenti, tot ferri mineræ? vbi tanta populi multitudo, tanta iuuentus, tantum animi, tantum roboris? Germaniæ fines, vt veteres tradunt, ab oriente Fiscella fluuius & Hungariæ limes fuere: ab occidente Rhenus, a meridie Danubius, a septentrione Oceanus & mare Baltheum, quod Prutbenicum dicere possumus. Nunc quantum extra hos terminos possideatis, ipsi videtis. Vos Angliam, pulsis Brittannis, occupatis: vos Belgarum Heluetiorumque fines, eiectis Gallis, obtinuistis: vos Retiam & Noricum inuasistis: vos usque in Italiam pedem extendistis: vos Vlmerigros, qui nunc Prutheni vocantur, ex manibus infidelium detraxistis, soli ex alienis in vestro solo Boemi sedent potentissimi & nobilissimi populi. sed & illi vestro imperio parere se aiunt. Vos igitur magni, vos bellicosi, vos potentissimi, vos fortunatissimi, ac Deo accepti Germani estis, quibus adeo fines extendisse licuit, & super omnes mortales Romanæ potentiæ datum fuit obsistere. Nam terrarum ille calcator omnium & orbis domitor Iulius Cæsar, quamuis subactis Gallis sæpe Rhenum transiuerit resque maximas in Germania gesserit, bellicosam tamen & asperam Sueuorum gentem dimisit indomitam. Augustus Octauianus, cui & Parthorum & Indorum Reges munera miserunt, qui vnus omnium Romanorum fortunatissimus creditus est, nullibi vnquam, nisi apud Germanos, succubuit. Longum esset referre, quas intulerint Romanæ Reipub. molestias Germani, qui, etsi Romanorum fortunæ aliquando cesserunt, postea tamen & ipsi de Romanis, de Gallis, de Hispanis, de Hungaris, deque aliis diuersis gentibus sepenumero triumpharunt: nec Romani, dum rerum potirentur, res magnas sine Germanis auxiliantibus peregerunt, quorum tanta in bello virtus, tanta in domo fides fuit, vt Cæsarei corporis custos cohors ex Germanis potissime legeretur. Mementote ergo operum patrum vestrorum, Generosi proceres, & ponite ante oculos vestros illustria facta maiorum: recolite quotiens progenitores vestri cum magnis exercitibus Alpes Italiæ transiere. Aistulphum Longobardorum Regem Stephano Papæ molestum Pipinus Francus Germanus cobercuit: Desiderium eius prouinciæ Regem Adriano Papæ insultantem Carolus Magnus compescuit: Romanos Formoso Pontifici rebelles Arnolfus edomuit: Berengarium, qui se Regem Italiæ iactitabat, vocatu Iohannis Papæ Otto primus magno bello contriuit. Referre quidem grauius fuerit, quotiens vestri antecessores pro Romana ecclesia, pro fide catholica, pro salute communi decertauerunt. Illi quidem, dum parato & forti animo Christianam religionem tuentur, Romanum imperium ad se traxere.* Et alia multa prosequitur in eadem oratione Papa Pius in præconium Theutonicorum. Ferunt Plinium & Samonicum Historicos aliqua magnalia de Germanis scripsisse, quæ antiquorum negligentia interiere.

CAPUT VIII.

Francia vel Franconia dicitur Alemania.

FRanci nonnumquam ab auctoribus nominantur Germani, quamuis id nomen modo totum translatum sit in Gallos, quos Francigenas dicimus, & quod dicuntur Franci a nobis Germanis habent. Dicuntur autem Germani Franci ratione originis, ratione actionis, & ratione ingenii & decoris. Primo dicti sunt Germani Franci ex origine. Nam, vt refert Eusebius in Chronica sub gestis Æneæ, *cum Æneas Frigiæ Rex amplificatus fratribus esset, de eis egressa est progenies per multas regiones vagando cum vxoribus & liberis, & ex se Regem elegerunt nomine Francionem, cum quo transeuntes multis gentibus intulerunt molestias. Tandem autem in Europam venientes inter Danubium & Rhenum consederunt, territorium suæ sedis Franconiam nominantes.* Alii dicunt Francionem Priami Regis Troiæ nepotem Hectoris filium post destructam Troiam cum populo multo inter Danubium & Rhenum sedem sibi collocasse, & terram Franconiam nominasse, & populum Francos. Alii dicunt, quod anno Domini CCC. LXIIII. regnante Valentiniano gens quædam dicti Alani occupauerunt loca iuxta paludes Meotidis. Protulit autem Imperator edictum, vt quæcumque gens Alanos a paludibus repelleret decem annis a tributis libera esset. Sycambri autem contra Alanos procedentes eos eiecerunt, & liberalitatem promissam acceperunt, propter quam libertatem Franci dicti sunt, quia *Francus* Latina lingua idem est quod liber. Finitis autem decem annis, cum nollent tributum soluere, mouit Imperator contra eos prœlium, & eiecti de suis sedibus in Germaniam transfugerunt, nec alicui tributarii esse volebant, sicque nomen Francum obtinuerunt propter libertatem. Ab hiis descenderunt Reges Franciæ, de quibus longa contexta est historia, & Germanis nomen Francum dederunt. Secundo a fortibus gestis Germani dicti sunt Franci. Nam *Francus* Græca lingua idem est quod fortis & ferox, & quia Germani fortes & feroces sunt, dicti sunt a Græcis Franci, & hodie omnes Alemani per Græciam & per Syriam dicuntur Franci. Tertio Germani dicuntur Franci ab ingenio, subtilitate, & decore. Lingua enim Theutonica *franczig* idem est quod inuentiuus vel subtilis aut comptus moribus vel vestibus. vnde ironiæ vulgares aliquem nominant *Francz*, qui est incompositus & immorigeratus, sicut etiam stultos

Digitized by Google

ſtultos nominant *ſapientes*. Sunt ergo Germani Franci, quia ingenioſi & ſubtiles forte ex reuolutione facti ſunt. Olim enim nec ſcientia nec eloquentia Germaniam ornabant. Vnde cum patres vndique ſtudia & vniuerſitates ordinaſſent per regiones, Germaniam tanquam non capacem contempſerunt, & nullum in ea locum pro ſtudio ordinauerunt. Sed quid accidit? Reuoluto cœlo & mutatis temporibus, alia rebus diſpoſitio indita eſt, vel antiqua condicio reuenit. Hodie enim gens Alemanica, olim groſſa & inamabilis reputata, rationem acuit, artes inuenit, ſtudia inſtituit, & ſubtilitate ac ingenio plurimum pollet. Vnde ante ducentos annos in tota Germania nulla vniuerſitas fuit, quarum tamen iam ſunt plurimæ noſtro æuo inſtitutæ, in quibus nutriuntur Theologi, Iuriſtæ, Legiſtæ, Artiſtæ, Rethores, & Oratores; nec eſt villa quæ careat magiſtro vel baccalario, & tamen iuuentutis meæ tempore pro monſtro habebatur magiſter vel baccalarius, & inter mille clericos non reperiebatur vnus, qui ſaltem vidiſſet Vniuerſitatis alicuius locum. Reuixit in Germania ſcientia & eloquentia, & ex conſequenti quoque ingenioſæ artes, vt picturæ & ſculpturæ. Amant enim ſe artes hæ adinuicem. Ingenium pictura expetit, ingenium eloquentia cupit non vulgare, ſed altum & ſummum. Mirabile dictu eſt, dum viguit eloquentia, viguit pictura, ſicut Demoſthenis & Ciceronis tempora docent. poſtquam cecidit facundia, iacuit & pictura. Videmus picturas & ſculpturas ac ſcripturas ducentorum annorum nulla prorſus arte politas, nec hominum ſed monſtrorum portentorumque facies. Scripta illius ætatis rudia ſunt, inepta, incompta. priſcis vero ſeculis Apellim, Zeuſim, Policretum, Phidiam, & Praxitelem magnos fuiſſe comperimus; & de ſtatuariis, ſculptoribus & pictoribus Dorem Lidum. De Praxitele dicit Plinius, quod in ciuitate Cnydo fecerit imaginem Veneris de marmore mira arte toto orbe terrarum memorabilem, ad quam videndam multi quotidie aduentabant. Nicomedes autem Rex cupiens eam a Cnydiis emere, totum æs ciuitatis Alexandriæ, quod erat ingens, diſſoluturum repromiſit. Sed ipſi omnia prius perpeti maluere, quam ab ſe ſimulacrum alienare, quia illa imagine Praxiteles ciuitatem nobilitauerat. Huius imaginis amore ferunt captum quendam, cum delituiſſet noctu, ſimulacro cohæſiſſe, eiusque cupiditatis fuiſſe indicem fœdam maculam repertam in abhominabili idolo. Hæc autem idcirco recitaui, ne quis putet ſcientias & artes ex nobis eſſe, quia teſte Salomone Eccleſ. 1. *nihil ſub cœlo nouum, nec poteſt quisquam dicere, ecce hoc recens eſt.* Vnde Æneas Siluius in Epiſt. ad Gregorium recitat ſe inueniſſe in monaſterio S. Galli in Sueuia *antiquiſſimos libros ornatiſſime conſcriptos, quorum auctores fuerunt Theutones*, de quo mirabatur, quia ſuis temporibus nihil eloquentiæ & ſubtilitatis erat in hiis terris. Fuerant enim abſcondita, eloquentia, pictura, ſculptura, & alia ſubtilia in Italia. Vnde primo poſt Franciſcum Petrarcham, qui obiit anno Domini M. CCC. LXX. emerſerunt litteræ; poſt lotum ſurrexere pictorum manus. utramque ad ſummum iam videmus artem peruenisſe, & in Germania picturas & ſculpturas in ſummo vigere; in Italia vero eloquentiam radiare. Nam anno Domini M. CCCC. LIX. ars imprimendi libros in Germania primum enata eſt a * quodam de Moguncia in eadem vrbe. qua arte nulla in mundo dignior, nulla laudabilior, nulla vtilior ſiue diuinior & ſanctior eſſe potuit. In cuius quidem laudem quidam hos cecinit verſus;

O felix noſtris memoranda impreſſio ſeclis
Inuentore nitet vtraque lingua tuo.
Deſierat quondam totum quod fundis in orbem,
Nunc paruo doctus quilibet eſſe poteſt.
Omnes te ſummis igitur nunc laudibus ornent,
Te duce quando ars hæc mira reperta fuit.

Cum hac diuina arte etiam vſuales ſunt melioratæ, vt fabrilis in omni metallo, in omni ligno, & in omni materia, in quibus Theutonici adeo induſtrii ſunt, vt per orbem fulgeant eorum labores. Vnde ſi quod opus præcipuum quis fieri vult in metallo, lapide, ligno, ad Germanos mittit, quibus Deus æuo noſtro ... ... Vidi ego aurifabros, gemmarios, latomos, & carpentarios Theutonicos inter Sarracenos mira facientes, & inter Græcos & Italos artibus præcellentes, ſcilicet de ſartoribus, & ſutoribus, & muratoribus. Nam anno præterito Soldanus Rex Ægypti mirabili muro orienti ſtupendo artificio cinxit portum Alexandrinum, conſilio, induſtria, & opere cujusdam Theutonici nati, vt dicebatur, de Oppenheim. Et, ne longius hiis immorer, Italia omnium totius orbis regionum celeberrima, frumento repleta, panem delicatum, ſanum, & delectabilem non habet, niſi a piſtore Theutonico coctum, qui arte & induſtrioſo labore ignem domat, calorem temperat, farinam æquat, ut leuis, tenuis, & delicatus panis fiat: quem ſi Italicus coquat, ponderoſus, compreſſus, inſanus & inſipidus creatur. Vnde Dominus Apoſtolicus & quique magni terrarum Prælati, Reges, Principes & Domini panem vel raro manducant, niſi Theutonica arte confectum. Non ſolum autem noſtrum vſualem panem bene percoquunt, ſed paximacios vel biscoctas pro cibo marino vel bellico adeo artificialiter parant, vt Domini Venetiani in publicis furnariis paximacios non niſi Theutonicos habeant. & coctos longe lateque per Illyricum, Macedoniam, Helleſpontum, Græciam, Syriam, Ægyptum, Libiam, Mauritaniam, Hiſpaniam, Galliam, & vſque ad Orchades inſulas & Britannicas, ac ad Germanicos portus circumferant ſuis marinariis comedendos vel

* *Ab Joan. Gutenbergio Argentoratenſi, ordinis equeſtris, qui eam Moguntiæ excogitauit atque exercuit. Sunt qui Joan. Gensfleiſchium Moguntinum auctorem conſtituant. puto, quia primus a Gutenbergio edoctus.*

Digitized by Google

alienis vendendos. Industriosissimi & optimi in omni genere musicorum iam sunt in Theutonia multiplicati, adeo vt omnibus prædictis regionibus spectacula iocunda præbeant tam in diuinis officiis quam in nuptiis & conuiuiis, in ecclesiis & theatris. Quæ gens hodie tanto bellandi ingenio pollet, vt Germanica. Nam supra hoc, quod ex natura bellicosi sunt, industriosissimi sunt ad inuadendum & ad repugnandum, & apparatus bellicus apud eos copiosissime inuenitur, quem in communi archanali & in singulis domibus adeo munde conseruant, & diligenter etiam tempore pacis custodiunt, ac si esset res sancta & diuina. Omni autem die excogitantur noua arma bellica cum mirabili ingenio apud Teutones. Sed & hoc terribile tormentum, quod bombardam nominant, ab vno Theutonico inuentum esse dicit Iacobus Philippi in supplem. Chronic. Quæ ciuitas Italiæ, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, non cupit habere Germanos tempore bellorum, qui acies ordinent, machinas instruant, tormenta ponant, arma proportionata diuidant, & reliquum exercitum animent. Anno Domini M. CCC. LXVII. dum quateretur Italia grauibus bellis; excogitata fuerunt multa ingenia bellica a Theutonicis soldatis, inter quæ * bombardæ in lucem prodiere, quas nec Græcos contra Troianos, nec Romanos contra Sueuos, nec Assirios contra Iudæos credimus habuisse: quia legenti euentus antiquorum bellorum patere sit bombardas nondum fuisse inuentas, imo ante paucos annos pauciſsimæ erant bombardæ, & pauci bombardarii; nunc vero indies augmentantur, in tantum vt quando procedendum est ad bellum, procedit integra rotta bombardariorum. Sed & alia instrumenta bellica, quæ omnia tam defensiua quam inuasiua sunt, per Germanos emendata & mutata, ita ut antiqua armatura, antiquæ machinæ, hastæ, arcus, balistæ, lanceæ, & cætera sint penitus inutilia. Quam industrii sint Theutonici circa mercantias & in negotiationibus, non latet nisi eum, qui alienas regiones non vidit. Vagantur enim per totum pene vniuersum, vel propter mercantias, vel propter labores & suas artes, vel propter prœlia sequenda, vel propter ammirationem volentes videre alienas regiones, vel propter loca sancta, reliquias, & indulgentias. Vbicunque diuerteris in mundo, Theutonicos reperies. Ex quibus omnibus liquet, quod non est imputandum stultitiæ Theutonicorum, sicut quidam eorum inimici faciunt, quod tot doctrinæ morum & vestimentorum, & tot mutationes & nouitates quotidianæ sunt per Germaniam. Cum enim perlustrent orbem, hoc, quod vnicuique placet, de moribus & vestimentis visis in aliis regionibus inducit suo loco; & quod alibi est antiquum, apud eos est nouum. nec putandum est, esse aliquid in moribus siue honestis siue turpibus inter Theutonicos, quod alibi non reperiatur. Si quis expertus est, vidit in vna ciuitate vestitos ciues aliquos more Italicorum, aliquos more Gallorum, Hungarorum, Turcorum, & sic de aliis. Detruncationes enim vestimentorum, excisiones, & mulierum circa pectoralia denudationes, & huiusmodi omnia ex Flandria & Gallia veniunt; quamuis ipsi Theutonici ex se multa adinueniant circa talia. Vnde hoc manifeste consideraui, quod Italici, quantum possunt, mores Theutonicorum in vestitu & aliis imitari cupiunt, & præsertim in bellicis rebus.

CAPUT IX.

De Cymbria.

CYmbria etiam, præter nomina Germaniæ prædicta, nominatur ipsa Theutonia. Sic enim ille Plutarchus expertissimus populos Theutonicos *Cymbros* nominat. Est autem idem quod decorus *Cymbrus*, quia per Germaniam decori & pulchri homines, quia non patiuntur molestias Solis, qui decolorat facies hominum aliarum regionum. Ad omnem enim plagam sunt homines vel nimio calore adusti, vel nimio frigore contracti, & vtrumque turpem reddit hominem. Vnde in aliis regionibus feminæ fucis vtuntur, dealbant, & colorant facies, caput ornant mercatis crinibus vel candido lino pro capillis circumducto. Sed in regione nostra non fit communiter, nisi ab hiis quibus natura commune gentis beneficium negauit, seque sperni & minus amari considerant vel timent. Vel Theutonici dicuntur *Cymbri* propter comam & barbam. Olim enim omnes Theutonici longis vtebantur barbis ac capitum comis, & præsertim illi qui habitabant in Chersoneso Cymbrico & in Scandia insula, qui quondam egressi de sedibus suis Italiam ceperunt, & *Longobardi* dicebantur a longis barbis, quod nomen etiam terræ communicatum fuit, & *Lombardia* vocata. Verum cum Cymbri vel Longobardi aliquamdiu in Italia morati fuissent, imitati mores Italorum barbas raserunt, sicque rasura barbarum de Italia in Alemaniam fuit inducta. Vel Germani dicuntur *Cymbri*, & Germania *Cymbria* ex proprietate illius nominis, quæ per eius etymologizationem habetur. Nam *Cyn* idem est quod cum, & *bria* mensura, quasi cum mensura debita omnia agant. Vel dicitur a *cymba*, quod est vas poculorum, & *bria* mensura. vnde & pocula dicuntur *Cymbria*, quia multa genera poculorum inuenta sunt in Cymbria: vnde ex eo, sicut Italici derident Theutones, dicitur Germania *Cymbria* propter excessiuam potationem Theutonicorum, quia secundum eos Cymbria dicitur a *cyn* quod est grandis mensura, & *bria* plenum, quia *briago* apud eos ebrietas est. Inculpant enim nos omnes per circuitum nationes, & præcipue Italici de

* *Excogitata a Berchtoldo Nigro Theutonico Monacho Franciſcano, vt quidam tradunt. Is Anno 1389. exuſtus propterea fuit iuſſu Wenceslai Imp.*

Digitized by Google

de multa potatione a frequenti ebrietate. Et verum dicunt: sed non vniuersaliter de tota Germania. sunt enim in plerisque prouinciis Germaniæ temperati homines. sed illa regio, quæ est Chersonesus Cymbricus inter Oceanum Germanicum & Oceanum Sarmaticum ad mare Baltheum, quæ & Dacia dicitur, nutrit potatores eximios, & omnes regiones per circuitum excessiuis potationibus vacant vsque in Saxoniam, & ad partes inferioris Alemaniæ, de quorum excessibus tota Germania & temperati Germani deridentur in remotissimis partibus. sicut sæpe expertus sum. Peregrinantur enim Romam frequenter, & per vias & in hospitiis vino ingurgitati inebriantur, sicque omnem Germaniam despicabilem & exosam reddunt. Ideo quando Italicus Theutonico contumeliam vult inferre, dicit sibi; *Thediſco briago*, id est, Theutonicus ebrius. In fine descriptionis Germaniæ hoc notandum. Illa quinque nomina, Alemania, Germania, Theutonia, Francia, & Cymbria, quandoque totam regionem significant cum omnibus prouinciis & nationibus; quandoque vero aliquam regionis partem, sicut Cymbria dicitur solus Chersonesus Cymbricus, a quo sæpe tota Germania denominatur. *Chersoneſus* enim vel *Cherronneſus* breui descriptione communi conceptu refertur ad omnem terram intra geminos sinus pelago inclusam, quæ terrestri potest adiri itinere vel abiri. vernaculo sermone nostro appellatur *Cornu*; & quandoque acies, instar pyramidis iacentis, ad interiora maris penetralia a terra immittitur. Latino vero sermone dicitur *peninſula*, hoc est, insula continenti ex vna parte contigua. Talis est Dacia, quam Ptolomæus Cymbrorum Chersonesum dicit, quæ Germaniæ portio est, quam quondam Cymbri tenuerunt. Et quia res Græcorum & Romanorum turbauerunt, dilatatum fuit eorum nomen per vniuersam Germaniam quondam, a quibus etiam arbitrantur *Cymerium* vocari Bosphorum, quasi Cymbricum, eo quod Cymbri latrocinando incertis errabundi sedibus ad paludem vsque Meothim militiam agitarint, & inde de palude Meotho in pontum Euxinum ascenderunt, & medio aquarum brachio, quo palus ponto coheret, nomen dedere. vnde vsque hodie dicitur mare Cymericum vel Cymbricum. Iam vero Chersonesum Cymbricum Daciam vacamus Latine, Theutonice vero Marchiam Danorum, *Demmarck*. Cristenes Daciæ, Sueciæ, Gothiæ, & Norwegiæ Rex, vir in primis Christianus, anno Domini M.CCCC.LXXIV. Romam veniens sacro Cardinalium senatu obuiam prodeunti a Sixto Pontifice miro honore exceptus est, atque rosam auream, quam Pontifices Romani quotannis dominica Lætare vni ex Principibus Christianis largiri solent, dono accepit. Itaque vt Iason ex Græcia pro aureo vellere Colchidem, sic is ex Norwegia Rex Romam proficiscens distantia dupla aureo munere onustus domum rediit, quam deinceps aliquot annis celebrate vitæ pulchre adornauit. Hoc etiam nomen Francia quandoque tota dicitur Alemania, imo totam quasi Europam hodie Sarraceni nominant Franciam. aliquando vero nominat solum vnam portionem Germaniæ, quam nos Franconiam dicimus, vel Orientalem Franciam, quam alluit Mœnus fluuius. Theutonia communiter sumitur pro tota regione; aliquando tamen solum pro parte continente Franconia & Bauaria. Germania etiam communiter totum significat, sed tamen sepe pro parte, quam incolunt Sueui, accipi inuenimus. Alemania autem quandoque solum Beccenis siluam cum Brisgaudia nominat, frequentius tamen totam regionem designat. Ex hiis nunc habemus aliqualem Germaniæ non descriptionem sed circumlocutionem quandam, ex qua faciliter in Sueuiæ circumscriptionem processus erit.

CAPUT X.

Circumlocutio Sueuiæ.

SVeuia, pars magna Germaniæ, sic nominata a Sueuis populis, de Sueuo monte in eam regionem, quæ nunc Sueuia dicitur, progressis. Est autem Sueuus ab ortu Solis Germaniæ initium faciens, & cum permaximus sit, Cymbrorum vsque promontorium protenditur, & ab hoc Sueui nuncupati sunt. Hic mons non est moles singularis, sed condependet cathenæ mundi, de qua sepe supra facta est mentio, sicut & nostræ Alpes, Carpatus mons, & Riphei montes & Hyperborei. Æstimo autem hunc montem partem esse Carpati, qui respicit vno cornu Pannoniam, alio vero pontum Euxinum, vel coheret monti Venetio, qui contra Sarmaticum Oceanum protenditur, cuius Oceani sinus e diuerso montis protensus sinus Veneticus dicitur, & populi Venetici iuxta habitantes vicini Sueuis. vel forte erat vnus populus istius differentiæ, quod habitantes iuxta Veneticum sinum dicebantur Sueui. Nec æstimet quis montum Sueuum propinquum esse Sueuiæ, sed remotissimum ad orientem retro Hungariam in Scithia Europæ. Vetustissimis autem temporibus, dum terra adhuc non esset repleta habitatoribus, in locis, vbi homines habundabant, conueniebant in vnum qui singulares sedes habere optabant, & a suo natali solo emigrabant. Sic Sueui a monte Sueuo recesserunt, & hanc nostram regionem desertam reperientes colere cœperunt, eamque Sueuiam nominauerunt a se. Porro cum lacum Constantiensem reperissent, eum Veneticum nominauerunt a sinu Sarmatici maris, qui Veneticus dicitur, propinquus monti Sueuo & soli natiuitatis eorum, & populum iuxta lacum illum superiorem habitantem nominabant Venetes. Lacum autem inferiorem Acronium nominabant a fluuio, qui terram Venetam alluit & in sinum Veneticum decurrit, cui nomen est Chronon, de quo Acronius venit. Hæc clare in tabula octaua Europæ Ptolomæi

lomæi videntur. Sic ergo ex hiis habetur, quod eſt mons quidam in Scithia Sueuus dictus, cuius cornu deſcendit vsque ad promontoria Cherſoneſi Daciæ, qui in dextera parte habet ſinum Sarmatici maris, quem nominant Veneticum, & populum in littoribus habitantem Venetes, ibique decurrit fluuius dictus Chronon per Venetes in ſinum Veneticum, ita quod ſupra Venetes eſt mons Sueuus, a quo emigrauit quondam populus, ſeque inter Danubium & Rhenum recepit, & terræ ſuum nomen dedit, & aquis nomina ſuarum aquarum attulit, dicens lacum maiorem Veneticum, quem tamen nominamus Venetum, & minorem Acronium a fluuio præfato. Sueviæ autem ſitus hic eſt, & illi ſunt veri termini illius terræ. ab ortu Solis habet Danubium cum Bauaria: ab occaſu habet Rhenum cum Alſatia: a meridie iugera Alpium cum Italia: a ſeptentrione habet Franconiam cum inferiori Germania. Eſt autem duplex Sueuia, inferior ſcilicet, quæ protenditur contra Rhenum; ſuperior, quæ contra Alpes porrigitur. Vtraque eſt terra bona, fructifera; vinifera, habetque centum pagos ſecundum Iſidorum, & ciuitates munitiſſimas, oppida, caſtella, caſtra, villas, campeſtria & montana, amnes & flumina, nemora multa, prata & paſcua, ſiluas ingentes, ferarum & beſtiarum vtilium greges, de cuius montibus metalla fodiuntur, & de eius aquis ſales coquuntur. Eſtque terra ipſa populoſa, fortis, audax, gens bellicoſiſſima, procera corpore, flauo crine, venuſta facie, & decora ſpecie, diſertæ eloquentiæ, ſynonymis vtens & dictionibus ac verbis præ aliis Theutonicis habundans, voce clara & tubatis ſonans cantibus, gaudiis cum parcitate victus vacans, ſplendida veſte & frequentibus balneis vtens. Vnde etiam prouiſum eſt, vt in terra eorum ſint multi fontes calidas medicinalesque aquas ſcaturientes. *Sunt* etiam *Sueui rationabiliores Alſatis, nobiliores Bauaris, iuſtiores Brabantinis, ditiores Fraconibus, deuotiores omnibus aliis Germanis.* Porro de antiquis Sueuis dicit Ptolomæus, quod *laudem maximam putabant quam latiſſime a ſuis finibus vacare agros, & vaſtatis circum ſe finibus ſolitudines habere, ita quod vna ex parte ab eis circiter milia paſſuum ſextenta agri vacare dicebantur, obprobrium virtutis exiſtimantes expulſos agris finitimos cedere, nec quemque prope audere conſiſtere.* Tantum autem multiplicabantur antiquitus, vt ſingulis annis in qualibet ciuitate, villa, & domo, media pars egredi neceſſe haberet, ſicque egreſſi alias ſibi ſedes conquirerent. ſicque diuerſas regiones deleuerunt, easque ſibi ad habitandum aptauerunt. Vnde plurimum opinio eſt, quod Suiceri ſiue Suitenſes, qui alias nominantur Sueſii, a Sueuia ſint exorti. Quantam autem fortunam in rebus bellicis gens iſta habuerit æuo noſtro, non eſt qui ignoret, eorumque fortitudinem Reges, Principes, nobiles, & communitates cum detrimento vitæ, terrarum, & aliarum rerum perſepe experti ſunt. Formidabiles enim facti ſunt omnibus totius Europæ Regibus, eorumque amicitiam procul valde exiſtentes Reges & Principes habere precibus & muneribus ſatagunt, quamuis ſint ruſtici & alendis pecoribus dediti, ſemperque in ſeruitute Principum & Ducum Auſtriæ ac nobilium aſtricti, præter iam ad centum annos, quibus iugo ſeruitutis abiecto proprium regimen pro ſe aſſumpſerunt. Quæ autem cauſa fuerit, quod ruſtici illi a ſuo naturali Domino ſe ſubtraxerint, non aliam opinor fuiſſe, quam tyrannicum regimen Dominorum, & grauamina iniuſta nobilium, & exactiones pecuniarum, & tributorum aggrauationes, & huiuſmodi, quibus moti coniurationem fecerunt, & in dedicatione cuiuſdam villæ, ad quam multi nobiles & Dominorum officiales vna cum ruſticis congregabantur, conglobati ruſtici in nobiles præſentes & in officiales irruerunt, eosque iugularunt in platea vbi choreizabant. Caſtra etiam occiſorum ceperunt & combuſſerunt, aliasque villas & ruſticoſam plebem ad ſe attraxerunt, & indies augmentabantur, in tantum vt oppida & ciuitates oppugnarent, contra quos Duces Auſtriæ exercitus ducentes parum profecerunt. Vnde anno Domini M. CCC. LXXXVI. apud Sempach prœlio commiſſo inter exercitum Ducis Auſtriæ Lupoldum & Suitenſes interfectus fuit Dux, poſt cuius interfectionem exacerbati Duces Auſtriæ & nobiles contra Suitenſes, illique magis animati & armati, multis annis terra prœliis vexata inquietabatur, & Suitenſes conualeſcebant & creſcebant in tantum, vt totam Heluetiam, hoc eſt, terram inter Conſtantiam & Baſileam a montanis & ſedibus eorum vsque ad Rhenum obtinerent. Videns autem Archidux Auſtriæ Sigiſmundus, quod terram, quæ adhuc ei ſupererat, & Rheni ciuitates inter Conſtantiam & Baſileam tueri ſolus non poſſet, deſcendit in Spiram, & Principum Alemanniæ inuocauit auxilium contra Suitenſes. ſed dum non inueniſſet, impignorauit omnem terram ſuam, quam in Alſatia & Briſgaudia habebat, & Nigram Siluam & ciuitates Rheni Duci Burgundiæ Carolo, qui tunc ad augmentandum ducatum ſuum vehementer aſpirabat, & res bellicas ſtrennuiſſime gerebat, in tantum vt formidini Regibus & Principibus Galliæ & Germaniæ eſſet. Cum autem Dux Carolus regionum illarum eſſet factus Dominus, miſit præfectum in patriam Petrum de Hagenbach militem, virum vtique nobilem & perſonatum, ſed crudelem & inhumanum. qui cum multos turbaret, & nec nobilibus, nec ciuitatenſibus, nec communitatibus, nec Suitenſibus deferret, omnium animos in ſui odium concitauit. Vnde factum eſt, vt quos nemo vnquam concordare poterat, tyrannus illius præfecti concordes faceret. Eo enim communi omnium conſilio condemnato & decapitato in Briſaco Dux Auſtriæ Sigiſmundus Suitenſes in ſuam recepit gratiam, & concordatis partibus illis contra Ducem Carolum Burgundiæ, qui in Alſatiam & Sueuiam conatum faciebat,

Digitized by Google

faciebat, multa gesserunt prælia. Tandem autem anno Domini M. CCCC. LXXV. a Suitensibus superatus & fusus obtruncatus est. Sic ab eo tempore vsque nunc Archidux Austriæ & Suesii siue Suitenses aut Suiceri in amicitia & pace manserunt. quamdiu autem pax maneat, Deus scit. Volui ergo hic de Suitensibus loqui, quia Sueuorum filii sunt, & ab eis originaliter descenderunt. vnde hodie inter Sueuos computantur, & nomen eorum eos esse Sueuos prodit, quia dicuntur Suesii. Vulgus autem communi locutione improuide exprimens posuit i pro e, nominans eos *Suisios* vel *Suiceros*. Mos enim est in Suitensium locutione, vt vbicumque Sueui vtuntur a, ipsi dicunt e; & vbi Sueui habent e, Suiceri habent i, vt in plurimis. Sicut autem Suesii siue Suiceri a Sueuis sunt, sic creduntur Suecii, qui ad mare Baltheum sunt in Suecia, esse a Sueuis emissi, sic & Suedi in Suediam. Quamuis enim Sueuia sit terra bona, tamen feminæ eorum tot pariunt fœtus, quod terra non potest eos nec hodie nutrire. Vnde fit vt quasi in omnibus Germaniæ nationibus sint Sueui. Transmittit enim Sueuia omnibus sacerdotes & scolares: nec est natio forte sub cœlo, de qua tot sacerdotes, scriptores, musici, rectores scolarum, & huiusmodi sint, sicut de natione Sueuiæ. Est etiam tota Brisgaudia & Alsatia plena Sueuis rusticis, qui nisi essent in Alsatia, non possent rustici de terra illa nati mediam partem montanorum colere, sicque media pars Alsatiæ deserta esset, si Sueui in eam se non diffunderent: & quod vinum Alsaticum illud nobile iam per mundum longe lateque circumducitur, beneficio Sueuorum vinitorum fit, qui quotidie in montanis noualia fodiunt, & vineas augmentant. Et non solum in Sueuia, sed in omnibus prouinciis, etiam extra Germaniam, vbi vina crescunt, Sueui vinitores reperiuntur. Similiter omnibus transmittunt clicentes & armigeros, Quis Rex, quis Princeps vel Dominus est etiam in remotissimis regnis, cui non Sueui aliqui seruiant? In seruitio Dominorum Venetorum per insulas & portus maris inueni quam plures Sueuos armatos in custodia maris seruientes. Sed & feminarum genus apud Sueuos delicatum & formosum adeo multiplicatur, quod pene in omnibus regionibus euagantur mulieres de Sueuia, seruientes hominibus in cura domestica, & maxime in cultu Veneris, cui adeo affectæ sunt, vt præpositæ reliquis primum locum in sacris Veneris habeant. aliæ tamquam cum Venere Adonidem quæsituræ per mundum discurrunt. quem cum diu in publicis lasciuiis quæsitum non inuenerint, mox abdita petunt & Adonidem desideratum apud Mineruam, Dianam, Vestamque castissimas Deas, quærunt; quæ eas dirigunt ad suos sacerdotes, responsis eorum certificandas. Ingressæ autem ædiculas sacerdotum, statim quem numquam inuenire Venus poterat, Adonidem latitantem conspiciunt, seque ardenter expectantem. Ad quem mox complexum vt ceperint, Vulcanus superueniens inuisibilibus & indissolubilibus cathenis, vt Martem & Maiam, captos tenet, & in seruitutem Veneris reponit, vt & ipsi Mineruæ, Dianæ, & Vestræ sacerdotes, casto earum spreto sacerdotio, sacris fungantur impudicissimæ Veneris. Hiis Sueuorum euagantes feminæ vacant. Sed pudicæ, virtuosæ, & bonæ, quarum maior est numerus, vel thoro immaculato se tradunt, vel in monasteriis se concludi faciunt, vbi non Mineruæ castitatem, sed Mariæ cœlibatum custodiunt. Vnde indubitatum est apud me, quod in toto orbe non sint tot virginum monasteria, tot iuuenclarum incluſoria, tot beginaria, in tam paruo districtu, sicut in Sueuia ad decem miliaria per gyrum ciuitatis Eslingensis: & non solum in Sueuiæ degunt monasteriis, sed aliarum regionum replent cœnobia virgines de Sueuia. Sicut enim, vt comparationem improportionatam faciam, omnia aliarum regionum lupanaria habent feminas de Sueuia, sic omnia pene monasteria procul existentia habent virgines Sueuigenas, & delictæ ac vtiles monasteriis sunt plus quam aliæ, propter bonam naturæ dispositionem. Vnde nonnulli de alienis regionibus, scientes femininum genus in Sueuia esse multiplicatum, in eam regionem veniunt, & feminas nummo mercantur, easque abducunt, vel ad seruiendum in cura rei familiaris, quia laboriosæ & agiles ac fideles sunt; vel in cura rei illicitæ, quia amabiles sunt & delicatæ; vel in cura rei diuinæ & in monasteriis, quia sanæ, robustæ, & rationabiles sunt, beneque vociferatæ præ aliis mulieribus, & magis deuotæ. Hæc omnia experti sciunt sic se habere. Porro de Sueuorum potentia dicit Isidorus, quod *Sueui maximum dominium consueuerunt habere in Germania ab antiquissimis temporibus*, & maxima semper viguere fortitudine, nec quicquam celebre gestum est per Germanos, nisi ad Sueuorum instigationem, qui semper ceteros Alemanos & Theutonicos ad suam flectere studuerunt intentionem. Vnde Cæsar Iulius quarto Commentariorum tale dat eis testimonium, dicens; *Sueuorum est gens longe maxima & bellicosissima Germanorum omnium.* ex quo accidit, vt omnia insignia bella Theutonicorum Sueuis ascribantur & multa, quæ Sueui gesserunt, Theutonicis in communi imponuntur; & persepe laudabiles Sueuorum victoriæ Gallis attribuuntur. quod sic accidisse æstimo, quia in bellis Sueui vsi sunt Gallis, vel quia scriptores Gallorum gloriæ magis quam Sueuorum erant. Quia autem maximam Germaniæ partem Sueui incolunt, Theutonicis omnibus Sueuorum attribuuntur, nec faciunt scriptores differentiam inter Sueuiam & Franconiam, sed pro vno computant populo. Multa bella gesserunt ante Domini incarnationem cum Romanis & aliis finitimis. Vnde cum Romani Consules orbem subiugarent, & passim gentes rebelles interficerent, Theutomodus seu Theudolus Rex Theutonum assumptis Sueuorum copiis

Digitized by Google

copiis & aliorum finitimorum, ingressi sunt in Italiam, vt eam delerent, & Romanum imperium extinguerent, & discurrentes maximas cædes & strages fecerunt. Fecerant autem sibi de curribus præsidium, & cunctam prædam & in eum comportabant ad vxores & filios, quos secum duxerant, vt si meliores sedes inuenirent, illic remanerent. Cum igitur res sic transiret, Marius Consul exercitibus superueniens superauit. Porro matronæ CCC. & aliæ Theutonicorum, Sueuorum, & Cymbrorum feminæ, cum didicissent viros suos superatos seque captiuandas, primum Consulem deprecatæ sunt, vt templo Cereris ac Veneris in seruitium traderentur. quod cum non impetrarent, pudicitiæ suæ curam agere cogitauerunt. vnde paruulis suis primo ad saxa collisis cunctæ sese ferro ac suspendio peremerunt. Alia vice Theutones & Cymbri integris copiis Alpium niues emersi Italiæ plana peruaserant. Itaque cum rigidum genus diu blandioribus auris, poculis, cibis, ac lauacris emollirentur, tandem superuenere Romani virosque in bellum traxerunt, acrique certamine eos superauerunt, quorum prægrandis coniugum numerus ad sarcinas erat pudicitiæ sacræ & constanti proposito laudandus, quinimo extollendus præcipue. Vt enim mulieres illæ Theutonicæ audierunt suos fugisse viros & interemptos, non virorum secutæ sunt fugam, sed plaustris, quorum grandis illis erat copia, in formam valli redactis, stulto sed animoso consilio præustis fustibus, lapidibus gladiisque libertatem suam castimoniamque tutare quam longius possent dispossuere. Sed acie facta, aduenientibus Romanis militibus, cum non diu obstitissent, sensere quam in vacuum conatus disponerent, & ob id si possent inire cum Imperatore concordiam petiere. Erat enim illis infixum animo, si viros, si sedes, si vitas, si substantias omnes pugna perdidissent, vna saltem qua possent via libertatem & pudicitiam seruare suam. Idcirco postulauere vnanimes non fugientium virorum pacem, non in patriam redire suam, non vt sua restaurarentur auro damna, sed vt omnes Romanis virginibus Vestalibus iungerentur. Quod cum honestissimum visum foret & sincerę mentis testimonium, nec impetrassent, succensæ furore persæuum iniere facinus. Nam ante omnia collisis in terram paruulis atque peremptis, vt illos qua poterant via iugo seruitutis subtraherent, nocte eadem inter vallum a se conseptum, ne & ipsæ in dedecus castitatis suæ & victorum ludibrium traherentur, laqueis omnes lorisque mortem constituere sibi, nec prædæ aliud ex se præter pendentia cadauera auidis liquere militibus. Cædibus præfatis Theutonum peractis, constituere quidem manere in sua terra & exercitus Romanorum expectare, & cum eis in suo sole conflictum, si venirent, habere. quod & fecerunt. Nam, vt dicit Æneas Siluius; *Calcator, inquit, terrarum omnium & orbis domitor Iulius Cæsar, quamuis subactis Gallis sepe Rhenum transiuerit, resque maximas in Germania gesserit, bellicosam tamen & asperam Sueuorum gentem dimisit indomitam, quousque quasi vltro se potentiæ Romanorum subderet, inducta Cæsaris oratione ornatissima.* Reperi enim in quadam historia Theutonico sermone conscripta, quod dum Cæsar Iulius deuictis Gallis Germaniam Rheno transito iuxta fines Vbiorum, id est Colonienſium, ponte facto accepit gentem in Germania, (Sueuos videlicet) quæ ceteros Germanos longius a se propelleret, vt patet in quarto Commentariorum Cæsaris, & neminem timeret: qui cum eis congressus ab inferiori ascendit contra eos. sed cum non proficeret, rediit ad pontem Rheni a se factum, eoque transmisso per Galliam Belgicam ascendit & in Italiam venit, collectoque grandi exercitu Italorum & Gallorum Sueuos a superiori parte vincere conatus est, & Alpibus transcensis in capite Sueuiæ iuxta Alpes populum cædere ceperunt & vastare agros. Quod vt Rex Sueuorum audiuit, collectis copiis obuiam Cæsari occurrit. Conuenerunt autem vtræque legiones in Colle Leporum, quem vulgares nominant *Hasenbuchel*, non longe ab oppido Fiesen Augustensis diœcesis, in quo corpus sancti Magni quiescit, ibique durum valde bellum commissum est vsque ad amborum cornuum non dissipationem sed debilitationem, nec illis nec istis cessit victoria. Separatæ ergo sunt ibi ab inuicem legiones, & ad aliam congressionem se parauerunt. Condicto autem prælio iuxta flumen Licum, qui Augustam Vindelicam alluit, quem vulgares *Lech* nominant, multis horis bellatum, multisque sanguis supra modum effusus hinc & illinc neutrum cornu aliud confringere valuit. Tertium deinde bellum indicunt sibi partes iuxta ciuitatem Mundelhaim, ibique coeuntes atrox & miserabile prælium committitur, horrendum auditu. Euellebant sanguinolentas ex corporibus suis sagittas Sueui, ac truncatis manibus in hostes irruerunt, nec prius animam exhalabant, quam occisorem ipsi occidissent, & quidam hostes confossi & onusti telis inter Romanos currentes necem suam vindicabant. Videns autem Cæsar Sueuos vinci non posse, nisi lugubri & cruentissima victoria, & quod iam non in spem victoriæ, sed in mortis vltionem toto nisu ac desperato animo tenderent, contraxit manum vitæ suorum & aduersariorum deferens, iudicans tam imperterritam gentem non extinguendam sed conseruandam pro imperii Romani singulari gloria, & quos dura inuasione vincere non potuit, dulci persuasione aggressus est. eloquio enim mirabili pollebat, & quos nulla arte vincere valuit, prudenti eloquio in sui perduxit amorem. Affatus ergo populum eius lingua materna, quia multarum gentium nouit linguas, eorum commendabat strennuitatem, eosque multa gloria dignos prædicabat. sed & senatus Romani benignitatem, ac ceteras virtutes dulcissima oratione explicabat, sicque inuincibiles Sueuos vicit, & dextris datis custodes capitis sui ex eis elegit,

Digitized by Google

elegit, eisque ducem vnum ex ſuis amicis conſtituit. Compoſitis ergo rebus per Sueuiam aſſumpſit exercitum ſuorum non paruum, & cum eo contra ceteras nationes aggreſſus omnia ad imperium Romanum duxit multis commiſſis bellis. Sicut autem in inferiori Germania pontem fecerat per Rhenum, vt cum Gallis contra Sueuos procederet, ſic in ſuperiori pontem fecit, vt cum Sueuis contra rebelles Gallos tranſiret. Iuxta pontem illum oppidum ædificauit, ibique aliquot diebus & menſibus conſedit, & ideo oppidum hodie vocatur Cathedra Cæſaris, vulgariter *Kayſerſtul*. Decem autem annis deſudauit Cæſar maximis laboribus ad imperii Romani dilatationem, totaque Europa obtenta cum triumpho & gloria ad vrbem proficiſcebatur. Sed dum vrbi proximus eſſet, non fuit qui victori occurreret, imo & portæ vrbis clauſæ erant ex imperio ſenatus, a quo decretum erat, vt in vrbem numquam, niſi dimiſſo exercitu, veniret. Hoc Cæſar grauiter tulit, Sueuosque & cæteros Germanos & Gallos aduocauit & robuſtiſſimum exercitum apud Rauennam congregauit, cum quo Romam hoſtiliter contulit. At vero Pompeius & omnis Romanorum ſenatus creſcentibus Cæſaris viribus trepidi tanquam Italia pulſi Græciam adierunt, Dirachium gerendi belli ſedem eligentes, quæ ciuitas Romanorum colonia erat. Cæſar autem cum Sueuis Romam ingreſſus, & ex ærario publico fractis ſeris & oſtiis pecuniam tulit, ſuisque fidelibus militibus Sueuis & Germanis elargitus eſt, & priuilegiis ac gratiis ampliſſimis dotauit, eisque aliquas Italiæ vrbes contulit, vt in eis ſibi præſidio eſſent. Senam autem de nouo Sueui condiderunt, vnde vſque hodie dicitur *die Tutſchen*. opinantur aliqui, quod primitus fuerit vocata Sueua, poſt Seua, vltimo Sena. Verum Italici multa de Senenſi ciuitate fingunt, ne cogantur concedere tam egregiam vrbem eorum a Sueuis ædificatam. Poſt Iulii mortem manſerunt Sueui in firma ſeruitute Romanii Imperii, & vocati ab Imperatoribus comparuerunt. Vnde cum Titus & Veſpaſianus in Syriam proficiſci decreuiſſent contra Iudæos in Ieruſalem ad ſecum transfretandum Sueuorum nobiles aduocauerunt, de quo hodie Marchiones de Baden patentes litteras ſuæ vocationis oſtendunt. Ab eo ergo tempore, quo Sueui Romanis ſe ſubdiderunt, fideliſſimi imperio extiterunt, & numquam ſe ab eorum poteſtate ſubtraxerunt; ſicut ſepe legimus alias nationes feciſſe. Vnde ſeuientibus Principibus Romanis in Chriſtianos tempore Martyrum, Principes Sueuorum & præfecti crudelius in Chriſtianos ſeuiebant, & multos pro Chriſti nomine trucidabant amore Romani imperii, ſicut patet in legenda ſanctæ Afræ apud Auguſtam Sueuiæ diris ſuppliciis cum ſuis ſodalibus conſummatam ſub Diocletiano. & in legenda ſanctorum Felicis & Regulæ & Exuperantii apud Tullingnum, nunc Turegum, ciuitatem paſſorum, & multis ſuppliciis peremtorum ſub eodem Imperatore. & in legenda ſanctæ Verenæ, quæ apud Zurzach incarcerata fuit poteſtate Romani Imperii, &c.

CAPUT XI.

Sueuorum ad fidem conuerſio.

SIcut autem Sueui ad Romanum Imperatorem ſemper fideliſſimi manſerunt, ſic poſt translationem imperii ad Græcos, ad Papam & Eccleſiam, vt ſingulares protectores, manſerunt ab eo tempore, quo fidem Sueui receperunt. Succeſſiue autem creuit fides Chriſti in Sueuia tempore Martyrum. Nam in Auguſta prædicauit ſanctus Narciſſus fidem, & ſanctam Aſram conuertit cum aliis pluribus tempore Diocletiani & Maximiani circa annum Domini CC.LXXXVIII. Similiter eodem tempore fecit ſanctus Felix in Thurego, & ſancta Verena. Prædictus autem ſanctus Narciſſus fuerat Epiſcopus Ieroſolymitanus, & Auguſtam vſque deuenit cauſa dilatandi fidem. Et ſecundum hoc fides Chriſti fuit in Sueuia ultra mille & ducentis annis, non quidem generaliter, ſed inter paganos creſcebant Chriſtiani. Et quia Chriſtiani tunc habebantur vt hoſtes Romani Imperii, & quærebantur, & occidebantur, pauci potentes conuertebantur ad fidem, ſicque fides erat apud pauperes & humiles vt in plurimum. Inſuper legimus quod anno Domini C.LXXX. ſanctus Lucius in Alpibus Rhæticis prædicauit, & Daſas regionem conuertit ad fidem. ex quibus liquet, fidem in Germania & in Sueuia vltra mille annos viguiſſe & trecentis. Conſequenter anno Domini CCCC.XLIIII. vel paulo minus vel plus venit in Sueuiam ſanctus Theoneſtus cum Vrſo & Albano & aliis diſcipulis, pulſi de Macedonia ab Arrianis, & Sueuiam iamdudum ad fidem conuerſam inuenerunt hæreſi Arriana deprauatam, pro cuius extirpatione laborabant. Vnde etiam ſanctus Vrſus in Auguſta Sueuiæ occiſus fuit ab hæreticis, & ſanctus Albanus in Moguntia anno Domini CCCC.LV. Tempore iſtorum ſanctorum fuit ædificata eccleſia in Kyrchberg ſupra Biblingen, ſicut inuenitur ſculptum in lapide ibi. Deinde anno Domini D.LXIIII. venit in Sueuiam ſanctus Columbanus cum ſancto Gallo, & Gallo in Sueuia derelicto ipſe Columbanus Abbas Curiam intrauit. Sanctus autem Gallus idola iuxta lacum Conſtantienſem deſtruxit, & populum ad Chriſtum conuertit, vt habetur in eius legenda. Poſthæc anno Domini DCC. XIIII. miſſus fuit in Germaniam ſanctus Bonifacius ad conuertendum populum nondum credentem, & ad confirmandum credentes, factusque fuit Epiſcopus Moguntinus. Et in illis temporibus fuerunt per Sueuiam erecta monaſteria multa ordinis Diui Benedicti ob fidei & deuotionis incrementum. Deinde anno Domini octingenteſimo primo translato imperio in Carolum Magnum cepit ipſe Carolus in vniuerſis prouinciis Germaniæ idola & hæreſes funditus extirpare, ſicque eius tempore mundatam credimus Sueuiam ex integro. Nam

Digitized by Google

multa monasteria ordinis sancti Benedicti constituit, præsertim illud in Campidona, a quo postea alia sunt constructa. Multas etiam collegiatas ecclesias fundauit, sicut Ecclesiam Thuricensem, & alias. Ex quibus patet quod statim post Apostolos in Sueuia fuit fides Christi ab aliquibus susceptа, & quod vno & eodem tempore fuit in Sueuia idolatria, hæreses & fides Katholica vsque ad Carolum Magnum, qui quasi omnia reduxit ad vnitatem. Verum ea, quæ manserunt fidei contraria, posteri Pontifices sancti & Imperatores Sueui emendauerunt. Nam circa annum Domini millesimum floruerunt in Sueuia sancti Episcopi, sanctus Vlricus in Augusta, & sanctus Conradus in Constantia, & vterque legitur habuisse prædecessores sanctos. Sanctus Vlricus Vngaros infideles a ciuitate Augustensi fugauit, & Noricos siue Bauaros ecclesias deuastantes vicit & de Sueuia eiecit. Territorium etiam Augustense, vt dicitur, liberauit a muribus magnis, qui dicuntur glires, qui non possunt ibi viuere. Huius rei quidam experientiam recepit. Nouem enim glires in saccum tulit, & Augustam detulit, sed aperto sacco eos minime inuenit. Postquam autem in domum suam reuersus fuit, eos in domo sua reperit, a quibus semper postea molestabatur. Insuper multa egregia de Ducibus Sueuorum leguntur. Est enim ducatus Sueuiæ vetustissimus & nobilissimus, de quorum progenie semper Imperatores Romani aliquos in curia habebant. Vnde Otto primus huius nominis Imperator, qui etiam primus fuit purus Germanus, vtpote Saxoniæ Dux, ad imperium sublimatus anno Domini DCCCC. LXII. a cuius tempore vsque in hunc annum, qui est M. CCCC. LXXXVIII. semper mansit imperium apud Theutonicos, quamuis etiam Imperatores a Carolo Magno vsque ad Ottonem primum fuerint Germani, sed dicebantur Germani Franci. Otto ergo primus amicissimus Hermanno Duci Sueuorum, cuius auxilio castrum & oppidum Brisacium super Rhenum inuasum cepit. & inde profectus Romam duos filios Ducis Sueuorum iuuenes secum sumpsit. Imperatore autem Romæ moram trahente, cum in die Paschæ prandium magnificentiæ imperiali condignum esset paratum, audiens Imperator in curia præ foribus clamores pauperum, omnem paratum cibum iussit dari pauperibus: pro se autem & Principibus fecit de nouo alia parari, & facta fuit illa expectatio pœnalis iunioribus Principibus. vnde cum dapifer portaret primo laganos ad mensam, sicut moris est Theutonicorum, vnus de Ducis Sueuiæ filiis, ex ieiunio & expectatione diutina famelicus, antequam sedissent Principes, tulit vnum frustum lagani & comedit, quæ videns dapifer cum bacculo percussit Ducis Sueuiæ filium ad sanguinis effusionem. super quo commotus miles quidam de Sueuia, famulus iuuenis, euaginato gladio dapiferum interemit. Cernens hoc Imperator, in continenti iussit militem illum capite priuari. Miles autem & omnes Principes petierunt dilationem mortis eius vsque in crastinum propter instantem sacram solemnitatem Paschæ. sed audire eos Imperator noluit, & cum ingenti furia occidi militem præcepit. Quod vt miles vidit, furia Herculina agitatus, quemadmodum ipse in Cerberi barbam, sic & miles iste subito in Imperatorem irruit, & apprehensa eius barba in terram prostrauit & strangulare cepit, nec potuit auelli. Imperator autem iam in periculo constitutus securitatem militi promisit, & vix miles vitam pro vita donare voluit. Liberatus autem Imperator totum factum peccatis suis & demeritis ascripsit pro eo quod tantum festum dehonorasset, & militem plurimum commendauit, & Sueuos tamquam viros audacissimos penes se semper habere voluit deinceps. Herculi militem adæquauit, qui secundum Poetas reuersus ab Hispania cum audiuisset Thesei apud inferos detensionem, ad specum Trinaram, quæ est iuxta introitum Euxini, accessit, & per eam, cum sit peruia, ad manes vsque descendit, Theseum liberauit, & Cerberum inferni mordacissimum canem barba ad superos traxit: sic Sueuus miles viceuersa in cœlum maiestatis, imperii solium, ascendit & Iouem barba ad manes protrahere conabatur. Sueui ergo potentes erant, & præcipui inter nobiles in curia primi, secundi, & tertii Ottonis. Tempore tertii Ottonis propter difficultatem, quæ erat in electione Imperatoris facta, fecit Papa Gregorius IIII. constitutionem de electoribus imperii anno Domini DCCCC. XCIV. & post mortem Ottonis per constitutos electores fuit concorditer electus Heinricus primus huius nominis Bauarus, vir castus & sanctus. Eo autem defuncto electus fuit Conradus Sueuus Dux Franconiæ anno Domini M. XXV. Tunc enim temporis Duces Sueuiæ etiam ducatum Franconiæ obtinebant. Conradum autem Imperatorem nominabant Salicum, a quo Lex Salica est edita. Hic pacem vbique esse voluit, & edictum statuit, vt quicumque pacem infringeret, capite puniretur, quia Ecclesiæ orientali succurrere intendebat, quæ vexabatur per Sarracenos. valde enim Dei ecclesiam venerabatur, & vbique tuebatur. Quidam autem nomine Dyoboldus Comes de Calwe edicto Cæsaris violato concitauit in Sueuia discordias non modicas, Imperatore forte Romæ existente. Cum autem Cæsar querimonias audiuisset, iratus dixit se citius venturum contra Comitem, & eum exterminaturum. Hoc vt percepit Comes timuit, & accepta vxore & familia castrum dereliquit, & occulte fugiens non longe descendit per litus fluminis Nagalt, & iuxta quoddam molendinum domicilium paruum & miserum sibi constituit, ibique vt pauper rusticus delituit. Imperator ergo in regionem veniens audita fuga Comitis quieuit: verum ne discordiæ, quas seminauerat, pullulare possent, in eam regionem se contulit, & castro Comitis capto, quod est supra oppidum Calwe, in eo habitauit vacans venationibus. Quadam autem vice dum Imperator venationi intentus esset, elongatus

a fa-

a famulis, & nocte præoccupatus Deo volente ingressus est domicilium Comitis ad fugiendam noctem & tempestatem, volens ibi expectare lucem. Comes autem eum agnoscens fugit, ne ab ipso agnosceretur. suspicabatur forte etiam, quod ex industria ingressus fuisset ad quærendum ipsum. Extinctis ergo luminibus, cum Imperator ad quiescendum reclinasset caput suum, infantulus Comitis, quem vxor sibi de nouo pepererat, tota nocte fleuit, nec Imperatorem dormire permisit. Vigilante autem sic Imperatore cum impatientia, vox venit dicens; *Magnanimus esto, Conrade, & fletum huius pueri sustine, quia gener tuus erit, & in imperio successor.* De hoc præsagio turbatus est Imperator, & occulte duobus seruis mandauit vt puerum raperent, & in silua necarent, & cor eius sibi deferrent. Duo autem serui raptum puerum in siluam tulerunt: sed dum puer fulgentem gladium dulciter arrideret, & manu capere ipsum gestiret, miserti ipsius illi duo ipsum infantem super truncum arboris iuxta viam nemoris posuerunt, & abierunt portantes Imperatori leporis capti cor pro corde paruuli. Interea supra memoratus Dux Sueuiæ Hermannus sterilem habens vxorem, & multo affectu prolem habere cupiebat, via illa transiens infantem inuenit, eumque vxori suæ occulte tradidit præcipiens ei infantem tanquam a se genitum educare, quod & fecit. Et factus fuit pulcherrimus iuuenis, viribus fortis & prudens, Heinricusque vocatus, miro modo Duci & Duciſſæ dilectus. qui cum curiam Imperatoris cum Duce frequentaret, in tantum factus est dilectus Imperatori, vt ipsum penes se semper habere cuperet, eumque secum in Italiam duxit. Quadam autem vice cogitare cœpit de iuuene, qualiter ipsum exaltare posset, & pensatis rebus filiæ suæ eum copulare deliberabat. Venit etiam in mentem vox illa, quam in domo pauperis audierat de flente puero, & cœpit timere ne forte iuuenis ille esset idem, quem occidi mandasset, & tantum pulsabat virum ista dubitatio, quod mente concluſit iuuenem illum non esse Ducis sed rusticelli pauperis filium. Quapropter scripsit literas Imperatrici, misitque eas a Mediolano Aquisgrani, vbi morabatur, hanc continens sententiam, vt latorem literarum capi & occidi faceret; & si factum non fuerit, mortem acerbam ipsa sustineret. Cum hiis literis iuuenis vsque in Spiram venit & in domum nobilis & docti viri Decani ecclesiæ Spirensis declinauit. Dum autem adolescens dormiret, scrutabatur Decanus sacculum iuuenis volens videre, quid noui de Imperatore portaret. Dixerat enim se esse Imperatoris nuntium. Cum autem noua legisset, compassus iuueni caute sedit & scripturam illam, vbi stabat, *iuuenem hunc necabis*, rasit scribens, *Iuueni huic filiam nostram dabis.* Cum hiis literis iuuenis ad Impetatricem venit, & filiam Cæsaris vxorem accepit. Quod vbi auditum est ab Imperatore, Aquisgrani venit, & seuire volens in vxorem visis literis rasas esse minime cognouit, & accersito Duce Sueuiæ rei veritatem ab ipso & a duobus seruis, quibus puerum occidendum dederat, didicit, & intellecto, quod esset de nobili sanguine, quieuit & cognouit quod *non est est consilium contra Dominum.* Sub isto Conrado cœpit populus occidentalis anhelare ad ereptionem ciuitatis sanctæ Ierusalem, quia templum Dominici sepulchri eius tempore Arabes destruxerant, & ruinis miserabilibus Dominicum sepulchrum opertum & pressum iacebat. Denique Conrado illo ex humanis assumpto gener eius prædictus Heinricus Comitis de Calwe filius imperio Romano præficitur anno Domini M. XL. Fuit autem Heinricus ille huius nominis tertius Imperator, verus Sueuus, & homo virtuosus, natura iocundus, hominibus affabilis, omnibus humilis, hostibus terribilis, pauperibus valde pius, & ecclesiæ sanctæ fidelissimus. Hic accepta vxore, dum nuptiæ imperiali more celebrarentur, omnes ioculatores, mimos & histriones, qui aduenerant, iussit expelli, & omnia eis danda in vestibus & pecuniis & cibis pauperibus erogauit. In loco suæ natiuitatis super fluuium Naglatum monasterium ordinis sancti Benedicti in honore sancti Aurelii Episcopi ædificauit, & ipsum pluribus diuitiis dotauit. Successu autem temporis crescente numero Monachorum non poterat monasterium eos capere; ideo ex parte altera riui aliud monasterium maius & a publica via remotius erexerunt, & pontem lapideum super fluuium inter vtrumque monasterium fecerunt, & in vtroque quottidie diuina celebrantur. Sunt autem hodie ibi degentes deuotissimi patres ad modum Bursfeldensium æuo nostro reformati. Sic magnificus Imperator natus humili tuguriolo, locum ipsum celeberrimum reddidit duplici monasterio, quod Hyrsaw dicitur, eo quod insequendo ceruum Conradus Imperator venerit in locum, in quo audire meruit diuinum oraculum de successore futuro, vt dictum est. Temporibus dicti Heinrici adhuc idolis seruiebant Vindelici Sueuis vicini, & Fortunam adorabant, cuius idolum in loco eminentissimo erigentes cornu dextræ eius apponunt plenum medone, & vltimo die Nouembris sedentes gustant in loco idoli. Et si poculum illud plenum inuenerint, strepitu magno applaudunt, ex eo quod in futuro anno pleno cornu copia sit responsura. si contra contingat, gemunt, quasi caristiam futuram. Contra hos Heinricus prœlium mouit, eosque subiugauit, & ecclesiæ iunxit. Normannos de Apulia expulit, & terram ad ecclesiæ obedientiam reduxit. Insuper eius tempore fuit reædificata ecclesia sancti sepulchri in Ierusalem octauo anno regni sui, ante liberationem terræ sanctæ XXV. annis. Heinrico tertio ex hac luce subtracto eiusdem nominis Heinricus quartus filius eius Romanum sortitus est imperium. Cœpit autem regnare anno Domini M. LXVII. sub quo quinquaginta annis Romanum imperium apud Sueuos fuit. Fuit autem hic Hein-

Digitized by Google

ricus ore facundus, ingenio acutus, eleemosinis largus, in re militari fortunatissimus. Contra hunc Imperatorem Gregorius VII. commouit & fouit Rudolfum Ducem Saxoniæ, quem Electores in Phorcheim congregati elegerunt in locum Heinrici, quem Papa depofuit nec confeſſum nec conuictum. ſed Heinricus ſtrenue Rudolfum aggreſſus cum ſuis Sueuis eum ſuperauit, & depauperauit, & imperium firmiter retinuit. Sub iſto Imperatore erepta fuit Ieruſalem ciuitas ſancta de iugo gentium per Dominum magnificum Gotfridum Ducem Burgundiæ, adiuuante ad hoc tota Chriſtianitate anno Domini M. XCIX. In hac autem Dominici ſepulchri & ciuitatis ſanctæ & terræ promiſſionis liberatione Sueui præcipuo honore ſunt extollendi, quorum medio omnia iſta ſunt acta. Quamuis enim in illo primo prælio, quo capta fuit ciuitas Ieruſalem, non fuerit perſonaliter Imperator, nec fiat de eo mentio: notum tamen eſt quod totus exercitus occidentalium mouebatur per eum, & ſi ipſe voluiſſet, Dominus Gotfridus penitus nihil egiſſet vel agere potuiſſet. ideo victoria iſta fuit Imperatoris. Hanc tamen & alia glorioſe per eum geſta non attribuunt hiſtoriographi ſibi, quia vt communiter deſcriptores illi vel ſunt Francigenæ vel Italici, quorum affectus ita ſtat ad Alemannos, & præcipue ad Sueuos, vt non ſolum non laudabilia enuntient, ſed & nomen Sueuorum ponere abhorreant, niſi cum deſpectione & ignominia. Sueuorum enim Principes valde graues eis fuerunt in ſedandis diſcordiis & particularitatibus eorum. & quia innatum eſt Italis partialitatibus Rempublicam perturbare, quod Sueuorum Principes dum dominabantur eis ſuſtinere nolebant, eosque propterea vexabant: ideo vſque hodie illi partialitatum ſectatores odio habent Sueuos partialitatum deſtructores, & hoc quod illi glorioſi Principes Sueuorum egerunt per Italiam ad tollendas diuiſiones, ipſi Chronicarum deſcriptores machinationes dicunt fuiſſe contra Eccleſiæ emunitatem, contra ſedis Apoſtolicæ auctoritatem, contra Eccleſiaſticam dignitatem, & libros repleuerunt reprehenſionibus & lacerationibus Sueuorum, quos tamen luce clarius patet meliores, deuotiores eſſe ad fidem, ad ſacramenta, ad ſedem ſanctam Apoſtolicam, & ad clerum, quibuſcunque mundi Chriſticolis, prout teſtantur de eis ſacri canones & leges & quottidiana facta. Clamant & proclamant Italici Germanos & Sueuos, accuſant de obedientia Eccleſiæ, imo inculpant eos de iniuſta perſecutione, & ad omnia iſta ſilent nec reclamant Germani. cuius non eſſe aliam rationem opinor, niſi quia apud Germanos non eſt Rethorica & ornata Latina eloquentia. muti neceſſario ſumus, quia verba ornata, breuia & facunda exprimere non dico non valemus, ſed non ſcimus, quia non didicimus. Nam etiam vniuerſitatibus noſtris oratoria & poetica penitus incognita eſt, & omne ſtudium iuuenum in elenchis eſt vaniſque cauillationibus. Si quis Sueuus eloquentia oratoria pollens exurgeret poeſi tritus, poſſet profecto & vere calumniatores antiquorum Principum & Imperatorum ex gente Sueuorum excuſare, & Italorum infidelitatem prodere, noſtrorumque Principum facta altius attollere, quam Græcorum aut Italorum aut Francigenarum. Sed, vt dixi, periit a nobis ornata ornatio, & habundat vana & ſterilis cauillatio, qua nihil ſolidum, nihil delectabile, nihil verum apparet, etiamſi ſit veriſſimum. Igitur præter quod ſub magnifico Sueuo Heinrico quarto terra ſancta eſt recuperata, inſtituit per Alemaniam quam plura monaſteria: inter quæ anno Domini M. LXXXIX. conſtrui fecit Zuifaltum monaſterium ordinis ſancti Benedicti non longe a Danubio ſupra Munderchingen. volunt tamen aliqui dicere, quod ipſum monaſterium Imperator primo conſtruxerit in monte Achalin ſuper oppidum Rutlingen, & poſtea, quia mons aptus caſtro erat, quidam tranſtulit monaſterium a monte in locum ubi nunc eſt, & in monte caſtrum erexit. quapropter quaſi omni anno fulgura & fulmina ipſum montem cum caſtro concutiunt pro eo quod Domino primo conſecratus ad ſeculares vſus eſt acceptus. Sic etiam dicitur de monaſterio ſancti Benedicti, quod eſt ſuper Rhenum iuxta oppidum Stein, quod dicunt ſtetiſſe in monte Wielo, & inde translatum ad locum prædictum. Caſtrum autem, quod iam in loco monaſterii ſtat, Hochwiel dictum, maximas moleſtias patitur a tonitruis, fulguribus, & fulminibus, nec poteſt aliquis habitare in turri campanarum, quæ adhuc ibi ſtat cum parte ambitus & dormitorii. Hoc caſtrum hodie habent Barones dicti de Clingenberg. Heinricus hic, de quo ſermo eſt, filium Heinricum nomine habuit, cui duobus annis ante mortem ſuum imperium reſignauit, & electus Heinricus quintus huius nominis vocatus eſt. incepit autem anno Domini M. C. VII. & viginti annis imperauit. Hic doloſe Papæ fuit confederatus contra ſuum genitorem, & captiuato patre coniecit eum in vincula iubente & agente Papa, quem offenderat, quia eccleſiaſticum regimen diſplicuerat ei, contra quod aliqua egerat. Porro ſub Heinrico quinto multa geſſit populus occidentalium in Syria. Hic Heinricus quintus, quia in patrem peccauerat, ſine liberis manſit, & nec filium nec filiam habuit; multi etiam Principes & ciuitates imperii propter crimem in patrem commiſſum ab eo receſſerunt. Vnde ciues Nurembergenſes ſe ei contrapoſuerunt. Quare commotus collecto exercitu Nurembergam cepit, eamque ciuitatem funditus euertit. Procurante autem eo conuentus maximus eccleſiaſticorum & ſecularium Principum apud Mogunciam factus eſt, ad quem etiam antiquus Heinricus pater illius venit, & omnibus Principibus perſuadentibus ſeniori, filio ſuo iuniori inſignia imperialia reſignauit, ſcilicet lanceam, globum, ſceptrum atque coronam & crucem,

Digitized by Google

crucem, prospera illi imprecans eumque primatibus cum multo fletu commendans, sicque rite electus fuit Heinricus quintus, viuente adhuc quarto: qui cum Leodii mortuus esset, in excommunicatione est sepultus, iussu Papæ extumulatus fuit & Spiram ductus, & ibi sarcofago lapideo per quinquennium mansit inhumatus. Anno Domini M. C. XI. Heinricus quintus rebus prospere in Lombardia & Tuscia dispositis Romam ingressus est & maximo cum honore receptus, & seditionibus sedatis coronam & benedictionem Papalem accepit, & regressus in Alemaniam in extremam ægritudinem incidit, & conuocatis proceribus de statu imperii consilium dedit; coronam vero & cetera regalia vsque ad conuentum Principum seruanda ad firmissimum castellum Hamirstein transmisit & obiit. Quidam dicunt quod infirmitatem & mortem simulauit & occulte in Cluniacensi cœnobio monachus factus in Dei seruitio reliquos vitæ suæ dies terminauit. Qui, & patres illius Imperatores omnes de institutione & inuestituris Episcoporum discordes fuerunt cum Papa, & sub eo terminata fuit discordia. si bonum, sit Deo laus. Sub eo etiam vel sub patre eius Sueui conglobati destruxerunt ciuitatem Augustensem. quæ causa fuerit, nescio. Mortuo autem Heinrico quinto Imperatore Sueuo, conuenerunt Principes Electores ad alium eligendum. Affuerunt etiam legati & nuntii Papæ omnibus modis obsistentes, ne Sueuus eligeretur de generatione Ducum de Waiblingen. siquidem præfati Imperatores quinque proximi, scilicet Conradus, & quatuor Heinrici nobilissimi sanguinis fuerant de Waiblingen, qui descenderunt de duplici regia Francorum stirpe, scilicet Clodoueorum & Carolorum, de Castro puto Flamecensi, de quo & Bertholdus huius nominis tertius Dux Sueuiæ legitur fuisse, qui anno Domini M. C. XVIII. Friburgum oppidum condidit, & post occisus fuit. cui successit Conradus frater eius, cuius filius Albertus ei succedens castrum Tecke & totum dominium illud sibi vendicauit. Et quia Duces Sueuiæ viri strenui erant, multis graues & intollerabiles videbantur. ideo electus fuit non Sueuus, sed alterius gentis Dux Saxoniæ Lotharius, cum multis perturbationibus Sueuorum, qui electioni non dabant assensum, sed elegerunt Conradum Ducem Sueuiæ, nepotem ex sorore Heinrici quinti. Fuit hæc electio facta anno Domini M. C. XXVIII. Facta electione Lotharius & Conradus graues disceptationes simul habuerunt. Vnde quia Vlmenses pro Conrado erant, Lotharius exercitu Vlmam vallauit, eamque capiens vsque ad solum destruxit anno Domini M. C. XXXIX. Conradus vero grandi exercitu collecto ingressus est Italiam, & more Imperatorum se corona ferrea fecit coronari. & cum vsque Romam progredi vellet, pecunia exhaustus in Alemaniam rediit. Lotharius autem totis viribus ad hoc anhelabat, vt progeniem Heinrici prædecessoris sui nobiles de Waiblingen humiliaret. Tandem post longas decertationes fuerunt vterque Lotharius & Conradus reconciliati: manserunt tamen tam in Italia quam in Germania ciuitates consentire Lothario nolentes, præcipue cum scirent, quod imperialia insignia erant sub potestate Conradi prædicti & fratris sui Friderici, qui ea nullatenus resignare volebant. quare etiam ab Honorio huius nominis secundo excommunicati fuerunt. Nulla enim alia vindicta in illos nobiles & robustissimos Sueuos seuire poterant, nisi per ecclesiasticas censuras. ad quas tamen ferendas occasiones satis debiles assumebant, instigati potius prece & precibus partis aduersæ, & fauoribus quam rationibus. Tunc enim temporis pene nullos literatos viros habuit Alemania, nullos oratores, qui melius Apostolicam sedem informassent. Igitur cum Lotharius in vrbe papalem benedictionem accepisset, & in Sueuorum Duces, quibus insidiabatur, maledictionem impetrasset; in reditu Veronæ obiit, & benedictio ad Sueuos rediit. Mox enim congregatis Principibus Electoribus ad Sueuorum Duces animos inclinauerunt, & præfatum Conradum filium Hermanni Ducis Sueuorum fratrem Friderici primi, & nepotem Heinrici quinti elegerunt in Romanorum Imperatorem anno Domini M. C. XXXVIII. & regnauit XV. annis. Hoc vt Papa audiuit Innocentius huius nominis II. obstupuit & timuit pro eo, quod gens Sueuorum iterum culmen imperii apprehendit, & stipendia grandia misit Bauariæ Duci Heinrico genero Lotharii Imperatoris defuncti, prohibens eum, ne insignia imperialia, quæ apud eum deposita fuerant, electo daret, sed contra eum arma sumeret. Sed & Duces Saxoniæ alias amaricatos propter præfatum Lotharium Papa amplius incitauit contra Conradum, qui tamen erat vir probissimus, & pro Christiana religione zelosissimus, sicut sequentia declarabunt, & de eo scribentes etiam Italici testimonio fideli probant, sed de iniuriis ei factis a Papa nihil dicunt. Et si Conradus reprehensibilis fuisset pro vno digito, in cubitos multos extendissent: sed coacti veritare dicunt veritatem, in parte tamen eis placita. Cum ergo Conradus III. huius nominis Imperator pro insigniis Heinricum Bauarum impeteret, & dare nollet, mouit contra eum exercitum. Vt autem Papa hoc audiuit, misit in adiutorium Heinrico Bauaro magnum exercitum Gallorum, Italorum, & Siculorum ad expugnandum Conradum. sed & Conradus omne imperium sibi subditum conuocauit, & Fridericus frater Conradi totum robur Sueuorum armatorum congregauit ad se defensandum, & sua iura & patriam, sicut tenebantur, cum sit de iure diuino. Porro prædictus Heinricus Bauarus per se bellare non valens senectute prægrauatus Gwelfonem fratrem suum iuniorem Bauariæ Ducem exercitibus præfecit & belli curam commisit. Congressi ergo ad prœliandum Fridericus Dux Sueuiæ ex parte Conradi

Digitized by Google

Imperatoris, & Gwelfo ex parte Ducis Bauariæ Heinrici, congreſſum fecerunt in campo iuxta oppidum Nerusheim, quod inter Giengen & Nerdlingen eſt. Arriſit autem diuina clementia Sueuis audacibus, cum etiam *Fortuna iuuat audaces*, & Fridericus glorioſam victoriam obtinuit: Gwelfus vero ceteris interfectis cum paucis confuſus in Bauariam rediit. Poſtea in memoriam æternam illius victoriæ Duces Sueuorum monaſterium in loco fundauerunt ordinis ſancti Benedicti. Demum Papa inquietus de imperio Sueuorum fortiorem exercitum deſtinauit Bauaris, & Gwelfo Bauarus paratus contra Sueuos procedit in prœlium in campum iuxta villam Elnhofen prope Winſperg. Porro clamor Bauarorum, quo Sueuos terrere putabant, erat ex nomine ſui capitanei clamantes, Hîc Gwelfo, vulgariter, *hie Welf*. Clamor autem Sueuorum, quo Bauaros deridebant, erat ex nomine villæ, in qua lactatus a nutrice fuerat Fridericus Dux Sueuiæ capitaneus Sueuorum, quæ dicitur Giblingen, clamantes, *Hîc* * *Giblingen*, per quod denotari volebant, quod non regali potentia, nec per Ducatum Sueuiæ Gwelfonem vellet debellare, ſed lacte nutricis ſuæ, id eſt, auxilio ruſticali. quod & contigit. Itali autem, Galli, & Siculi in exercitu Gwelfonis ex parte Papæ exiſtentes dum iuſſi eſſent, vt in congreſſu clamarent *Hie Welf*, non intelligentes idioma interrogabant ſignificatum orationis, quibus dictum eſt, quod *Hie Gwelf*, eſſet clamor deſignans ſeruitutem ſpectantem ad Papam, & e contrario *Hie Giebling* eſſet clamor ſeruientium Imperatori. Vnde vsque hodie apud Italos clientes & de parte Papæ dicuntur *Gwelf*; & armigeri de parte Imperatoris dicuntur *Gibling*. Et ſub hiis duobus nominibus ab eo tempore vsque in hodiernum diem ſeditiones & diuiſiones truculentiſſimæ quaſi per ſingulas Italiæ ciuitates ſunt. *Hæc nomina* dicit dominus Antoninus in Chron. tit. 17. cap. 8. *eſſe peſtifera nomina, pro eo quia ablatiua ſunt vnitatis & pacis.* In ſupplemento autem Chron. lib. 13. ſub Gregorio IX. dicuntur *nomina peſtifera ad totius Italiæ interitum deſeruientium:* & ibi ponitur aliud principium illorum nominum, ſed iam dictum verius eſt. Hora ergo ſtatuta Gwelfi & Giblini congreſſi, iterum vicerunt Sueui, & Ducem Bauarum Gwelfum interfecerunt, & multum populum cum eo. ceteri fugæ præſidio ſaluati euaſerunt. Conradus autem Imperator manu fratris ſui victoria potitus Bauariam ſibi ſubnerauit, & Ducatum Heinrico abſtulit, & nobilem virum militem Baronem de Schiringen Ducem Bauarorum præfecit. Eodem tempore infeſtabant Sarraceni regnum Ieroſolimitanorum, & multa committebantur prœlia inter Chriſtianos & Sarracenos, clamorque ad Papam venit, quod niſi citius mittendo plures bellatores ſuccurreret, regnum cum ciuitate ſancta Ieruſalem perieret. Quibus rumoribus conſternatus Papa compulſus neceſſitate cogitare cœpit Sueuorum in bellis fortunam, & quomodo ſibi poſſet Conradum Imperatorem reconciliare. Hoc autem adinuenit conſilium. Beatum virum Bernhardum abbatem Claravallenſem, qui tunc in humanis deguit, & verbo & exemplo vbi claruit, & hæc tempora feliciora reddidit, Papa aduocauit, & mediatorem inter ſe & Imperatorem Conradum miſit in Alemaniam pro reformanda pace. Qui iuſſa diligenter complens Spiram venit, & viſione beatiſſimæ virginis Mariæ in eccleſia Cathedrali conſolatus pacem optatam inter Papam & Imperatorem reformauit, quæ in Franckfordia ſigillis Principum eſt roborata. Non autem ſolum pax facta fuit, ſed Imperator ſimul cum Principibus motus in terræ ſanctæ ſuccurſum ſe voluntarios exhibebant. Vnde ſereniſſimus Imperator vna cum Ludwico Rege Francorum & Alfonſo Rege Hiſpaniæ, ac Heinrico Rege Angliæ, aliisque Principibus crucem ſumpſit. Vnde magno cruce ſignatorum comparato exercitu Conſtantinopolim peruenit, vbi ab Emanuele Græcorum Imperatore precibus compellitur, vt nullo comparato commeatu Iconium oppidum optime habitatum ſtatim duceret, polliceturque ſe omnia, quæ exercitui erant neceſſaria, præſtiturum. Dedit ergo Imperator Græcorum Imperatori noſtro ductores & alimenta, ſicque Helleſponto tranſito in Syriam peruenit. Obſeſſum eſt igitur oppidum natura & artificio munitum. Sed cum ſceleſtus Imperator Græca vſus infidelitate gypſum farinæ immiſcuiſſet, & ex ea re panis conficeretur, quo Chriſtianus exercitus aleretur, tot ſtatim milites periere, vt obmiſſa obſidione in Thraciam ſecedere oportuerit. Inſuper ductores Græci in locum deſertum exercitum duxerunt, & cunctis quieſcentibus eos reliquerunt. Exercitu autem Domini ſic vagante irruerunt ſuper eos fame iam ſemimortuos hoſtes, & plaga magna multa milia militum Theutonicorum proſtrauerunt. Dicebatur autem publice, nec vero diſſonum, quod de conſcientia & mandato Imperatoris Conſtantinopolitani, inuidentis profectibus Latinorum, conſtructa fuerant hæc periculoſa molimina. Suſpectum enim ſemper & habuiſſe & habere Græci dicuntur Latinorum, plus Theutonicorum, & maxime Sueuorum tanquam imperium æmulantium conualeſcere dominium, eo quod eorum Rex Imperatorem Romanorum & Auguſtum ſe nominat. In hoc enim nimirum ſuo exiſtimant detrahi Imperatori, quem ipſi monarcham, id eſt, ſingulariter principari omnibus dicunt, tanquam Romanorum vnicum

* *Eadem verbis iisdem leguntur apud Hermannum Ædituum in Chron. qui hunc clamorem vocat* die Kry. *in al.* Hic Guaivvelin. *nam & ipſa villa vocatur* Waiblingen. *ſed* Guabelin *Germanicum eſt*, Gibelin *Italicum.*

Digitized by Google

cum & ſolum Imperatorem. Ab omnibus tamen hiis miſeriis viuus euaſit Diuus Imperator Conradus, & cum exercitu Ieroſolimam venit, & cum ingenti deuotione loca ſancta viſitauit. Quo facto multa circa Damaſcum geſſit prœlia: cumque magnis conatibus eam obſideret, & milites fame ſitique laborarent, obſidionem ſoluit & diminutis variis caſibus exercitibus in Europam cum Ludwico reuertitur. Alibi legi, quod non obſtantibus multis infortuniis cum ſuo populo tot infideles occiderunt, quod equi vsque ad talos in cruore occiſorum hominum ambulauerunt. Dum autem Conradus in Alemaniam reueniſſet, diſpoſuit ſe tranſire Romam pro obtinenda Apoſtolica benedictione. ſed dum hoc intenderet, tulit eum Deus de medio & obiit, ſepultusque eſt in monaſterio Loricenſi ordinis ſancti Benedicti, quod paulo ante eum conſtructum fuerat, vt patebit. ſituatum autem eſt hoc monaſterium ſuper Ramaſium inter Gamündiam & Schornopiam.

CAPUT XII.

De Friderico I. Imperatore.

POſt Conradum ſublimatus eſt ad Imperium Fridericus primus huius nominis, Dux Sueuorum, præfati Conradi ex fratre nepos. hic vocatus eſt Barbaroſſa. Et cum Electores non cordarent, compromittebant omnes in eum tanquam in ſingularis nobilitatis & prudentiæ virum. Ipſe autem circumſpiciens poſt deliberationem ſe ipſum elegit; ſed & patruus ſuus eum poſt ſe regnaturum ordinauerat. Fuit autem Dux Sueuorum, & anno Domini M. C. LII. factus eſt Rex Romanorum, & anno Domini M. C. LV. benedictione Papali ad imperium ſublimatur. De ortu & ſtirpe huius Friderici primi & eius geſtis mira & longa contexta eſt hiſtoria. Fuit enim natus in caſtro Staufen, quod ſupra Geppingen oppidum eſt in altiſſimo monte ſitum. Ab antiquo enim fuerunt nobiles de Staufen mediocres, non infimi nec ſupremi inter Sueuiæ nobiles. Succeſſu autem temporis in bellis adeo fortia egerunt & magnifica, vt inter barones & liberos per Cæſares declararentur, & magni apud Sueuos facti ſunt. Quidam autem de Staufen moriens tres reliquit filios, quorum vnus Fridericus, alter Otto, tertius Conradus dicebatur, viri prudentes & Chriſto deuoti. Vnde Otto literis animum dedit, Epiſcopus Argentinenſis factus fuit. Fridericus autem militari rei intentus ſtrenue ſe gerebat. Conradus in florida inuentute diem clauſit extremum, miles cœleſtis curiæ factus. quod inde perpendi poteſt, quia Ottoni Epiſcopo Argentinenſi apparuit poſt mortem in fulgenti ſpecie, eique ſuum obitum ſtatim futurum prænuntiauit, & fratris eorum Friderici exaltationem ſuper cunctos anteceſſores de Staufen prædixit. & ne videretur eſſe fantaſma, arcana quædam referauit, quæ tres illi fratres ſimul locuti fuerant iuxta ſepulchrum Caroli Magni Aquisgrani. Dixerat enim frater vnus aliis duobus iuxta ſepulcrum; *Ecce fratres, hic eſt ille ſepultus nobiliſſimus Germanus, fortiſſimus mundi domitor. O ſi eſſemus & nos illius ſanguinis, fortunæ, & probitatis!* Ad hoc ergo defunctus Conradus prædixit ſtirpem Friderici inſerendam eſſe Caroli Magni trunco, & hiis dictis diſparuit. ſtatim autem poſt hoc Otto Epiſcopus obiit, cuius mortem alia, quæ defunctus prædixerat, ſunt ſubſecuta. Nam cum Heinricus IV. regeret imperium, Dux Sueuiæ contra eum elatus machinari cœpit contra imperium. quem cum Imperator contriuiſſet, filiam ſuam prædicto Friderico de Staufen dedit vxorem, eumque Ducem Sueuiæ fecit, & Ducatum ſibi appropriauit & ſuis heredibus: ſicque per filiam Imperatoris nobilitatus eſt ſanguis & ſtirps Dominorum de Staufen. Erat enim Heinricus IV. de illa nobili Francorum ſtirpe de Waiblingen, quos conſtat eſſe de duplici regia proſapia Clodoueorum & Carolorum intuenti librum genealogiarum nobilium Sueuiæ. Prædictus autem Fridericus de Staufen Dux Sueuiæ, vir erat Deo deuotus monaſterium ſolemne conſtrui ſuis expenſis fecit non longe a Staufen, Lorch nomine, ordinis ſancti Benedicti, quod hodie ſub obſeruantia bona ſeruit Altiſſimo. Eſt autem illud monaſterium multis reliquis dotatum & temporalibus bonis a prædictis Dominis de Staufen, quorum ibi ſolemnes ſepulturæ cernuntur. Fuit autem Fridericus ille de Staufen primus illius ſtirpis Sueuiæ Dux & nominis primus Imperator, de quo nunc ſermo eſt auus. Erat Fridericus primus animo prudens, acer ingenio, facundus ſermone, iocundus conuerſatione, armis ſtrennuus, exercitatus bellis, corpore robuſtus, in conſiliis prouidus, virilis in negotiis, affabilis, manſuetus, & miſericors, compatiens miſeris, & memoria excellentiſſimus. quorumcunque enim hominum vultus vel perſonas ſemel cognoſcebat, etiam poſt multa interſtitia temporum non obliuiſcebatur, ſed reuenientes nomine ſalutauit. ſtaturæ mediocris erat, facie venuſta, barba & capillo rufo, in bellis arduiſſimus, in victoriis clementiſſimus. Magno labore hic Diuus Imperator concordiam in tota Gemania fecit, & inquietos caſtigauit, dominia in alios tranſtulit, & Auſtriam, quæ prius marchionatus erat, Ducatum eſſe voluit, & Moguntiæ, Coloniæ, Auguſtæ, & Vlmæ dietas & Dominorum conuentus plures pro bono Reipublicæ tenuit, ſicque multa prædia nunc emptione, nunc procerum donatione ſeu quacumque ſucceſſione fiſcali vel hereditaria imperio conquiſiuit. Rudolfus quippe Comes de Pfullendorf omnia ſua prædia contulit Imperatori. Iisdem temporibus mortuo Adelgoſo de Suabeg ſine herede, qui fuit Aduocatus Auguſtæ ipſamque aduocatiam tanquam propriam poſſidebat, ipſe Imperatori omnia ſua vindicauit, & Auguſtam ciuitatem imperio addidit. Quamuis enim ab antiquo ciuitas imperialis fuerit, tamen per

Digitized by Google

nobiles fuit imperio ſubtracta, ſicut etiam modo cum ciuitate Ratisponenſi contigit. Ille tamen Fridericus omnia antiqua alienata reſtituit imperiali vſui, & noua conſtituit. Dicitur enim, quod ante ſua tempora in tota Sueuia non fuerit vna imperialis ciuitas, ſed Domini & Nobiles totum habebant, & quantum volebant, tantum de eis Imperatori miniſtrabant. Sedatis itaque in Alemania diſcordiis & rebus ordinatis iter arripuit in Italiam, in qua tanta geſſit, quod grande volumen vix continere poſſet ab eo ibi acta. Acerrimis ibi bellis totam Lombardiam & Tuſciam attriuit, & contra Romanorum inſolentias in monte Radicaphano eminentiſſimum caſtrum ipſe primus conſtruxit, ex quo Romanos preſſit in tantum, quod Alexander Papa Romæ manere non potuit. Hoc caſtrum quaſi per totam Tuſciam videtur, & a peregrinis Theutonicis Rabacopf nominatur, ad cuius radices via regia contra Romam ducit exeuntibus a Senis. Alia multa per Italiam conſtruxit, quæ imperii eſſe voluit, & grandes ciuitates obedire nolentes ad ſolum deduxit, vt Terdonam, Secaſam, Spoletum, Cremonam, & cum pluribus aliis Mediolanum metropolim & rediam ciuitatem cepit multis interfectis viris ac mulieribus & paruulis in Sueuiam miſſis, eamque glorioſiſſimam vrbem ſolo æquauit. Qua diſſipata & ſpoliata Fridericus ad perpetuam rei memoriam aratrum ſemel huc & illuc circumduci fecit, atque ſalem per eam ſpargi iuſſit. In eam autem ciuitatem ſic crudeliter deſeuit, quia aliquotiens periuros ſibi inuenit & rebelles. Vnde Gwelfi Imperatricem cum ſuis ignominoſe poſuerunt ſuper aſinos auerſis vultibus, caudas ei pro frenis ad manus dantes, ſicque poſt iuramenta Imperatori præſtita Imperatricem & omnes Giblinos de ciuitate eiecerunt. Hoc audito Imperator reuenit, & reos facinoris coegit ſugere ficos de poſterioribus aſinorum. & inde eſt illud contumelioſum verbum, *Tolle de fic.* & illud turpe ſignum etiam inde venit, quo quis alteri oſtendit pollicem protenſum per medium duorum digitorum, dicens; *Oſcula hunc ficum.* hoc ſignum Italici moleſtiſſimo animo ferunt. Porro in deſtructione ciuitatis Mediolanenſis donauit Imper. Principibus & Epiſcopis corpora Sanctorum & reliquias inuentas per eccleſias. inter quos Reginaldus Archiepiſc. Colonienſis accepit corpora Sanctorum trium Regum de loco vbi nunc eſt conuentus noſter, eaque Coloniam transportauit, vbi hodie clarent. Corpora autem ſanctorum Geruaſii & Prothaſii accepit, & in ciuitatem Briſacum tranſtulit, & ſic de aliis. Dum ciuitas ſubuerteretur, inuentus fuit vnus lapis, qui hos verſus inſculptos habuit;

Rex eſt venturus Mediolanum tibi durus,
Rex tibi crudelis per quadrum diminueris.

Intrauit etiam Sclauoniam & Pannoniam, & quæ voluit, ordinauit, & Bohemiam regnum eſſe conſtituit, & Saxones humiliauit, & mira fortuna quaſi alter Alexander Magnus felix extitit. multas contrarietates cum Epiſcopis, clericis, & Romanis Pontificibus habuit. vnde ſæpe excommunicatus fuit & reabſolutus. Sub eo eccleſia nouis & inauditis erroribus periclitari cœpit, & Dominicum ſepulchrum peditum fuit: ſanctus Thomas Cantuarienſis martyrizatus; & filius ſuus Otto a Venetis captus; ipſe autem de nouo ab Alexandro Papa grauiſſime excommunicatus. Creſcentibus ergo malis Imperator prouidus, animæ ſuæ timens Venetias ad Alexandrum Pontificem venit, depoſito imperiali veſtimento in ianuis eccleſiæ beati Marci populo ſpectante humi ſe proſtrauit, & veniam ſuppliciter expoſtulauit. qui ſuſcepta pœnitentia paceque iureiurando firmata & integra obedientia promiſſa abſolutionem accepit, ſicque Romanæ Eccleſiæ reconciliatus eſt. Hiis ex ſententia bene & optime geſtis Fridericus magno exercitu comparato ad terræ ſanctæ ſuccurſum iter arripuit, & per Vngariam veniens vſque Conſtantinopolim deuenit cum ſuis baronibus de Sueuia. Inuenit autem ibi imperantem Iſaac Græcum, qui Friderici potentiam veritus traiicere Boſphorum hortatus eſt. Transmiſſis itaque copiis Fridericus & Philomenam vrbem de Turcis capit, & agrum Iconio adiacentem populatur, atque multa prœlia & barbarorum cædes ſtrennue gerens Armeniam minorem in ſuam redegit poteſtatem. Cum autem ibidem ad refocillandum exercitum remanere decreuiſſet, hortante Liuone Armeniorum Domino ad recreandum animum venationibus inſiſtebat. Cumque quadam die vi caloris æſtuans lauandi gratia rapidum amnem inexploratum ingreſſus fuiſſet, in eo permittente Domino eſt demerſus in totius Chriſtianitatis irreparabile damnum. Nam Saladinus adeo formidabat eius aduentum, vt relicta Syria cum ſuis Turcis in Ægypto ſe ducere cogitaret, deſperans ea loca, per quæ Imperator tranſiturus erat, poſſe tenere. vnde omnia diminui mandauit. Mortuus eſt autem hic inclitus Princeps, eiusque funus a filio repertum Tyrum delatum, ibique cum maximo luctu ſepelitus in cuius ſepulchro hii ſculpti ſunt verſus;

Si probitas ſenſus, virtutum copia, cenſus,
Nobilitas orti poſſent reſiſtere morti,
Non foret extinctus Fridericus qui iacet intus.

Obiit autem anno XXXVIII. imperii ſui, vir certe magnificus atque præclarus, qui adeo ſuo tempore dilatauit imperium, vt poſt Carolum Magnum geſtorum magnificentia vix parem haberet, & perpetuum Sueuorum decus eſſet & omnium Germanorum. Poſt cuius mortem exercitus eius vna cum filio in agrum Antiochiæ peruenit, & partim morbo, partim fuga conſumptus eſt. Filius autem eius Fridericus Dux Sueuiæ, qui cum patre fuerat, cum paucis ad obſidionem Ptholomaidæ venit, ibique poſt paucos dies etiam obiit in ſacro prœlio.

Hunc

Digitized by Google

Hunc Principes exercitus Domini ſtatim loco patris creauerunt in Regem Romanorum in ipſa expeditione: ſed, vt dictum eſt, non multis diebus ſuperuixit. ideo inter Reges Romanorum non connumeratur. Adhuc de primo Friderico multa notabilia poſſem inſerere, ſed tranſeant. Vxores duas habuit, prima dicta Adyla, filia Marchionis de Hochburg, cum qua diuortium celebrauit propter conſanguinitatis propinquitatem. Deinde duxit Dominam Beatricem de genere Burgundionum nobiliſſimam filiam Comitis Biſuntini, quæ illi vnica erat heres omnium bonorum patris, cuius dote quinque milia militum eius ſubduntur imperio. Ex ea habuit filios Fridericum & Heinricum &c. Multas nouas ciuitates conſtruxit in orbe. in Sueuia quasdam villas ciuitates fecit, quas muris cinxit & libertatibus priuilegiauit, & imperii eſſe voluit, ſcilicet Eslingam, Rutlingam, & Fontem Salutis, vulgariter *Haillbrunnam*. Mortuis itaque Friderico primo & filio eius in expeditione Ieruſolimitana, creatus eſt Imperator Romanorum de conſenſu Principum filius Friderici primi Heinricus VI. Dux Sueuorum natus de Staufen anno Domini M.C.XC. & imperauit annis ſeptem. Erat autem hic Heinricus in agendis ſtrennuus, in hoſtes acer, in largiendo munificus. huic rebellauerunt Colonienſes in principio, & Comites Burgundiæ, ſed omnia vicit. Anno Domini M.C.XCII. Romæ coronatus fuit a Cœleſtino Papa. accepto itaque diademate imperiali mox in fines Apuliæ armato exercitu tranſit, vt Siciliæ regnum accipiat, quod ad Dominam Conſtantiam Imperatricem vxorem ſuam pertinebat iure hereditario; ſed infecto peſte exercitu in Alemaniam rediit. Dux autem Auſtriæ tradidit Imperatori Regem Angliæ, quem captiuauerat, qui centum milia marcas argenti ſub ſua liberatione Imperatori dedit, & accepta pecunia exercitum duxit in Apuliam, & totum Siciliæ regnum accepit, & Marquardum de Anawiler dapiferum Ducem Rauennæ fecit, & Dyopoldum Sueuum Apuliæ præfecit; & hii duo bella eius geſſerunt. Inuenit autem Imperator in palatio Panormitano Erinam filiam Regis Græcorum, quæ fuerat deſponſata Tancredo. hanc tradidit vxorem Philippo fratri ſuo. Quomodo autem regnum Siciliæ ad vxorem Imperatoris pertineat, & quo iure, ſic patet. Nam Clemens III. Papa Heinricum V. de Alemania euocauit, vt Romam veniens Tancredum, qui erat Rex Siciliæ & Apuliæ, expugnaret, quia cenſum Eccleſiæ debitum non ſolueret, & contra Eccleſiæ iura epiſcopatus & abbatias conferret &c. Venit autem Imperator Romam, nec adhuc vxorem habuit. Et quia Papa intendebat auferre Tancredo regnum, vt hoc honeſtius fieri poſſet, prouidit Heinrico de vxore Sicula, ad quam regnum ſpectabat de iure. Superfuit autem ſola Conſtantia, quæ monialis erat quinquagenaria in monaſterio Panormitano, pro qua ſcripſit Papa Epiſcopo Panormitano literas, vt eam de monaſterio educeret, & Romam ſibi transmitteret. quod Archiepiſcopus fecit, eamque Romam transmiſit. Quo cum veniſſet, Papa ei exuit religionis habitum & ſancti Benedicti veſtem, & diſpenſans eam ſecularem fecit & Heinrico Imperatori vxorem tradidit, & nuptias ſolemniſſimas Romæ celebrauit. ex qua non multo poſt filium ſuſcepit, & grauida facta in Siciliam reducta eſt. Reuerſa autem in Siciliam multi dubitare cœperunt de eius conceptu, cum eſſet ita antiqua, putantes eam grauidam ſimulare, vt ſubrogaret alienum natum. Sed dum appropinquaret partui, fecit Imperatrix papilionem extendere in medio plateæ ciuitatis Panormi, & lectum ſub ea ſterni, & edictum poſuit vt quæcumque mulier vellet accedere & intrare papilionem, cum eſſet paritura, libere intraret, ut tolleretur omnis ſuſpicio de eius vero partu. Peperit ergo maſculum, eumque nomine aui ſui Fridericum vocauit. ſicque in Sicilia genitus eſt ex moniali quinquagenaria Sueuus de Staufen ſub papilione in medio vrbis Panormitanæ, Heinrico huius nominis Imperatori Romanorum VI. Fridericus huius nominis ſecundus Imperator. Nusquam legimus alicuius Regis tam ſolemne initium. ſic ergo Sicilia in poteſtatem Heinrici venit, quam in dotem cum Conſtantia accepit, & filium ſuum Fridericum iam dictum, licet paruulus eſſet, coronari fecit in Regem Alemaniæ, cui omnes Principes Alemaniæ iurauerunt fidelitatem. Poſtquam autem Heinricus Siciliam pacifice poſſedit, crudeliter deſeuit in eos, quos poſt vxorem nouit eſſe proximos heredes regni, eosque eunuchauit & exoculauit & captiuos in Sueuiam duci fecit in caſtrum Staufen. & hoc ideo fecit, vt hoc regnum in poteſtate Dominorum de Staufen maneret. Quapropter Papa contra eum infenſus ſententias eccleſiaſticas in eum fulminauit, & Ducem Zaringiæ Berchtholdum contra fratrem eius Conradum Ducem Sueuiæ mouit. Dux autem Conradus hæc omnia ſciens de voluntate fratris mouit contra Berchtoldum prœlium. ſed dum Conradus eſſet in oppido Durlach, ibi defunctus eſt, & corpus eius in Lorch deportatum. Porro in illo tempore grande bellum gerebatur contra Saladinum Regem Ægypti pro recuperatione terræ ſanctæ, & videns ſibi neceſſarium Imperatorem pro hoc negotio, eum abſoluit & in Aſiaticum bellum cum ſuis Theutonicis tranſire rogauit. ſed cum perſonaliter ad hoc bellum procedere non poſſet, miſit Conradum ſuum Cancellarium & Archiepiſcopum Moguntinum, Heinricum Ducem Saxoniæ, Leupoldum Ducem Auſtriæ, & Lantgrauium Thuringiæ, Patauienſem, Ratisponenſem Epiſcopos, Marchiones, Comites, cum ingenti armatorum multitudine in partes Syriæ. Qui dum veniſſent in Syriam, treugas inter Sarracenos & Chriſtianos fregerunt, & inde multa turbatio ſecuta fuit & paucus fructus. Imperator autem de Alemania reuerſus in Siciliam Meſſanæ ægrotare cœpit, cognita ſui morte propinqua

Digitized by Google

vxorem & filium Papæ Innocentio commiſit, & Philippum Germanum ſuum Ethruriæ Ducem, quantum in ſe fuit, Romani imperii & regni Siciliæ gubernatorem eſſe conſtituit, & Panormiæ obiit anno Domini M. C. XCVIII. Statim autem poſt mortem Heinrici orta eſt magna perſecutio Theutonicorum in tota Italia, & paſſim interficiebantur officiales Imperatoris & præfecti expellebantur. ſed & Principes Alemaniæ & Nobiles Sueuiæ iuramentum factum Friderico in cunis iacenti non curantes de eligendo altero Rege & Imperatore tractabant, & a domo Dominorum de Staufen ſe abſtrahere conabantur, & orta eſt maxima diſſenſio inter Electores, quam Papa Innocentius III. mouit, qui omnibus modis obſtitit, ne Sueuus de generatione Staufen eligeretur, & dum audiuit Philippum fratrem Heinrici VI. defuncti tutorem Friderici pueri eligendum, multa excogitauit, etiam, ſi phas eſt dicere, friuola & fatua contra eum, ſeducens Principes a concordia & obiecit ei excommunicationem, quam incidiſſe eum dixit, dum adhuc eſſet præfectus & Dux Ethruriæ. Hoc aduertens Philippus in Hagnouiam tranſiuit, & cum ſuis Principibus & Baronibus & Nobilibus conſilium habuit. Graue enim ei erat perdere imperium, quod pater ſuus tanto labore in tantum augmentauerat, & & frater ſuus tenuerat, & intolerabile videbatur ſtirpem tam egregiam exhereditari, præcipue cum adhuc penes ſe omnia imperialia inſignia haberet. Durum etiam videbatur Papæ eum admittere propter vexationes, quas ſui anteceſſores Eccleſiæ intulere. Vnde fertur Papam dixiſſe; *Ego*, inquit, *vel auferam Philippo diadema regium, aut ipſe tollet a me inſigne Apoſtolicum.* Hic Dux Berchtoldus anno Domini M. CC. XVIII. obiit, qui caſtrum Friburg conſtruxit, & tantum habuit appetitum edendi carnes humanas, vt ſeruos ſuos occidi iuberet & coqui. ſicque inſtanter laborabat Papa contra Philippum, ne eligeretur, alliciens Principes minis & promiſſis, & Berchtoldum Ducem Zaringiæ denominauit Regem in præiudicium Philippi. Interea multi Principes, Barones & communitates diſceſſerunt a Philippo, & Electores ſine eius requiſitione conuentum in Andernach fecerunt ad celebrandam electionem. ſed Philippus hoc intelligens impediuit, & in Mulhuſen tranſiens Nobilium conuentum habuit, vbi a Sueuis, Bauaris, Saxonibus, Bohemis, & quam pluribus Rheni Principibus eligitur in Regem. Incepit autem Philippus perſequi ſuos aduerſarios, & multos tribulauit. Videns autem Berchtoldus Dux de Zaringen & nominatus Romanorum Rex, quod non poſſet Philippum vincere, veniam petiit apud Philippum & inuenit. Poſthoc Archiepiſcopus Colonienſis & Epiſcopus Argentinenſis cum multis nobilibus & communitatibus contra Philippum congregati aduocauerunt Ottonem Saxoniæ Ducem ex inſtinctu Papæ, & eum Coloniæ in Regem elegerunt, quem Papa mandauit coronari Aquisgrani. Erat autem & ipſe Otto ex parte patris Sueuus, & ex matre Anglicus, in quarto gradu Philippo attinens. Cum autem præfatam machinationem percepiſſet Philippus, ſine mora Aquisgrani deſcendit, Ottonem cum ſuis præueniens, ciuitatem intrauit, & nobiles in præſidio conſtituit, inter quos erat Walramus filius Ducis de Lymburg & Heinricus Druchſaſs vel Dapifer de Waldpurg. Sic ergo ciuitate munita ſuperuenit Otto cum Colononienſibus & ceteris ſuis fautoribus, vrbemque obſedit. Cumque interiores eam tenere non poſſent, accepta pace & perſonarum ſecuritate dederunt ciuitatem. Et ingreſſus Otto ab Adolfo Archiepiſcopo Colonienſi coronatus eſt. Aſcendit ergo Philippus, & quaſi robur imperii ei adheſit & Alſatiam vaſtauit, Argentinam accepit, & impedimenta Ottoni præſtitit, nec vltra Spiram aſcendere potuit. demum Thuringiam intrauit & Lantgrauium domuit. deinde Coloniam Philippus obſedit, & pace facta Adolfus Archiepiſcopus Colonienſis cum eo Aquisgrani deſcendit, eumque etiam in Romanorum Regem coronauit. Papa autem omnes ſibi adherentes excommunicauit, Adolfum Colonienſem Epiſcopum depoſuit, ſtetitque tota Alemania in maxima perturbatione & continuis bellis. Hiis peractis ingreſſus eſt Philippus cum exercitu Saxoniam vt & ibi rebelles reduceret, & veniens in Bambergam a quodam doloſe & latenter in camera ſua occiſus fuit, ſicque totum imperium in Ottonem, qui eius filiam cum diſpenſatione accepit, deuoluitur. cuius corpus poſt tempus aliquot annorum in Spiram eſt delatum, & in ſepulchris Regum reconditum per Fridericum ſecundum, & ob commemorationem tanti Regis contulit canonicis eccleſiæ Spirenſis eccleſiam in Eslingen cum omnibus ſuis attinentiis, ex qua eccleſia hodie dicti canonici magnos recipiunt prouentus in vino & aliis. Hic Philippus erat homo virtuoſus, animo lenis, mente mitis, eloquio affabilis, & legalis, ac largus quaſi vſque ad prodigalitatem, & dum ſibi pecunia deficeret, impignorauit prædia, villas, & etiam monaſteria ac eccleſias. Vnde monaſterium Vrſperg obligauit Domino Berchtoldo de Nyfen, cuius poſteri in tantum grauabant monaſterium, ne conuentus ibi poſſet nutriri. poſtea Dominus præpoſitus liberauit eccleſiam CC. argenti marchis, & ditati ſunt iterum in tantum vt laborarent apud ſedem Apoſtolicam, quatinus præpoſitus eorum Abbas infulatus eſſet. Quo obtento in temporalibus non multum proſperati ſunt. vnde æuo noſto neceſſitate cogente vendiderunt multas poſſeſſiones, & alienauerunt bona a conuentu vſque ad libros & calices; quæ ab eis emit bonæ memoriæ Dominus Iohannes primus Abbas monaſterii in Roggenburg, quem nominabant Gotzadam. Igitur cum Philippus vita exceſſiſſet Bambergæ anno M. CC. VIII. Otto præfatus cum ſuo exercitu imperium ambire cœpit, & multa impedimenta inuenit. Nobiles enim inuite a domo Staufen receſſerunt. &

ea

Digitized by Google

ea de causa accepit Otto filiam Philippi vxorem, non obstante consanguinitate, vt per eam Nobilium & Suevorum acquireret fauorem. Eo tempore Dominus Sifridus de Rechberg Episcopus Augustensis destruxit castrum Suabegg in odium Ottonis. Et Dominus Heinricus de Scharffenberg Episcopus Spirensis, qui in castro Triuels imperialia insignia habuit, ea Ottoni Imperatori dare recusauit. cui Imperator Cancellariam curiæ suæ commisit & eum Cancellarium fecit, ut insignia haberet. Videns autem nobilium animos sibi non inclinatos, vt vulgum & clerum sibi attraheret, incepit castigare milites & Barones, qui sibi accusabantur a rusticis vel propter deprædationes vel spoliationes & exactiones. vnde etiam aliquos occidi iussit, & ecclesiasticis contra nobiles astitit. ex quo opinio in plebe & clero orta est, nunquam fuisse tam iustum tamque fidelem Cæsarem. Dum hæc agerentur, multam congregauit pecuniam & exercitum grandem, cum quo ingressus Italiam, Romam pro confirmatione & coronatione peruenit. Præstito autem Papæ Innocentio III. iuramento de custodiendo patrimonio beati Petri & defendendo ecclesiam, coronatus est Romæ in Imperatorem. Sed ipsa die coronationis suæ cum Romani quædam ex consuetudine peterent, quæ Imparator dare ex debito coronationis tenebatur, tumultus & murmuratio in populo oritur. cumque Theutones Romanos clamantes proterue & ceruicose reprimerent, grauis discordia exoritur. vnde ad arma vociferantes ad bellum inter Romanos & Theutonicos exurgit, in quo Imperator multa damna accepit, vltra mille & centum equites amisit, & quosdam de suis curialibus nobilioribus. Igitur post coronationem ex vrbe discedens, sicut dudum animo conceperat, castra & munitiones, quæ prope erant, de iure hostiliter inuadens occupauit. Quod cum ad notitiam Innocentii deuenisset, ad illum solemnes nuntios misit petens vt a violentia resiliret & occupata restitueret. qui non solum illa facere noluit, imo prioribus malis peiora accumulans faciebat Romipetas exspoliari. Vnde Papa contra ipsum prouocatus, tanquam periurum & ecclesiasticorum bonorum vsurpatorem, & spoliatorem publicarum stratarum de communi consilio fratrum suorum Cardinalium excommunicauit, mandans omnibus & singulis, ne quis eum Imperatorem nominaret nec ei obediret, & omnes Principes Alemaniæ a fidelitate eius absoluit. Vnde ex hoc recesserunt ab eo Lantgrauius Thuringiæ, Dux Austriæ, Rex Bohemiæ, sed & Archiepiscopus Moguntinus, Trevirensis, & multi alii.

Anno Domini M. CC. X. excommunicatus & denuntiatus vbique est Otto Imp. Vnde Electores & præfati Principes conuenientes ad eligendum alium, sicut eis fuerat a Papa imperatum. Accedentes autem ad electionem concordauerunt vnanimiter in Fridericum Siciliæ Regem, filium Heinrici, de domo Dominorum de Staufen in Suevia, qui, vt dictum est, fuerat sub papilione natus Panormiæ. Eo ergo electo miserunt solemnes nuntios imperii nobiles ab Alemania in Siciliam, vt eum in Germaniam perducerent. & inter nuntios erat Dominus Heinricus de Nyfen, & Dominus Anshelmus de Iustingen, ingenui viri. Hii cum magnis periculis propter insidias Ottonis ingressi Siciliam Fridericum electum educendum, sed omnibus suis contradicentibus ipse ordinatis negotiis sui regni cum suis nuntiis profectus est in Alemaniam deductus per Italiam cum maximis cautelis propter Ottonis latrones. Cum autem usque in * Aulonem Tridentinam venisset, ex ea non valuit in Alemaniam venire, quia Otto omnia ostia montium, per quæ publica itinera erant, obseruauit. Vnde derelictis publicis stratis per deuia montium & per iuga altissimarum rupium transierunt in Rhæticis Alpibus, & vsque in Curiam Rhætiæ peruenerunt, ibique ab Episcopo Curiensi reuerenter acceptus. aduenit Abbas sancti Galli & Domini nobiles illius districtus, a quibus perductus est vsque Constantiam. Vbi dum moraretur electus ascendit Otto contra eum, & cum suo exercitu locauit se in Vberlingam oppidum non longe a Constantia, & præoccupauit itinera, ne posset Rex nouus descendere per Rhenum. Audiens autem Comes de Kyburg electum Imperatorem angustatum per Ottonem, congregauit exercitum fortium virorum ex toto suo comitatu & de confinibus, & venit Constantiam armata potentia ad deducendum Dominum electum. Est enim Kyburg castrum vetustissimum & fortissimum in monte alto situm, muris spissimis, turribus & propugnaculis munitum, non longe a Thurego & Wintertur, vtpote in medio earum situm, in quo quondam habitaverunt nobilissimi Comites dicti de Kyburg, & terras obtinuerunt latissimas a fluuio Tura vsque ad Ducatum Sabaudiæ, & quasi omnis regio Suicerorum erat Comitum de Kyburg & Habspurg, sed in Fortunæ rotæ reuolutione alii labores eorum intrauerunt, iamque Thuricenses & ceteri Suiceri hæc dominia possident. In eodem castro fuerunt aliquando reposita insignia imperialia, & hodie est ibi capsa bene ferrata, & capellula in qua reseruabantur. Ego ipse in eodem castro aliquibus annis post mortem patris mei fui puer cum patruo meo bonæ memoriæ Ofchwaldo Schmid, qui erat xx. annis præfectus castri & aduocatus totius Comitatus anno Domini M. CCCC. XLIIII. Comes ergo de Kyburg cum suis per Rheni lineam duxit electum vsque Basileam, & ibi occurrit ei Dominus Heinricus de Veringen Episcopus Argentinensis cum quingentis militibus, quorum & aliorum fretus auxilio ciuitates Rheni accepit, demptis aliquibus castris, in

* *Forte* Alpionem. *qua voce & infra vtitur.*

Digitized by Google

quibus Otto præsidia locauerat. Sed & ipse Otto ex altera parte Rheni descendit, & in Brisacum castrum se recepit. Ciues autem eiusdem oppidi & castri contra eum insurrexerunt, & multos de suis occiderunt, ipse vero vix euasit, & dimissus ab omni exercitu profugus effectus est, & cum confusione in Saxoniam est reuersus, omni auxilio & honore destitutus, propter quam ignominiam infirmatus anno Domini M. CC. XVIII. obiit.

Fridericus autem ductus Aquisgrani cum ingenti gloria & triumpho coronatus fuit anno sequenti. Negotiis autem per Alemaniam ordinatis Fridericus Italiam repetiit, & Romam ingressus cum militia magna & apparatu, honorifice a cuncto populo & clero receptus est. quem Honorius huius nominis III. Papa inunxit, coronauit, & confirmauit anno Domini M. CC. XX. in basilica sancti Petri. Statim autem in recompensationem beneficiorum contulit Imperator Ecclesiæ beati Petri de bonis & prædiis in Italia multa, & votis vota addens de manu Domini Herengelini Ostiensis Episcopi crucem accepit ad pergendum contra infideles in succursum terræ sanctæ. Cum ergo in Italia Rempubl. imperii disponeret auxilio & consilio Theutonicorum a Bononiensibus & aliis Italicis male tractabatur. Existimabant enim ex quo inter eos natus esset, quod eorum consiliis rem imperii gubernare, & spernere ac odire Theutonicos deberet, sicut ipsi ex natura eis contrariantur. sed non potuit celari in nobili Principe ingenuitas Sueui sanguinis, sed se totaliter ad Alemanorum partem declinauit, fidelitatem eorum, fidem, & probitatem expertus. Vnde cum vidisset Italos sibi contrarios, remisit insignia imperialia quæ secum habebat, scilicet reliquias imperii, quæ Nurembergæ iam seruantur, in Sueuiam Eberhardo nobili de Taun Dapifero suo, qui ea in Waldpurg castrum collocauit. Sed & filium suum Heinricum iam octo annorum ex Sicilia tulit & in Sueuiam eum transtulit, quem suscipiens Dominus Conradus de Taun Pincerna imperii eum in castro Winterstetten posuit. Porro Imperator contra duos Comites Tusciæ, videlicet Matthæum & Thomam, qui occupauerant quædam castra & terras suæ ditionis in Apulia, pugnare cœpit, & expugnatos omnibus bonis priuauit. qui confugientes ad Romam præsidium sedis Apostolicæ implorarunt. Sic & alii, quos offendit & correxit, ad Papam confugerunt, vt eum contra Imperatorem commouerent, sicut & factum fuit. vnde in magnam indignationem Papæ & Romanæ curiæ incidit. Erat autem Fridericus ille magni sensus naturalis, satis peritus literis secularibus, magnanimus, & multum vniuersalis in rebus mundi, doctus in pluribus idiomatibus, scilicet Latina, Græcâ, vulgari Gallica, Theutonica, Sarracenica, liberalis & magnificus. Ad hæc opponunt Italicorum descriptores temporum multa enormia vitia, quæ tamen non reperiuntur in descriptione vitæ eius, sed quia oppositum se Papæ, in illius vituperium & in alterius complacentiam scribunt, ad quæ affectantur. hecnabuit ille Friderirus viros eloquentes excusatores, sicut multos habet accusatores.

Anno igitur Domini M. CC. XXII. conflictus graues habuit in Sicilia, Calabria, & Apulia contra Sarracenos, qui in eas regiones iam dudum se infuderant. Interea mortua prima eius vxore, cum qua habuerat duos filios Heinricum & Conradum, accepit secundam Domini Iohannis generosi Regis Ierusalem filiam, ex qua Jordanem filiam habuit. & hæc cum etiam vita functa fuisset, tres filios cum concubina habuit, scilicet Fridericum quem fecit Regem Antiochiæ, Manfredum quem fecit Principem Tarenti, qui post se fecit Regem Siciliæ; & Renzum quem fecit Regem Sardiniæ. Porro Heinricum filium primæ vxoris, quæ fuit filia Regis Vngariæ, ordinauit Ducem Aquisgrani, & ibi electus fuit in Regem Romanorum anno Domini M. CC. XXIII. Hic est Heinricus huius nominis VII. qui de consilio patris sui accepit Agnetam filiam Ducis Austriæ Lupoldi vxorem, quæ etiam postea Aquisgrani regina coronata fuit. Defuncto autem Heinrico Conradum filium alium eligi in Regem Romanorum ordinauit. Cum igitur Fridericus Cæsar pro causis satis leuibus grauissimis sententiis puniretur per sedem Apostolicam, sicut pater in epistolis suis, quas scribit Principibus Alemaniæ, & suis aliis amicis, superuenit sereniſſimus Rex Ierusalem Johannes socer Cæsaris, angustiatus pro tribulatione regni sui Ierosolimitani, & multis placitationibus Papam Gregorium & Fridericum concordauit, sicque Imperator contra Sarracenos procedere ab bellum Asiaticum se parauit, & exercitum non paruum cum impensis ante se præmisit. Interea Papa Gregorius parata grandi classe ex omni natione Christianorum requisiuit Imperatorem super promissione & voto facto de transfretando in subsidium terræ sanctæ. Qui facta & ipse copiosa præparatione nauium profectus est cum legato Apostolico. Et ecce proficiscentibus venit cursoria nauis in Imperatoris classem portans Cæsari nuntium, quod Papa conuenisset cum Iohanne de Brenna Rege Ierosolimitano, quod Imperatore in Syria morante vterque federati facerent Siciliam Friderico rebellare. Hoc vt Imperator audiuit, & certus factus de facto in Siciliam rediit pro redemptione terræ natiuitatis suæ. Quia autem Papa dolum intenderit præfatum, sequentia docebunt. Fridericus autem positis præsidiis in ciuitatibus & castris Siciliæ anno Domini M. CC. XXXIV. præparatis magnis copiis iter arripuit ad terram sanctam redimendam non sine timore perditionis terræ suæ. Nam scribentes de illis brigis inter Gregorium Papam & Fridericum Imperatorem, vtrique & Papæ & Imperatori satis dolosa & proditoria facta imponunt, nec potest scribi cum veritate ista materia, nisi cum notabili nota impietatis & rancoris tam in Papa quam in Imperatore. Cum ergo Imperator

Digitized by Google

perator in Domini exercitum veniſſet in Syriam, & hoc Soldanus audiuiſſet, vehementer timuit, & Ambaſcatam ſolemnem ad eum miſit treugas poſtulans & obtinuit. In hiis Soldanus timore compulſus tradidit Imperatori ciuitatem ſanctam Ieruſalem & Nazareth & Ioppen & terras adiacentes, demptis paucis caſtris quæ retinuit. Vnde hiis habitis Imperator ciuitatem ſanctam Ieruſalem ingreſſus eſt, & in ea paſcha ſolemniſſimum & lætiſſimum celebrauit cum multis expenſis, moreque regio coronatus eſt. Ædificia autem collapſa de templo Dominici ſepulchri reſtituit, & muros ac turres Ieruſalem innouauit. Cumque Imperator ſuper hoc glorioſo & laudabili facto Papæ ſcripſiſſet amiciſſimas literas reuerentia & honore ac gaudio plenas, honori & gloriæ Auguſti inuidens, quem implacabili odio proſequebatur, literas ipſas abiecit & ſpreuit, & recompenſare labores, quos Cæſar in regni Ieroſolimitani adeptione habuit, inimico modo cogitauit. Vnde ſtatim Iohannem Ieroſolimitanum Regem aduocauit, eumque cum exercitu cruce ſignatorum, qui paratus erat contra Sarracenos, in Siciliam miſit ad expugnandum vrbes Friderici. quod & factum eſt in magna parte. Vt enim id quietius efficerent, diuulgaverunt per Siciliam, Fridericum vita in Syria functum eſſe. Ideo multæ ciuitates ſe vltro Papæ tradidere. Eos autem, qui Iohanni & Papæ nollent obtemperare, iuſſi ſunt crudeliter perimi. Inſuper notum factum eſt omnibus fidelibus, quod legiones grandes peregrinorum militum cruce ſignatorum in terræ ſanctæ ſubſidium intrare volentium Papa noluit dimittere, & eos ab ingreſſu retraxit, quin imo & arma, quæ in Sarracenos parauerant, in Chriſtianos Friderico Imperatori adherentes conuerti iubebat. Singulariſſimis autem & immaniſſimis cruciatuum generibus Theutonici trucidabantur vbique inuenti per Italiam & Siciliam. Hæc audiens Imperator feſtinato relicta Syria & Iudæa in Siciliam remeauit, cuius reuerſione comperta crudelitas ſeuientium & furor inuadentium conquieuit, & in breui tempore omnia ſibi ablata recuperauit. Repentinus autem receſſus ſuus a Ieruſalem inordinatam rem dereliquit, quia anguſtiatus in propriis minus alia curauit: ex quo Ieruſalem in manus ſuorum priorum Dominorum rediit in damnabilem heu ſeruitutem. quis in culpa ſit, perpendat qui voluerit. Porro poſt reditum in Europam Imperatoris, plurima bella mouit contra ſuos aduerſarios adiutorio filiorum ſuorum, in quibus Renzus ab Onorenſibus captus in cauea ferrea vitam finiuit. Et quamuis Papæ quaſi omnes, qui ſub Friderici temporibus Eccleſiam rexerunt, eum excommunicauerunt, ſemper tamen humiliter inſtetit pro abſolutione. Anno autem M. CC. L. incarnationis Domini diem clauſit extremum in Apulia in ciuitate Firenziola. Quidam dicunt quod Manſredus eius filius eum ſuffocauerit iacentem in lecto cum ceruicali, quod ego credo eſſe confictum a ſuis inimicis. Sub iſto Friderico exortæ ſunt duæ religiones celeberrimæ & ſanctiſſimæ, quas ſancta mater Eccleſia inſtituit contra duas ſectas contagioſas paulo ante exortas. Prima religio eſt Prædicatorum, per quam ſublata eſt ſecta Humiliatorum. Humiliati quippe nulla habita auctoritate & licentia, nec ſcientia, populis prædicabant, confeſſiones audiebant, & vitam plebium regere ſatagebant. quæ omnia Prædicatoribus ſunt legitima auctoritate commiſſa. Alia religio eſt Fratrum Minorum, per quam ſublata eſt ſecta Pauperum de Lugduno ſeu Waldenſium, quæ dicebat ſe vitam Apoſtolicam tenere, nihil volentes poſſidere, & numquam in eodem loco ſtabiles manebant, & in occultis dogmatizabant, & multos errores ſeminabant. Et hæc omnia rite & recte dat Eccleſia agere Fratres Minores. Igitur poſt Friderici mortem Conradus filius eius electus in Romanorum Regem imperium non attigit. Collecto tamen exercitu in regno gyrauit, & dum iuxta Franckfordiam cum ſuo exercitu reſideret ad imperium ſuſcipiendum, Heinricus Lantgrauius electus ipſum fugauit, & imperium obtinuit, paruo tamen tempore. Hic præfatus Conradus dum quadam vice in Ratiſpona apud ſanctum Emirammum cum ſex armigeris eum cuſtodientibus dormiret, vt putabat, ſecure, ſuperuenit vaſallus Epiſcopi dictus de Hohenfels, occulte volens Regem occidere cum hiis, qui cum eo erant. Hoc intelligens quidam fidelis miles eius dictus Fridericus de Eutenſchaim præcurrit velocius & Regem de lecto traxit, & eum ſubter ſcamnum abſcondit iubens eum ſilere propter periculum imminens. & ipſe miles ſe ad lectum poſuit ſponte, in quo interfectus fuit pro Rege, & alii ſex cum eo, ſicque Rex mortem euaſit, & in craſtino eſt populo cuncto demonſtratus. Poſt hoc ingreſſus eſt Rex ad Italiam cum magno apparatu Alemanorum ad poſſidendum regnum Apuliæ & Siciliæ patris ſui. Et veniens obſedit Neapolim ciuitatem, eamque deſtruxit, & Capuam, & nobile oppidum Aquinum. Videns autem ſe morti propinquum diſpoſitionem fecit pro Conradino filio ſuo, & omnes præfecturas ordinauit, ita vt eo defuncto Conradinus ſine difficultate regnum acciperet. Anno ergo Domini M.CC.LII. Conradus Rex moritur Conradino adhuc puero in Sueuia exiſtente cum matre, & Manfredus illegitimus Conradi inuadere regnum conatur obſiſtente ſibi Papa. Videns autem regnum pro Conradino paratum, aduentum eius timuit, cum Papa ſe compoſuit, & ab eo regni amminiſtrationem ſub certis conditionibus ſuſcepit. Transgreſſus autem eſt Manfredus limites ſibi a Papa poſitos, ideo eum excommunicauit & vexare cœpit. Quapropter Manfredus collecto exercitu Giblinorum & Theutonicorum totam pene Italiam perturbauit. Papa autem Vrbanus IV. commotus rebellione Manfredi, aduocauit Carolum fratrem Ludouici Regis Franciæ, eumque Regem Siciliæ fecit

Digitized by Google

anno Domini M. CC. LXIII. commissaque sunt durissima bella. Cum ergo in Sueuia auditum fuisset, quod Conradus Siciliæ Rex obiisset, & Manfredus basthardus eius regnum inuasisset, & quod Papa indignatus Carolum vocasset eique regnum tradidisset, commota est vniuersa Sueuia, & Principes Conradinum iuuenem, filium Conradi, verum regni heredem, animauerunt, & collecto fortissimo exercitu ex omni Germania Conradinus in graui multitudine subito Lombardiam ingressus est, & vsque Pisas deuenit. Eodem autem tempore de vniuerso mundo congregabantur fratres Prædicatores ad capitulum generale Pisis celebrandum: sed propter aduentum armatorum Theutonicorum auersi sunt Fratres, & Viterbium properabant, vbi Papa tunc erat, qui & per se capitulo præsidebat. Dicitur autem quod Papa Clemens IV. dum de palatio suo in campum respiceret, & multitudinem armatorum exercitus Conradini videret, dixit; *Doleo super innocenti puero Conradino, & compatior stulto populo, quia ecce iam ad victimam festinant vltimum exterminium accepturi.* Procedente ergo Rege Conradino cum exercitibus suis, occurrit ei Carolus cum ingenti multitudine, & congressione durissima facta post multam exercituum luctam & plurimorum cæsionem, exercitus Caroli præualuit & victoria sibi cessit, confregitque exercitum Theutonicorum & prostrauit. Captus est autem Conradinus iuuenis, & Austriæ Dux Lupoldus cum eo, & plures alii Sueuorum Comites, Barones & milites; & Manfredus ex patre frater Conradini in prœlio occubuit. Conradinum autem Regem & vniuersos amicos eius Duces & proceres & Sueuorum optimos captos iussit Carolus duci Neapolim, vbi vna sententia in omnes nocentes & innocentes prolata, educti sunt ad locum decapitationis. Dum autem Conradinus Rex iuuenis produceretur primo occidendus, ortus est maximus clamor lamentantium & flentium innocentis necem pueri. Erat enim pulcherrimus iuuenis, ornatus capillis in auri fulgorem nitentibus, & optima membrorum & colorum dispositione proportionatus. Sic puer decapitatus est cum fratribus, & amicis, & ducibus ac nobilibus, & sepulti sunt honorifice, prout hodie demonstratur. nec defuerant a pueri innocentis sepulchro prodigia quædam satis miranda, visa & facta, quæ vulgus referre solet. In isto itaque prœlio funesto tota progenies clarissima Ducum Sueuiæ deleta fuit & extincta cum insignibus & armis, anno Domini M. CC. LXVIII. de quo prœlio vide in Chron. Anton. parte 3. tit. 20. cap. 1. per totum. Hii nobilissimi Duces tenuerunt imperium circiter per annos C. XX. & ex ea radice quatuor exierunt post se inuicem Imperatores, scilicet Conradus II. Fridericus I. Heinricus VI. & Fridericus II. & Reges Heinricus, Conradus, Manfredus, Conradinus. Hii glorioſi Principes Rempub. Romani imperii licet multum auxerint magnis laboribus, quia tamen Ecclesiasticorum priuilegiis contrauenire videbantur, fit de eis abominabilis mentio per Innocentium III. in ca. venerabile, de Electione, & plenius prout legitur notatur in c. 2. de Re iudic. l. 6. & in Extrauag. Innocentii IV. cum Friderici, & cap. significasti, de Pœni. & re. Si seruassent illud præceptum, *Noli tangere Christos meos*, in æternum thronus eorum firmatus fuisset. sed contra facientes facti sunt in desolationem, & perierunt propter iniquitatem suam cum tota domo sua, & non remansit nec vngula ex eis: imo quod deterius est, per ipsos tota quodamodo maleficata fuerat Germania, vt post Fridericum II. vsque ad Carolum IV. qui regnare cœpit anno Domini M. CCC. XLVII. venter terræ Germanorum fecundissimus non germinauit Imperatorem per annos LIX. & ipsa Sueuia nobilitatis generosissimæ atea a prædicto Friderico II. Imperatorem non produxit vsque ad Fridericum III. cuius hodie non solum Sueuia, sed Germania tota magnificentia gloriatur. sicque Sueuia per CC. XX. annos sterilis fuit facta; Reges tamen Romanorum tanquam abortiuos genuit, qui ad maiestatem imperialem non attigerunt, non quod personæ dignæ imperio non essent, sed quia rota alibi voluebatur, & odibile factum erat nomen Sueuorum; si propter iusta demerita, Deus nouit. Quamuis autem execrabilis memoria Sueuorum Imperatorum sit relicta, & sacris canonibus inserta, quibus contradicere phas non est, tamen, vt videtur, si Sueui habuissent excusatores, sicut accusatores; & fauorabiles scriptores sicut liuidos detractores, magnifica procul dubio refulgerent opera, & iniusta abiectio. Sed quia inimici Sueuorum sunt iudices, & *hostis contra hostem testis esse potest, qui alias regulariter reprobatur, in casu quo negaretur*, vt de test. quotiens. Idem probatur per ea quæ leguntur & notantur in c. veniens 2. de test. in h. Ideo Sueui testimoniis inimicorum suorum Italicorum victi silent, nec aduersariorum dictis aut scriptis contradicunt, & pro pace Ecclesiæ opponere nolunt prout possent. ideo odiosa eorum remanet memoria, quia in Paradoxis Stoicorum dicitur in principio: *Quod nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile: nihil tam horridum, & tam incultum, quod non ornata oratione fiat splendidum.* imo nihil tam remotum a veritate aut obscurum falsitate, quod non fiat lucidum, delectabile, & credibile venusta eloquentia, vt patet in poesi: & vicissim nihil tam verum, honestum, & bonum est, quod acuta, & inimica lingua non falsum, sordidum, & malum ostendere queat oratione culta. Hoc cognoscentes Italici Germanorum & præcipue Sueuorum inimici, ignominiosa quæque colligentes, ornata eloquentia, quæ legentis animum statim ad se rapit, volumina conscripserunt de Sueuis, quomodo sint expulsi a regno Siciliæ, & fugati de Etruria, Tuscia, & Lombardia; imponentes eis grauia etiam fidei contraria, infamantes, iudicantes, condemnantes cum non modica iniuria, & si phas est

dicere,

Digitized by Google

dicere, cum multa iniuſtitia. Vnde quidam Guido Orator Etruſcus Gwelfo orationem plenam veneno in Sueuo texuit coram Carolo fratre Ludwici Regis Francorum, eumque contra Sueuos ornata perſuaſione concitauit, vt patet in Chron. Anton. part. 3. tit. 20. cap. 1. Ad eius autem mendacem diffamationem non eſt qui reſpondeat. O ſi absque ſanctiſſimæ ſedis Apoſtolicæ offenſione perſuaſiuus aliquis orator conſurgeret, in Sueuorum partem excuſator & defenſor, & veritatem nudam de vtrisque Germanis ſcilicet & Italis proponeret, comparando fidem vtrorumque ad Chriſti ſacramenta, reuerentiam ad Apoſtolicam ſedem, obedientiam ad ſanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, zelum ad Eccleſiæ vnionem, deuotionem ad Romam, affectum ad terram ſanctam, timorem ad eccleſiaſticas cenſuras, & omnium quæ ad populum catholicum ſpectant, profecto videri poſſet Germanos fore virtuoſos, ſanctos & iuſtos Chriſtianos; Italicos vero per omnia in decuplo defectuoſos. Nam moleſtias & inſolentias grauiſſimas ſancta Romana Eccleſia paſſa eſt, & patitur quotidie ab Italicis, de quibus iam multis annis repletæ ſunt aures noſtræ vsque ad nauſeam, & audire dedignamur, ne in ipſa ſcandalizemur Eccleſia, quæ per iniquos Italiæ præfectos prodita, agitata, vexata, depopulata, & ſpreta non ſentit & ſentire ſe diſſimulat, ne obruatur & penitus extirpetur de Italiæ finibus. O quam grande volumen comportari poſſet, ſi quis colligere velit Italorum grauiſſima ſcandala, rebelliones, contemptus, inobedientias, Eccleſiæ impugnationes, contumacias, dolos, perfidiam, & horrenda alia eis quottidiana & communia ac nephandiſſima vitia! ſi quis, inquam, hæc tanta diligentia & ornata eloquentia conſcriberet, ſicut Sueuorum Dominorum ſuorum & Germanarum gentium conſcribi & deſcribi fecerunt exceſſus, profecto volumen grande fieret, quo Italia terra nobilis propter generationem malam & adulteram & gentem ignobilem omni vitio vitioſiſſimam, exoſa, odioſa, & abhominabilis Chriſtiano vero & virtuoſo redderetur. Sed ſicut ſepe in antehabitis dixi, & nunc flens dico, quod tota cauſa illius irriſionis, quam patimur ab infeſtis Italicis, eſt, quia Alemania hucusque caruit eloquentia, nec hactenus erat qui eos Germanos probos & Chriſtianiſſimos eſſe & eorum infamatores infidelibus deteriores ornata eloquentia oſtenderet. nec defenſionem tantum prohibet eloquentiæ carentia, quantum reuerentia digniſſimæ & ſanctiſſimæ ſedis Apoſtolicæ, quæ apud Italos eſt, propter cuius pacem Italorum infamias ſuſtinemus, & eorum mala tanquam nobis incognita tranſilimus.

CAPUT XIII.

Origo Comitum de Habchſpurg, qui nunc ſunt Auſtriæ Duces.

POſt omnimodam Ducum Sueuiæ extinctionem remanſit nobilis Sueuia absque Duce XXI. annis vsque ad tempora D. Rudolfi Comitis de Habſpurg, per quem reſuſcitatus eſt ducatus per clarioris dignitatis adeptionem. De hac ergo ingenuiſſima progenie, Comitum ſcilicet de Habchſpurg, ſunt pulchræ hiſtoriæ Latinæ & Theutonicæ, de quibus tamen nulla ad meas deuenit manus, cum tamen multum ſollicitus fuerim ad habendum. Ea ergo, quæ ſubiungam, ſparſim in libris reperi, & nonnulla auditu didici. Comites de Habſpurg ex nobilum veruſtiſſimorum Romanorum radice orti ſunt ex nobiliſſimo & alto Iulii ſanguine emanantes, *& eorum nobilitas omnem ſuperat ſermonem*, vt dicit Æneas Siluius in epiſt. ad Dionyſium Archiepiſc. Strigonienſem & Cardinalem. Quo autem tempore e Roma in noſtras regiones emerſerint, plura dicuntur, quæ prætereo. Vulgaris autem fama habet, quod antiquorum tempore erat Romæ familia nobiliſſima, ditiſſima, & habundans in perſonis. De hac duo vterini fratres, collecta omni ſubſtantia in Germaniam proceſſerunt & Argentinæ conſederunt. Senior autem a populo in ſublime actus regionis ſuſcepit gubernaculum. Quidam dicunt eum in Epiſcopum Argentinenſem aſſumptum. Iunior autem euagabatur inter Nobiles regionis, nunc ibi nunc alibi conſiſtens. Tandem in Argouiam deuenit, ſocialiter & liberaliter inter nobiles, quorum magna ibi erat multitudo, ſe habuit, & cunctos in ſuum traxit fauorem & amorem. Placuit autem nobili ibi manere, & accepta copioſiſſima a fratre pecunia, dixit ſe ibi ſedem & caſtrum & arcem pro ſua tuta habitatione conſtituere. ſed omnem illam pecuniam in exercitiis nobilium expendit, quia, vt natura nobilium eſt, liberaliſſimus fuit, in tantum vt a fratre prodigalitatis argueretur. Miſit tamen ſibi iterum aurum multum ſupplicans & mandans, vt quia alibi eſſe nollet ſibi habitationem & poſſeſſionem vel emeret aut erigeret, & alicuius nobilis filiam acciperet in ſuſcitationem domus. Accepto autem auro omnem curam adhibuit, vt tam nobiles quam plebeios amicos haberet, quos donis ſibi conquirere ſtudebat: quia, vt dicitur Prouerb. 19. *Diuitiæ addunt amicos plurimos, & amici multi ſunt dona tribuentis.* Prudenter enim præpoſuit amicos pecuniis.

Quadam autem die cum venationi inſiſteret, emiſſus accipiter rapere feram, neglecta præda cuiuſdam alta montis petiit, ibique ſuper rupem volans reſedit. Vnde nobilis, quia accipitrem carum habebat, de equo proſiliit, & e veſtigio ſecutus accipitrem, eum in celſa rupe alti montis reaccepit. In monte autem ſolus conſiſtens coniectis oculis per gyrum vidit omnem illam regionem quaſi paradyſum, aruis, ſiluis, & fluminibus ornatam, & montem illum pro loco ſuæ habitationis elegit, & diſpoſitis rebus in monte hoc arcem erigere cepit. Sciſcitantibus autem artificibus de nomine caſtri, ipſe nobilis ab euentu caſtro nomen dedit, quod & ſibi ſuisque ſucceſſoribus

remanſit. quia enim montem propter accipitrem aſcendit, ibique eum reperit, & tunc ibi ædificare deliberauit, accipitris nomen domui tribuit, eamque *Habchſpurg* nominauit, quod tantum ſonat quaſi Burgus accipitris. Cumque ad eius iuſſum burgus exilis erigeretur, & minus munita arx, & plures eum ſuper hoc arguerent, reſpondebat, non fore neceſſarium arcem armare inter amicos. Ædificata autem domo omnes Argowiæ proceres & nobiles conuocauit & præfectos regionis, dicens eis, quod fratrem ſuum de Argentina vocare vellet ad dedicandum domum, & ordinandum dominium, & quod hoc ſui deſiderii eſſet, vt fratri venienti nemo occureret, ſed ſine honore eum in caſtrum aſcendere ſinerent, ſed eo in caſtro iam exiſtente cuncti nobiles & præfecti cum omni bellico apparatu per gyrum arcis tanquam burgum expugnaturi conuenirent; ſed & nobilium vxores & filiæ in curribus & equis cum ornamentis adducerentur, pro quibus tentoria & coquinæ erigerentur, & omnis patria concurreret petiuit; & ſicut voluit ita factum eſt. Cum enim frater eius cum famulis veniſſet, aſcendit in domum Habchſpurg, & videns immunitam & paruam, iram diſſimulauit, mirabaturque de tantarum pecuniarum diſtractione, & non ſine vecordia & verecundia ibi fuit. Eadem nocte nobiles terræ cum exercitibus ſuis arcem vallauerunt, & tanta multitudo hominum ad locum confluxit, quanta non eſt viſa ſimul in illa regione. Cumque frater Domini Caſtellani de obſidione miraretur, quia myſterium ignorabat, cœpit hæſitare de fratris ſui fidelitate, timens ſe tradi in populorum manus per fratrem, quia videbat fratrem non pauere, nec burgum munitum eſſe contra tam fortiſſimos exercitus. Conſiderans autem Dominus Caſtellanus fratris anguſtias, duxit eum ad mœnia contra populum reſpicientia dicens; Ecce Domine frater, ſi ædificaſſem caſtrum grande cum munitiſſima arce, putatisne an contra hanc multitudinem eam diutius valerem tenere? ſed nunc exilem burgum erexi, & cum pecunia mihi data omnem hanc multitudinem, & hæc fortiſſima agmina in noſtram amicitiam, fauorem, & ſeruitia emi. Sunt enim hæc agmina huc collecta pro noſtro honore & huius domus dedicatione, quam ſi multis pecuniis fortiorem, ſpecioſiorem feciſſem, ſplendidos iſtos exercitus nequaquam in noſtra obſequia haberem. Nunc ergo, Domine frater, deſcendamus, & videbitur me munitiſſimum ædificaſſe caſtrum, optimis & robuſtiſſimis viris vallatum, indiſſolubili amicitia munitum. Eductus ergo frater cum tanta gloria, gaudio, & triumpho ſuſceptus eſt, & tanto honore, quantum in vita ſua non vidit. Manſerunt ergo exercitus ibi per dies aliquot, & adducebantur vndique victualia. & cum ingenti ſolemnitate domus Habchſpurg fuit dedicata & inter nobilia caſtra & comitatus connumerata. Sed & ipſum nomen ingenuæ generationi illi attributum eſt. Nam antea quoddam Italicum Romanum habebat vocabulum: eſtque domus Habchſpurgenſium ab vniuerſo exercitu declarata & relata in nobiliſſimorum numerum Comitum totius Germaniæ. Profecit autem indies Comitatus Habchſpurg, & per connubia Comitum vicina dominia ei adiuncta ſunt, inter quæ etiam vetuſtiſſimus & nobiliſſimus Comitatus Kyburgenſis eis Comitibus ceſſit. vnde Comites de Kyburg derelicto Comitatu ſui nominis transmigrauerunt in Comitatum Tunenſem, ibique habitauerunt vsque ad noſtra tempora, Kyburg Comitibus de Habchſpurg relinquentes. Habebant etiam Comites de Habchſpurg in ſuo Comitatu vallem Artam, habitationem Suitenſium ſiue Suicerorum peregrini populi, ad quorum repreſſionem dicti Comites plurimum laborabant, ne finitimorum loca turbarent. Faciles enim erant loca & agros vicinorum inuadere, vtpote a ſanguine & conditionibus ac moribus vicinorum alieni & extranei, quos Carolus Magnus in illam intruſit regionem hoc modo. Anno Domini DCCCVI. cum magnificus Carolus Saxones vi belli ad Chriſti fidem induxiſſet, illi Saxones Transalpini, qui in Cheroneſo Cimbrico reſidebant, reiecta fide poſt abſceſſum Caroli in priſtinos relapſi ſunt errores, quos dum piiſſimus Imperator ſemel, bis, ter, quater reduxiſſet & ſemper recidiuarent, omnem gentem illam cum vxoribus & paruulis per diuerſas Germaniæ & Galliæ partes in exilium miſit, de quibus grandem accepit numerum, eosque trans Rhenum ad montana duxit, & inter Alpes in vallem, quæ Arta dicitur, a villa Arta in faucibus vallis ſita, collocauit, vt eam vallem, quæ adhuc deſerta erat, colerent, & meabilem facerent, quatinus viſitare Romam volentes aut Italiam vel Lombardiam, per vallem illam tranſire poſſent. Exigente autem Imperatore ab eis iuramentum de fidelitate & conſtantia in fide & in imperii ſeruitute, reſponderunt; Serui tui ſumus, o Imperator, & maieſtati tuæ ſeruiemus, & in hac valle mundanda laborabimus vsque ad ſudorem ſanguineum. Hoc ſic præſtito iuramento dixit Imperator; Ecce tria iuramentum veſtrum implicat vel includit. primum quod imperio ſeruabitis ſtabilem ſeruitutem: ſecundum quod in valle hac mundanda in labore ſudabitis: tertium quod ſanguinem ſudabitis. vt ergo memores illius iuramenti in perpetuum ſitis, do vobis tria in præſentiarum ſingularia præ cunctis gentibus. Pro primo articulo iuramenti veſtri do vobis, vt nuncupemini Confœderati, ſcilicet imperio, vt in ipſo veſtro nomine ſponſionis veſtræ memores ſitis. ideo etiam in Theutonico nominantur *Eydgnoſſen*. Pro ſecundo articulo aliud impertior vobis nomen. quia enim promiſiſtis in labore *deſudationem*, hinc nomen veſtrum erit & dicemini *Suitzer*, id eſt, ſudantes, quos Latini nominant Suitenſes, Italici Swiceros, Theutonici Switzer. Vnde ſtatim villam in valle ædificantes ipſam Switz nominauerunt. Pro tertio

articulo;

Digitized by Google

articulo; quia pro intenſo labore iuraſtis vos ſudare ſanguinem, do vobis vexillum ſanguineum nullo alio ſigno aut colore ornatum. Et hæc tria vsque hodie apud eos manent. Sic ergo Switzeri finibus noſtris intruſi ab omnibus finitimis differunt moribus & lingua, quamuis ob temporis longæuitatem ſint Sueuis Alſatisque facti ſatis conformes.

Cum ergo Swiceris, vt dixi, Comites de Habchſpurg multos habuere labores ad reprimendum eorum inſolentias. Primus Comes, quem de iſta ingenua familia nominatim expreſſum reperi, fuit Dominus Albertus pater Rudolfi Romanorum Regis. Hic Albertus erat homo imperterritus & bellicoſus. vnde communitas Argentinenſis, dum a Gallis vexaretur, accepit dictum Albertum in Capitaneum & vexilliferum, & multa glorioſa geſſit bella. Hic filium habuit Rudolfum, quaſi alterum Carolum Magnum, cuius ſtrennuitate tota illa Habchſpurgenſium domus in altum valde ſublimata eſt vſque in præſens. Erat enim vir totus virtuoſus, cui nihil videbatur deeſſe ad excellentiam laudis. Robuſtiſſimo quippe & pulchro corpore fuit, ſed & conſilii magnique animi ac egregia liberalitate extitit decoratus. vnde de eo recitatur, quod dum quodam tempore graſſaretur ingens in Argowia peſtis & in toto Comitatu Habchſpurgenſium, Plebanus cuisdam villæ euocatus ad aliam ſuæ parrochiæ villam cum ſacramento, ædituo præcedente cum nola & lucerna, tranſiuit. neceſſe autem erat cum ſacramento tranſire quandam ripam, quæ ſolito magis inundabat. Cumque ſacerdos cum ſacramento nunc huc nunc illuc tranſiret ad quærendum locum aptum transuadationis, caſu venit ſolus in equo Dominus Comes Rudolfus. qui videns ſacramentum proſiliit de equo & adorauit. depoſt interrogauit ſacerdotem, quare non equitaret propter longitudinem viæ & propter flumen? cui, cum ſe miſerum beneficium habere dixiſſet, mox ſtatim ſacerdoti equum dedit, promittens ei quod in tantum adderet beneficio ſuo, quo deinceps ipſe & æditus haberent equitaturam ad infirmos. Promiſit autem, & promiſſum ſeruauit.

Anno Domini M.CC.LXXIII. cum imperium a tempore Friderici Secundi Regem non habuiſſet, conuenerunt Principes Electores Friburgæ, & de eligendo Rege Romanorum tractauerunt. Erat autem tunc prouerbium vulgi, & publice in carmine quodam cantabatur; *Aquila imperii quieſcet in nido leonis.* Hoc prouerbium multi interpretabantur de Ducibus Bauariæ, qui leones ferunt in armis, quod eſſet aliquis eorum Imperator futurus. alii de Comitibus de Habchſpurg intelligebant, qui leonem igneum in aureo ferebant campo, quia tunc dictus Rudolfus ſingularis famæ erat. Cum ergo Electores rem ad manus acciperent, præ omnibus nobilibus Comes de Habſpurg nominabatur & vulgus omnis pro eo clamabat. Singulariter tamen principalis Elector Dominus Moguntinus totus pro eo fuit, & omnibus modis in eius electionem aſpirabat, quia familiariſſimi ſibi inuicem erant; quæ familiaritas ita contracta fuit. In conuentu Minorum Luceriæ erat gwardianus frater, quem Dominus Rudolfus certis temporibus ad ſe in Habſpurg vocabat, eique confeſſionem ſuam facere ſolebat, ſic & vxor, & tota familia. Poſt hoc Dominus Rudolfus viro confidens, ipſum, ſcilicet gwardianum, præfecit curiæ ſuæ, quam habebat in ciuitate Baſilienſi, quæ hodie eſt prope veterem portam ante conuentum Prædicatorum. Contigit autem vt moreretur Epiſcopus Baſilienſis, & Electores Canonici in electione diſcordarent. Ponſt longam autem diſceptationem cum omnino in regulari electione concordare non poſſent, concorditer illam viam elegerunt, vt mitterentur tres Canonici ad conuentum Fratrum Minorum, qui primum fratrem clericum eis occurrentem raperent & adducerent, & illum pro ipſo vero Epiſcopo habere vellent. Miſſi ergo tres ad Minores, importune ad portam pulſabant. Caſu autem dictus gwardianus Lucerienſis in ambitu deambulabat, & audiens importunam portæ percuſſionem ocius accurrit, & oſtio reſerato in manus Canonicorum venit, qui ſtatim virum rapientes ipſum in capitulum Canonicorum traxerunt, & factus eſt Epiſcopus Baſilienſis, cauſasque Domini Comitis Rudolfi fideliter fouit, qui cum Baſilienſibus tunc in contrarietate ſtetit magna. Creditam autem diocœſim ita bene rexit, vt mortuo Archiepiſcopo Moguntinenſi concorditer ab omnibus eligeretur, ſicque Archiepiſcopus Moguntinus factus ex continenti Elector imperii fuit. & ideo in illa electione ipſum Comitem de Habſpurg, quem ex intimis cognoſcebat, virum probum & imperio dignum promouit. Aderat etiam eligentibus venerabilis vir Dominus Albertus Magnus Epiſcopus Ratisponenſis ordinis Prædicatorum qui ea tempeſtate in humanis erat, & propter eius excellentiam in omni re ſcibili, & propter vitæ ſanctitatem multa grandia a Regibus & Principibus ſuo committebantur iudicio. Hic clariſſimus magiſter inſpectis conditionibus & corporalibus Comitis diſpoſitionibus, omnibus modis iudicabat eum eſſe eligendum, & efficaciſſime id fieri Principibus ſuadebat. Denique omnes quaſi Alemaniæ Epiſcopi non vocati ad locum electionis venerunt, vt pro Rudolfo de Habſpurg clamorem extollerent ad Electores. Sed inter omnes Prælati monaſteria in dominio Habſpurgenſium habentes & poſſeſſiones importunius acclamabant eligendum Rudolfum Eccleſiarum tutorem, cleri protectorem, monaſteriorum prouiſorem, & totius populi Chriſtiani digniſſimum Imperatorem. Nam eius tempore Suiceri ruſtici plurimum monaſteria moleſtare cœperunt, & grandia ſacrilegia commiſſa ſunt per eos, quorum inſolentias Comes inſignis pœnis condignis repreſſit & humiliauit. Cumque vnanimi illo voce omnium ad imperium peteretur, Domini Electores

ctores ipsum licet absentem, non tamen longe distantem, elegerunt. Eo enim tempore in ciuitate Basilienſi guerras habuit, & de facto cum exercitu nobilium & Suicerorum Basileam obsedit, & valde artauit. Sed dum nuntii solemnes ab Electoribus ad eum missi essent, & suæ electionis noua audiuisset, furorem remisit, & compositionem pacis cum Basilienſibus acceptauit, & obsidionem soluit. Quantum autem gaudium fuerit in tota Germania quis exprimere queat? Sed & in aliis regnis fama magnifici Rudolfi diuulgata erat, propter quam & Reges procul existentes eum Imperatorem fieri optabant, demptis Regibus Angliæ & Bohemiæ, qui miris machinationibus conabantur eius impedire electionem. Electus autem in Regem, tradita sunt ei insignia imperialia cum imperii reliquiis. quæ omnia transtulit in castrum suum Kyburg, vbi hodie capsa bene ferrata est, in qua aliquamdiu conclusa manserunt. vnde incolæ illius comitatus eandem capsam visitant & capita imponunt ægra, dicuntque sanata Dei virtute fieri. Factus autem Rex Romanorum, impleta fuit vulgi prophetia, quæ dicebatur & cantabatur communi carmine, quod *Aquila imperii requiescet in nido leonis.* vnde post electionem eius quidam de anno electionis eius hæc composuit metra versu;

Bis sexcentos septuaginta tres noto Christi
Annos, electus dum Rex Rudolfe fuisti.

Et de armis suis dixit idem metrista;

Tu Comes in clipeo tuleras insigne leonis,
Quem velut ad prædam distento corpore ponis;
Sed Rex fers aquilam, quæ transuolat omnia, claris
Signans indiciis, quod tu cunctis dominaris.

Reperi autem duplicia arma Comitum de Habspurg. Prima, clipeus, cuius superficies est diuisa duobus coloribus, albo scilicet & rubeo: pars dextra tota est alba, sinistra rubra. & in isto sic colorato campo stat vnus igneus iracundus leo. sic hodie reperiuntur arma illa in Argowia in ecclesiis & vitreis feneſtris, quas ædificauerunt, & in sculptis lapidibus vbique in illis locis. Alia arma sunt, clipeus aureo campo siue superficie ornatus, & in eo leo igneus per transuersum erectus tanquam prædam attracturus. Porro post Rudolfi electionem aquila illa fortis & grandis leonem de cubili suo eduxit, eique Ducatus, Principatus, Marchionatus, Comitatus, Baronatus, regna, & regiones in prædam condiuisit, quia per Rudolfi imperium domus Habspurgensium magna conquisiuit dominia, vt sequentia declarabunt. quo factum est, vt & nomen & arma sua primæuæ originis in melius sint transmutata. Facti enim sunt post Rudolfi Regis electionem ex Comitibus de Habspurg Archiduces, Duces, & Principes, & nobilissimorum comitatuum Comites, & Marchiones, & demum diuersorum regnorum potentissimi Reges, & Romanorum Reges & Imperatores, & Regum omnium totius Christianitatis, etiam in extremis terris, consanguinei & affines, nec inter illustrissimos computantur, nisi aliqua attinentia huic Habchspurgensium generoso trunco inserti fuerint. & hæc omnia demonstrat dies hæc. Idcirco mutata sunt illorum Comitum arma & nomina, & dicuntur nunc Archiduces Austriæ, cuius Ducatus antiqua & vetera ferunt arma, quia in eo primo ducalis dignitatis ascenderunt vestigia. Vetustissimi enim Duces Austriæ habuerunt aëreum clipeum cum quinque philomenis aureis expansis alis & rostris sursum hiantibus, demum habuerunt duas albas Angeli alas, & in medio alarum draconem aureum, clipeum nigrum cum alba cruce. deinde habuerunt albam aquilam super galeam alis nigris sursum protensis & clipeum lazurinum, in qua aquila alba cum aureis alis erectis. posthæc habuerunt auream aquilam extensis alis super galeam. in clipeo vero rubeam aquilam bipartitam, cuius media pars nigra, alia alba. Illis iterum mutatis habuerunt supra galeam, aquilam auram expansis alis ad latera, & in clipei campo cœlestis coloris auream aquilam cum alis extensis, sinistra nigra, & dextera alba. Postea anno Domini D. CCC. IIII. cum Romani sancto Leoni Papæ oculos eruissent in obprobrium Ecclesiæ, & ei miraculose restituti fuissent, non ferens magnificus Carolus tantam Ecclesiæ molestiam, collegit grandem exercitum, in quo etiam Dux Austriæ cum suis erat militibus, & ingressus Romam irruit in sacrilegos & horribili plaga peremit. In hac cæsione Dux Austriæ armis splendens & super thoracem sericum album, teristrum habens procinctum sudario adeo fortiter debacchatus est in sacrilegos, vt totum sericum indumentum, quod album fuerat, tinctum sanguine esset; & dum finita strage se exueret, vestis rubea erat, dempta media parte, quam sudarium cinctorium a sanguine præseruauerat. Hæc vestis dum Carolo præsentata fuisset, imperauit Ducibus Austriæ, vt pro perhenni gloria arma sua ad modum illius vestis colorata ducerent, scilicet rubeum clipeum alba zona per medium ducta diuisum. Simile contigisse legimus anno Domini M. C. XXXVIII. tempore Conradi Imperatoris huius nominis Secundi. qui cum Principibus Germaniæ mare transiens pugnam iniit cum infidelibus pro terra sancta, & tam magnam prostrauit multitudinem, vt equi vsque ad talos ambularent in sanguine. In hac pugna erat etiam Dux Austriæ totus tinctus Saracenorum sanguine, dempta media parte cinguli. sicque iterum arma priora nobilitauit, & de nouo accepit ab Imperatore Conrado. alii dicunt de Friderico Primo, qui post Conradum fuit, & multos conflictus cum infidelibus habuit. Sic ergo Comites de Habchspurg facti Duces Austriæ ducalia illa sumpserunt arma, habentque super galeam coronam auream cum magno fasciculo siue manipulo de pennis pauonum speculatis, & clipeum rubeum albo tramite per medium sectum.

Igitur

Igitur post electionem Rudolfi, Papa Gregorius IX. fuit electus in Viterbio, dum esset absens. erat enim vir deuotus multum, de Placentia, Achidiaconus Leodiensis. & ante suam electionem transiuit mare gratia visitandi Ierusalem & loca sancta: vbi dum esset, & Cardinales in electione concordare non possent, ipsum licet absentem elegerunt anno Domini M. CC. LXXI. de quo quidam inquit;

Papatus munus tulit Archidiaconus vnus,
Hunc patrem patrum fecit discordia fratrum.

Hic anno tertio a sua institutione Lugduni celebrauit concilium generale magnum, in quo congregatio magna fuit Prælatorum spiritualium & secularium. & erat principalis tractatus de instituendo Rege aut Imperatore, qui aptus esset capitaneus populi Christiani ad transducendum exercitum Domini contra Turcos, Sarracenos, & Mauros, qui terram sanctam obtinebant. Sed & Papa personaliter cum exercitu proficisci ad terram sanctam promittebat, dum modo Imperator strenuus & in bellis expertus exercitibus præficeretur. Cum ergo electus Rudolfus præsentatus fuisset Concilio, vt confirmaretur eius electio, sub ista conditione confirmata fuit, vt Romam pro corona & benedictione accederet: & deinde collecto exercitu Christianorum pro recuperando sepulchro Domini properaret. Huic concilio interfuit sanctus Bonauentura Cardinalis ordinis Minorum, ibique diem clausit extremum. Ad idem concilium vocatus fuit de Neapoli sanctus Thomas de Aquino, & dum in itinere esset, in Campania obiit, vt habet Anton. in Chron. lib. 3. tit. 20. cap. 2. Rudolfus ergo contra Iohannem Regem Castellæ, qui se pro Cæsare gessit confirmatus, obligauit se sub pœna excommunicationis venire Romam; sed succrescentibus contra eum in Germania bellis, apud Papam non comparuit, sicque excommunicationem incurrit. quam, vti vir probus, diutius ferre non valens, reconciliationem ab Ecclesia recepit, & in recompensationem loco satisfactionis Ecclesiæ comitatum Romandiolæ tribuit, quem hodie possidet, vt habet Anton. in Chron. lib. 3. tit. 20. cap. 6. Verum Iacobus Philippi de Bergamo in Supplem. Chron. dicit, Rudolfum Romam adiisse, & a Gregorio Papa omne ius imperii accepisse, præterquam coronam, quam tamen sibi pollicitus est, quam statim iter in Siriam arriperet ad liberandum Dominicum sepulchrum in Ierusalem. sicque rediit in Germaniam. Statim autem accepto regno conuocationem Principum in Nuremberga habuit, ad quam omnes venerunt, demptis Ottakero Rege Bohemorum, & Heinrico Duce Bauarorum, qui citati nec ad istam dietam, nec ad duas alias sequentes venire volebant. & propter eorum absentiam omissa est expeditio contra Sarracenos in terram sanctam pro liberatione Ierusalem, quam insignis vir Rex Rudolfus facere intendebat. Pro qua etiam in concilio Lugdunensi a Papa Gregorio X. crucem accepit cum Rege Franciæ & aliis Principibus multis. Non enim poterat Rex abesse Alemaniæ, Boemis & Bauaris terræ aduersantibus, cum & Austria eisdem subiecta foret. Mandauit ergo Rex Rudolfus per literas Ottakero Regi Boemiæ imperio resignare regiones, quas occupabat. qui dum mandatum Regis sperneret, collegit Rex Rudolfus exercitum Sueuorum fortem, & humiliato Duce Bauarorum Heinrico descendit contra Austriam ad expellendum Boemos ex ea. Procedens autem contra Wiennam statim intromissus est, quia ciues oderant Ottakerum Boemum. & consequenter ex Wienna obtinuit totam Austriam, Stiriam, & Carinthiam. videns autem Ottakerus periculum suum, venit Wiennam & flexis genibus veniam a Rege Rudolfo petiit, & feuda accepit, resignans Austriam, Stiriam, Carinthiam Regi, & iuramenta pacis & fidelitatis præstitit & abiit. Rex autem Rudolfus ex Austria, quæ Marchionatus erat, fecit ducatum, & filium suum primogenitum Ducem Austriæ instituit Albertum nomine.

Longam & pulchram legi historiam de multis mutationibus factis in Austria. Nam in antiquissimis temporibus erant longo tempore Iudæi illius regionis Rectores, & postea Pagani, & denique Christiani. Rexerunt autem Iudæi & Pagani secundum calculationem Chronicæ ante Christi natiuitatem annis M. CCCC. LXXXII. post natiuitatem vero CCC. LXXXIX. annis, & multas mutationes sui nominis habuit hæc regio & armorum & heredum. Primus enim, qui legitur inhabitasse terram, fuit de oriente Nobilis, eamque Iudaisaptan nominauit. Transacto aliquo tempore Dominus terræ Laptan vocauit eam regionem Swarytz. deinde multis euolutis annis quidam dictus Pinian obtinuit a Principibus, vt Marchionatus Swaritz fieret ducatus, & hoc facto mutauit nomen eius, dicens eam Sannas. post temporum decursum quidam Dux in Sannos vocabulo Antz nominauit eam terram Pannaus. multo autem euoluto tempore Dux quidam Zema nominauit terram Tantonium. Omnes autem præfati Marchiones & Duces fuerunt gentiles idololatræ. Deinde regnauit ibi Peyman, qui filio suo Sennan reliquit ducatum Tantonium. Hic induxit ritum Iudæorum in regionem totam, cuius duo fratres circumcisi facti sunt Iudæi cum ipso. Dein regnauit Septani Iudæus, & nomen prouinciæ appellauit Mittanaus. Post hoc Dux regionis Laptan Iudæus mutauit iterum nomen prouinciæ, & vocauit eam Fannaue. Inde Duce Ranthanais regnante vocauit nomen eius Auaratam. Post multos annos Dux Raban vocauit regionem Sylam. Postea decursu annorum Nathan Dux voluit regionem dici Raraſma. Deinde post plures annos quidam Iudæus Dux Ianner nomine nominauit eam Corrodantiam. Hic Ioannes Iudæus Dux filium habuit nomine Monton, qui patre defuncto Iudaismum abnegauit, & gentili suscepto ritu ducatum idololatrare compulit. Trans-

actis multis temporibus quidam nomine Rathan regionis Dominus sine liberis obiit, & terra absque legitimo herede mansit. Quod audientes Romani quendam Hungarum Roland nomine Ducem fecerunt Corrodantiæ, qui etiam sine herede obiit. sicque tam Paganorum quam Iudæorum potestas in terra illa cessauit. Romani autem mortuo Rolando Comitem quendam Aman nomine in Corrodantiam miserunt, qui consanguineus erat sancti Alexii & Christianus, & vxor eius Helena etiam erat Christiana, & occulte fidem Christi dogmatizabant in populo. postea tamen idem Aman Dux martyrium suscepit. Tres autem filii eorum suscepto Ducatu eius mutauerunt nomen Osterland vocantes. post tempus aliquod quidam Dux nominari prouinciam voluit Oesterrich. Deinde Duce Eberhardo orbato duobus filiis, quos habuit cum Susanna filia Ducis Bauariæ, in tantam tristitiam venit, quod Dux amplius nominari recusauit, & Ducatum Marchionatum esse voluit, & sine herede obiit. itaque Marchionatus ad imperium cecidit. Cæsar vero Marchionatum Austriæ contulit Regi Bohemiæ, qui etiam sine herede Cæsari regionem dereliquit. Cæsar autem Heinricus eam Ottoni Hungaro dedit, qui moriens Conrado filio suo eam reliquit. Marchio autem Conradus post electus in Regem fecit iterum ducatum ex marchionatu. Deinde post multos annos deficiente stirpe illa iterum deuolutus est ducatus ad imperium. Anno Domini M. XIIII. Imperator cuidam Alberto nomine contulit regionem, & voluit esse marchionatum. Illa Alberti stirps diu mansit, & anno Domini M. C. XIII. iterum mutata est regio in ducatum. Tempore autem Friderici Primi erat Dux Austriæ Leopoldus, qui cum Imperatore contra infideles cruce signatus processit, & adeo fortiter dimicauit, vt Imperator sibi pro munere galeam corona aurea & manipulo de pennis pauonum ornatum conferret. Anno Domini M. CC. XLVI. iterum Duces Austriæ defecerunt, & imperio ducatus cessit. Verum antequam prouisio facta esset, Rex Bohemiæ Wentzeslaus filium suum Marchionem Morauiæ Ottakerum intrusit in Austriæ ducatum, & cum multis difficultatibus ducatum possedit, & Ratisponam inuasit, & in Bauaria plura loca obtinuit cum suis Bohemis. Erat enim Ottakerus homo bellicosus, & timor eius etiam Sueuos inuasit. Sed cum Rudolfus Comes de Habspurg, de quo iam sermo currit, factus esset Romanorum Rex, ille eum vicit, & Austriæ ducatum sibi abstulit & alia quæ imperio subtraxit. Non multo post Ottakerus ruptis iuramentis præstitis Rudolfo repetiit Austriam, & cum ingenti exercitu parauit se ad bellum contra Regem Rudolfum. Cui Rex Rudolfus obuiam in campo Weidenbach venit, eumque contriuit plaga magna, & Bohemiam aggredi conatus est. sed per mediatores facta pace dedit Rudolfus filiam suam iuniori Regi Bohemiæ vxorem. Habuit autem Rudolfus tres filios, & nouem filias, quibus omnibus optime prouidit, & nobilissime elocauit, vt patebit postea. Vnde tanta diligentia suæ domui prouidit, & tantum in hoc laborauit, vt seipsum & Ecclesiam negligeret. Seipsum quidem, quia Romam non intrauit, vt Papalem benedictionem acciperet, qua Imperatores benedicuntur. Ecclesiam autem in hoc neglexit, quia suo tempore erat maxima opportunitas capiendi Ierusalem & terram sanctam, sicut interim numquam fuit: & fuit Ierusalem sibi oblata a Rege Tartarorum Cussano, qui eam Sarracenis abstulerat. sed cura regni sui & prouisio liberorum eum retinuerunt, licet in votis habuerit præliare contra Sarracenos, quia certe signatus erat ad hoc, vt supra dictum est. Et quia Sarracenis bellum, ad quod tenebatur, inferre noluit, intestina bella Deus contra eum excitauit. nam quindecim Comites Alemaniæ coniurauerunt contra eum: inter quos ille de Montfort, & Helfastein, & Nuremberg, & cæteri, contra quos processit, & multis laboribus vicit & subiecit. nec dubito quin minoribus laboribus & expensis tunc terram sanctam habuisset. Hic cum Nicolao III. tractatum habuit de diuisione imperii in quatuor partes, vt essent quatuor regna, scilicet regnum Alemaniæ, regnum Viennense, regnum Siciliæ, regnum Lombardiæ. Misit autem exercitum in Italiam accipere ciuitates imperiales: sed pauci missum Capitaneum susceperunt, alii pecuniis datis se ab imperio redemerunt. Papa etiam quasdam ciuitates petiit, dicens Ecclesiæ pertinere, quas sine contradictione dedit. Suo tempore venit in Sueuiam nigromanticus, dicens se Fridericum esse Imperatorem, quem multi sequebantur etiam armati nobiles. Hunc Rudolfus captum & examinatum iussit comburi. Deinde Domina Anna vxor Rudolfi Wiennæ moritur, & corpus eius in sepulchrum Reginarum Basileam defertur. Mos enim erat reginas Aquisgrani coronatas Basileæ sepeliri. Anno Domini M. CC. XCII. secutus est Rex Rudolfus vxorem, & in Erfordia obiit, & Spiræ in sepulchro Imperatorum tumulatus fuit ingenti pompa, cuius epitaphium hæc continet;

Mortuus est anno milleno C triplicato.
Sex minus atque tribus, Iulii Rex mense Rudolfus.

Et quamuis fuerit paruus Comes dictus de Habspurg, diœcesis Constantiensis circa partes Basileæ, & confinis Comitis Sabaudiæ, sua tamen probitate regnum Alemaniæ in magna parte possedit XVIII. annis. Mortuo autem Rudolfo congregati sunt Electores imperii Francofordiæ, & vnanimiter elegerunt Comitem Adolfum de Nassaw in Regem Romanorum. quod Comites de Habspurg Rudolfi filii grauiter tulerunt, tamen dissimulauerunt ad tempus, practicantes cum suis amicis nobilibus ea, quæ cordi habebant. Adolfus autem Rex imperio vtilis & fidelis erat, & plura imperio addidit. Vnde Columbariam rebellantem obsedit & cepit,

Digitized by Google

pit, & in ea reperit vnum Baronem de Ropelſtein, quem captiuauit, & Scultetum ciuitatis captiuum in curru ſuper rotam ſedentem circumduxit ſecum per loca in exemplum aliis. Et intentionem habuit, quod pacificata Alemania in Syriam & ad terram ſanctam tranſiret. Poſtremo neſcio, quo merito nobiles in odium Regis Adolfi inciderunt. Contra aliqui Electores imperii in Moguntia congregati Adolfum depoſuerunt, & Albertum filium Rudolfi Regis, Ducem Auſtriæ, Comitem de Habſpurg, in Regem elegerunt. Quod audiens Adolfus exercitum, quem habere potuit, congregrauit, quia iam Sueuorum nobiles ab eo receſſerant, & cum Alberto erant, & conabatur Adolfus Albertum de regno pellere. Albertus autem cum Vngaris, Boemis & Sueuis magna fortitudine vallatus in ſuperiorem venit Sueuiam, & per lineam Rheni deſcendit Spiram, & prope Wormatiam in loco qui dicitur Haſenbuchel conſerto prœlio ex utraque parte multis interremptis victoria ceſſit Alberto, ipſeque Adolfus interfectus eſt, & filii ſui cum multis nobilibus captiuati ſunt. Ipſe Albertus fuit primus Dux Auſtriæ, filius Rudolfi Regis Romanorum de Habſpurg, & occiſo Adolfo adeptus eſt imperium. Et quia quidam Electores ſuæ primæ electioni non conſenſerunt, reſignauit ius primæ electionis in manus Electorum, ne notaretur de violenta regni vſurpatione. Electores igitur altera vice congregati ipſum concorditer elegerunt, & Aquisgrani coronatus eſt anno Domini M. CC. XCVIII. Miſit autem ſtatim ſolemnes nuntios Romam pro confirmatione ſua ad Papam Bonifacium, qui eum confirmare noluit, pro eo quod monoculus eſſet, & ruſticoſum vultum haberet. Non multo poſt oppoſuit ſe Eccleſiæ Philippus Rex Franciæ, contra quem Papa Principes concitare volens vltro miſit Alberto confirmationem & Apoſtolicam benedictionem, tradiditque ſibi auctoritate Apoſtolica regnum Franciæ, auferens illud Philippo. Sed & alias regiones ei dedit, vt Sabaudiam & Boemiam. Miſit autem fratrem ſuum Hartmannum cum armato exercitu in Sabaudiam, qui bellis eam cepit. Inde autem victor lætus rediens cum militibus ad Rhenum venit prope Rinow ſub Schafhuſen, volens nauicula flumen tranſire. vt autem in medium venit, rapitur in flumen nauicula, & petris illiſa protinus mergitur, & Dux frater Regis cum ſuis pereunt, & planctus magnus ſuper eum fit. Eſt enim Rhenus iuxta illa loca rapidiſſimus, & petris ac ſcopulis plenus. Deinde Albertus congregato exercitu magno contra Wenzeslaum Regem Boemiæ proceſſit. ſed dum populus ad loca veniret & biberet vbique fontes, & putei erant infecti, & magna facta fuit plaga in populo, ita quod Rex ſine effectu regreſſus fuit. Eodem tempore inculpabantur Iudæi, quod ipſi aquas inficerent infundendo venena. vnde multi in diuerſis locis exuſti ſunt. Poſt hoc parauit Albertus Rex ſecundam profectionem in Boemiam, & dum iam educere exercitum vellet de Sueuia, occiſus fuit a filio fratris ſui modo qui ſequitur: Dum enim frater Regis Rudolfus moreretur, ſuſcepit Rex filium eius Iohannem in tutelam; & hereditatem eius paternam poſſedit, quousque puer adoleret. nam ad eum Ergowia hereditario iure pertinebat, quam Rex cum ſuis bonis regebat.

Cum ergo Rex in Boemiam proficiſci vellet, inſtigabant Nobiles armigeri iuuenem Iohannem Ducem vix XII. annos habentem, vt a patruo Rege portionem ſuæ hereditatis exigeret, & ſibi dominium in paternis bonis habere ſineret. Quod cum iuuenis, vt edoctus fuerat, importunius a Rege peteret, miratus Rex importunitatem pueri eum deriſit, nolens illa vice condeſcendere. Iuuenis autem educto pugione in patruum truſit, ſicque Regem interfecit non longe a Brugga oppido prope Ararim & Ruſam fluuios. Illico autem perpetrato latrocinio & conſilio Diaboli conſummato, illi, qui iuuenem hoc facere iuſſerunt, fugerunt, & Ducem iuuenem ſolum reliquerunt. qui videns ſe ab omnibus derelictum aſſumens aſtantem ſibi paris formæ iuuenculum velociter abiit, & extra terras in locis alienis exulauit vsque ad decrepitam ætatem ad LX. annos. Porro relicta vxor occiſi Regis Domina Elizabeth filia Comitis de Tyrola in loco interfectionis viri ſui incepit conſtruere monaſterium monialium, & altare ſummum in eo loco poſuit, in quo Rex exſpirauit. Interea Rex Hungariæ etiam obiit, cuius vxor Domina Agnes prædicti Regis Alberti filia in patriam propriam reuerſa in conſtructione monaſterii prædicti coadiutrix fuit, ſicque in viduitate ſancta ambæ manſerunt, & moniales ſanctæ Claræ in conſtructum monaſterium poſuerunt, & pro ſeipſis habitacula annexa ædificauerunt. Sed & pro XII. fratibus minoribus locum ædificauerunt iuxta monaſterium, & tam pro ſororibus quam pro fratribus prouiſionem copioſam in temporalibus fecerunt. Fundatio monaſterii illius facta fuit anno Domini M. CCC. VIII. in loco interfectionis Regis, in campo qui dicitur Campus Regis, vulgariter *Kingsfeld* ſub caſtro Habſpurg, vbi hodie ſeruiunt Deo. Inſuper prædicta Domina Agnes Regina Hungariæ ſub caſtro Kyburg prope oppidum Winttertur ædificauit aliud grande monaſterium monialium ordinis Prædicatorum ſuper ripam Toeſs, a quo etiam monaſterium nomen habet & Toeſs dicitur, & ipſum monaſterium multis diuitiis ditauit, in quo vsque hodie ancillæ Chriſti manent. In ipſo etiam caſtro Kyburg capellam pulchram ædificauit in honorem depoſitionis Dominici corporis de cruce, ad quam nonnunquam de longinquis partibus peregrinantur homines pro veneratione crucis, ſicut ſæpe vidi me moram in caſtro trahente. In lapide ſuperiori oſtii, qui eſt ſupra caput capellam ingredientis, eſt ſculptus clipeus cum inſigniis regni Hungariæ. Hanc capellam conſtruxit propter imperiales reliquias, quæ hodie Nurembergæ

Digitized by Google

conſeruantur, quæ tunc in Kyburg ſeruabantur tanquam in loco tutiſſimo. Eſt enim caſtrum valde firmum & pulchrum, & ab anteriori parte vallo intermedio habet oppidum, quod tamen iam eſt deſtructum, & eſt villula. Foſſata tamen oppidi & murorum ruinæ adhuc cernuntur, imo in collibus adiacentibus gentilitatis veſtigia in nominibus relucent. Quidam collis ſub caſtro dicitur *Marsegg*, id eſt cornu Martis, quia aliquando Mars Deus belli ibi cultus fuiſſet. Aliud cornu dicitur *Sternegg*, cornu ſtellarum, eadem ratione. Dicunt etiam mulieres, ſicut ſæpe audiui, quod ab eo tempore, quo veri Domini caſtri a caſtro receſſerunt, nulla femina in eo genuit, niſi cum aliquo ſingulari periculo, & quod pueri in eo nati ſtatim ante annos pubertatis moriuntur. Dicunt adhuc aliud, quod etiam ego ipſe vidi, quod tempore futurorum bellorum in Comitatu apparent ſigna euidentia ſupra caſtrum per ignem. Nam eo tempore, anno ſcilicet Domini M. CCCC. LXI. quando confederati ſiue Swiceri oppidum Winttertur obſeſſuri erant, antequam venirent, viderunt omnes, qui in caſtro erant & extra in villula, culmina turrium & fortaliciorum ſine humana incenſione ardere & flammare ſine conſumptione culminum. & hodie plures viuentes noſco, qui hoc viderunt. Digreſſus ſum paululum a propoſito, ſed nunc redeo. Igitur cum Albertus Rex ſic eſſet a nepote ſuo Iohanne interfectus, abiit Iohannes vagus & profugus, timens filios patrui ſui & regni Principes. Multos enim filios & filias dereliquit Albertus. Sed quo Iohannes peruenerit, nemo experiri potuit, & tamen exacta diligentia quæſitus fuit multo tempore. Porro depoſt ad LXX. vel citra ſpatium annorum venit quidam de longinquo, vt aſpectus docebat, homo venerabilis, & prope iuxta Campum Regis ædificato ſibi tugurio manſit in eo, ducens honeſtam vitam ſolitariam. Hunc ſæpe moniales vocantes ad ſe propter honeſtam ſuam conuerſationem, & inter alia interrogabant eum de caſu prædicto, & ſciuit omnia ſicut prædictum eſt, & nomina eorum, qui iuuenem ſeduxerant & acta veteranorum. Vnde ſuſpicio multis erat, quod ipſe eſſet Dux Iohannes, cum & ipſe Iohannes vocaretur, & ſtaturæ legalitas virum eum nobilem eſſe demonſtraret & morum affabilitas. Sed quotiens interrogatus fuit, an ipſe idem eſſet, curialiter diſſimulauit. Tandem cum omnino decrepitus eſſet, receperunt eum intra monaſterium curam eius agentes. Cum autem tranſiturum in proximo ſe ſentiret, facta confeſſione & ſacramentis receptis, palam verbis & ſignis cum multo gemitu & lachrimis oſtendit Iohannem Ducem ſe eſſe, nec poſt hoc verbum locutus eſt, ſed obiit in Kingsfeld ſepultus. Statim autem occiſo Alberto & in Spira ſepulto conditio Ducum Auſtriæ vel Comitum de Habſpurg peiorata eſt in eisdem regionibus, & multiplicata ſunt mala in terra illa de die in diem. Nam illud primum inter quatuor, per quæ ſecundum Salomorem Prouerb. 3. monetur & turbatur terra, poſt mortem Alberti mox incepit: quia Swiceri ſerui Dominorum de Habchſpurg tunc regnare ceperunt, & paſſim nobiles extirpare, & ſibi dominium vendicare, & confederationes firmare. Huius autem contradictionis initium & ortum contra Principes ſic dicunt fuiſſe: Nam Comes de Habſpurg naturalis Dominus Suicerorum in valle Arta, & in quodam caſtro Lœwers nomine ſuo loco poſuit Caſtellanum & vallis dictæ gubernatorem, quem duo Swiceri interemerunt pro eo quod ſuſpectum eum habebant, quod eorum ſororem violaſſet. Quos cum Comes punire vellet, quia ſine euidentia Caſtellanum interfeciſſent, punientibus reſiſtere deliberabant. quibus ſic in contumacia ſtantibus alii duo Switenſes eis adiuncti ſunt contra Dominum ſuum parati ſtare, hinc illis alii decem; coniurationem fecerunt velle potius mori quam puniri primos duos. ſicque creſcente tumultu omnes iſtius vallis habitatores contra Dominum ſuum inobedientiam profeſſi ſunt, & ligam ac coniurationem fecerunt. Et conglobati caſtrum prædictum radicitus confregerunt. *Hoc videntes montani eis vicini dicti* Subſiluani, vulgariter *Vnderwaldenſes*, ſub dominio Dominorum de Landaberg, cum Swiceris practicabant. In nocte ergo ſacræ natiuitatis Domini, dum Dominus de Landaberg matutinis intereſſet, ſerui ſui caſtrum intrauerunt, eumque ſpoliantes deuaſtauerunt, & Dominum turpiter a ſe fugauerunt, ſeque cum Swiceris confederauerunt. Hinc Lucernenſes oppidanos quondam ſub dominio Abbatis Marbacenſis, dum eos corrigere & regere non poſſet, Comiti de Habſpurg tanquam potentiori ſubiecit: qui Comes inuicem eidem Abbati oppidum Gewiler cum caſtro Hugſtein dedit, & Baronem quendam de Grinenberg ad caſtrum Rotenburg eisdem Lucernenſibus præfecit. Hic Baro quadam die ſuum cocum de caſtro ad oppidum miſit ad emendum carnes. Cui carnifex dixit, vt demonſtraret ſibi locum occiſi bouis, de quo ſibi placeret carnes habere. & cum cocus manum extenderet, macellator cultello ſuo coco manum amputauit. Hanc crudelitatem cum Baro prædictus nomine Domini ſui vindicare & punire vellet, oppidani circundata domo Baronis in medio oppidi locatam, & deſtructo caſtro Rotenburg Swiceris ſe coniunxerunt, terga vertentes Domino ſuo. Hiis demum vallis Vraniæ, quondam ad Abbatiam Thuricenſem ſpectans, federe iuncta audaciam eorum plurimum augmentauit, & oppidum Zug Ducum Auſtriæ, & vallis Clarona, quæ Abbatiæ ad Secouiam pertinebat, & villa Bernenſis, & oppidum Solodorenſe eis ſe iunxerunt cum vicinis populis. ſicque indies creuerunt, quibus multi ſponte iurauerunt, multi coacti idem fecerunt. Inſuper Concilium Conſtantienſe quaſi Ducem Auſtriæ ſuſpectum habuit, quod contra decreta Concilii ageret, licentiam dedit Swiceris inuadendi

& in

Digitized by Google

& in ſuam confederationem redigendi totam Ergouiam cum oppidis, caſtris, & villis. quod & fecerunt. & ita Comitatus Habſpurgenſis, origo Ducum Auſtriæ, in rem iudicatam tranſiuit, & alienatus fuit a ſuis Dominis & fundatoribus. Poſt hoc Baſilienſes, Thuricenſes ſe eis ad tempus confederauerunt, & quædam aliæ ciuitates. alia etiam vicina ceperunt eiicientes nobiles inde. Tempore etiam Pii Papæ anno Domini M. CCCC. LXIV. multa cœperunt de terris Ducum Auſtriæ iuſſu ipſius Papæ, qui domui Auſtriæ plurimum aduerſabatur. In hiis omnibus aſtiterunt Switenſibus proteruiſſimi ruſtici, Abbacellenſes dicti, qui ſe a iuriſdictione Abbatis S. Galli ſubtraxerunt, & Swiceri facti ſunt. Non autem ſine ſanguinis effuſione copioſa aucti ſunt Swiceri illi, ſed vnus Princeps Dux Auſtriæ, & multi Barones, Comites, milites & proceres ac nobiles interempti fuerunt, & de communi vulgo infiniti orphani derelicti, patribus & amicis ac neceſſariis priuati & orbati. Et hoc ſcribens vix contineo planctum manifeſtum; lachrimas prohibere minime poſſum, recolens meipſum proprio & dulciſſimo patre in hiis malis orbatum, & multis conſanguineis, quos mucro furioſus, crudelis, ſæuus, cruentus, mihi abſtulit, & ex continenti hereditate paterna ſpoliauit, & inſuper natali ſolo ab eo tempore vsque in hanc horam (ſunt anni nunc XLIV.) me priuauit, exulemque conſtituit. Ideo de hoc funeſtiſſimo bello mihi tam præiudiciali & moleſtiſſimo aliqua ſubiungam cum omni diſcretione, nec inhumanitates & crudelitates, quæ in eo contigerunt, referam parcens parti aduerſæ, in qua hodie non paucos habeo conſanguineos. Nimis longum eſſet dicere, quomodo ciues nobilis & imperialis oppidi Thuricenſis primo Swiceris confederati, & demum legitimo iure, ſoluto federe, imperialibus, vt decuit, mandatis parere decreuerunt. Hoc autem Swiceris videbatur intollerabile, vt oppidum fortiſſimum Thuricenſe, per quod eſt introitus & exitus in terras hoſtium eorum, & per quod nobiles inimici eorum eis obſtaculum præſtare poſſent, ne ad placitum in terras extra montana ſe diffundere valerent. Idcirco inceperunt grauiſſimis iniuriis ciuitatem Thuricenſem vexare, & vndique moleſtare non paucis annis. Cum autem Swiceri viderent ciues Thuricenſes tribulationibus eorum non frangi, congregati omnes armata manu contra ciuitatem Thuricenſem properauerunt, & eam per duos menſes & XIII. dies obſederunt anno Domini MCCCC. XLIII. In die autem ſanctæ Mariæ Magdalenæ decreuerunt ſimul committere bellum iuxta capellum ſancti Iacobi, vbi leproſorium eſt in campo vltra Limam fluuium. Swiceri autem iniuſtiſſima fraude vſi vltra quadringentos de ſuis ſignauerunt ſigno nobilium & Thuricenſium, rubeis videlicet crucibus abſcondentes albas cruces proprias. Dum ergo nobiles & Thuricenſes audacter de ciuitate erumperent contra inimicorum cuneos, adiunxerunt ſe eis Swiceri illi fallacibus ſignis ornati. & dum congrediendum eſſet ſimulabant mendaciter ſignati fugam, aliosque fugere ſecum cogebant. Quos Swiceri ſecuti cædebant eos, & in caſtella ſancti Iacobi plures occiderunt. & ſic decepti cæſi & proſtrati ſunt multi Nobiles, & maximi ciues Thuricenſes, inter quos & pater meus diu cum aliis ſtans iuxta fluuium ſeque defendens occubuit ſanguine mercatus æterna præmia. de quo minus dubito, quam ſi in lecto mortuus fuiſſet, quia dicit Leo Papa, & habetur 23. q. 8. *ſi quis pro veritate fidei & defenſione patriæ mortuus fuerit, a Deo cœleſte præmium conſequetur.* Hoc etiam probat lex ciuilis. ff. de iniur. & Tullius inquit, *nullum eſſe periculum quod ſapiens pro ſalute patriæ arbitretur vitandum.* Et Ariſtoteles 3. Ethicor. *Principaliter*, inquit, *dicetur fortis, qui contra bonam mortem erit impauidus pro defenſione patriæ.* Hac virtute fortitudinis genitor meus ornatus ſtetit imperterritus, nec fugam cum aliis formidoloſis iniit, ſed cum fortibus manens vsque ad mortem certauit contra hoſtes, eligens potius gloriose mori quam ignominioſe fugere, exemplo Eliazari 1. Machab. 6. & Codri Regis Athenienſium, & Mutii Romani, & ſuorum CCC. ſociorum. De huiusmodi patriæ dilectione & virorum plurium illuſtriſſimorum pro patria corporum & rerum exhibitione vide Valerium Maximum lib. 5. cap. 4. & ſanctum Thomam de Regimine Principum ad Regem Cypri lib. 3. cap. 4. Quam iuſtum autem & legitimum bellum Thuricenſes habuerint cum Swizeris, prolixo ſermone exprimere poſſem. & quam iniuſte Swizeri eos afflixerint. & vltimo mendacibus ſignis hoſtium deceperint & proſtraverint, non breuiter narrare poſſem. Quamuis autem hoſtis hoſtem decipere poſſit in bellicis negotiis conſilia occultando, bellica ingenia non manifeſtando, induſtria circumueniendo, tamen falſum dicendo, fidem non ſeruando, iura belli infringendo, nunquam hoſtem decipere & fallere licitum eſt, & faciens mortaliter peccat. Sic autem Swiceri Thuricenſes fallaciter deceperunt falſum dicendo & faciendo, & iuribus belli contraueniendo in eo præcipue, quod ſigna hoſtium cruces rubeas ſibi aſſumpſerunt, quod nunquam aliquo iure fieri poteſt, quia directe contra rationem, naturam, & probitatem. & in eo facto crimen falſi commiſerunt, & eſt pœna ignis, tene conſuetudinem: alias tamen ſecundum leges deportatio & publicatio bonorum: ſecundum alios pœna eſt vltimum ſupplicium, vt ff. de pœn. l. 3. §. vlt. item lex Cornelia. Sub eisdem autem ſignis occidentes latrocinium commiſerunt, vt Iudas cum oſculo perpetrauit. In Germania eſt pœna membrorum omnium per rotam confractio, & eorum in rotam inflectio, & rotæ in modum crucis exaltatio. & hanc Germaniæ conſuetudinem approbat Azo in ſumma de pœnis. item furca, & habet vim legis de conſuetudine, c. cum dilectus, & c. fi.

Digitized by Google

C. quæ ſit long. tem. Sub tali etiam ſigno ignem ponentes ſunt incendiarii, & iuxta conſuetudinem & iura prædicta eſt pœna ignis. Sunt etiam inimicorum ſigna recipientes raptores, quorum eſt pœna capitis ſecundum leges & iura. Talibus autem & ſimilibus inhumanis attrocitatibus ſepe dicti Swiceri multa acquiſierunt, & multis prudentibus viſum eſt, quod ſint flagellum Principum & Nobilium. Sed & ipſi Swiceri met mirantur de ſuo profectu & fortuna, & plagam mundi ſe eſſe fatentur. Vnde quidam de prudentibus eorum mecum Thuregi confabulationem habens dixit mihi, quod iam actu eſſent ambaſiatores Regis Franciæ & Regis Hungariæ apud eos, & diuerſorum Principum nuntii & communitatum, qui omnes eorum confederati fieri peterent, & eorum auxilia requirerent. & intulit; certiſſima plaga mundi eſt, & confuſio ordinis, quod Reges, Principes & Chriſtianæ religionis prælati potentiores, nobiliores & ditiores quærunt auxilia ruſticellorum ignobilium, rudium, pauperum, indoctorum, O, dixit, quantum hoc eſſet mentibus hominum inculcandum, quantis clamoribus prædicandum in terrorem omnium ratione vtentium, nemo confideret nec in fortitudine, nec in potentia, nec in nobilitate! &c. Et multa talia catholica & vera loquebatur ille Switenſis. nam prudentes eorum bene incongruitatem illam intelligunt, & tamen rem, ſicut eam inuenerant, conſeruant.

CAPUT XIV.

Heinricus Septimus.

IGitur poſt mortem Alberti Romanorum Regis electus fuit Aquisgrani Heinricus huius nominis VII. Comes Luzelburgenſis anno Domini M. CCC. VIII. & fuit a Clemente V. coronatus in Imperatorem. Nam a tempore Friderici II. qui mortuus fuit anno M. CC. L. vsque ad hanc diem ſedes imperialis dignitatis vacauerat, ſcilicet LXII. annis. Fuit autem hic Heinricus in militaribus actibus ſtrennuiſſimus, & conſiliis ac auxiliis Ducum Auſtriæ mira per Italiam geſſit, eamque de nouo imperio ſubegit. Deinde ac maritimas regiones proficiſci voluit, ſed dum in quodam flumine refrigeraretur, inuaſit eum peſtis qua & mortuus eſt. Subintrantes autem quidam peſtilentes homines diuulgauerunt quendam religioſum fratrem ordinis Prædicatorum, quod ſub ſpecie panis ſacramentalis miniſtraſſet ſibi venenum, quia ante paucos dies in conuentu Prædicatorum communicauerat in die beatæ Virginis, ſicut omnibus feſtiuis diebus facere conſueuerat. Ideo huic operi bono inuidentes nepharii homines hoc mendacium ſuadente Diabolo excogitauerunt, occaſionem forte accipientes ex morte Victoris Papæ huius nominis III. qui occulte iniecto ſibi veneno in calice, dum celebraret, mortuus fuit. Ex hac autem diffamia venerunt fratres Prædicatores in maximam tribulationem per totam Alemaniam, quia Imperator ille omnibus hominibus gratiſſimus fuit, & tantam in eum confidentiam habebant, quod nec ante nec poſt ſe aliquis creditur mortuus fuiſſe, quem tantum cuncti plangerent; & ideo in fratrem ſuſpectum & in totum ordinem omnes ſeuiebant. Quapropter frater ille ad filium & ad vxorem defuncti acceſſit, & ad eos qui ſemper ei vsque ad mortem aſtiterant, & ſigillata teſtimonia accepit ab eis & ab aliis Principibus, & bullam a Papa ſuæ innocentiæ teſtimonium. de quibus literæ & bullæ patentes adhuc hodie habentur in Eslinga & Argentina ad Prædicatores. Porro ad hanc diffamiam mendacem aliud æmuli noſtri excogitauere mendacium, dicentes quod Papa pro hoc facto totum Ordinem Prædicatorum puniuerit hac pœna, vt ſacerdotes fratres eiusdem Ordinis de cetero ſumant venerabile altaris ſacramentum ſiniſtra manu. Verum quidem dicunt, quod ſumimus venerabile altaris ſacramentum ſiniſtra manu, ſed mendaciſſime addunt, quod ſit Ordini in pœnam impoſitum. & ex eo clare patet, quia Ordinarius noſter, & Rubrica ordinis iubent nos communicare *in Miſſa ſiniſtra manu. fuit autem* Ordinarius & Rubrica ordinis Prædicatorum conſtituta multo tempore ante natiuitatem illius Heinrici Imperatoris, ſicut patet vbique in conuentibus, in quibus notulæ pene omnes ſunt ſcriptæ, antequam Heinricus ille natus fuit, quia ab initio Ordinis conſuetum fuit ſumere ſacramentum ſiniſtra manu, quod ordo accepit a Ciſterciencibus, qui etiam ſic ſumunt, nec ſic puniti leguntur eſſe. Cauſas autem, quare ſumimus ſiniſtra manu venerabile ſacramentum, aſſignat venerabilis magiſter Leonardus de Vtino in ſerm. de beato Dominico, & in quadrageſimali de legibus, in ſer. de ſecunda feria poſt Palmarum in tertio membro ſecundæ diuiſionis. Nec dubium, ſi non haberent rationabiles & diuinas cauſas Ciſtercienſes & quidam alii religioſi, qui longe ante Prædicatores fuerunt, non aſſumpſiſſent pro ceremoniali ſuorum ordinum.

Mortuo Heinrico Electores Aquisgrani congregati ad eligendum diuiſique in electione fuerunt. Vna pars elegit Ludwicum Ducem Bauariæ: alia pars elegit Fridericum Ducem Auſtriæ, filium Alberti quondam Regis Romanorum anno Domini M. CCC. XIV. Erant autem ambo electi conſanguinei, ex fratre & ſorore nati. horum vterque conſcripſit ſe Regem Romanorum, & prœliis ac incendiis terram perturbabant multis annis. Tandem autem Dux Auſtriæ Fridericus captus fuit a Ludwico in bello, & ſui interfecti, & cuſtodiæ mancipatus duobus annis & ſex menſibus. in qua captiuitate Diabolus aliquotiens viſibiliter Friderico apparuit, promittens ei quod eum educere velit, ſi conſenſum ad hoc dederit. ſed Princeps fidelis ſeruitium Diaboli renuit, mallens potius in captiuitate eſſe ſeruus Dei, quam in libertate Diaboli ſeruus. Vnde contra Diaboli

Digitized by Google

boli temptamenta multas cruces lapidibus insculpsit, quæ hodie videntur. Aliqui dicunt, quod vxor Regis Friderici fuerit nicromantica, & miserit sibi Dæmones vt eum liberarent, sed noluit, castrum hoc dicitur *Trutwenicht*. Emissus autem de carcere descendit in Austriam. Ludwicus autem Romanam curiam ingressus, verum Papam Iohannem XXII. spreuit ipsum deponens, & Antipapam creauit Petrum de Coruaria ordinis Minorum, a quo coronam & benedictionem vel potius maledictionem accepit. Cum Fridericus audiuisset Ludwicum grauissime excommunicatum, pro Rege gessit se, & titulum reassumpsit, quem tamen in carcere resignauerat, & fuit periculosa diuisio facta in toto imperio. vnde aliqui Episcopi tenuerunt interdictum, aliqui non. Interea Episcopus Constantiensis nihilominus per quosdam fuit captiuus ductus in castrum dictum Hewen, & diu ibi detentus, & eo in captiuitate existente venerunt innumerabiles locustæ, & omne viride corroserunt sicut in plaga Ægyptii, & præcipue iuxta oppidum Wintertur, vbi cum crucibus & reliquis processiones fecerunt contra hanc pestem. Anno Domini M. CCC. XXXVIII. mandauit Ludowicus, qui se pro Imperatore gessit, omnibus clericis & religiosis vt diuina officia, quæ Papa interdixerat, reassumerent, nec processus Apostolicos acciperent. Vnde aliquæ Ecclesiæ reassumpserunt contra Ecclesiam, ex quibus vna fuit Constantiensis, quæ cessauerat multis annis, scilicet XII. sed compulsi per ciues prophanauerunt. aliqui autem recesserunt, vt seruarent interdictum, quibus fauit nihilominus Episcopus Constantiensis, sine cuius consensu reassumpta fuerunt officia. Aliquæ Ecclesiæ nunquam seruauerunt interdictum. aliquæ seruauerunt, & fuit grande scandalum in tota Alemania. Multi Episcopi adhærebant Ludowico, & aliqui non. Principes vero quasi omnes contra Papam Ludowico fauebant & ciuitatenses. Vnde Fratres nostri Vlmæ eo tempore, quia prophanare nolebant, eiecti fuerunt de ciuitate. In illis diebus cum omnes Alemaniæ Principes essent cum Ludowico, dempta domo Austriæ, fecit & ipsa pacem cum eo. Nam & Dux Albertus filius Alberti Regis, & frater Friderici Regis, Dux Austriæ, Stiriæ & Carinthiæ, Dominus Carniolæ Marchiæ ac portus Naonis, Comes in Habspurg & Kyburg, Landgrauius superioris Alsatiæ, Comes Phyretarum, Margrauius in Rysenspurg & in Burgow, & Comes in Sigmaringen, & in ceteris pluribus Comitatibus. Hic Albertus quamuis esset claudus & debilis pedibus, sicut Miphiboseth, valde tamen rationabilis erat & vir magni consilii. In curru ergo ascendit in Patauiam ad Ludowicum, & fecit fedus cum eo aduersus omnes eius aduersarios, dempto Papa & Ecclesia, quam tunc Ludowicus terribiliter tribulabat. Anno Domini M. CCC. XXXIX. Constantienses, Thuricenses, Vlmenses, & quasi omnes alii ciues imperii coegerunt Clerum prophanare, & qui nolebant, expulerunt. Vnde eodem tempore oppidum Rotwilense Constantiensis diocesis penitus combustum fuit, demptis sex domibus, quod a multis credebatur accidisse propter prophanationem. Eodem tempore multi Nobiles & Comites contra Swiceros processerunt, pro eo quod Imperatori non obediebant, quos iuxta castrum Laupen pene omnes prostrauerunt, & ingentem stragem fecerunt. Orta est etiam magna seditio in ciuitate Constantiensi; primo inter ciues qui cum tumultu concurrentes alios Consiliarios & ciuitatis rectores & officiales posuerunt: sed & mechanici in seditionem versi priorem statum mutauerunt. deinde Canonicos & omnes prophanare nolentes expulerunt, sicque XVII. mensibus extra manserunt. Religiosi vero aliqui cum eis manentes violauerunt interdictum.

Eadem tempestate anno Domini M. CCC. XLIII. fuit tanta aquarum inundatio, vt Constantiæ aquæ iuxta portam piscium circa Prædicatores murum ciuitatis ascenderent; & Rhenus adeo inundauit, quod omnes pontes pene abducti fuerunt, & secuta est grandis caristia. & præter istas miserias ortæ sunt lites inter Ducem Austriæ & Comitem Eberhardum de Wirtemberg, & Comitem de Schelklingen propter oppidum Echingen, quod Dux Austriæ a Comite de Schelklingen comparauerat certis conditionibus; & deuastationes & incendia fiebant, & Mœngen oppidum fuit deuastatum per Comites prædictos.

Anno Domini M. CCC. XLVI. reducti fuerunt in Constantiam fratres Prædicatores per Episcopum, qui propter interdictum VI. annis exulauerant, & in Dysenhofen deguerant, (aliqui autem in conuentu prophanantes manserant) & cum conuentum intrassent, in sequestrato loco habitabant, quia prophanare nolebant. sicque vna pars fratrum tenuit interdictum, alia pars violauit, quæ tamen minor pars erat. Minores vbique prophanabant, demptis conuentibus in Schafhusen & in Brisaco. Porro in Lanzthuta & in Ratispona cum Prædicatores XXV. annis clausis ianuis celebrassent, quidam Satrapa de Deck in conuentum Lantzhutensem cucurrit cum incensis faculis, comminans, nisi cantarent, quod omnia igni traderet. & sic victi prophanabant. Cum autem mala & scismata indies succrescerent, tandem mors benedicta Ludwici Bauari pacem rebus Ecclesiasticis dedit.

Anno Domini M. CCC. XLVIII. facta est magna Iudæorum persecutio quasi vbique adeo vt gens Hebræorum crederet finem venisse, & vndique comburebantur sine differentia senes & iuuenes. Dicebatur enim de eis, quod venena in aquas sparsissent, quod & fatebantur in tormentis. Porro Dux Austriæ Comes de Habspurg & Kyburg rogatus a Iudæis, qui erant in illis Comitatibus, vt eos protegeret, reseruauit in Kyburg CCC. XXX. sed ciuitates Duci Alberto scripserunt, quod eos per

ſuos iudices cremaret, vel ipſæ eos per iuſtitiam comburere vellent, & illi etiam omnes exuſti ſunt. In illa autem Iudæorum perſecutione multi baptiſati fuerunt & in vita conſeruati. Ceſſante autem perſecutione, quidam Iudæus baptiſatus in Conſtantia cum ſua familia incluſit ſe in domo ſua, & ante noctis medium eam ſponte incendit, & per feneſtram clamauit, quod ipſe cum ſuis vt Iudæus non vt Chriſtianus mori vellet, & multa blaſphemans combuſtus eſt proprio igne, & XL. domus ſimul ab eodem igne incenſæ ſunt & combuſtæ. Similiter quidam Iudæus baptiſatus extra portam in quoddam tugurium ſe recepit, & ſe in eo combuſſit. Ex illis autem incendiis orta fuit indignatio magna contra Iudæos baptizatos tempore crematiōnis. vnde proſcripti fuerunt extra regionem. In Eslinga etiam Iudæi omnes ſuam intrantes ſynagogam eam incenderunt ſeipſos in ea concremantes. ſicque fuerunt Iudæi pene omnes deleti. Cauſa autem tantæ ſeueritatis in Iudæos erat immaniſſima peſtis, quæ per totum fere mundum graſſabatur etiam in transmarinis partibus, & vbique Iudæ inculpabantur quod fontes infeciſſent. Adeo autem ſeuit peſtis, vt vix tertia pars hominum in mundo remaneret; & multæ ciuitates, oppida, & villæ absque habitatore manſerunt peſte omnes auferente. Vnde ſub iſta clade turmatim procedebant homines aliquando octingenti ſimul nobiles & ignobiles, ſeipſos vſque ad ſanguinis effuſionem flagellantes. Inter hæc autem amara dulcis Dominus ſuos conſolatione gratiſſima viſitauit in multis terræ locis. vnde pueri plures agonizantes ridendo, iubilando, & dulciſſime cantando exſpirabant: peccatores vero ſani conuerſi frequenter communicabant, & tam dulciter moriebantur, quod viuentes mortem optabant. Fuit hiisdem temporibus pulchra puella XII. annorum, quæ peſte infecta dum extremis propinquaret, pulchrior & iocundior efficiebatur, & mirans ac iubilans iugiter cœlum inſpexit. Quam pater interrogans, quid ſic in cœlum ſuſpiceret? reſpondit; non videtis cœlum apertum, & innumerabilia lumina de terra continue in eum aſcendunt? Interrogata autem, quid eſſent lumina, dixit ea eſſe animas electorum. Cunctis autem, qui aſtabant, ſilentibus reſpiciens eos puella ait; Vt verum me cognoſcatis dixiſſe, ſic accipite: En hac nocte morior, & tu mater tertia die poſt me morieris; & deinde extendit digitum, & ſeptem perſonas aſtantes demonſtrans cuilibet diem mortis ſuæ prædixit, & aliquas perſonas non præſentes morituras dixit illis & illis diebus; & omnia quæ dixit, euenerunt eodem modo, quo dixit.

Anno Domini M. CCC. L. facta eſt grandis ſeditio in ciuitate Thuricenſi. Fuerunt enim Swiceris confœderati. & quibus confederatio non placuit, expulſi fuerant & ab officiis remoti. vnde occulte & ſubtili ingenio armata manu in ciuitatem reuenerant cum non paruo exercitu. Inter quos etiam erat Dux Iohannes Comes de Habſpurg & multi nobiles, qui ſupra currus in vaſis & ſaccis, ſportis & ciſtis introducti fuerant tanquam merces & ſupellectilia, vt nocte cum tumultu ciuitatem caperent cum ſibi in ciuitate adhærentibus, quorum erat magna multitudo, quia confederatio Swicerorum ſemper nobili ciuitati Thuricenſi moleſta fuit. Verum antequam tumultum concitarent, delectum fuit conſilium eorum magiſtratui ciuitatis, & circundata domo plures de illis occiderunt. Ducem autem Iohannem de Habſpurg captiuauerunt, & confederatorum auxilium inuocauerunt, & oppidum Raperswil, quod Comitum de Habſpurg fuerat, deſtruxerunt, & alia quæ ad domum Auſtriæ pertinebant, turbabant. Hæc audiens Albertus Dux Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, &c. qui in XIIII. annis ex Auſtria non fuerat egreſſus, parauit ſe ad ſuccurrendum locis & dominiis, quæ in Sueuia habebat. Moleſtum autem ei erat exire Auſtriam, quia pedibus & manibus inualidus erat, & moueri non poterat, niſi geſtatoria ſella portatus. Hoc tamen non obſtante, collecto exercitu de Auſtria cum eo in equorum feretro aſcendit, & in Echingen oppidum ſuum venit. ibi compulit Eberhardum de Smallegg reſtituere XXV. centenaria florenorum, quos abſtulerat quibusdam. Deinde Nigram Siluam & Rhenum transgrediens in Bruggam oppidum ſuper Ararim venit in Ergowiam, ad quem venit Dominus Albertus Comes de Hochenberg a ſede Apoſtolica electus, & prouiſus eccleſiæ Friſingenſis nondum conſecratus. ſed ad petitionem Domini Ducis Auſtriæ ſuam conſecrationem recepit in monaſterio Campi Regis prope Bruggam, in quo erat ſoror Ducis Domina Agnes Regina Hungariæ vidua; & fuit ordinatus a tribus Epiſcopis, quorum vnus fuit Ordinis Minorum, alii duo Ordinis Prædicatorum, & omnes tres habebant titulos transmarinos. Deinde Dominus Dux cauſæ, propter quam aſcenderat, intendens diffidauit ſolemniter Thuricenſes, eo quod cum inimicis ſuis Swiceris, Lucernenſibus, Vallenſibus confederationem fecerant, & quod caſtrum in Raperswil ruperant, quod erat Comitum de Habſpurg, & quod Comitem amicum ſuum de Habſpurg Iohannem ceperant. Anno ergo Domini M. CCC. LI. aſcendit Albertus Dux Auſtriæ cum grandi exercitu de Brugga contra ciuitatem Thuricenſem, ſecum habens Epiſcopum Conſtantienſem Vlricum, & Epiſcopos Friſingenſem, Argentinenſem, Baſilienſem, Comitem Vlricum de Wirtenberg, Comites de Montfort, Comites de Kyburg, de Arburg, de Froburg, & Friburgo, & ciuitates Argentinenſem, Baſilienſem, Friburgenſem in Brisgaudia, Bernenſem & Friburgenſem in Euchtlandia, & Solodorenſem, & Nobiles alios de Sueuia, de Auſtria, de Alſatia vltra duo millia galeatorum, & 30. milia peditum. Thuricenſes ergo vallati & obſeſſi pacem poſtulauerunt, & cunctas promiſſiones fecerunt,

Digitized by Google

cerunt, Duci pro ſe & ſibi confederatis Vallenſibus & Lucernenſibus exhibentes XVI. fideiuſſores obſides de ſuis melioribus ciuibus. & hoc facto ſoluit Dux obſidionem & receſſit a ciuitate.

Decurſis autem diebus ſtatutis miſit Dux ad Thuricenſes ad reddendum ſibi promiſſa, vt & ipſe remitteret obſides. Thuricenſes autem ſeruare promiſſa non poterant, quia Lucernenſes penitus contradicebant, nec placuit eis concordia cum Duce. Hoc vt Dux percepit, obſides coniecit in vincula, & incepta fuit grauis guerra, homicidia, incendia, deuaſtationes. In illo diſturbio ruſtici de valle Clarona, vulgariter *Clariſs*, qui Ducis fuerant ſerui, alienauerunt ſe a Duce confederantes Thuricenſibus contra Ducem. & ſic lis continue augmentabatur. Interea vxor Domini Ducis Auſtriæ Alberti Domina Iohanna Comitiſſa Phyrtarum obiit, & ideo Dux illum Comitatum recepit, & ad exequias peragendas in Auſtriam deſcendit, & rem inchoatam cum Thuricenſibus infectam reliquit.

Eo autem in Auſtria exiſtente Thuricenſes cum ſuis fautoribus deſcenderunt in locum Thermarum, & hoſpitia omnia ac domus iuxta balnea igne conflagrarunt, & conchas ac receptacula calidarum aquarum lapidea, in quibus homines balneabantur, deſtruxerunt, & oppidum ac caſtrum capere nitebantur. Sed homines Ducis Alberti vndique confluxerunt de Ergowia, de Rheno, & de Comitatu Kyburg, & Thuricenſes cum Swiceris repulerunt interfectis trecentis. Sicque vſque ad muros ciuitatis Thuricenſis fugati ſunt in die ſancti Stephani martyris anno Domini M. CCC. LII. Statim poſt rurſum congregati Lucernenſes & Vallenſes (id eſt, *Vnderwalden*) & Swiceri contra oppidum Surſee proceſſerunt habentes in exercitu quatuor milia peditum, & ſuburbium incenderunt, villas interiacentes vaſtauerunt, & aliis locis circumiacentibus Ducis Auſtriæ minas graues fecerunt, ſe ea in breui incenſuros, niſi ad ſe confederatos conuertant & Dominum ſuum abnegent. Inſuper cum exercitu oppidum Zug Ducis Auſtriæ obſederunt, & anguſtiati oppidum Swiceris tradiderunt. villas vero & caſtra, quæ ſe tradere eis diſtulerunt, incenderunt, & magna ruina facta eſt domus Auſtriæ in illis terris. Quod audiens Albertus Dux Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, &c. collecto ex Auſtria grandi exercitu aſcendit in Sueuiam, ducens ſecum filium ſuum Fridericum puerum; & aduocatis in adiutorium Marchione Brandenburgenſi, Epiſcopo Bambergenſi, & Curienſi, Conſtantienſi, Comite de Wirtenberg Eberhardo, & Comitibus de Kyburg, Oetingen, Montfort, Helfenſtein, & ciuitatenſibus, de Argowia Thuregum aſcendit, & ciuitatem obſedit, exciſis vitibus aliquibus. Interuenerunt autem quidam de pace tractantes, ſed myſterium pacis pauci intellexerunt. prudentes tamen dixerunt, quod non eſſet honorificum Duci rem ſic dimittere. Seductus ergo Dux obſidionem ſoluit, & in Auſtriam deſcendit.

Anno Domini M. CCC. LIII. Carolus IV. huius nominis Imperator Romanorum, Rex Bohemiæ, audiens Sueuiam ſuperiorem inquietari bellis, venit cum multis Principibus Conſtantiam, & inde in Thuregum proceſſit. Thuricenſes autem eum cum faculis & frondibus & mirifico honore ſuſceperunt III. Non. Octobr. Venerunt etiam ad eum Vallenſes, qui alias Subſiluani dicuntur, oſtendentes ei priuilegia antiqua, contra quæ, vt dicebant, Albertus Auſtriæ Dux eos cogere conabatur, & ſpes magna erat, quod Imperator concordiam inter Thuricenſes & Ducem faceret. Sed poſt moram Thuregi contractam in Spiram abiit, nihilque eſt factum de pace. Deinde anno Domini M. CCC. LIII. turbatis negotiis in ſuperiori Sueuia, aſcendit Carolus Imperator ſecundo Thuregum, volens Thuricenſes & ſibi cohærentes cum Duce Auſtriæ Alberto concordare, ſed nihil poterat efficere. Deſcendit ergo in Alſatiam ad Montem Cæſaris, vulgariter *Keyſersberg*, & omnes ciuitates imperiales conuocauit, & pacem vbique eſſe voluit, ſuumque fratrem Iohannem Ducem Lutzelburgenſem conſtituit, & ita Ducatus ille inſtitutionem habuit. Hiis ſic compoſitis in Ratisponam venit Imperator, ad quem de Auſtria aſcendit Albertus Dux Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, &c. & eius auxilium implorauit contra Thuricenſes, Vallenſes, & Lucernenſes. Dux vero ille ſecum habuit VII. millia equitum, quos ſecum de Auſtria contra Thuricenſes adduxit. Concluſum eſt ergo per Principes, quod omnes ſimul debellare Thuricenſes cum Swiceris ſuis vellent. Eſt enim Thuregum oppidum munitiſſimum & vetuſtiſſimum bipartitum per intermedium flumen, & non niſi maximis expugnari poteſt: ſuntque in eo ab antiquo homines audaces & bellicoſi. Igitur anno M. CCC. LIV. in menſe Auguſto Dux Auſtriæ Albertus trahens ſecum ingentem exercitum de Auſtria & Sueuia venit in Raperswil oppidum, quod Thuricenſes paulo ante combuſſerant & deſolauerant, idque oppidum reparauit, & ibi ſuum exercitum collocauit. Eſt autem oppidum hoc ſupra Thuregum in littore laci Thuricenſis ſituatum, multis & crebris tribulationibus quaſſatum in bellis Swicerorum. Sed & Carolus Imperator in adiutorium Ducis Auſtriæ venit, mandans ciuitatibus imperii vt eum ſequerentur ab Herbipoli incluſiue vsque ad Auguſtam Rhætiæ, & vltimo Auguſti cum Duce eſſent cum ſuis agminibus in Raperswila; & cum vtroque erat magna nobilium, Comitum, Baronum, & militum multitudo cum ſuis exercitibus, & ciuitatenſes a Francofordia vsque Auguſtam. Menſe autem Septembri deſcenderunt Imperator & Dux cum vniuerſis bellatoribus contra Thuregum, & Kusſnach villam deſolauerunt. Inuenta autem ſunt in exercitu Ducis Auſtriæ XXIV. centenaria galeatorum. inter quos potentior

Digitized by Google

tentior erat * Iohannes Episcopus Constantiensis, qui ante Episcopatum cancellarius fuerat Ducis Alberti, & strennuissimus erat. Verumtamen in ista expeditione offensus fuit, & ita ex indignatione cum suo agmine ad propria remeauit. Causa autem suæ offensionis hæc fuit, quia Dux Austriæ alteri Domino vexillum Sueuorum, quod nominant sancti Georgii, commiserat, sub quo Sueui pugnare solent, & primam aciem belli tenere ab antiquissima consuetudine; & hoc non solum in partibus Sueuiæ, sed in vniuersa Christianitate, siue bellum sit contra fideles siue contra infideles, præcedunt Sueui cunctos bellatores, & primam tenent aciem cum sancti Georgii vexillo, & primi sunt in aggrediendo, vltimi in recedendo. Procedens ergo Dux cum agminibus contra Thuregum, omnia deuastauerunt, & torcularia incenderunt, domus & villas & vites ac arbores succiderunt ab oppido Raperswila vsque vltra Thuregum ad viam, qua descenditur in Baden. Dum autem sic terra deuastaretur, ecce Thuricenses eruperunt armati de ciuitate, & impetum in exercitum Ducis fecerunt. sed multitudo statim repressit conatum eorum & refugerunt in suam ciuitatem. Imperator autem & Dux optabant cum eis congressionem facere, sed exire amplius nolebant. Erat autem oppidum plenum Swiceris. ideo nobiles valde libenter eum cepissent, vt Swiceros vexassent & torsissent. Imperator autem videns, quod non sic posset capi ciuitas, citauit Thuricenses super rebellione sua, & remissis exercitibus soluit obsidionem, & cum Duce in Baden descendit ad consiliandum de causis. Miserunt tamen iuxta ciuitatem Thuricensem in præsidiis custodes, qui prohiberent omnem intrare vel exire volentem, & ne victualia inferrentur. Imperator autem in Sueuiam transiuit, & Dux in Baden mansit, molestans Thuricenses. Dispositis vero stipendiariis & prædariis, qui Thuricenses molestarent, ipse Dux cum filio suo Rudolfo montana intrauit in Pontinam, vulgariter *Insprugg*, ad Ducem Bauariæ, qui Comitatum Tyrolis possidebat ex vxore, quæ erat Duci Alberto in secundo gradu, qui ei Comitatum illum regendum commisit, obligando sibi eum pro nongentis milibus marcarum argenti; & inde Dux in Austriam descendit, & Capitaneum præfectum in superiori Sueuia dereliquit. Hic capitaneus vir prudens & pacificus concordiam fecit inter Ducem Albertum & Thuricenses, & scriptis ac sigillis firmata est concordia anno Domini M. CCC. LV. in Kalendis Sept. Duraverat autem discordia inter Vallenses & Ducem XL. annis, sed inter Thuricenses & Ducem quatuor annis tantum.

In illo tempore fuit Iohannes Episcopus Constantiensis vir notabilis, ad quem oppidum Marckdorf deuenit per mortem nobilium de Marckdorf. Conradus autem miles de Honburg dixit sibi de iure credere ratione vxoris suæ, quæ erat de sanguine Marckdorffensium; sed Imperator dedit Episcopo ius, monetam, iudicium, forum, & thelonea castri & oppidi Marchdorf. Hic Episcopus dum primum officium in Ecclesia Constantiensi cantare vellet & magnam solemnitatem vbi pronunciasset, prohibuit, ne quis clericus suæ solemnitati interesset, nisi tonsura & habitu clericali. quia notauerat clericos sine rasura & in habitu seculari procedere. vnde aliqui magni Canonici Constantienses non interfuerunt Missæ, nec tonsuram volebant accipere, cum quibus postea Romæ multas lites habuit, & interdictum posuit propter eos in Constantia. Miles etiam prædictus Conradus de Honberg ratione castri Marchdorf impugnabat & vexabat Episcopum. vnde inuasit castrum Gotlieben, & suburbium incendit & aliquos Nobiles Episcopi familiares interfecit. In ipsa autem ciuitate Constantia eodem tempore in medio noctis ignis erupit, & partem ciuitatis, quæ dicitur Niderburg, consumpsit ante Solis ortum. & credunt multi, quod in pœnam sit eis hoc illatum, pro eo quod non mouissent, quando viderunt Gotlieben ardere. Sed & Aduocatus Ducis Austriæ persequebatur Episcopum illum valde, pro eo quod recesserat de exercitu ante Thuregum, vt dictum est. ideo in castro Gotlieba manere non audebat, timens captiuari, sicut captus fuerat de Hornstein sororius eius, & Mons Sanctus partim captus, partim obsessus a prædicto Aduocato. Multas alias inimicitias habuit ille, quia diues & pecuniosus fuit. vnde anno tertio officii & ordinationis suæ interfectus fuit sedens in ** cæna per duos Nobiles de Stofflen, & quosdam ciues Constantienses, nec fuit ex hoc sacrilego homicidio orta aliqua turbatio in ciuitate. in excommunicatione autem obiit propter plebanum S. Stephani, quem absque causa captiuauerat. Dereliquit autem absque vasis aureis & argenteis, quæ se ad CC. marcas argenti extendebant, XC. marcas auri. Anno Dom. M. CCC. LVI. in die S. Lucæ Euangelistæ post prandium factus est terræmotus per totam Alemaniam, & non vno tantum motu, sed pluribus vicibus terra mota est per tres menses, ita vt pauciſſimi homines in oppidis manerent. Nam die præfata ante vesperas fuerunt tres motus, quartus vero maior precedentibus in pulsu vesperarum. In nocte vero sequenti a primo somno vsque ad medium noctis mota est terra sex vicibus. sed primus fuit valde magnus, ad quem multa corruerunt ædificia. sequenti die

* Iohannes Windegg *Scaphusianus*, *qui Bruschio* Windlock, *sed perperam.* ** *In Chronico Constantiensi, & alio quodam Anonymi*, per Waltherum de Stœfflen equitem, & Eglinum de Emps, & ingenuos quosdam ciues Constantienses, vtputa Stryblinum, Goldastum, Zuickium, Schvvarzium, Roggvværum, Wienerum, &c.

Digitized by Google

die duo fuerunt motus, & consequenter alii. Per illas autem motiones ciuitas illa solemnis Basilea subuersa est, & primo per primum terræmotum pars ciuitatis & ecclesia cathedralis cecidit super scolas, & aliqua ruebat deorsum in Rhenum. vnde dicunt campanile cum campanis lapsum fuisse in Rhenum, qui sub illo loco profundissimus est. vnde multi homines sunt obruti: alii in campos transfugerunt. Post vesperas dicto die ignis erupit de monasterio sancti Albani, quod in die corruerat, & terrorem magnum videntibus incussit. Dicunt autem quod ignis ille per totam vrbem quasi insaniens discurrebat, & per sancti Iohannis portam exibat. & sic disparuit incensa ciuitate in pluribus locis. Porro illi qui extra ciuitatem fugerant compassi aliis in ruinis existentibus intrauerunt laborantes in exportandis rebus & in querendis hominibus & amicis sub ruinis. Et dum omnes non oppressi laborarent vsque ad tenebras, venit iterum prægrandis terræmotus & plures homines oppressi sunt, quam a primo, & domus ac turres remanentes deiecit, & omnes ecclesiæ ceciderunt, & testudines lapsæ fuerunt, dempta ecclesia sancti Iohannis, & ecclesia Prædicatorum, quæ tamen scissuras plures accepit: & chori nostri testitudo mansit stare super compagines arcuum, sed reliquum corruit. Dicunt autem fratres, quod tantus motus fuerit, vt campana nostra trina vice vna nocte per motum terræ mota sonum dederit. vnde in ista miseria corruerunt solum in dioceſi Basilienſi XLVI. castra in montanis per gyrum ciuitatis, quarum maior pars adhuc in ruinis est. Et ita terræmotu & igne mirabiliter fuit Basilea afflicta. In illo autem tempore Dux Austriæ Albertus, cuius adhuc erat Basilea minor, stetit in magna differentia cum ciuibus Basilienſibus ratione municipalium vtriusque ciuitatis. & etiam verbum fuit, quod confederassent se Swiceris inimicis suis, & ideo minabatur obsidionem. Cum autem ciuitas, vt dictum est, corruisset, descenderunt ad Albertum nobiles præfecti patriæ in Austriam quasi bonum nuntium allaturi, dicentes ei; Ecce Domine Princeps, tradidit Deus ciuitatem Basilienſem in manus vestras. si vultis eam capere, non erit resistentia, quia turres, muri, & mœnia corruerunt, & perterriti homines dissolutis manibus non resistent. Ad quos ille; Si Deus pugnauit cum Basilienſibus, & contriuit terræmotu & igne, nequaquam nos pugnabimus cum eis. absit a nobis tanta crudelitas, vt deiectos, vulneratos ac humiliatos occidamus. Ædificent, erigant deiectam vrbem, & ad placitum muniant, ad quod & manus nostras eis porrigemus, & dum æquatis fortunæ nobis fuerint, si libuerit, pugnabimus cum eis. sic vero, vt nunc sunt, non solum non impugnabimus sed adiutorium præstabimus. Et misit Dux humanissimus de Silua Baocenis, vulgariter *Swartzwald*, quadringentos fortes & laboriosos rusticos in Basileam, vt expurgarent suo nomine integrum vicum a ponte Rheni vsque ad forum granarum, qui vicus dicitur vicus ferri, *Isengas*. & manserunt viri illi Basileæ in labore illo expurgationis & deportationis ruinarum in Rhenum ad multos dies in expensis Ducis Austriæ. Ecce quam spectabile signum in illo Principe veræ nobilitatis. Innata est enim Principibus veris clementia. Vnde Seneca; *Nullum clementia magis ex omnibus quam Regem & Principem decet, quia pestifera vis est valere ad nocendum. Principum enim crudelitas bellum est; clementia, in quamcunque venerint ciuitatem, eam felicem & tranquillam faciunt. Apes iracundissimæ & aculeos in vulnere relinquunt, sed Rex ipsarum sine aculeo est. voluit enim natura nec telum sæuum esse nec vltionem petere, telumque detraxit & eius iram inermem reliquit in exemplum Principum.* Sciuit, non dubito, Princeps ille clemens, quod *clementia*, vt Seneca dicit, *& misericordia vicina est miseriæ*, & quia Basilienses miseria laborabant, ad eos misericordiam dirrigebat. sicut Iob, dum esset Rex, feciſſe legitur, qui dicebat cap. xxx. *Flebam super eo, qui afflictus erat.* In hoc facto Princeps ille clare noscitur fuisse de ingenuissimo antiquorum Romanorum sanguine, *cuius nobilitas & dignitas nata est de fonte pietatis*, vt dicit Constantinus Magnus a Siluestro baptisatus. & Val. Maximus lib. 5. cap. 1. narrat de clementia Marcelli Romani, *cum cepisset Syracusam ciuitatem affluentissimam intuens afflictæ ciuitatis lugubrem casum, fletum cohibere non potuit.* Et de clementia Pompeii Romani Principis dicit Valerius lib. 5. c. 1. quod cum Regem Armeniæ, qui tamen contra Romanos multa gesserat, & infestissimos vrbi protexerat, *in conspectu suo supplicem diu iacere non passus est, sed benigne verbis recreatum, diadema, quod abiecerat, capiti imponi iussit, & per omnia pristinæ fortunæ restituit, æque pulchrum esse iudicans vincere & facere Reges.* Et Paulus Consul Romanus, *cum vidisset quendam Regem captum adduci ad se, occurrit ei, conatumque ad genua procumbere dextera manu alleuauit, & grato sermone ad spem exhortatus est, lateri suo proximum consilio sedere fecit, nec honore mensæ indignum iudicauit.* Nam si egregium est hostem deiicere, non minus tamen laudabile infelicibus scire misereri, quod optime Princeps, de quo sermo, noscitur ex præcedentibus didiciſſe. Anno Dom. M.CCC.LVIII. obiit Dominus Albertus Dux Austriæ, Stiriæ, & Carinthiæ, relinquens post se quatuor filios, Rudolfum, Fridericum, Lupoldum & Albertum, & duas filias. Eo autem mortuo dedit Imperator Rudolfo, filio Alberti prædicti, qui gener suus erat, aduocatiam in Alsatia. Erat autem Rudolfus ille iuuenis elegantissimus inter omnes Principes, prudens & virtuosus, XVIII. annum gerens: & vxor eius filia Caroli Imperatoris XV. habens annos, speciosissima, optimis moribus adornata. Hic ergo Dux Rudolfus cum vxore & familia de Austria in superiorem Sueuiam ascendit, & in suo oppido Dysenhofen resedit ad tempus cum sua curia. Est enim oppidum hoc sanum super Rheni litus situm, profundis fossis & muris circundatum a Rheno vsque per gyrum ad Rhenum in modum mediæ

Digitized by Google

Lunæ, & habet caſtrum ab occidente habitaculum Principis, quod tempore meo poſſidebant Dapiferi nobiles. eccleſia parrochialis annexa eſt caſtro, cuius S. Dionyſius eſt patronus, a quo & ipſum oppidum nomen accepit, quod dicitur *Dyſenhofen* vulgariter, Latine Dionyſii curia. ſub oppido ad Rheni litus eſt monaſterium grande monialium ordinis Prædicatorum ad S. Katherinam dictum. quod licet non ſit de obſeruantia hodie, tamen ſemper in eo ſunt moniales ſanctæ & maturæ; quod, vt opinor, fundauere Duces Auſtriæ aut Dapiferi de Dyſenhofen. Porro in illo oppido, licet paruum ſit, tamen ſemper Duces Auſtriæ libenter ibi manſerunt, quia eſt prope Conſtantiam, prope Thuregum, prope Hegowiam, & piſces & carnes habentur ibi in bono & leui foro. Reſidente autem ibi Duce Rudolfo, ipſe Dux diebus cum nobilibus tractabat, Duciſſa vero in monaſterio eum monialibus Deum timentibus colloquium ſanctum habebat. vnde multæ nobiles inter moniales vota ſua ſancta Duciſſæ aperientes optabant eſſe in aliquo monaſterio, vbi obſeruantiam regularem obſeruare poſſent, & nullum hominem videre. quibus Domina promiſit, quod eis prouidere vellet de monaſterio nouo, in quo iuxta vota ſua viuere poſſent. Nam illis temporibus nullum adhuc monaſterium ordinis Prædicatorum reformatum fuit in prouincia. promiſit ergo & ſeruauit, licet poſt plures annos. Dux etiam magnificentiam ſuam oſtendit Iohanni militi Dapifero de Dyſenhofen, qui VII. filias habuit, quarum duas poſuit in ſuam curiam ad ſeruitium Dominæ Duciſſæ, & aliis etiam prouidit. Deinde a Dyſenhofen receſſit, & in Enſisheim venit, & poſthoc in Rinfeldiam reaſcendit, & in Brugga iuxta Habſpurg dies ſolennes natiuitatis Domini cum ſuis curialibus peregit. Ea tempeſtate ann. M. CCC. LX. venit in poteſtatem Dn. Friderici Ducis Auſtriæ, fratris præfati Rudolfi, Comitatus nobilis Tyrolis cum territorio Athyſis, qui fuerat Ducum Bauariæ. Hunc Comitatum ſubiugauit Duci Friderico Dux Meinhardus filius Ludwici Ducis Bauariæ, filii Ludwici Bauari Magni, qui fuit Imperator. Res autem circa hunc Comitatum ſic geſta fertur. Ann. M. CCC. LVI. venit Dux Auſtriæ Albertus in Pontinam ad Ducem Bauariæ Ludwicum filium Ludwici Imperatoris, qui Comitatum Tyrolim poſſidebat, natusque ex vxore, quæ erat Duci Alberto præfato in ſecundo gradu. Hic Ludwicus neſcio qua agente neceſſitate prædictum Comitatum regendum commiſit Duci Auſtriæ Alberto, obligando ſibi eum pro nongentis milibus marcarum argenti. Poſtea autem anno M. CCC. LX. Meinhardus Bauariæ Dux filius præfati Ludwici Comes Tyrolis propter odium, quod habuit ad patruos ſuos Duces Bauariæ, prædictum Comitatum dedit Duci Auſtriæ Friderico matre ſua eum ad id inſtigante. Recitatur de hac hiſtoria magna & longa, quomodo mortuo prædicto Ludwico mulier illa incontinens vidua promiſit Comitatum ei, quem potentiorem in actu Venereo reperiſſet. & multis Nobilibus admiſſis nullus placuit. Porro Principum filii ad eam accedere verecundabantur & dedignabantur propter feminæ turpitudinem corporis & vitæ. Habuit enim os magnum & faciem deformem, propter quod nominabatur *Multeſch.* Ad hanc acceſſit Fridericus Alberti filius, & obtinuit comitatum mortuo Meinhardo. Propter hunc Comitatum fuerunt multæ diſcordiæ inter domum Auſtriæ & domum Bauariæ, & mille artes Duces domus Bauariæ excogitauerunt, quomodo illum Comitatum iterum in ſuam poſſent redigere poteſtatem, ſed vsque huc nihil profecerunt.

Anno Domini M. CCC. LX. venit vnus ingens & crudelis peregrinus exercitus in Burgundiam, & diffudit ſe per Lothringiam & per Alſatiam vsque ad Rhenum. Eruperat autem exercitus ille ex vltimis occidentis regionibus ex Brittania & Anglia, & anno ſequenti vaſtauit Alſatiam igne & rapinis, & per decennium dominati ſunt regionibus; ciuitates tamen magnas non ceperunt. Hiis tandem adiuncti ſunt Piccardi, Scoti & ceteri occidentales. & dum aſcenderent contra Bernam, occurrerunt eis Bernenſes cum ſuis copiis, & iuxta monaſterium Fontis Mariæ penitus ſunt omnes interfecti.

Anno ſupradicto conuenerunt in oppidum Zouingen, quod eſt in Ergowia, duo Duces Auſtriæ, ſcilicet Dominus Rudolfus & Dominus Fridericus frater eius, & præceperunt omnibus vaſallis, nobilibus, & plebeis, vt in Carniſpriuio ibi eſſent, & ab eisdem Ducibus ſua feuda reciperent, quod & fecerunt, & fuit factus conuentus magnus nobilium ibi. Nam vnus Dux Bauariæ aduenit, & Eberhardus de Wirtenberg, qui omnes Duces & Nobiles præſentes inuitauit ad nuptias filiæ ſuæ, quam tradidit Duci Lothringiæ, & celebritatem nuptiarum habuit in Stogardia. Hunc Comitem Eberhardum de Wirtenberg conuocauit ad ſe Imperator Carolus ad Nurembergam, & omnes Sueuiæ ciuitates cum eo, adhortabaturque Comitem reſtituere munitiones imperii, & quod ſatisfaceret ciuitatibus de iniuriis quibusdam eis illatis, & quod diſſolueret ligam, quam cum fratre ſuo feçerat in graue præiudicium imperii. quod ſi nollet, præcepit in eius præſentia omnibus eccleſiaſticis & ſecularibus ipſum bello aggredi. Diſſoluto autem concilio Comes Eberhardus de Wirtenberg a Nuremberga receſſit, & ad rebellandum ſe parauit. Contra quem Imperator Carolus expeditionem fieri mandauit. Conſtantienſes ergo egreſſi ſunt cum magno exercitu, & iuxta lacum in villa Hagnaw conſederunt exſpectantes illos de ſancto Gallo, de Vberlinga, & de Lindow. Simul ergo congregati deſcenderunt vsque Vlmam, & ibi ad eos venerunt Auguſtenſes & Memingenſes, Campidonenſes, & ceteri. Expectantibus autem eis in Vlma mandatum Imperatoris, ecce fulgur deſcendit & Bach-

Digitized by Google

& Bachron oppidum laci consumpsit. Ordinatis autem exercitibus ingressi sunt terram Comitum de Wirtemberg, & Carolus Imperator obsedit oppidum Schorndorf. Dux vero Rupertus Palatinus obsedit oppidum Gruningen. Augustenses vero & Vlmenses cum ceteris Sueuiæ ciuitatibus obsederunt oppidum Gœppingen. Porro Comites illi de Wirtenberg videntes se angustiatos consilio inter se & suos inito cum Imperatore concordauerunt, & sibi duo optima castra restituerunt, scilicet Achalm & Staufen, quæ erant prædictis Comitibus de Wirtenberg Eberhardo & Vlrico impignorata, una cum aduocatia in Eslingen & in Rutlingen, & coniurationem, quam præfati duo Comites contra Imperatorem fecerant, dissoluerunt rumpentes litteras coniurationis, & seruitutes, quibus ciuitatenses sibi vicinos angariauerant, remiserunt, & thelonea noua per eos facta deposuerunt, & Imperatori obedientiam, & imperio fidelitatem promiserunt. Et ita Imperator paccatus remisit exercitus, & reuersus est vnusquisque in locum.

Anno Domini M. CCC. LXI. ascendit de Austria Dominus Dux Rudolfus, Austriæ, Stiriæ & Carinthiæ, &c. Dux, & terram Patriarchæ Aquilegiensis ingressus, eam igne & deprædationibus vastauit cum adiutorio Imperatoris Caroli, eumque Patriarcham compulit ad satisfaciendum suæ voluntati. Insuper castrum Grimenstein in dioceſi Constantiensi cepit illudque ædificauit.

Eodem anno discordauerunt duo Comites de Wirtenberg inter se, & Comes Eberhardus cepit Consiliarios fratris sui Vlrici, & iuit cum armata militia ad omnia castra & oppida, quæ eis erant communia, & compulit sibi soli fidem & iuramenta præstare. Comes ergo Vlricus Imperatorem adiit, & contra fratrem suum querimonias mouit. Imperator ambobus conuocatis fratribus eos concordauit, ita tamen quod Comes Eberhardus commodum melius de illa concordia deportauit; & hoc ideo quia proles habuit, alter vero non.

Nobilissimi Comites de Wirtenberg inter totius Alemaniæ Comites de maioribus sunt in Sueuia, potentissimi ad præsens. Sunt autem originaliter de istis nobilibus Romanis aduenis & peregrinis de Roma, quos Carolus Magnus, dum liberasset Leonem Papam de manibus Romanorum, secum duxit in partes Alemaniæ, & in alias mundi regiones dispersit, ne sedem Apostolicam vlterius molestarent Romæ. Et quia omnes generosi nobiles erant, vtpote de vetustissimorum Troianorum sanguine exorti, & nobilitate ac ratione præcellentes, nequaquam eos seruituti subiecit, sed illis regionibus præfecit, vbi nec nobilitas nec natio viguit, vt ex eorum præsidentia & regiones nobilitarentur, & homines eorum prudentia instruerentur. Magnificus enim Carolus primus, quem Magnum nominant, educens a Roma Nobiles hiis assignauit Principatus, illis Comitatus, istis Baronias, aliis Dominia, castra, possessiones iuxta suorum meritorum qualitates. Quorum aliqui in aptis locis castra de nouo fundauerunt, aliqui prius fundata possederunt, & inter hæc alia erat differentia: quia quædam castra Dominia habebant annexa, vt castrum Kyburg Comitatum Kyburgensem, & castrum Helfenstein Comitatum suum habet. Alia erant castra sine Dominiis & Comitatibus, vt Habspurg, Rugg, & similia multa. & de istis creditur fuisse castrum Wirtenberg, quod est priuata domus & ruralis in eminenti sita inter vineas, & nullius sub se Comitatus, Baroniæ, aut dominationis seu iurisdictionis titulum comprehendit. & ita stetit a tanto tempore, cuius initium non est in hominum memoria aut scripturarum notitia. nunc autem & per multorum annorum curricula Domini de Wirtenberg non tantum illius castri, sed multorum Comitatuum, Baroniarum, dominiorum, castrorum, vicorum, villarum, & terrarum possessiones adepti potenter acquisierunt non solum in circuitu Wirtenberg castri sui, sed in longum latumque per Sueuiam omnium Dominorum fines attingunt. Sed nec hiis contenti, vt magnanimi vltra Rhenum in Alsatiam domificauerunt, & consequenter, quod hiis præstantius est, vsque in Burgundiam superiorem alas extenderunt in Montem Peligardi. Et licet non sint Principes, Principibus tamen plerisque diuitiis & potentia præpollentes longe potiores & agnatione, cognatione, ac affinitate per multas se sublimauerunt generationes, & sibi fecerunt terræ Principes æstimatione communi quasi pares. Et ex nunc diuersos Comites & Barones ac alios Nobiles sibi curuarunt domesticos commensales & familiares. Et ne tangat illos tormentum malitiæ, volubilis dico rotæ fatalis, aut ne Fortunæ illaqueantur indignatione, fortassis apud Deos & homines feliciter meruere tam præcelsum nobilitatis gradum. Sed quia ordo graduum nobilitatis assignatur certus, vt natura docet & vsus, quia nobilis nobili præfertur; & leges, quia scribitur in 2. lib. Feud. cap. 10. & Canones in cap. clericis, de immun. eccles. lib. 6. & per Gregorium X. de sen. ex. quicunque lib. 6. & Wilhelmus Durandus in Speculo de stat. mon. 10. & 11. & sanctus Thomas Comes de Aquino in lib. de Regimine ad Regem Cypri, qui post Reges ponit Principes, deinde Comites, Duces, Marchiones, Barones, Castellanos, Satrapas, Optimates, Magistratus, & Tribunos. Quærendum ergo est, qua nobilium statione locandi sunt Domini de Wirtenberg, vt nulli præiudicii notam impingamus. *Puto*, inquit Magister Felix clarissimus Decretorum Doctor in suo Dialogo de Rustico & Nobili, *non aliter eos, saluo tamen semper saniori iudicio, quam, vt Comites peregrinos de Roma, dictum castrum fundasse aut possedisse, & ab antiquo nomen de castro prædicto conquistuisse: aut quondam in simplici nobilitate in eodem castro, de nouo Principis beneficio creatos, dignitatem Comitatus obtinuisse,*

Digitized by Google

& fato & fortuna clementer annuentibus tam ingentes passim potenta.. s dominationum solerter accumulasse. Et ad hoc plurimum iuuit eos aliorum nobilium ignauia, incuria, prodigalitas, & sua circumspectio, & magnanimitas, & experientia.

CAPUT XV.

De Ducibus Austriæ.

COnclusionem de Sueuia faciendo de sequentibus Ducibus Austriæ & vere ac proprius Ducibus Sueuiæ Comitibus de Habspurg restat dicendum. In præcedentibus enim habitum est de magnifico Rudolfo Rege Romanorum, qui genealogiam Habspurgensium dignam ab antiquo spectabiliorem reddidit, eamque memorabilem cunctis generationibus fecit. Tres autem filios hic habuit, Albertum, Hartmannum, & Rudolfum, & multas filias, quas omnes nobilissime locauit. vnam dedit Regi Hungariæ, vnam Duci Lothringiæ, vnam Duci Calabriæ, vnam Comiti de Oetingen, vnam Comiti Palatino, vnam Duci Saxoniæ, vnam germano Marchionis de Brandenburg, vnam Carolo Martello, qui postea fuit Rex Hungariæ, & vnam Regi Bohemiæ. Albertus primogenitus Rudolfi, qui postea fuit Romanorum Rex, vxorem habuit Comitis de Tyrol filiam, cum qua sex habuit filios, Rudolfum, qui fuit Rex Bohemiæ; Fridericum, qui fuit electus in Regem Romanorum cum Ludwico Bauaro; Lupoldum Austriæ Ducem, qui amicus fuit Papæ Iohannis XXII. Albertus iam nominatus habuit quatuor filios, scilicet Fridericum, Albertum, Rudolfum, Lupoldum, qui omnes magnalia gesserunt in vita sua. Nam Fridericus suo naturali robore acquisiuit domui Austriæ nobilissimum Comitatum Tyrolim, ex quo, cum hoc quod fuit Dux Austriæ & Comes de Habspurg, factus est Comes Tyrolis, Aduocatus Aquilegiensis, Brixinensis, & Tridentinus, & Marchio Teruisinus, hoc est, Dominus in montanis, & a montanis vsque ad mare. Verum est tamen, fateor, me legisse Duces Austriæ habuisse non diu Marchiam Teruisinam, sed tamen adhuc arma Ducum Austriæ, quæ hodie in alto pariete lapidi insculpta sunt in prætorio Teruisino, id ostendunt, & publica omnium fama id dicit, *quæ probare videtur in his, quorum memoria non habetur*, vt ff. de probat. l. si arbiter. Credo tamen quod historia vel Chronica composita de illis Ducibus hæc & alia contineat, quæ me latent, quia Chronicam illam multis in locis quæsitam inuenire non potui. Libenter enim gloriæ illorum nobilissimorum Ducum adderem, si gesta eorum magnifica haberem. *Habeo* enim, vt more vulgi loquar, *infixam in me caudam pauonis*, quam nemo, dum vixero, deplumare poterit. Rudolfus frater prædicti Friderici in Wienna destructam ecclesiam reædificauit, & multa pro cultu diuino gessit. Albertus vero frater illorum, Dux Austriæ, literarum amator, Vniuersitatem Wiennensem instituit, postquam vniuersitas Pragensis deficere cepit. Lupoldus Dux Austriæ, frater trium dictorum, Sueuiam superiorem rexit, & Comitatus Kyburg & Habspurg defensauit a Swiceris, qui suo tempore dominium Ducum Austriæ plurimum turbabant. Nec æstimanda sunt iam dicta de quatuor Ducibus quasi exilia. Nam quod Fridericus Dux Comitatum Tyrolim adeptus est, formidabilem domum Austriæ reddidit Venetis, Lombardis, & toti Italiæ. Rudolfus vero frater eius, quia Wiennæ ecclesiam sancti Stephani in admirandum ædificium deduxit, Austriam totam famosam reddidit, & Wiennam ciuitatem eo ædificio coronauit. Sed Albertus suo ingenio non solum Wiennæ aut Austriæ aut Alemaniæ profuit, sed toti ecclesiæ Catholicæ. Nam Pragæ deficientem Vniuersitatem Wiennæ resuscitauit, quæ viros splendidissimos ecclesiæ genuit non paucos, quorum doctrinis multi illuminati sunt. Nam, vt de ceteris taceam, viros clarissimos hæc vniuersitas ordini nostro dedit, quibus nostra prouincia & honorata fuit & recta. Hinc habemus magistrum Franciscum de Retza, qui primus in illa vniuersitate insignia magistralia theologicalis facultatis accepit, qui suis scriptis, qualis fuerit, ostendit. hic *Comestorium vitiorum* comportauit, & super *salue Regina* grande volumen collegit. Hinc etiam accipimus Magistrum Iohannem Nyder conuentus Nuremburgensis, cui inter nouos vel modernos Doctores vix secundus inuenitur, qui tanta & tam vtilia scripserit. Hinc Magistrum Conradum Herbst notabilem habemus: Magistrum Iohannem Streler conuentus Franckofordensis; Magistrum Leonhardum de Valle Brixinensi; Magistrum Chrysostomum, & Magistrum Iacobum de Stubach, qui hodie, Deo fauente, in humanis est, virum vtique scientia, doctrina, religione, & vita eximium. Hic prouinciam nostram multis annis Prior Prouincialis existens laudabiliter rexit, & post mortem Magistri Ordinis Vicarius generalis totius Ordinis fuit, ordinante hoc summo Pontifice Innocentio VIII. Hic Venetiis in conuentu sancti Iohannis & Pauli Capitulum celebrauit generale pro electione Magistri ordinis, ad quod Capitulum missæ fuerunt literæ sanctissimi Domini nostri Papæ, & sereniſſimi Domini nostri Imperatoris Friderici III. & multorum Cardinalium & Principum, quibus hortabantur ordinem eligere prædictum Magistrum Iacobum. Sed ipse omnes has literas sumpsit, ne eligeretur in generalem. sed & sine promotionibus talibus electus fuisset, si aliquo modo pro se practicare voluisset, vt, proh pudor, moris est, sed e contrario omnibus modis obstitit ne eligeretur. Huic Capitulo & ego interfui elector ex parte prouinciæ nostræ, & in pœnam, quo dimisimus virum dignum & ordini vtilem, elegimus virum decrepitum & inutilem, qui XXX. die post electionem obiit Venetiis, &

omnis

Digitized by Google

omnis labor fratrum & expensæ perditæ erant, & anno sequenti in eundem locum conuenimus & alium elegimus, qui hodie est, Magistrum Ioachimum Turrianum. Præter nominatos habuimus ab illa Vniuersitate adhuc Magistrum Innocentium virum ingenuum & insignem, qui ante Magistrum Iacobum de Stubach nostram rexit prouinciam multis annis. Est autem conuentus noster Wiennæ insignis Vniuersitati incorporatus. Quartus autem Dux frater trium Lupoldus militiæ operam dabat, & zelans hereditatem paternam conseruare studebat, pro ea vitam ponere paratus. Huic de consensu Regis Hungariæ & Venetorum sese dederunt Foruilienses, & postea Taruisium possedit & cepit, & Feltrum, & ciuitates, oppida, quæ tamen postmodum Francisco Paduano impignoravit. Deinde in natale solum rediit, & pro Comitatu Habspurg, & Ergowiæ defensione & ceterarum suarum terrarum certamina multa habuit cum Swiceris, qui sui erant omnes cum solo. sed obstinati contra naturalem Dominum suum, ejus præcepta & iussiones penitus spernebant, in tantum vt generosus Princeps cogeretur arma, quæ in suos inimicos acuerat, in seruos proprios conuertere, & contra eos alios Principes concitare & communicare. Porro eo tempore Wenzeslaus filius Caroli IV. regni Romani gubernacula tenebat, & inter alia, quæ gessit, hoc recitatur, quod cum ciuitates imperii conquererentur de diuersis grauaminibus & incommodis, colligauit eas omnes in vnam ligam per Alemaniam, in qua erat colligatus etiam Archiepiscopus Saltzburgensis, & quidam alii Domini, licet pauci. Ex hac liga ciuitates confortatæ contra insultus Nobilium viriliter stare cœperunt, & non modicum fauebant Swiceris rebellibus Dominis suis. Videbantur enim Swiceri & ciuitatenses habere eandem causam colligandi & confederandi se, scilicet grauamina Nobilium, quanuis multum dissimilis esset colligatio. quia colligatio Swicerorum fuit conspiratio sine auctoritate Principis contra proprium Dominum: colligatio autem ciuitatensium imperialium fuit confederatio ex ordinatione sui superioris contra iniuste molestantes. Ex hac autem similitudine vtriusque colligationis orta est amicitia quædam & fauor inter ciuitatenses & Switenses, non tamen secuta fuit confederatio inter eos, quia Imperator forte non admisisset propter alterius partis iniustitiam. Hæc ergo amicitia Nobilibus fuit formidabilis & molesta, quia si ciuitatenses confederati fuissent Switensibus, extirpassent nobiles de Alemania. & ideo patiebantur nobiles, & præsertim Dux Austriæ à suis subditis molestabatur, in tantum ab inuocato auxilio nobilium, qui met premebantur à ciuitatensibus contra Swiceros bellare se pararet. Sed quemadmodum ab antiquo fieri solitum fuit, vt casus magnorum Principum aliquo prodigio prænuntiabatur, sic ante hoc Ducis prœlium præcurrerunt præsagia tristia futurorum. Recitat Val. Maximus lib. 1. cap. 4. Memorabilium, quod *Rex Acho Lacedæmoniorum bellaturus cum Græcis, congregatis suis gentibus refectione grandi parata, cunctis suis armigeris discumbentibus in mensa Regis cunctis cernentibus non solum semel, sed iterum & tertio vinum conuersum est in sanguinem stupentibus vniuersis. Occasione cujus Regem periclitaturum vates prænuntiari dicebant*, prout in eodem bello diræ mortis iaculo succubuit. Similiter, prout dicitur in Chronicis, *fluuius Tholosæ ciuitatis visibiliter mutatus est in sanguinem*, & consequenter eadem ciuitas passa fuit miserabilem desolationem. Sic etiam ante destructionem ciuitatis Ierusalem tempore Machabeorum fuerunt prius visa mirabilia in aëre, vt patet 2. Mach. 5. tempore Christianorum ante desolationem eiusdem civitatis per Titum & Vespasianum, vt habetur in historia eiusdem euersionis. Eodem modo multa præcurrerunt signa funestum prœlium, de quo intendo. Nam iuxta castrum Mellingen illo tempore, quo Dux Lupoldus regionem gubernauit, in flumine Rusa videbant incolæ erumpentem violenter cruoris riuulam segregatim in altum scaturientem. sed quid significaret prodigium, euentus rei ostendit, quem non solum terrrestria, sed & cœlestia corpora ostendebant. Nam anno Domini M. CCC. LXXII. visus est in Alemania circulus rubeus circa Solis orbem, & deprope comparuerunt duæ cruces notanter eminentes. Et eodem anno per cunctas Sueuiæ civitates imperiales homicidia, conflagrationes, & multa mala acciderunt. Et sicut antiqui ex dispositione & coniunctione syderum imaginabantur quædam animalia, vt scorpionem, cancrum, pisces, thaurum, capricornum, &c. quæ signa cœlestia sunt, quia tali tempore fit coniunctio syderum in modum cancri vel scorpionis, &c. Sic eodem anno, scilicet M. CCC. LXXII. quidam doctus Theologus Astrologizans vidit coniunctionem syderum, sic se habentem, ac si vir nudus cum armato horribili congrederetur bello, armatusque succumberet nudo. & hanc stellarum compositionem publice prædicauit idem in imperiali ciuitate Thuricensi. quid autem significaret, prædicere non potuit, sed statim nona die mensis Iunii effectus manifestus declarauit. Anno enim præfato & mense congregauit Dominus Lupoldus Dux Austriæ grandem nobilium exercitum, & ad reducendum Swiceros ad obedientiam debitam processit. Swiceri autem, vti Domino suo inobedientes, venienti occurrerunt armati, & iuxta castrum Sempach congressum habuerunt, & horribili impetu pugnantes victoria Swiceris cessit, qui passim Comites, Barones, milites, & Nobiles prosternentes inter eos ipsum belli Ducem, & terræ illius Dominum Lupoldum crudeliter interfecerunt, vt manifeste patesceret inferiora configurari superioribus, vt sicut in syderibus nudus suppressit armatum, sic in hominibus pauper & inermis populus prosterneret armatum & splendidum exercitum. Videtur quod Dux ille non adeo fideles seruos habuerit, sicut

Digitized by Google

Rex Dauid, qui cum vellet in periculosum prœlium exire cum populo, dixit populus; *Non exibis nobiscum, quia tu vnus pro decem milibus computaris. melius est enim nobis, vt sis nobis in vrbe præsidium*, 2. Reg. 18. Et iterum 2. Reg. 21. iurauerunt septem Principes Dauid volentis transire cum eis ad bellum, dicentes; *Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam in Israel.* & ibidem dicitur; *Dum Dauid cum suis esset in prœlio, ingens gygas Iesbidenob de Geth cum grauissima hasta nitebatur percutere Dauid. Sed Abysag Princeps Regem protexit, & gygantem prostrauit.* Hic vero in funesto bello nobilis Princeps nec fuit domi retentus, nec in campo à suis defensus, sed à propriis vernaculis in proprio solo pro suo patrimonio truculenter occisus, & de loco occisionis deportatus & in Campo Regis sepultus. Quis non turbetur de tam miserabili occubitu tanti Principis? Dicitur enim quod dum percussus cecidisset in terram, nec adstatim surgere posset pondere armorum grauatus, accurrit quidam vilissimus Swicensis cadens super eum, & euaginato pugione quæsiuit crebris punctionibus perfodere Principem, nec locum inuenit, quo nudum corpus tangere posset propter armaturam. videns autem Princeps vitæ periculum sibi imminere, aperuit quis esset, sperans vitam redimere. Sed vt Diabolicus homo ille audiuit hunc, quem tenebat, Principem esse, vt fera crudelissima desæuit in Dominum suum, & pugione aliquas compagines armorum soluit & deprecantem Ducem interemit. Quis non indignetur isti sceleſtissimo homicidæ & crudelissimæ genti? Profecto *inhumanus Turcus, ferus Sarracenus, bestialis Tartarus, atrox Arabs, vilis Aegyptius, inuidus Græcus, fellitus Iudæus* pepercisset, securasset, suis præfectis captiuum præsentasset Principem, & gloriam ac præmium reportasset, & pacem celerem terræ hoc faciens procurasset. Sed quia inhumaniter egit, atrocissima secuta sunt bella plurima, & multa milia hominum perempta. sed & ipse nequissimus homicida, imo principicida, stipendium juxta suum meritum statim accepit. Dum enim nesciretur, quis Principem occiderit, & de hoc miratio & murmur inter Swiceros esset, prosiliit ille maledictus principicida, homuncio strumosus & vilissimus in medium, prædicens se publice sic & sic Ducem interfecisse. Quem rapientes traditum tortoribus crudeli morte dilaceratum peremerunt in oppido Bernensi. Sed improportionata vindicta est ista, nec opinandum est rem sic inultam transire, quin potius in totam illam peregrinam Swicerorum gentem desæuitura est ira, sed non nisi completæ fuerint iniquitates eorum, sicut & de Amorræis dicitur. Porro in loco vbi fusus est Principis sanguis, anno reuoluto flos quidam creuit in calamo alto in modum lylii, non tamen erat lylium, sed flos magnus miræ pulchritudinis & peregrinæ dispositionis, cuius similitudo prius non est visa; eiusque figura habetur depicta in capella quæ in loco est. Simile refert Ouidius de Ebalide, qui & Iacinthus dicitur. hic dum esset cuiusdam Regis nobilissimi filius, in quodam interemptus prato, de cuius sanguine flos nascebatur mirabilis & delectabilis, & in singulis foliis syllaba prima sui nominis fuit inscripta, scilicet *Ia Ia.* Nec mirum, si tantæ nobilitatis sanguis terram fecundet, & florem speciosum prodire faciat, quia ex natura ingenuitatis in vita & in morte insolita efficiunt, & aliis hominibus rusticosis impossibilia. Legimus enim in Chronicis Comitum de Habspurg, quod tantum donum gratis datum habeant, vt quicunque strumosus aut gutture globosus de manu alicuius Comitis de Habspurg potum acceperit, mox sanum, aptum & gracile guttur reportabit. quod sepe visum est in valle Albrechtztaal in Alsatia superiori, in qua sunt homines strumosi naturaliter, qui passim prædicto modo sanabantur, dum vallis adhuc esset illorum Comitum vel Austriæ Ducum. Insuper notorium est, & sepe probatum, quod dum quis balbutiens est, vel impeditioris linguæ, si ab vno Principe de præmissis sine alio quocunque suffragio osculum acceperit, officium loquendi disertissime ætati suæ congruum mox patenter obtinebit.

Atque, si cui placet videre, quomodo etiam gentilibus nobilibus, ante Christi incarnationem datum sit insolita operari, legat Valerium Maximum in primo libro cap. 3. & 4. &c. Audiui etiam à iuuentute, & hodie vulgus dicit, & fama publica est, quamuis scriptum non inuenerim, quod præfati Comites de Habspurg ab vtero matris suæ crucem auream in dorso habeant, hoc est, pilos candidos vt aurum in modum crucis protractos. Nec hoc mihi difficile est credere, cum Marcus Venetus in Itinerario suo simile se inuenisse recitet. Perambulans enim XLV. annis regiones Asiaticas, in Corzanorum regnum deuenit, cuius Reges, licet sint sub Rege Tartarorum, se tamen nobiliores præ aliis terræ Regibus esse iactant ex eo, quia cum nascuntur, signum aquilæ nigræ super humeros suos de vtero matris suæ producunt, & per dies vitæ hoc imperiali signo sunt insigniti, & cunctis populis honorabiles & metuendi habentur. Nobiles ergo aliquo singulari dono à Deo insigniti præter potentiæ & diuitiarum præeminentiam sunt merito magis à plebibus honorandi, metuendi, supportandi, iuuandi, & tuendi. Iniuste ergo opponunt se Swiceri contra tam insignes nobiles de Habspurg, Duces imo Archiduces Austriæ. nec patietur Deus, cuius beneficiis præ aliis ditantur & gaudent, iniustas eorum impugnationes multas. Porro prædictus Dux occisus fuit, non tam per inimicos interfectus, quam per amicos suos neglectus. Non enim debuissent eum personaliter ad istum periculosum conflictum in tam arto districto inter montes admisisse, nec exercitum induxisse, vbi non est nisi vel victoria vel mors, & nullus effugii locus. Debuissent etiam eum more fidelium militum circumuallasse, & nullo modo

solum

Digitized by Google

ſolum reliquiſſe; & tunc, etiamſi cunctos interfeciſſent, eum ſeruaſſent, & perpetuam pacem cum eo comparaſſent vel diuitias. Inſuper Principe interfecto debuiſſent omnes ſui bellum continuaſſe, & nouis exercitibus in principicidas irruiſſe, & filium eius Erneſtum, patrem ſereniſſimi Friderici III. Imperatoris hodie mundi, & auum glorioſiſſimi Regis Maximiliani nouiter coronati ſecum in bellum duxiſſe etiam in cunis iacentem. Accendiſſet enim pueri præſentia virtutem militum, commiſerantium puero iniuſte patria & patre orbato. Simile enim legimus feciſſe Macedonas cum Illyricenſibus pugnantes, qui in primo conflictu ſuccubuerunt Rege eorum perempto. Sequenti autem die Macedones collecto alio exercitu certamen inſtaurant, & infantem, ob cuius regnum iam certabant, ad bellum iacentem in cunis in campum tulerunt. Quo viſo tantus ardor inuaſit milites, quod quaſi leones facti fuerunt & hoſtes mirabili ſtrage percuſſerunt, victoriam non ſibi ſed puero aſſcribentes. Habuit autem præfatus Dominus Lupoldus vxorem filiam Ducis Mediolani, & quatuor filios cum ea, ſcilicet Wilhelmum, Lupoldum, Erneſtum & Fridericum. Wilhelmus erat vir prudens, ſancta cum hoc habens deſideria. hic pro amore Dei periculoſe ſe expoſuit, & mare tranſiens Dominicum ſepulchrum in Ieruſalem viſitare ſtatuit. & dum ingrediendo Venetias applicuiſſet, Dux Venetorum cum Senatu ei magnifice occurrit, ſuſcipiens eum more magnorum Principum, & in eccleſiam ſancti Marci introduxit. & dum per locum ſtrictum eundum eſſet, vbi ambobus lateralis tranſitus non præſtabat anguſtia loci, Dux Venetorum prætulit Ducem Auſtriæ. qui retrahens ſe; *Non*, inquit, *fiat hoc: dignior eſt virtuoſa probitas ad principatum electa.* & alter; *Dignior eſt illuſtriſſima proſapia ex ſe ad principatum præfecta.* vnde poſt multa incola detulit accolæ conſueto more. Viſitatis autem locis ſanctis cum reueniſſet in regionem, & ſuperiorem Sueuiam peragraret, tantam habuit ſequelam nobilium & popularium, vt Dux Sueuorum diceretur, ſeque Ducem Sueuorum ſcriberet. Secundus filius Lupoldus erat Dux. Lupoldus homo longus & magnus degens in ſuperiori Sueuia, & vxorem habuit filiam Ducis Burgundiæ, & ambo erant Ordini Prædicatorum bene inclinati & devoti. Quare Duciſſa cum monialibus in Dyſenhofen frequens fuit. ad quam acceſſerunt deuotariæ monaſterii rogantes eam, vt promiſſionem dudum eis factam per vxorem Ducis Rudolfi compleret. Domina ergo promiſit & compleuit. Cum enim eſſet in oppido Enſisheim Baſilienſis dioceſis, & quadam die cum puellis & ſeruis ſuis in ſilua prope Enſisheim pro ſolatio euagaretur, venit ad vnum deſolatum monaſterium cum combuſta eccleſia, quam Anglici quondam, dum Alſatiam vaſtarent, combuſſerunt. Videns autem locum vacuum, & tamen ſatis religioni congruum, ſcrutinio habito quod Domini Canonici regulares, qui loci poſſeſſores fuerant, reædificare non intenderent, locum ad ſuas ſuſcepit manus Duciſſa illa deuota: & collapſam eccleſiam & monaſterii ruinas remouens, officinas clauſtri inſtaurauit cum conſilio reuerendi Patris Conradi de Pruſſia, primi reformatoris Ordinis Prædicatorum in prouincia Theutoniæ. Loco ergo aliqualiter aptato aſcendit Domina Duciſſa in Dyſenhofen, & inde tulit ſorores affectum & deſiderium ad regularem obſeruationem habentes, & duxit eas in locum præfatum, qui dicitur Schœnenſteinbach, & monaſterio incluſit. Inter quas erat vna dicta Claranna de Honburg, perſona celebris & religioſa, & adeo docta in artibus, vt libros S. Dionyſiii legeret & intelligeret, quam in Prioriſſam primam illius monaſterii elegerunt. Hæc vitam artiſſimam incepit in eodem loco, & ſponte ſupra communes ſororum conſtitutiones totalem clauſuram etiam quoad hominum conſpectum inchoauit cum aliarum omnium aſſenſu & voluntate. Fuit autem monaſterium hoc incorporatum ordini Anno M. CCC. XCVII. per Bonifacium IX. ſub fratre Raymundo de Vineis Capuano Magiſtro ordinis, & fratre Vlrico Theobaldi Prouinciali prouinciæ Theutoniæ de conuentu Baſilienſi in capitulo generali eodem anno Franckofordiæ celebrato. Præfata autem Duciſſa Auſtriæ contulit illi monaſterio villas, prædia, & poſſeſſiones, & valde benefecit eis. Audiui autem ab antiquis, quod dum moniales adductas de Dyſenhofen, & de quibusdam aliis locis, incluſiſſet omnino cum ſolemnitate in præſentia multorum Nobilium & fratrum, & Miſſam primam intus cantaſſent, ſubordinauit domina, vt nemo rotam accederet, niſi ipſæ intus prius pulſarent. nihil autem adhuc intus habebant neque ignem nec cibum nec potum. Et dum extra omnes pranſi eſſent, adhuc illæ intus prandium mittendum expectabant, ſed nemo illis dabat. Tandem adveſperaſcente die neceſſitate coactæ incluſæ pulſabant. Statim autem accurrit Domina Duciſſa, dicens *quid peterent?* Et Prioriſſa; *Domina* inquit, *adhuc jejunæ ſumus, & refici petimus propter Deum.* Ad quam Duciſſa; *Et quid eſt hoc, quod petitis refici corporaliter? nunquid non ſufficit vobis ſpiritualis refectio, & ſeculi ac totius mundi abdicatio?* Ad quam Prioriſſa ſimpliciter ſed prudenter reſpondit; *Non poſſumus hic in mundo ſine corporali nutrimento viuere, nec ſpirituale poteſt ſine corporali & temporali ſubſiſtere.* Ad quod Domina ait; *Ex quo ergo non poteſtis ſine temporali ſubſidio ſpiritualiter viuere, neceſſe eſt, vos temporalia bona habere.* & produxit Duciſſa literas non paucarum poſſeſſionum & cenſuum & decimarum, & per rotam tradidit eis dicens; *Accipite*, inquit, *hæc temporalia, & ſpiritualiter viuite, & Deum pro domo Auſtriæ orate.* Cum magna autem gratiarum actione dona acceperunt. Domina autem pro eis prandium pingue extra parari iuſſit, & miſit eis per rotam. Ab illo tempore vſque in hanc diem monaſterium hoc Dei gratia ſub ſingulari degit obſeruantia, & ab eo deri-

Digitized by Google

deriuatus est modus viuendi in regulari vita per totam nostram prouinciam, quia præmium fuit in obseruantia. Tertius filius Ducis Lupoldi fuit Dux Fridericus, Dominus in Pontina super Comitatum Tyrolim, & duas habuit vxores. Prima fuit Palatina Rheni: secunda fuit filia Ducis de Brunswig, de qua habuit filium Ducem Sigismundum, qui hodie in humanis est, & eandem terram pacifice regit & possidet. Quartus filius est Dominus Ernestus Dux, qui fuit strenuus in armis & agilissimus in hastiludiis, torneamentis, & in omni re militari expeditissimus. Hic Dux duos habuit filios nobis in superiori Sueuia optime notos ex vxore filia Ducis Mossauiæ. Vnus fuit Dux Albertus, alter Fridericus, cuius memoria in benedictione habundantiori erit. Ambos hos Duces sepe vidi. Tempore autem, antequam adoleuissent duo illi Duces, vt ab antiquis audiui, pater eorum Dn. Ernestus vir prudens ex coniecturis conditiones amborum sic accepit. Argentum vel aurum ante masculos proiecit, iubens colligere & pro se retinere. Accurrentes autem iuuenes cum gaudio pecuniam collegerunt. Promptior tamen fuit Fridericus quam Albertus in colligendo: & Albertus collectam pecuniam rursum dispersit familiæ, nihil sibi retinens; Fridericus autem diligentissime collectum argentum seruauit & tenaciter inclusit. Hinc Dux Ernestus miratus oppositas fratrum conditiones, vnum nimis largum futurum, alterum nimis tenacem iudicauit.

Anno M. CCCC. XI. cum Sigismundus Rex Vngariæ fuisset factus Imperator, dedit filiam suam vxorem Alberto Duci Austriæ, filio Domini Alberti Ducis, quem habuit ex Domina Iohanna de Holandia, & fuerunt nuptiæ maxima cum solemnitate celebratæ. Non autem loquor iam de Alberto, fratre Friderici, filio Ernesti; sed de Albertio filio Alberti. Fuerunt enim successiue quinque Alberti in vna linea. Nam Rudolfi primogenitus erat Albertus Rex Romanorum. & hic etiam habuit filium Albertum secundum; & secundus tertium; & tertius quartum; & quartus quintum & vltimum, qui filiam Imp. habuit, & post mortem soceri sui fuit factus Rex Romanorum, sicut patebit. Fuit autem hic Albertus Imperatori carissimus ac si fuisset proprius eius filius.

Porro anno Domini M. CCCC. XIV. conuocatum fuit magnum Concilium ad Constantiam propter maximum scisma in Ecclesia: quia erant tres Papæ, & omnes tres citati fuerunt ad concilium. Noluit autem Papa ille, qui residebat Romæ, Iohannes XXIII. dictus venire, nisi Dux Austriæ Fridericus filius Lupoldi Dominus Athisi eum assecuraret, & secure eum Constantiam ducere & educere promitteret. Cum autem ductu Friderici Ducis Constantiam veniisset, submisit se concilio & humiliter iurauit stare. Sed Diabolo incitante eum, secrete requisiuit suum ductorem Dominum Fridericum Ducem Austriæ, vt se educeret clandestine, quia rigorem concilii sustinere non posset nec vellet. Graue autem fuit Domino Friderico facere & educere eum contra concilium; graue etiam sibi videbatur non tenere iuramentum, quod præstiterat Iohanni de secura ductione. In hiis autem vsus consilio Domini Moguntini Archiepiscopi accepit sinistrum consilium, quia prædictus Moguntinus tunc cum Imperatore discors erat, & ideo malum consilium dedit, vt potius fidem Iohanni seruaret, & sui in hoc honori consuleret, quam obedientiam concilio & fidelitatem Ecclesiæ. Quadam ergo nocte ductu Friderici ascendit Iohannes Papa nauiculam cum paucis, & in ciuitatem Schafhusen per Rhenum festine traiectus a Friderico Duce Austriæ ibi seruatus est. de cuius recessu magnus planctus & miserabile lamentum in concilio fuit propter Ecclesiæ periculum, non tamen ideo fuit dissolutum. In ista turbatione commotus Imperator Sigismundus & omnes ibi congregati, contra Dominum Fridericum Ducem Austriæ Switenses aduocauerunt, & eis auctoritate concilii in pœnam Friderici totam regionem Argowiæ cum omnibus oppidis, castris, & villis dederunt, imperantes eis vi armorum omnia illa capere. Audiens autem hoc Dux Fridericus, in pœna intellexit se malo deceptum consilio, & Iohannem Papam in Burgundiam aufugere conantem & iam actu fugientem insecutus est, & eum cepit sacroque concilio præsentauit, quem Imperator & concilium recluserunt in castro Episcopi Gotlieben, & pœnitentem Fridericum Ducem ad gratiam suscepit Imperator, & donationem factam Swiceris reuocauit, eique Argowiam restituit. Sed Swiceri non impigri, vti alienorum bonorum cupidi, iam regionem inuaserant, & suas sedes in ea collocauerant, quas propter reuocationem illam dimittere nolebant. Et ita domus Austriæ ab illo tempore vsque in hanc diem caret terra suæ natiuitatis: quo iure, perpendat vir prudens. Nam antequam terram caperent Swiceri, peruenit ad eos reuocatio. qua non obstante nihilominus castra, castella, & oppida oppugnabant & capiebant, & ea quæ fortia erant, destruebant, vt castrum Baden supra oppidum in monte, quod penitus destruxerunt, & vetustissimas literas de regionibus illis, quæ erant Ducum Austriæ, acceperunt in arce illa repertas. Et inter hæc locus originis spectabilium Austriæ Ducum Habspurg, in manus & potestatem deuenit miserabilium rusticorum Swicerorum. Sed & Kyburg castrum impignoratum fuit per duos Comites fratres de Kyburg consanguineos Comitum de Habspurg, & ipsi in Tunis castro & oppido degentes non vt fratres, sed vt inimici simul viuebant quasi depauperati. Vnde crescentibus calamitatibus vnus germanum suum interfecit, quod Bernenses cernentes fratricidam eiecerunt, & Comitatum Tunensem possederunt vsque hodie; sicque genealogia Comitum de Kyburg euanuit. Insuper oppidum Schafhusen fortissimum per

Ducem

Digitized by Google

Ducem Auſtriæ cuidam nobili fuit pro ſumma pecuniæ impignoratum. Ciues autem oppidi impignorationem ægre ferentes collectis pecuniis oppidum ſuum redemerunt, ſeque cum Swiceris federauerunt.

Anno Domini M. CCCC. XXXVII. poſtquam Sigismundus Imperator XXXVII. annis regnauit, anno quarto poſt coronationem ſuam imperialem, ſciens ſibi mortem vicinam iuſſit Imperatricem recludi, ne aliquid machinaretur, & omnia regna ſua ac alios principatus vbicunque vnicæ ſuæ Dominæ Elizabeth eiusque marito Alberto Duci Auſtriæ ex teſtamento legauit, quamuis prius per auream bullam ordinauerat erat filias Regum Bohemiæ non ſuccedere ſicut filios. & in lecto extremæ ægritudinis iacens, ambaſiatores miſit in Bohemiam & Principibus ac præfectis commendauit filiam reginam & generum ſuum Albertum Regem. Sic mortuo Sigismundo ſucceſſit ei in regno Bohemiæ Albertus Dux Auſtriæ. Eodem anno idem Albertus electus fuit in Regem Hungariæ. Poſthoc congregati Principes Electores pro Romanorum Rege eligendo, eum Regem Bohemiæ Hungariæ, & Ducem Auſtriæ Albertum elegerunt in Regem Romanorum, anno Dom. M. CCCC. XXXIII. Erat enim vir optimus & omnium virtute plenus, quo apud Franckfordiam omnium ſuffragiis ea opinione & virtute electus fuit, vt eius imperio & principatu orbis felix diceretur, cuius rerum bene geſtarum magno cœlo & immortalitate dignus erat. Magnus erat zelator Eccleſiæ & fidei. vnde multa glorioſa bella geſſit contra hæreticos. Poſtea in Vngariam conuocauit exercitum ingentem volens procedere contra Turcos, ſed dyſenteria diſſolutus ventris profluuio mortuus eſt. Hunc autem fluxum dicunt ſibi per inſidiatores procuratum, vt moreretur. Dereliquit autem filium paruulum Ladislaum omnium paternorum regnorum heredem. Hic pulcherrimus & optimorum morum iuuenis Rex Bohemiæ, Rex Vngariæ, Dux Auſtriæ cum filiam Regis Francorum ſibi deſponſaſſet miſiſſetque ſolemnes nuntios ad traducendam ſponſam in Pragam, vbi ſtatuit ſolemnes nuptias celebrare, perfidia hæreticorum & dolo veneno extinctus eſt per vxorem, ſicut fertur, Ieorii, qui poſtea ei ſucceſſit in regno. De cuius morte tota conturbata eſt Alemania, imo omnis Europa, quia ſalutem terræ per eum fieri omnes ſperabant. Non vidi in vita mea tam vniuerſalem planctum ſuper aliquo mortuo, ſicut ſuper illo iuuene. Nam ego ipſe tunc iuuenis exiſtens de morte eius dolui plurimum, quia videram per Photzheim nuntios eius cum magna pompa properare in Franciam ad ſponſam tollendam; ſed poſt paucos dies ſequebantur alii nuntii triſtes, qui reuocare omnia volebant propter extinctionem Regis. In illo Ladislao defecit vna linea genealogiæ Ducum Auſtriæ ab Alberto II. deducta in Albertum III. ab eo in Albertum IV. & vlterius in V. de quo in præfatum Ladislaum, & ibi ſtetit. Alia tamen linea deducta ab eodem Alberto II. in Lupoldum, de illo in Erneſtum, de iſto in Fridericum, de Friderico in Maximilianum, & de Maximiliano in Philippum; & hæc ſanguinis nobiliſſimi traductio per auream vsque hodie decurrit venam perhenni, optamus, manſura tempore, &c.

CAPUT XVI.

De Diuo Friderico Duce Auſtriæ, Imperatore, & eius bello cum Suiceris.

FRidericus III. huius nominis Imperator, Auſtriæ Dux, Erneſti filius, anno Domini M. CCCC. XL omnium ſuffragiis Cæſar creatus imperauit vsque in præſens annis LIV. Verum ſciſmate prohibente vsque ad Nicolaum V. diſtulit coronari. Tandem vero Leonora Luſitaniæ ſiue Portugalliæ Regis filia & Alphonſi Regis nepte, vxore ducta vna cum eadem anno ſalutis noſtræ M. CCCC. LII. die IX. Martii Romam veniens maximo cum gaudio & apparatu a Nicolao Pontifice benedictis præmiis nouis nuptiis imperatoria corona donati ſunt in ſancti Petri baſilica. Quo facto dum ad ſanctum Iohannem in Laterano proficiſceretur, ex more in Adriani ponte multos auratos creauit milites. Abiens inde cum vxore Neapolim viſendi Alphonſi Regis cauſa, maxima pompa & ſumptuoſo apparatu ſuſceptus eſt. Rurſumque mari Romam rediens iter in patriam ſtatim arripuit, quia intellexerat quosdam Principes res nouas in Alemania moliri. Porro Franciſcus Mediolani Dux Imperatorem per legatos ad coronam ferream Mediolani ſuſcipiendam (vt mos erat) inuitauit, ſed rennuens alia via profectus eſt, veniensque Ferrariam Galeacium ipſius Ducis filium miræ pulchritudinis adoleſcentem ingenti apparatu obuium habuit. cuius eleganti & ſuaui oratione Cæſar allectus ſuſceptis eius muneribus illum auratum equitem creauit, & a ſe collaudatum dimiſit. Veniens autem in Alemaniam, quantum potuit, pacem reparauit. Fuit autem Imperator ille & hodie eſt vir pacificus, quietus, & patientiæ ſingularis, & prudentiſſimus, cum ſilentio & quiete multa vltra modum diſponens per orbem. Eſt etiam deuotiſſimus in diuinis officiis, quottidianus eccleſiaſticis perſonis, affectus religioſis, bonis totus inclinatus, moribus compoſitus, & in cibis & potu & ſomno valde ſobrius. & quicquid de viris bonis dici conſueuit, illi Imperatori ſine fictione attribui poteſt. De duobus tantum vulgus eum defectibus inculpat, dicens eum eſſe tardum & tenacem. Prudentes tamen iudicant tarditate ſua pacem fouiſſe, & ciuitatum diuitias creuiſſe. Tenacitate vero ſua futuris temporibus malum prouiſum eſſe, & theſauros eius pro Repub. ſeruari putant. Suo tempore dum eſſet Rex, fuit ſciſma magnum in Eccleſia inter Eugenium & Felicem, quod ſedecim annis durauit. ad cuius ſciſmatis diſſipationem plurimum laborauit

uit, & vsque in finem cum Eugenio ſtetit; & quanuis perſonaliter Baſileæ in Concilio non fuerit, ſententiæ tamen ſuæ ibi efficaciter operabantur ad eccleſiæ pacem. vnde omnibus temporibus ſui regiminis nunquam ab Eccleſia receſſit, & cum octo Papis, ſub quibus fuit, pacem habuit. Defuncto Papa Calixto III. Æneam virum eloquentiſſimum, qui ſuus fuerat Cancellarius, in Papatum promouit. Paulum II. Papam, virum valde magnificum Romam petens adiit, cum quo longum & ſecretiſſimum colloquium habuit. & niſi Deus Paulum Papam de medio citius tuliſſet, opinantur multi, Italiam in aliud regimen redactum, & Remp. Eccleſiæ emendatam. Dietas & Principum conuocationes Nurembergæ & Ratisponæ habuit pro bono & pace Eccleſiæ, & contra Turcorum & hæreticorum incurſus ſollicitus exſtitit. Inſuper tractatus multos habuit cum ſuis, & multo plures cogitatus ſuæ mentis, qua via hereditatem ſuam paternam, quam Swiceri vſurpauerunt, redimiret, & ſanguinem aui ſui Lupoldi in eis vindicaret. egit quod anno Domini M. CCCC. XLIV. Venit igitur in terram noſtram illuſtriſs. Delphinus Regis Franciæ primogenitus cum innumerabili multitudine Armiacorum & omnium occidentalium regnorum populis. Erant autem Swiceri in obſidione ciuitatis Thuricenſis & caſtri Vaſpurg prope Baſileam. Audientes autem Swiceri populum alienum contra ſe aſcendere, electiſſimorum ruſticorum collegerunt nouum exercitum & tanquam deuoraturi Delphinum cum ſuis aſcendentibus iuxta Baſileam vrbem occurrunt in loco Leproſorum ad ſanctum Iacobum. ibi ergo congreſſione facta hoſpites illi terræ noſtræ impetu facto in Swiceros primum cornu eorum conterunt, & eo confracto cædere ſequentem populum incipiunt continue a mane vsque ad veſperam, & quatuor milia Swicerorum proſtrauerunt. Multi autem de Swiceris fugæ præſidium quærentes in habitacula leproſorum ſe receperunt, quod ſcientes Armiaci igne ſuppoſito capellam plenam Swiceris & habitacula incenderunt & crudeliter cremauerunt, ſicque eos de igne temporali ad ignem gehennalem transmigrare compulerunt, ſicut Sodomitis accidit. Et ita iſto Dei iudicio factum eſt, vt filii eorum orphani fierent, & vxores viduæ, qui orphanos & viduas multas conſtituerant. Porro poſt menſem a cæde prædicta, dum locus certaminis pro leproſorum reductione mundaretur, aperrum fuit cellarium quoddam ſub cineribus, in quo centum minus vno ſtabant exanimata Swicerorum integra corpora compreſſa, quorum animas extorſerat timor amariſſimæ mortis & fumus ſuffocans, ſicque tabefacta ſtabant corpora vt idola in ſtuporem omnium videntium & ammirantium. Dicitur etiam, quod in ipſo conflictu Swiceri videntes ſe paſſim interfici, ignem grandem fecerunt, & corpora ſuorum infectorum iniecerunt comburentes, vt numerus cæſorum maneret incertus. Porro finito prœlio cum iam omnes receſſiſſent, religioſi viri de monaſteriis de Baſilea exeuntes diſperſa corpora per campum collegerunt, & ea in cemiterio ſancti Iacobi ſepelierunt, vt per omnia pœna correſponderet culpæ. Pro quo pulchre conſiderandum, quod Carolus Magnus ſanctum Iacobum Apoſtolum præ omnibus ſanctis coluit, vt habetur in eius legenda, & eius tempore ipſo procurante peregrinatio S. Iacobi inſtituta fuit. Hic Carolus diuerſas hinc inde conſtruxit ſancti Iacobi eccleſias extra oppida, vt illi qui non poſſent viſitare ſancti Iacobi limina in Compoſtella, ſaltem exeuntes in illas eccleſias invocarent ſancti Iacobi patrocinia. Idem Imperator Swiceros transtulit de vltimis Saxonum regionibus in hæc montana, quæ incolunt. Cum ergo Swiceri per Carolum miniſtrum ſancti Iacobi ſint de regione prouiſi, & in contemptum ſancti Iacobi & Caroli oppidum Thuregum impugnarent, & ciues Thuricenſes in capella ſancti Iacobi per Carolum fundata funderent & occiderent anno M. CCCC. XLIII. ſuſcitauit Deus Delphinum de ſtirpe Caroli, qui gentem refugam & Carolinis legibus contrariam & Carolo periuram in loco S. Iacobi perimeret anno ſequenti, quod ipſi apud Thuregum idem fecerant ad ſanctum Iacobum. Ambas illas eccleſias extra portas Thuregi & Baſileæ Caroli deuotio in honore ſancti Iacobi inſtituit, & Thuricenſem ciuitatem ſibi ipſi quodammodo dedicauit, ædificans eccleſiam collegiatam in loco Felicis & Regulæ martyrum, eamque optima prouiſione cleri dotauit. Qui Carolus videns per Swiceros ruſticos enormiter anguſtiari & grauari ſuos ciues Thuricenſes apud Regem regum, in cuius palatio æternaliter militat, ſui caſtri nobilis impetrauit liberationem per ſuum ſucceſſorem nobilem Delphinum, per quem Deus vltionum Dominus libere egit. Nimis enim & vltra metas humanæ bonitatis in Thuricenſes exceſſerant accipiendo ſigna inimicorum, quod nunquam licet: ſicut nec licet quod Notarius vtatur alterius Notarii ſigno, aut aliquis alterius ſigillo illo neſciente vel nolente, cum hoc ſit crimen falſi, vt ff. qui teſta. fac. poſs. ad teſt. §. ſi quis ex teſtib. & l. pen. & d. cap. ſignificauit, de app. & Spec. de inſt. 4. di. §. poſtremo ver. Et eſt ſimile crimen Iudæ crimini, qui Chriſtum ſignis amicitiæ quatuor in mortem dedit, ſcilicet amplexando, oſculando, ſalutando, Rabi nominando, Matth. 27. Sic & Ioab fecit 2. Reg. 20. effundens ſanguinem belli ſigno pacis, propter quod occiſus eſt 3. Reg. 2. Et Achot portans munera ſignum amicitiæ Regi Eglon interfecit, Iud. 3. Cum his ergo fallacibus ſignis aſſumptis deceperunt ciues Turicenſes, & interfecerunt. & præter hanc crudelitatem aliam, cuius ſimilem nusquam legi vel audiui, exercuerunt. Nam inter conciues cecidit etiam inſignis vir Rudolfus Stuſs bellator ſtrennuiſſimus actu Magiſter ciuium Thuricenſium. Quem dum Suiceri adhuc palpitantem & ſemiuiuum reperiſſent,

Digitized by Google

sent, gladio ventrem eius aperuerunt, & de penetralibus corporis cor eius integrum euulserunt, & in nobilis humanæ conditionis contemptum cum corde illo calciamenta & ocreas perunxerunt more sutorum & tanquam bestiales & agrestes gentes intestina iam morientis contrectauerunt propter mordacissimam inuidiam ad virum, quem sciebant domui Austriæ fidelem & nobilibus omnibus acceptabilem. Et hæc scribuntur atque recitantur ad perpetuam eorum infamiam. etsi ipsi dicunt, Inimici nostri hæc dicunt, ideo nullum est eorum testimonium. Ad hoc respondetur, quod in hoc casu *hostis contra hostem testis esse potest, qui alias regulariter refutaretur in casu quo negaretur*, vt de testib. quotiens. & quod hostis possit esse testis, probatur per ea, quæ leguntur & notantur in c. veniens, 2. de testib. in fi. & alibi sepe. Grandis infamia incurritur, dum quis illegitime prœliatur & iura prœliantium transgreditur, vt Swiceri fecerunt ante Thuregum cum fallacibus signis, quod Turci bellantes contra Christianos non facerent, quia est iniustissimum; ideo puniti sunt etiam in seipsis. Nam dum Thuricenses prostrauissent, & se ad propria redire disponerent, secuti sunt illi Swiceri, qui in cauda exercitus fuerant locati, quibus nihil de assumptione falsorum signorum constabat. Hii ergo videntes socios rubeis crucibus signatos æstimabant inimicos, & vibratis lanceis & gladiis cædere cœperunt suos & plures occiderunt. propter quod ortum fuit inter partes eorum magnum discidium, quod vix poterat sedari. Puniti sunt etiam a Delphino, vt dictum est, quem adduxerat in eorum correctionem illustrissimus Dux Austriæ Fridericus nunc Romanorum Imp. cui ciues Thuricenses conquesti fuerant, quod propter domum Austriæ per Swiceros angustiarentur, eo quod ei federati essent. siquidem Thuricenses ligam perpetuam fecerant cum illustrissima domo Austriæ Ducum, cum expressa conditione, vt ligæ, quam prius habebant cum Swiceris, non deberet præiudicare. Nam expresse cauebatur in literis Swicerorum super liga illa confectis, vt Thuricenses possent se libere cum aliis quibuscunque confederare, prout proxime Bernenses fecerant, qui saluis saluandis cum Basilienſibus ligam fecerant. Timentes autem Swiceri prædictam ligam cum Domo Austriæ factam in futurum posse eis nocere, conabantur per vim, cum de iure non possent, ligam dissoluere. vnde ortæ sunt inter Thuricenses & Swiceros mortales discordiæ, cum tamen Thuricenses nihil egerint contrarium ligæ, quam cum eis ante centum fecerant annos. Sic enim liga antiqua Thuricensium cum Swiceris erat firmata, vt protunc quando facta fuit, non posset videri modus dissolutionis eius, eratque membrana grandis, & est hodie cum inscriptis conditionibus ligæ, quæ sigillata est sigillis omnium partium confederatorum, & semper de decennio in decennium coram congregatis partibus legitur publice, & iuramentis nouis ratificatur. In eisdem autem chirographis patenter est cautum, quod quælibet vniuersitas dictæ ligæ seorsum salua priori confederatione cum quibuscunque Principibus aut communitatibus similiter se confederare possit. Sic ergo communitas populi Thuricensis nuper se cum illustrissima domo Ducum Austriæ confederauit & perpetuo colligauit, & iuramentis confirmauit, prout ex priori conuentione facere potuit, & iuri rationique congruit. Nam Iudas Machabeus & communitas Iudæorum in Ierusalem confederationem fecerunt cum Romanis sine præiudicio conuentionum cum vicinis Principibus, vt habetur 1. Machab. 6. Et hoc idem ibidem cap. 14. & 12. & 2. Machab. 11. & hodie licet, vt legitur & notatur 11. q. 1. si qui clericorum; & clarius ibidem per Archidiacon. sed clarissime per eundem de ver. sig. constitutio. lib. 6. in glos. Hiis omnibus non obstantibus Swiceri contra Thuricenses displicentiam gessserunt, & vt Thuricenses illam nouam confederationem rumperent, aut coram ipsis iuri parerent, vt dicere possent Thuricenses illud; *Inimici nostri sunt Iudices*, Deuteron. 32. aut contra eos tanquam contra inimicos & violatores federis arma sumere parati essent. Thuricenses autem voluntarie se obtulerunt de stando iuri coram consulatu Solodorensi & Bernensi & aliarum ciuitatum imperialium. Sed de hoc Swiceri minime contenti grauissimas & hostiles inuasiones Thuricensibus intulerunt contra conditiones & pacta dudum fideliter iurata & in literis contenta, & ipsorum oppidum obsederunt, & suburbia, villas, possessiones, & domus extra incenderunt, & in Thuricensium terra monasteria & religiosorum loca, ecclesias collegiatas & parrochiales ac capellas numero XXIIII. ignis voragine consumpserunt, & miserabiliter ecclesiasticas personas tractauerunt, vinculantes, compellentes, & cruciantes; sicque Swiceri iuris ordinem & iustitiæ rigorem non ferre potentes, bellum in quo spem fixerunt violenter, contra quoscunque (* præmiserum occasione constanter elerunt,) quod per annos IX. & vltra durauit interuenientibus interdum treugis. Et illo Thuricensi bello vltra octo milia rusticorum successiuis actibus perdiderunt: de parte vero aduersa Ducatus Austriæ & Thuricensibus vltra octingenta virorum nunquam succubuerunt, qui tamen, vt est spes nostra & superius declaratum, feliciter decesserunt, quia iustissime pugnauerunt: Swiceri autem quia *iudicium & iustitiam refugerunt, apparet eos de iustitia diffisos esse*, 11. q. 1. Christianis. ad hoc 3. q. 9. decernimus. *& fugiens ob timorem accusatus pro condemnato habetur*, vt dicit l. ff. de bo. lib. si in liber. & in authent. de exhib. reis, §. si vero quidam, col. 5. legitur & notatur, quod *fuga accusat fugientem*, vt hic. Nam ipsi Swiceri tam contumaciter iustitiæ nec non iuris ordinem fugerunt, quod se reos

* *Hic vitiosa est lectio. Legi fortasse debet pro miseriarum occasione constanter elegerunt, vel intulerunt.*

Digitized by Google

se reos coram Deo & hominibus reddiderunt patenter. Dum ergo vtraque pars læderet, & quotidie læsionem acciperet, & terra multis annis in vertigine bellorum volueretur, tandem non poterant nec isti nec illi sustinere, & collatione habita per mediatores inter Thuricenses & Swiceros, visum est prudentibus, vt declaratio fieret & finalis conclusio, an Thuricenses absolute deberent cum Duce Austriæ esse, vel an Swiceris deberent adhærere absolute, & ligam cum domo Austriæ resignare. Non enim fuit possibile hic & ibi amicum esse, quia nemo potest duobus Dominis sibi contrariantibus seruire. Tanto enim odio erant Swiceri nobilibus, vt dedignarentur partem cum eis in aliqua re habere: & vice versa Swiceri adeo amaricati erant contra nobiles, & præsertim contra domum Austriæ, quod non poterant nec nomine audire. Vnde si quis in illo tempore in aliquo loco Swicerorum bona locutus fuisset de Ducibus & nobilibus, vel aliquo verbo aut signo ostendisset se de parte vel fauore eorum, fuisset sine iudicio occisus. & tantum erat odium, quod in tota terra Swicerorum nullum sustinebant pauonem, pro eo quod Duces Austriæ in galea habent pauonis caudam. & si quis in pileo gestasset pauonis pennam, sine interrogatione fuisset interfectus a proximo Swicero sibi obuiante. Audiui sepe, quod quidam Swicerus sedens inter socios ad mensam ante se habuit vitrum vino plenum: sol autem splendens ad vitrum resplendentiam facit ab alia parte in modum pennæ pauonis, præsertim si vitrum est pustulis respersum. Quidam de assidentibus cernens resplendentiam, dixit sine præmeditatione; Ecce bene formata & pulchra penna pauonis. quod cernens Swicerus exemit gladium, & vitrum cum blasphemiis, maledictionibus cædens in multas commimuit particulas. Sed & arma Ducum Austriæ depicta in parietibus abraserunt in ecclesiis & hospitiis. Ita quod illæ duæ partes erant extremæ contrarietatis, & quia ciuitas Thuricensis quasi in medio vtriusque partis sita erat, angustiabatur ab vtraque nec poterat esse neutralis. Constitutum ergo est per mediatores, vt Thuricenses duos de suis ciuibus eligerent, & Swiceri etiam duos, & Dominus Dux Austriæ vnum virum neutralem, qui nec esset Swicerus nec Thuricensis nec Australis, sed arbiter rationabilis, & ille auditis causis vtriusque partis deberet sententiam ferre, & Thuricenses illi vel isti parti absolute adiudicare. Electis ergo viris, vt dictum est, dedit Dux Austriæ ciuem vnum de Augusta, * dictum N. de Arga, nulli parti suspectum, nec ipsi Principi notum singulariter, & in ipsum virum Princeps, Thuricenses & Swiceri compromiserunt. Vir autem ille auditis partibus & omnibus pensatis iudicauit pro bono pacis esse necessarium, quod Thuricenses absolute in confederatione Swicerorum essent, concludens Thuricenses confederatis iungi nouis iuramentis sub quibusdam nouis conditionibus. Vt autem hæc conclusio Thuregi audita est, quantus ortus sit planctus & vlulatus in plebe, murmur & tristitia, non facile dixerim. Nam & ego puerulus forte VIII. vel IX. existens annorum fleui, cum tamen extra Thuregam essem in Dysenhofen, audiens Thuricenses Swiceros fore factos, quia omnibus stupor fuit tam subita mutatio de extremo in extremum, vt Thuricenses dicerentur Swiceri. Omnes enim communitates iunctæ Swiceris cum eis nomen communicant, & Swiceri a villa Swiz nominantur. sicut totum regnum Bohemiæ & Marchionatus Morauiæ ab vna sola persona Iohanne Hus Hussitæ dicuntur per vniuersum mundum, ita adhærentes Switensibus dicuntur Swiceri. Post conclusionem ergo datam venerunt Swicerorum communitates Thuregum & iuramenta a Thuricensibus acceperunt, sicque mansit Thuricensis ciuitas in federe Swicerorum vsque in hodiernum diem. Multa autem obprobia & improperia sustinuerunt Thuricenses a communi vulgo per totam Alemaniam propter illam transmutationem, & vbique periuri diffamabantur & fractores federis. in quo tamen, vt præcedentia demonstrant, eis iniuria fit. Sed & nobiles conabantur Thuricenses cum Switensibus discordare, & eos contra se inuicem concitare. Vnde post confederationem Thuricensium cum Suiceris in quadam nobilium conuocatione erant præsentes Thuricenses cum quibusdam Switensibus postulantes a Duce Austriæ quosdam centenarios flor. quos sibi concesserant. Surrexit autem coram omnibus Thuringus senior de Halwil, dixit Swiceris, assistentibus Thuricensibus. Ecce vos Swiceri assistitis nunc Thuricensibus ad postulandam pecuniam, quam Thuricenses ipsi concesserunt Dn. nostro Duci ad perdendum vos in personis & rebus. hiis verbis volens reddere Thuricenses Swiceris odiosos, & vt desisterent a postulatione pecuniæ. Hiis & aliis iniuriis indurati fuerunt Thuricenses & amaricati contra Nobiles, sicut olim Swiceri simul cum ipsis exorbitare cœperunt in multis. Multa autem mala orta fuerunt in terra propter Ducis Alberti fratris Imperatoris prodigalitatem, & passim occupabant Switenses oppida & loca Ducum Austriæ, quia Dux Albertus stipendiarios milites non poterat inuenire, vt eis resistentiam faceret, nec fortunatus in bellis fuit, & ita multa perdidit. Considerans autem Imperator Fridericus fratrem suum Albertum Ducem deficere, & sub eo rem non prosperari, reuocauit eum in Austriam, & Duci Sigismundo Domino Athesis terras superioris Sueuiæ, Alsatiæ, & Brisgaudiæ commendauit. Erat autem Dux ille Sigismundus homo magnificus & valde pius, conferens nobilibus & sibi familiaribus quæcunque ab eo petebant, & nonnunquam ob id

* Petrus de Argow, *Stumpfio, qui consulem facit Augustanum.*

Digitized by Google

ob id seipsum & curiam suam spoliabat. Sed & mulieribus vltra modum inclinatus nullam a se dimisit nisi magnifice remuneratam, propter quod iuuenculæ vltro se inferebant consentientes ei passim, scientes quod cum nudæ ac pauperes ad Principem ingrederentur, non nisi plenæ & dominæ emittebantur. imitabatur in hiis actibus Salomonem quodammodo & Assuerum Reges. Verum vnam habuit vxorem Dominam Helienoram filiam Regis Scotiæ sibi matrimonio iunctam, quæ erat mulier deuotissima & sancta, quæ nunquam credere voluit dicentibus Principem adulterum, & sine prole defuncta est. Post hoc cum esset iam decripitus, suasus a nobilibus inuenculam duxit filiam Ducis Saxoniæ Alberti, cum qua hodie viuit. Cum ergo Dux ille Austriæ Sigismundus terram illam regendam suscepisset, causam bellandi nemini dedit, quia rebus bellicis minus aptus erat, pacem cum voluptate deligens. Alii tamen res suas perturbantes eum ad se defendendum excitauerunt, & præcipue Swiceri, qui multa oppida & pagos eius dominio subtraxerunt, præsertim tempore Pii Papæ, qui dedit eis auctoritate Apostolica potestatem vndique inuadendi terras suas, pro eo quia Dominum Iohannem de Cusa Cardinalem captiuauerat, propter quod multa sustinuit Dux ille, quia ipse cum tota terra sua interdictus fuerat, & omnes eius territorium pertranseuntes, pœnis eius includebantur. Cum autem Dux Sigismundus videret, quod terram protegere non posset ab incursibus Swicerorum, inuocauit Principes, sed non inuento auxilio impignorauit terram Carolo Duci Burgundiæ, & consequenter res gerebantur, sicut patet supra. Et sic res Ducis Austriæ & Swicerorum pacificata fuit in tantum, vt Dux de Pontina Thuregum veniret, & beatam Virginem in loco Heremitarum visitaret. Fuit autem ille Sigismundus adeo largus & credulus, quod totam Athisim & terram superioris Sueuiæ perdidisset, si industria Friderici Imperatoris non fuisset præuentum, vt sequentia docebunt.

CAPUT XVII.

De Friderico III. Imperatore, & eius factis singularibus.

DE glorioſissimo Imperatore nunc proprie agendum. Hic, vt dixi, habuit patrem Ducem Ernestum, virum strennuissimum, qui anno Domini M.CCCC.XIV. transfretans mare Ierosolymam petiit, & cum prospere reuenisset in Austriam, in Schadwiena iussus fuit expectare quousque populus congregaretur ad inducendum eum cum condigna solemnitate in Wiennam. Dum autem ibi esset expectans, mutato habitu rusticosam induit tunicam, & in nocte exiens de Schadwien ad Nouam ciuitatem cucurrit ad vxorem suam, quæ ibi morabatur, & illa nocte eum ea dormiuit cunctis ignorantibus, & clam mane recessit, & in Schadwien ad exercitum turbatum reuenit. Porro Domina Ducissa eadem nocte concepit, & anno Dom. M. CCCC. XV. in die sancti Matthæi filium genuit, eumque Fridericum nominauit. Eo nato Domina frequenter solita erat dicere, quod puer esset sanctus, quia de primo coitu fuisset, quem suscepit a viro post aduentum eius de sancto sepulcro. Genuit & Albertum, de quo supra dictum est. Dicunt autem, quod dum adhuc vterque cum matre esset, mater Domina singulariter venerabatur Fridericum, & ei, quando ingrediebatur, assurgebat, quod alteri filio Alberto non faciebat, & quando interrogabatur, quare illi assurgeret & non isti, Prophetica voce respondit; Hic Fridericus magnus erit & toti mundo venerabilis, sed Albertus nullus erit. Et eiusdem sententiæ fuit etiam pater eorum Ernestus. Tandem autem successu temporis Fridericus electus fuit in Romanorum Regem & Imperatorem, vt supra dictum est. Sublimatus autem in regnum transfretauit mare, & terram sanctam adiit non vt peregrinus, sed vt Rex magnificus aperto vexillo & manifestis sui principatus insigniis, quod a tempore Friderici II. nullum fecisse legimus, sed omnes Reges & Principes necesse est, vt occultent sui excelsi status conditiones ipsis Sarracenis. Ille autem a Soldano saluo conductu accepto se Regem Romanorum publice gessit, & cum gloria ac formidine Sarracenorum Ierosolymam intrauit & exiuit, nec ausus fuit quis leuare contra eum calcaneum. Reueniens autem de terra sancta ecclesias diligere cœpit & religionem fouere. vnde in Austria plura monasteria erexit, & nostro ordini duos nouos conuentus in Gretz & in Stira ædificauit. Temporibus sui regiminis multas perpessus est tribulationes etiam a proprio fratre a Duce Alberto. Hic enim cum ciuibus Wiennensibus eum cum vxore & filio Maximiliano concluſum in castro Wiennæ obsedit & cum bombardis contra eum iecit, & in tantum angustiauit, vt paterentur defectum in castro Imperator, Domina, & filius, & miraculose fuit eis prouisio facta. Tandem post longam obsidionem venit Rex Bohemiæ cum exercitu & liberauit eum. Insuper serui sui, qui magni Domini cum eo facti fuerant, quasi Satrapæ terræ, insurrexerunt contra eum in Austria, & omnes post multas insolentias vicit & suppressit, de quibus conscribendæ forent longæ historiæ. Demum anno Domini M. CCCC. LXX. Dux Burgundiæ Carolus obsedit Nusiam Rheni oppidum infra Coloniam. Implorantes autem Nusienses Imperatoris auxilium descendit cum nobilibus & ciuitatensibus in multitudine graui, & fugauit eum à ciuitate, quod nemo credidisset, quia Carolus ille valde potens erat & superbissimus. In omnibus autem prœliis Imperatoris Friderici ita actum manifestum cernimus, quod sine sanguinis effusione partes vnitæ sunt, & cum ipsius Imperatoris profectu & vtilitate. Nam apud Nusiam fuit res pacificata sine strage populorum, & filia Ducis Burgundiæ desponsata fuit Maximiliano filio eius, & magna munera reportauit

tam a Colonienſibus, quam ab aliis qui liberati a Carolo gaudebant. Conſueuit etiam hic Imperator bella atrociſſima pacare viſis pecuniis, & multum ſanguinem redemit acceptis pecuniis. quod certe vitioſum minime eſt, ſed vitioſiſſimum eſſet pecuniam accipere pro humano ſanguine effundendo, quod eum feciſſe compertum non eſt. Anno Domini M. CCCC. XC. Rex Hungariæ, quem ad regale faſtigium ſubleuauerat, ſe ei oppoſuit, & inualeſcens Wiennam cepit, & ciuitatem Nouam ipſumque Fridericum Imperatorem Dominum terræ expulit, & duriſſimum bellum fuit. Multi tamen opinantur, quia omnia iſta de conſenſu & voluntate Friderici fiant, vt puniantur Wiennenſes ſuperbi ab alieno Rege magna pœna, qui nolebant a proprio Domino ſuſcipere exiguas. Sic & Nouæ ciuitatis ciues puniri voluit propter plurimas eorum rebelliones ſibi factas, vbi frequentius in caſtro morari ſolebat. Et dum emigrare iam propter Regis Vngariæ propinquitatem neceſſe foret, ſic dixiſſe fertur; Veniat Rex Vngariæ & emendet crudelitate, quod nos nequiuimus bonitate; caſtiget rebelles, corrigat ſuperbos, humiliet potentes, ſpoliet diuites, totum hoc placet, tantum hortulos noſtros non diſſipet, non deſtruat viridaria, non deiiciat alta & voluptuoſa noſtra pomeria. In quibus verbis manifeſte patet Regem Hungariæ de ſua permiſſione Auſtriam ingreſſum fuiſſe, cum hortulos ſuos tantæ ciuitati prætulerit. Fecerat enim pro ſuæ ſenectutis ſolatio in caſtro Nouæ ciuitatis ſuper altas teſtudinis hortum ſtupendum & delitioſum, & piſcinulas fodit, & aquas eduxit. Plantauit in horto illo platanos ſua manu, ſeminauit herbas aromaticas, odoriferas locauit plantulas, peregrinas ſeuit arbuſtulas, & in hiis mentem inquietatam fluctibus ciuilium rerum recreari ſolebat, dulce ſectari otium, honeſtum agere negotium, modeſta vti voluptate. nec primus ex ſapientibus viris & potentibus in hoc viuendi genus ex rebus publicis conuolauit hic Fridericus, ſed grauiſſimi viri hoc egiſſe leguntur. Vnde Horatio principi inter poëtas Lyricos & Satyricos nulla voluptas maior fuit quam ruri ſeſe recipere. Quo cum veniſſet, vix illinc poterat Octauiani Cæſaris & totius mundi Domini iuſſibus euocari. Sed & Diocletianus, cui orbis parebat, depoſitis imperii faſcibus in villa Salone agriculturæ ſtudiis ſeſe tradidit. Feciſſet idem Auguſtus, vt quidam ſcribunt, niſi timuiſſet inſidias. Fridericus autem Imperator, vt hortos colere poſſet, & inſidias non metuere, in alto & ſecuriſſimo ſui caſtro loco aream ſibi fundauit, quæ prudentia Auguſtum latuit. Sed & Cyrus Perſarum Rex gloriari plurimum ſolebat, cum venientibus ad ſe hortum oſtenderet ſuis manibus conſertum, & arbores in ordinem poſitas. Etiam Deus ipſe benedictus cum hominem primo creaſſet, in hortis delitiarum poſuit, & cum eum de Paradyſi horto expuliſſet, in agrum miſit. Merito ergo graue erat prudentiſſimo Imperatori tantum ſuæ ſenectutis ſolatium dimittere, & alienas ædes adire, quibus etſi horti aſſunt, non tamen tuti nec a ſe culti & ſerti. Adhuc hoc die Rex Hungariæ ſedes obtinet vi Ducum Auſtriæ, ſed quam diu Deus nouit. Deinde poſt emigrationem Diui Imperatoris alia turbatio ei accidit. Nam prope erat, vt non ſolum Auſtria priuatus fuiſſet, ſed omnem terram in Athiſi, in Sueuia, in Suncauia, in Alſatia, in Brisgaudia, & Silua Nigra perdidiſſet. & hæc practicabant Duces Noricorum exquiſitiſſimis aſtutiis, quibus antiquum Archiducem Sigismundum adeo dementauerant, vt pene totum extra manus ſuas elapſum fuiſſet. Inſuper eum inſtigabant ad impugnandum Venetos, ad quam pugnam pecunias accommodabant, frumenta miniſtrabant, vt creſcentibus debitis terram & loca Ducum Auſtriæ caperent. Capitanei autem illius belli & omnes quaſi Duces Auſtriæ conſiliarii pro parte Bauarorum erant, & nihil agebatur in prœlio illo, niſi quod infinitæ creſcebant expenſæ in alienationem patriæ. Hæc autem patriæ proditio occultiſſime tractabatur per maiores curiæ & rectores familiarum Ducis Auſtriæ. *Inſuper filiam ſereniſſimi Imperatoris*, quam Duci Sigismundo emigrando de terra Auſtriæ transmiſerat cuſtodiendam, deſponſauit idem Sigismundus Duci Alberto Bauaro de Monaco ſine ſcito & conſenſu, vt dicitur, ſui genitoris Diui Friderici Imperatoris, quam *duxit* vxorem & in Monacum deduxit. De omnibus hiis poſſet confici magnus & ſatis mirabilis tractatus. Cum autem quidam Nobiles, & quidam plebeii domui Auſtriæ fideles proditionem intelligerent & iacturam domus Auſtriæ, deſtinauerunt ad imperatorem Nurembergam, & periculum imminens nuntiauerunt. Quod vt Imperator audiuit, oblitus decrepitæ ſenectutis ſuæ nec aſperitatem hyemis nec viæ longitudinem aut moleſtiam conſiderans iungi iuſſit currum & exercitum parari, ſicque feſtinus Nuremberga exiuit, & ſine intermiſſione iuſſit agitari, & in die ſancti Thomæ Apoſtoli Vlmam venit anno Domini M. CCCC. LXXXVIII. inchoante; & inde in montana petiit, & Pontinam deuenit. Audiens autem pronepos Sigismundus Dux aduentum Imperatoris, ei obuiam in vehiculo aduenit, & ambo ſenes ſeipſos complexi cum tantis lacrymis, vt totus exercitus in fletum ſolueretur. Ingreſſus Imperator Pontinam, rem in pendulo ruinam minantem inuenit, & manum apponens fortiter tenuit, & collapſa reſtaurauit, & omnes reos proditionis patriæ banno grauiſſimo imperiali condemnauit, & exulare fecit, & migrare a ſuis propriis bonis, qui bona ſua non alienare cogitauerant a propriis heredibus. Nouum etiam conſilium Ducis conſtituit, officiales mutauit, præfectos depoſuit alios ſubordinans, & omnia in alium ſtatum reduxit. Inſuper vt tam terræ Ducum Auſtriæ quam ciuitates in maiori ſtarent ſecuritate & pace, fecit vnam colligationem ſuarum terrarum cum ciuitatibus imperia-

Digitized by Google

imperialibus ad certos annos. & firmiſſimo federe coniuratio facta eſt multorum Nobilium & communitatum. Nam Comes Eberhardus de Wirtenberg cum omni terra Wirtenbergenſium confedere iunctus eſt cum domo Auſtriæ & omni terra eorum; & Marchio Brandeburgenſis cum ſuo robore; & omnis nobilitas militans ſub S. Georgii vexillo, ſocietas grandis Comitum, Baronum, militum, & militarium. Hiis iunctæ ſunt ciuitates imperiales, Vlma, Memminga, Campidona, & ceteræ ſuperiores ciuitates, vt Eslinga, Rutlinga, Auguſta, &c. quibus multi adhæſerunt prælati ſpirituales, Epiſcopi, Abbates, & Præpoſiti. Hæc liga multis Principibus & communitatibus eſt formidabilis, & quorſum tendere velit, mirantur plures, quia potens eſt, & exercitus grandis, & fortiſſimi ex ea poſſunt elici. Opinantur multi, quod Imperator aliquid arduum mediante liga illa agere velit. Magna enim cura ei eſt, vt eam augmentet, & ciuitates ac communitates pœnis compellit adhærere, ſic & nobiles Sueuiæ; & præpoſuit ligæ capitaneos, viros induſtrios & bellicoſos, qui ordinem ſtatuerunt, vt ſciat vnusquisque quid teneatur ligæ & quantum, & actu parata ſunt omnia ad inuaſionem inimicorum & ad defenſionem. Dum autem Dominus Imperator hæc practicaret, & adhuc Pontinæ maneret, ecce alia ingens turbatio diuinum virum affecit. Nam velociſſimi nuntii de Flandria aſcenderunt triſtia hæc noua portantes, quod Brugenſes cepiſſent in eorum ciuitate Romanorum Regem Dominum Maximilianum filium ſereniſſimi Imperatoris. O quanta anguſtia, quanta triſtitia, quantus timor cor Domini Imperatoris concuſſit, dum filium ſuum vnigenitum Regem captum a ſuis audiuit! Cum magna ergo feſtinantia collecto exercitu de montanis Rhæticis Vlmam aduenit, & ibi vndique armatis ad eum concurrentibus exercitum collegit alium. Duo etiam Principes Bauariæ, ſcilicet Dux Chriſtoferus & Dux Wolfgangus, & Barones, Comites & Nobiles & communitatum clientes Imperatori adiuncti ſunt, ſicque cum exercitibus præcedentibus, concomitantibus, & ſequentibus eum in Flandriam deſcendit, & Brugenſem ciuitatem terribili exercitu vallauit. Continuata autem obſidione aliquibus menſibus quotidie augmentabantur exercitus. quod vt Brugenſes viderunt, anguſtiati Regem ad certa iuramenta eis facienda compulerunt, & ita eum de vrbe in exercitus emiſerunt Imperatori patri eum reſtituentes. Continuata eſt tamen obſidio hiis non obſtantibus & totius Flandriæ vexatio, vsque in hanc diem, quæ eſt XX. Auguſti de anno M. CCCC. LXXXVIII. Et eſt multorum opinio, Imperatorem obſidionem illam non totaliter ſoluturum, niſi aliqui magni practicauerint. Eſt enim vir mire cogitatiuus & inuentiuus: nec eſt homo in mundo, cui archana ſui cordis aperiat, ſed apud ſe cuncta gerit, de futuris agendis deliberat. & quia nemini cor ſuum aperit, multi ei obloquuntur, & ſua negotia derident dicentes eum delirare. Habuit autem hic Imperator cum vxore ſua Leonora tres filios, ſcilicet Chriſtoferum, Iohannem & Maximilianum, & vnam filiam Kunegundem. Duo, Chriſtoferus & Iohannes in innocentia baptiſmali mortui ſunt & inter Deos relati: alii duo, Maximilianus & Kunigundis, adhuc ſuperſunt. Kunegundis quidem iuncta eſt matrimonio Duci Alberto de Monaco, cum quo hodie viuit gloria & honore felix, Bauarorum ſtirpem ingenuiſſima nobilitate plurimum exaltans & ſpectabilem reddens, &c.

CAPUT XVIII.

De Duce Auſtriæ Domino Maximiliano iam Rege.

MAximilianus ingenua Friderici III. proles ſequitur patrem ordine naturæ. præcedit autem eum nobilitate, quia de Imperatore Romanorum patre, & Regina Luſitaniæ matre; pater vero ſolum Dux ab vtroque parente. Sed & ſtrenuitate, agilitate, bellicoſitate, liberalitate, affabilitate, tantum a patre differt, quantum harum virtutum habitus a priuatione vel ab habitibus oppoſitis. Hic Maximilianus magnifico nomine in baptiſmo dotatus excellentiam futuri ſui quodammodo præſagium extitit ſtatus. Nam multi Principes, Reges, & Imperatores ante eum aliquam participationem glorioſi ſui nominis habuerunt, nullus tamen completum & perfectum nomen habere meruit vsque ad ipſum. Aliqui enim ſuis propriis nominibus non contenti, ſubſtratum nominis Regis noſtri ſuis propriis nominibus addiderunt, pro exprimenda magnitudine, vt Sennacherib Rex Aſſyriorum, qui ad horribile nomen ſuum poſuit Magnus, & dici voluit *Sennacherib Magnus Rex Aſſyriorum*, 4. Reg. 18. Et Alexander Rex Macedonum mundi domitor dici voluit *Alexander Magnus*. Sic & Carolus Rex Germanicus Francus, in quem translatum fuit imperium a Græcis, dictus eſt *Carolus Magnus*. Sed & æuo noſtro Machumetus Tyrannus Turcorum Imperator VIII. dictus eſt per orbem *Turcus Magnus*. Quidam alius Romanorum Imp. dedignabatur dici *Magnus*, & nominari voluit *Maximus*. alius dicebatur *Maxentius*, alius *Maximius*, alius *Maximinus*, alius *Maximianus*. Sed completio omnium illorum eſt hoc nomen *Maximilianus*, quia Rex noſter etiam quodammodo re ſicut nomine excedit omnes prædictos. Nam Sennacherib Magnum immenſum excedit, quia fuit Rex tantum Aſſyriorum vnius prouinciæ & monarcha orientis, nec tamen ipſum orientem integre poſſedit, cum Syriam Aſſyriis conterminam non habuerit, & inſuper blaſphemus fuit, & ad Deum blaſphemandum Rapſacen miſit, præferens ſuam magnitudinem diuinæ immenſitati. Quapropter *percuſſit Angelus Domini eius exercitum ante Ieruſalem, & occidit vna nocte centum octoginta quinque milia*, vt habetur

4.Reg. 18. ipsum vero interfecit filius eius Assaradon in templo Dei sui, & ita Assyriorum potentia defecit. Sed & Alexander Magnus nostro Maximiliano æquiparari non valet in generis nobilitate quia erat ex adulterio conceptus, Nectanabi nicromantici filius, & iracundus, & in multis valde vitiosus: in rebus tamen bellicis fortunatissimus. Fuit enim supra humanam potentiam magnitudine animi præditus, & tantam militibus suis fecerat fiduciam, vt illo præsente nullius hostis arma etiam inermes timerent. Cum nullo enim hoste congressus est, quem non vicerit; nullam vrbem obsedit, quam non expugnauerit; nullam gentem adiit, quam non calcauerit; semper de primis in acie fuit. In hac belli fortuna non parum imitatur Maximilianus Alexandrum, & vsque ad hanc horam a pueritia sua felicissime in bellis magnis victor euasit, & seipsum semper vincere potens fuit, quod Alexander nequaquam potuit. Constantinus primus etiam dictus est *Constantinus Magnus*, & vere magnus pietate, fide, & deuotione, adeo vt in fine vitæ monachus efficeretur, vt dicunt Græci, & pro sancto eum festiuant die XXI. Martii. Sunt tamen qui dicunt, eum ab Eusebio Nicomediensi Arriano Episcopo rebaptisatum fuisse. quæ res Christianissimi Principis fidem plerosque in dubium vertit, & eius magnitudinem diminuit. Sed nostri Maximiliani magnitudo indies augmentum capit. Duos enim legimus Romanorum Imperatores, quorum quilibet Maximus dicebatur. Primus fuit vir bellicosus contra Diocletianum electus a Romanis, sed non præualuit. Alius Maximus tempore beati Martini vsurpauit sibi Romanum imperium & atrocissima gessit contra Valentianum & Gratianum, in quibus etiam Gratianum Imperatorem prostrauit. Maxentius autem Imperator qualis tyrannus fuerit, Ecclesia sancta in gestis canit sanctæ Katherinæ virginis. Erat autem Maxentius Herculei cuiusdam robustissimi filius, vir sæuissimus, magica arte plurimum delectatus, grauidas Christianorum mulieres funestis sacris adhibitas infantium causa scindere faciebat, quorum cineribus in magia vtebatur, & munera dedit tribulantibus Christianos. Tandem autem corpus eius putrescere cœpit & intolerabiliter fœtere. Quapropter conuersus Christianos libertati restituit, & in fœtoribus obiit. Alius Imperator dictus Maximius magni quidem nominis, sed nullius virtutis, vnde nihil nisi nomen reperimus. Alius autem dictus fuit Imperator Maximinus, bellicosus, robustus, sed tyrannus & magus. vnde magorum Magistris & malarum artium Doctoribus præmia decernebat auguriis fidem præstans. Et hæc omnia si quis contemnere præsumpsisset, sæuis pœnis afficiebatur, propter quod multi Christiani ab eo interempti sunt. Post hunc alius fuit eodem alto nomine Imperator Maximinus, qui Alexandrum Imperatorem occidit, & sine auctoritate senatus ab exercitu est electus anno Domini CC. XXXVII. hic secundum Hugonem Floriacensem *trinomius fuit, quia dicebatur Maximus, Maximinus & Iulius.* vnde quidam hoc nomen *Maximilianus a Maximo & Iulio* compositum esse dixerunt. Hic Maximinus Germaniam cæde & igne vastauit, & inauditas tyrannides etiam in suos milites & amicos exercuit, de quibus vide in Chron. Anton. lib. 7. cap. 7. Audientes autem Romani tyrannidem eius, alium elegerunt Imperatorem. quod audiens Maximinus positus in Alemania absorptus est ab ira, & iaciebat se in parietes, nonnunquam ad terram se prosternebat, exclamabat incondite, arripiebat frequenter gladium quasi senatum posset occidere, scindebat propriam vestem, obuios verberibus & pugnis afficiebat. Et in hoc furore excitato exercitu contra Romanos properabat, & primam Italiæ ciuitatem occurrentem Aquilegiam obsedit & oppugnauit, & cum illi viribus se defendere dubitarent, & Maximino se tradere cogitarent, Monophilus consularis, qui vrbem iussu senatus regendam susceperat, *obstitit dicens, Deorum oraculo se didicisse* Maximinum vincendum. Qua spe inducti resistebant multo tempore. Ferunt in Aquileiana obsidione feminas Aquilegienses, cum nerui & funes ad emittendas sagittas viris deessent, ex earum capillis præcisis funes fecisse. Vnde in earum honore templum Veneri Caluæ senatus dedicauit. Videns autem Maximinus oppugnationem trahi in longum, multos ex suis occidit tribuens eorum segnitiei dilationem. Quo facto milites suos contra se commouit, & excitata seditione & tumultu Maximinum patrem cum filio Maximino in tentorio occiderunt, eorumque capitibus amputatis & lanceis infixis Aquilegiensibus ostenderunt, qui certificati de facto exercitui portas aperuerunt. Quia vero hæc ciuitas Aquilegia sub ditione illustrissimorum Ducum Austriæ fuit ab antiquo, placet hic circa eam aliquantulum stare.

Anno Domini M. CCC. LXI. Rudolfus Dux Austriæ subegit sibi totam terram Patriarchæ Aquilegiensis. Et Fridericus Dux Austriæ, primus possessor Comitatus Tyrolis de Ducibus Austriæ, fuit aduocatus Aquilegiensis ciuitatis & territorii, vt supra patuit. Aquilegia ergo olim Italiæ Transpadanæ primaria potentissimaque a mari aliquantisper semota. ad eam flumine aduerso onerariis nauigatur nauibus per Natisonem fluuium plus stadiis LX. Gentes ad Histrum Illyricæ ad ipsum subuehuntur emporium. conuectant autem res, hæ sane maritimas, vinum & oleum; illæ autem mancipia, pecora, pelles. *Hæc*, teste * Carnio, *a quodam Troiano Aquilo e Troia pulso, conditionis suæ principium sumpsit, & a se Aquileiam nuncupauit.* vel, vt Magister ait, *Aquileia quasi aquis ligata cognomen*

* *For.* Carrione.

men accepit. Hanc Octauianus Cæsar plurimum inhabitauit, & propterea omni ornatu & diuitiis florere cœpit. Iulius Cæsar in ea forum orientalium atque occidentalium mercimoniorum constituit, & ideo Forum Iulii appellauit. Hanc Marcus Euangelista ex mandato beati Petri Apostoli ad fidem conuertit, & ibi sacrum suum Euangelium conscripsit, cuius primus liber manu sua exaratus Venetiis dignissime seruatur, & ibi Hermagoras Episcopus ordinatus a beato Petro totam regionem Christo dedicauit, quem postea Nero pro fide occidit. Hac postremo ab Attila diruta omnes Aquilegienses Venetias conuolantes rem Venetam mirum in modum auctam reddiderunt. Attila enim tyrannus eam continuo triennio obsidens, cum aduersus eam strennue dimicaret & non præualeret, murmur in exercitu oritur propter famem. Tunc Attila quadam die ciuitatem circuiuit, vt qua parte posset expugnare scisciteretur, cernit repente ciconias vno impetu ex vrbe migrare, fœtusque suos sublatos per rura forinsecus rostris ferre: *Aspicite*, inquit ad suos, *aues futuræ cladis præscias perituram linquere ciuitatem.* statimque adhibitis machinis hortatur suos; vrbem cepit, & trucidatis omnibus ac direptis opibus cetera igni suppositit. Porro tempore expugnationis erat in vrbe nobilis mulier Digna nomine, liberalis, venusta atque honesta, quæ e turri excelsa ædibus suis, quas ad mœnia vrbis sitas habebat, annexa in Natisonem fluuium obuoluto capite se ante præcipitem dedit metu amittendi propositum castitatis, quam in hostium potestatem deueniret, ne immanium barbarorum corpus suum reseruans nodum inuiolatæ pudicitiæ solueret. In ea vrbe nunc pastores & piscatores atque quam plurimi sacerdotes sunt: ab aliis est pene derelicta. Ab hac vrbe cœpit prædictus tyrannus Attila iter in Theutoniam per asperrimas Alpes ascendens. Patet enim hodie ad oculum via a campis sursum per altas rupes, per quos ipse cum curribus suis ascendit, sicut hodie impressa rotarum vestigia demonstrant, & vniuersum suum exercitum ibi transduxit, quod tamen omnibus cernentibus mirabile videtur, cum iam magno labore & multa difficultate vix possint equi Somarii transire. Aliqui dicunt Iulium etiam ibi Alpes ascendisse cum suis legionibus, & in Alemaniam vertisse. Hanc regionem Aquilegianam siue Forum Iulii æuo nostro Turcus Magnus ingressus cum furenti manu, & multa hominum milia abduxit, & in Carniola terra Ducum Austriæ multa loca vastauit, quæ hodie siluestria sunt, vbi ante paucos annos gleba fertilium agrorum & hortorum fuit & villarum grandium, vbi nunc sunt siluæ. Et inde descendit in Pannoniam, & Thaurinum, quæ est Alba Græca seu Albamenia vulgariter *Grieschwissenburg*, magno exercitu obsedit vrbem paruam, in loco vbi Danubius & Saus confluunt, sitam. sed obtinere eam nequaquam potuit. perfregit autem machinis priores muros & conabatur in vrbem irrumpere, & die noctuque pugnatum est, nunc victi nunc victores visi hostes. Ad extremum vulneratus Magnus Turcus sub papilla, relictis omnibus noctu trepidus aufugit. Ferunt Machumetum ab eo tempore nunquam postea eius cladis meminisse, quin mentum barbamque manu demulcens quassansque caput ei diei maledixerit, qua pugnam ad Albam conseruit. Huic Foro Iulii Carinthia adiacet, regio valde nobilis, multæ in ea valles collesque feraces tritici, multi lacus, multi amnes, quorum præcipuus Drauus, qui per Stiriam ac Pannoniam in Danubium fertur, a quo sacer efficitur Iasonis nauigatione. Imperium illius prouinciæ Principes, de quibus iam sermo est, Austriæ obtinent. & ob eius prouinciæ vetustam nobilitatem, cuicumque regio, paret Archidux appellatur. Et inde est quod Duces Austriæ, quia Principes Carinthiæ sunt, Archiduces nominantur. Quotiens enim nouus Princeps Reip. gubernationem init, nusquam alibi auditam solemnitatem obseruant. non longe ab oppido sancti Viti in valle spatiosa vetustæ ciuitatis reliquiæ visuntur, cuius nomen temporis aboleuit antiquitas. Iuxta in pratis late patentibus marmoreus lapis erectus est. Hunc rusticus ascendit, cui per successionem stirpis id officium hereditario iure debetur. Ad dexteram bos macer nigri coloris astat: ad sinistram pari macie deformis equa. Tum Princeps ex aduersa parte pratorum procedit, purpurati circum proceres ambiunt, vexillum ante ipsum, & insignia portantes Comes Goriciæ, qui Palatii curam gerit, inter XII. minora vexilla præcurrit, reliqui magistratus sequuntur. Nemo in eo Comitatu non dignus honore videtur, nisi Princeps ipse præ se rustici speciem gerens. Agrestis ei vestis, agrestis pileus, calceusque & baculus in manu gestantis pastorem ostendit. Quem postquam rusticus ex lapide venientem conspicatus est, sermone Sclauonico; *Quis hic est*, exclamat, *cuius tam superbum incessum video?* Respondent circumstantes, *Principem terræ aduentare.* Tunc ille, *Iustusne iudex est, salutem patriæ quærens, liberæ conditionis, dignus honore? est ne Christianæ cultor fidei ac defensor?* Respondent omnes, *Est & erit.* Rursum ille; *Quæro igitur quo me iure ab hac sede dimoueat?* Dicit Goriciæ Comes; *Sexaginta denariis abs te hic locus emitur, iumenta hæc tua erunt* (bouem atque equam ostendens,) *vestimenta quoque Principis, quæ paulo ante exuit, accipies, eritque domus tua libera & absque tributo.* Quibus dictis rusticus blando vultu, leui alapa Principem cædit, dicens; *Esto, quæsumus, rector & Dux noster bonus, iustus & pius: & iam non tantum Dux, sed Archidux per mundum vocaberis.* Quo facto rusticus loco cedit & bestias secum abducit. Princeps vero conscenso lapide nudum gladium manu vibrans ad omnem se partem conuertit, æquum iudicium populo promittens. Ferunt & aquam frigidam rustico illatam pileo bibere, tanquam vini vsum damnet. Deinde Princeps & vniuersi cum eo ad ecclesiam Solienſem pergit, quæ in propinquo est, vbi per-

actis sacrificiis Princeps rustica indumenta deponit, paludamentum induit, conuiuatusque splendide cum proceribus in prata reuertitur, ibique pro tribunali sedens ius petentibus dicit, & feuda confert. Vnde autem rusticatui collata sit inuestitura sui Principis sic habetur. Nam anno Domini DCC. XC. imperante Carolo Magno Dux gentis Yngo nomine inuitato Carolo & cunctis nobilibus ac rusticis grande conuiuium fecit. Agrestibus autem suis in vasis aureis & argenteis ministrauit; suis vero nobilibus procul a se locatis fictilibus vasis intulit & sine honore. Hoc admirans Carolus interrogat causam. Cui Princeps respondit, rusticos dudum esse mundatos fonte baptismatis. Principes vero & Magistratus mundationem vsque spreuisse, & ideo indignos honore esse. De consensu ergo Principum dedit Imperator rusticis prædictum priuilegium. & statim omnes nobiles prouinciæ ad baptismum conuolauerunt, & in recompensam Ducis, ne molesta sibi foret rustica institutio, voluit eum hinc esse Archiducem & Romani imperii venatorem, ad quem lites omnium Venatorum deferendæ essent, & vocatus in iudicio coram Imperatore non nisi Sclauonica lingua respondere teneretur.

Est in hac prouincia oppidum dictum Klagenfurt, in quo consuetudo contra fures est durissima. Si quis in furti suspicionem inciderit, mox captus laqueo suspensus vitam finit. Sumpto supplicio post triduum de suspicione iudicant. Si reum fuisse necatum inueniunt, pendere cadauer infame sinunt, donec sua sponte consumptum decidat. Sin vero, depositum in cemiterio condunt, iustumque funere publico fuisse declarant, animæque gratas exequias pendant.

In hac prouincia sunt Comites Goriciæ, & ipsum castrum Goricia, vulgariter *Gertz*. Hæc prouincia Carinthia Stiriam habet adiunctam, quæ etiam est Ducum vel Archiducum Austriæ, quæ etiam est prouincia montana & contra orientem latos habet campos, & insignes fluuii Drauus & Mura eam irrigant, & Mura in Drauum exoneratur, ille in Danubium sacrum. Hos fluuios putant Iasonem cum Argonautis nobilitasse. Est in ea vetus oppidum, quod Ciliam vocant, natale solum Moderni Præpositi ecclesiæ Constantiensis, viri doctissimi, oppidum munitum valde, quod tempore Reipub. Romanorum antemurale fuit Italiæ contra crebras incursiones barbarorum, supra ripam fluuii Sauii, qui deprope Sauum flumen influit, in promontoriis Adriatici maris situm. Hoc oppidum superioribus annis fuit traditum sereniſſimo Domino Imperatori Friderico, cum eius notabili Comitatu, mirabili practica, in qua diuina protectione mortem sibi attentatam euasit. Multæ in hoc oppido sunt reliquiæ, inter quas sancti Maximiliani ædes & ossa extant, ob cuius honorem Imperator Fridericus suum filium Regem Romanorum maximum nominauit Maximilianum. Sunt etiam ibi sepuchrales lapides inscriptione Romanorum Principum vetustissimorum. Dicit etiam Dominus Præpositus, tempore adolescentiæ suæ effossas esse statuas binas aureas & musaici operis portiones admirabiles vetustate cuniculis subterraneis Ciliæ. In Stiria etiam decoquitur sal, quod ad vicinas regiones deportatur, in loco qui Halis dicitur, Germani enim quasi omnia loca, in quibus sal decoquitur, *Halis* vel *Hallis* nominant, imitatione cuiusdam fluminis Asiæ Minoris, quod sine aspiratione Alis vel Allis dicitur, *cuius aqua faciliter in salem decoctione conuertitur*, vt dicit Æneas Siluius. Habet etiam Stiria mineras locupletes ferri & argenti.

Præfatis regionibus Foro Iulii, Carinthiæ, & Stiriæ, adiacet Carniola, quæ duplex est. vna est sicca & aquis indiga, in qua Hystrii sunt & Carsi, medii inter Labacum & Tergestum incolunt montes, & ad Timanum vsque proferuntur. Altera est irrigua, in qua flumen Saus ortum habet & Nauportus, qui Labacus hodie appellatur, & alii plures fluuii.

Ad dicendum vlterius de nominibus appropinquantibus nomini Regis nostri restat adhuc *nomen satis propinquum illius tyranni*, qui cum Diocletiano regnauit, scilicet *Maximianus*, qui sic dictus fuit a *Maximo* & *ano*. i. supra, quasi supra Maximum. & vere supra omnes tyrannos maximus fuit, sicut vbique patet de crudelitatibus Diocletiani & Maximiani. & quamuis prædicta nomina sint glorioſa, ad gloriam tamen, quam hoc nomen Maximilianus importat, nullum peruenit. Dicitur enim quasi magnus millesies supra maximos, vel maximus supra mille, vel magnus vt Iulius Maximus. Quantæ autem potentiæ sit Rex noster illustrissimus Maximilianus, tum ex paterna hereditate, tum etiam ex vxore, tum ex acquisitis, &, vt speramus, acquirendis iustis bellis scribent nostri sequaces. Hunc Dominus Imperator suus pater post mortem piissimæ suæ genetricis eduxit de Austria anno Domini M. CCCC. LXXIII. in superiores regiones, & eum bonæ memoriæ Domino reuerendo Iohanni de Werdenberg commendauit Episcopo Augustensi. & postea mortuo in bello Domino Carolo Duce Burgundiæ eius filiam Mariam sibi desponsauit, cum qua Ducatus, Comitatus, & grandes ac ditissimas regiones accepit. Celebratis ex morte regiis nuptiis tres pueros cum ea habuit: duos Duces Franciscum & Philippum; & vnam filiam, quæ in pueritia desponsata fuit filio Regis Franciæ & in Franciam ducta. Franciscus vero puer obiit: Philippus autem Dux hodie superuiuit. Mater etiam iuuenis & læta anno præterito venationi intenta dum incautius equo insidens lepusculum insequeretur, lapsa de equo corruit & expirauit. cuius mortem præter ineffabile lamentum sunt subsecuta mala. Nam Gandenses & ceteri Flandrenses multis modis infideliter cum suo Domino agere cœperunt, & cum Rege Franciæ ac ceteris inimicis Domini Ducis

Maximi-

Digitized by Google

Maximiliani tractatus habuere. vnde magnas gerras habuit, & tamen semper victor euasit. Inter alia mala Flandrensium filiam Ducis Maximiliani sine eius iussu in Franciam miserunt, & eius filium Philippum detinuerunt recusantes eum patri reddere. vnde pro tanta iniuria sereniſſimus Fridericus III. Cæsar pater Ducis commotus cum exercitu descendit, & in sui filii adiutorium consurgens Philippum Ducem adhuc iuuenculum liberauit de manibus Gandensium. De hoc iuuene Duce referunt omnes, qui eum viderunt, tanta præconia, vt omnium animos concitent in pueri dilectionem. Est enim puer vltra quam credi potest formosus, optima membrorum & colorum dispositione proportionatus: capillis flauis & in auri fulgorem nitentibus, prout communis natura Alemanorum superioristarum est, qui flaua gaudent coma. Vnde dicitur quod Flandrenses, Brabantini, & aliæ inferioris Germaniæ gentes nigræ & aduſtæ darent milia coronarum, vt Dux Philippus haberet nigros crines ad modum conditionis eorum. Mallent enim puerum Æthiopica pelle esse contectum deformem & sibi æqualem, quam albida & rubicunda omnibus amabilem. Risum habet puer iste cum verecundia, nihilque in eo emenda dignum. Si nudum solumque in nemore quis reperisset, regium genus in puero cognouisset, nec aut illi canis aut lupa defuisset nutrix, sicut de Cyro referunt atque Romulo. O si puerum hunc viderent Sueui & omnes imperio fauentes, & domum Austriæ diligentes! O si eum tangere & audire possent; quos animos sumerent, quas acies ducerent, quæ bella gererent, quas ederent hostium strages! O generosum puerum, quis est qui te spernat Principem? quis est qui tibi nolit subesse? quæ illi nobilitas satis erit, cui tua minor videtur? Nemo in orbe toto (audenter dico) qui te generis claritate præcellat: nemo par est, multumque distet necesse est, qui tibi secundus ponatur. Fabulantur Gallici Troianam prosapiam, sed illa iam diu defecit, terque post Francorum in Galliam transitum regiam stirpem Gallici variarunt. Aiunt Anglici Brutum quendam euerso Ilio ad se veniſſe, vnde Reges eorum trahunt originem, quod nullus historicorum tradit, præter Anglicum quendam parum eruditum, qui volens Romano generi insularem æquare sanguinem, quod Liuius atque Saluſtius graues autores de Ænea narrant, finxit de Bruto Romano Anglicus. At tecum, Philippe, nihil oportet fingere; vtinam veritati satisfacere calamus, nostraque posset oratio fieri vero conformis! sed superat omnem sermonem tua nobilitas. Nam quis enarret nobiliſſimæ Australis domus originem ab alto vsque Iulii sanguine repetendam? Genitorem tuum Romani Electores in Regem Romanorum iamiam elegerunt. Auus tuus eidem & aliis regnis præfuit: sub cuius auspiciis hac tempestate Romana Aquila alas pandit, qui imperium sacrum administrat. Egregia indoles, de quo loquimur, adolescentis præsagium facit paternam in eo fortitudinem, auitam prudentiam, & vtriusque probitatem innatam. Nec tantam de se spem aut Ascanius Æneæ, aut Hector Priamo, aut Alexander Philippo præbuit, quantam in hac ætate Philippus se visentibus exhibet. Hunc auus Cæsar vel pater Rex propediem in superiorem Germaniam adducet, vt videri ab hiis possit, qui amant; & timeri, qui odiunt. Faxit Deus, vita eius vt illi longior sit, vt & Nestoris æquet annos & Augusti felicitatem superet. Tantum autem nunc de iuuenculo nobili dixisse sufficiat.

De Archiduce glorioſiſſimo Maximiliano post prædicta sic se consequenter res habuit. Postquam enim multa bella gessit, & felices triumphos plurimos habuit, supra magnificum nomen suum hoc additum est, vt ab omnibus *Inuictiſſimus Dux* diceretur. Visum est ergo cunctis nobilibus & plebeiis, ipsum in Regem Romanorum sublimandum. Igitur anno Domini M.CCCC.LXXXVI. venit Romanorum Imperator Fridericus III. Franckofordiam, & conuocatis Electoribus imperii & omnibus aliis Alemaniæ Principibus, Baronibus, Comitibus confluentibus electus est concorditer Archidux Austriæ Maximilianus in Romanorum Regem cum tanta solemnitate, quantam nullus nunc viuens recordatur. Posthoc redescendit Rex in Flandriam, & Imperator Nurembergam. Emisit autem anno Domini M. CCCC.LXXXVII. Imperator mandata ad Principes omnes Alemaniæ, paucis demptis, & ad ciuitates imperii, & ad Prælatos spirituales, præcipiens omnibus sub pœnis priuationis imperialium gratiarum anno futuro, hoc est LXXXVIII. in armis iuxta possibilitatem cuiuscunque comparere in campo Lyci, qui est prope Augustam. Anno Domini M.CCCC. LXXXVIII. dum se omnes præpararent ad procedendum in campum prædictum, alia aduenit regni occupatio. Nam Rex Maximilianus ingressus quodam die ciuitatem suam Brugensem, versi in seditionem ciues contra eum, clausis portis eum ceperunt & incluserunt. Hoc audito Imperator, qui tunc erat in Pontina, remandauit cunctis, quos in campo Lyci comparere in armis ordinauerat, descendere armatos in Flandriam ad liberationem Regis efficiendam. Angustiati ergo Brugenses fortiſſimis exercitibus, & terribiliſſimis processibus & sententiis Apostolicis innodati nisi captum Regem emittant & libertati restituant cum omnibus suis, ipsum Regem emiserunt ad suos. Verum quanuis emissus & restitutus esset Rex, non tamen cessauerunt ab impugnatione Flandrensium, & adhuc hodie mala bellorum finem non habent ibi. De hoc Rege glorioſiſſimo, & Philippo suo filio Archiduce adhuc restant conficiendi codices plurimi de ipsis.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

De Ducibus Sueuorum de Zairingen, de Teck, & aliis.

PRæter Duces de Staufen, & Duces de Waiblingen, & Duces de Habſpurg, de quibus iam dictum eſt, non inuenimus alios Duces in Sueuia oriundos, qui fuerint magni nominis, vel ad altiora aſſumpti. Reperimus tamen quondam fuiſſe Ducem dictum Berchtoldum de Zairingen, qui eleuatus cito & cito defecit. Erat enim Berchtoldus ille vir nobilis, Principum ſeruus, affabilis & benignus, reſidentiam habens in Brisgaudia in quodam caſtro, cui ſuberat villa. Contigit autem Fridericum primum, qui fuit anno Domini M. C. LII. Romanorum Rex, diſcordem fieri cum Principibus Moguntiæ in dieta quadam, ita vt vitæ ſuæ timeret & inſidiæ ei pararentur. Habuit autem tres fideles amicos, cum quibus habitu peregrino aſſumpto clam cunctis ignorantibus exiuit Moguntia, & verſus Sueuiam properabat velociſſime. timebat enim inſecutionem. Venientes autem in Brisgaudiam, Friburgam intrare nolebant, ſed extra in villa dicti Berchtoldi de Zairingen manere per noctem coacti ſunt, & ingreſſi villam cum hoſpitium non inuenirent in ea, ad caſtrum diuerterunt; nec tamen ipſi nobilem, nec nobilis ipſos agnouit. & tamen vir prudens erat; conſiderauit hoſpites eſſe curiales, nobiles, laſſos, & formidoloſos. nam ſine requie a Moguntia vſque in Brisgaudiam per deuia venerant. Procurauit autem Berchtoldus pro ipſis & equis ſumma cum diligentia neceſſaria legaliſſime. & dum in mane recedere vellent, & tam ipſi quam equi laſſati eſſent, per vim retinuit eos Berchtoldus promittens eis ſecuritatem, & ipſis refocillatis deductionem ad quemcunque locum tenderent. Remanſit ergo Imperator per aliquot dies cum nobili illo, & poſt reſumptionem virium dixit viro, quod per deuia cuperent aſcendere Rotwilam. Deduxit ergo eos per nemora contra Vilingen, & inde contra Rotwilam. Et dum propinqui ciuitati fierent, præmiſit Fridericus vnum de ſuis nobilibus in ciuitatem nuntiare eius præſentiam. Erat autem tunc congregatio magna nobilium de Sueuia ibi, & audientes adeſſe Imperatorem cum regio decore in occurſum venerunt venienti, & eum grandi pompa introduxerunt. Quod cernens Berchtoldus & ammirans ad pedes Imperatoris procidit, conquerens ſe indigne tantum hoſpitem neſcium tractaſſe. Imperator autem iuſſit eum manere ſecum, & in medium nobilium producens virum, militem creauit, deinde Comitem fecit, poſthoc Baronem conſtituit, ſemper tribuens ad quemlibet gradum competentiam, villas, & caſtra, & vltimo ipſum Ducem Zairingiæ fecit, dans ei terram in minori Burgundia in territorio nunc Bernenſium & Friburgenſium in Oechtlandia, quæ duo oppida tunc exiguæ villæ erant. Ad hunc Ducem Berchtoldum ſcripta fuit decretalis Venerabilem de Elect. per Innocent. III. vt patet in ſuperſcriptione: qui expoſt defuncto Heinrico VI. filio Friderici Primi per Principes Electores in Regem Romanorum electus fuit, & videns ſe quaſi compulſum receſſit & acceptare rennuit. deinde tempore Friderici II. fuit in vicarium Imperii conſtitutus, cum dictus Fridericus per Papam fuiſſet depoſitus, vt patet in integra dictæ decretalis. & poſt hæc obiit, & duos filios dereliquit, quos Nobiles minoris Burgundiæ veneno peremerunt, & ita poteſtas illorum & germen exterminata ſunt.

Fuerunt præter illos in Sueuia Duces dicti de Teck, quorum reliquiæ ſeminis æuo noſtro ſuperant. Sed de eorum ortu & dominio parum habemus. Caſtrum Teck hodie in Sueuorum Alpibus eminens eſt, & pagus fertiliſſimus & amœnus ſub eo, in cuius medio eſt oppidum Kirchen dictum, & iuxta hoc monaſterium monialium Prædicatorum ordinis habundans, quod præfati Duces de Teck ædificauerunt, eosque hodie Moniales fundatores ſuos recognoſcunt, & ſepulchra eorum habent. Æſtimant multi, quod illi Duces ſint iidem cum illis de Staufen quarti, quorum defectu ſuperſtites dicti ſunt Duces de Teck. iam autem nullus ſupereſt, ſed omne dominium poſſident Comites de Wirtenberg. Quis autem eos creauerit Duces, non inuenio, ſed quod antiquo tempore fuerint Comites, reperi in vulgari quodam libro, cui tamen paruam accommodo fidem.

Sunt ergo Duces Sueuorum nobis ex veris hiſtoriis noti, nobiles de Waiblingen primi, nobiles de Staufen ſecundi, nobiles de Habſpurg tertii, & nobilis vir Berchtoldus de Zairingen ſolus Dux, & Duces de Teck. In antiquis autem Sanctorum hiſtoriis ſepe legimus de Ducibus quibusdam Sueuiæ, quorum quidem nomina propria ponuntur, ſed non cuius generationis & nobilitatis fuerint, vt in legenda ſancti Galli ponitur Otwinus peſſimus fuiſſe Sueuorum Dux. Inſuper hodie apud nos ſunt nobiles, quos vt Barones veneramur, qui olim alibi illuſtriſſimi fuerunt Reges. Nam anno Domini M. C. XLIIII. regnante Conrado II. erat apud Spoletum, Italiæ adhuc vigens Ducatus a temporibus Longobardorum, quem duo fratres patre defuncto poſſidebant. Hii duo Duces per vicinorum potentiam repulſi ad noſtram Germaniam peruenerunt, quorum unus in Sueuia prope Rotwilam caſtrum, videlicet Vrslingen, quia de genere erat Vrſinorum de Roma, fundauit, & dicebatur Dux de Vrslingen, communiter tamen appellabatur Dux de Schiltach. Per temporum autem ſucceſſus principatus dignitate & nomine priuatus Comitum & Baronum ſtatu fuit deſignatus. Alter frater Alſatiam applicuit, & * prope Italiam ad montana Alſatiæ baroniam de Roplotz-

* *For.* procul Italia ad m.

Digitized by Google

Roplotzſtein ſolerter acquiſiuit, & dimiſſo nomine Ducis de ſuo dominio perpetuo ſe nominauit. Attamen ambo iam dicti mutatis ſedibus & nominibus arma apparatu ſimili retinent vsque modo. Vnde ego in euagatione mea ſecunda Dominum & ſocium habui maximum, vulgariter de Roplotzſtein, qui poſtea fuit Spoleti, & prodita per eum ſuæ originis ſerie, eum ſuum eſſe Dominum recognouerunt, & honoratum remiſerunt.

CAPUT XX.

*Reprehenſio cuiusdam vulgaris hiſtoriæ, de Nobilibus Sueuiæ * confectæ.*

REperi in quodam libro Theutonice conſcripto hiſtoriam ſatis iocundam, ſed veritati minus conſonam, de origine nobilium Germaniæ, & præcipue Sueuiæ, quæ videtur eſſe compoſita ad demulcendum aures nobilium, & ſignanter Dominorum Comitum de Montfort, quorum originem principaliter deducit. Hoc autem dubium me reddit & ſuſpectam mihi hiſtoriam facit, quod annorum numerus & ſanctorum nomina & factorum tempora communibus Chronicis & ſanctorum legendis non concordant, & ponit quod ſanctus Theoneſtus fuerit Romæ, Auguſtæ, & Moguntiæ, ante Conſtantini tempora, vel ante ſanctæ Crucis inuentionem: & quod ſanctus Vrſus Auguſtæ, & ſanctus Albanus Moguntiæ fuerint martyrizati ante ſanctæ Crucis inuentionem tempore Traiani Imperatoris, quod non poteſt eſſe. Dicit etiam de quodam Imperatore, Curio nomine, e Roma pulſo a ſenatu propter fidem, quam ſuſceperat a ſancto Theoneſto. Notum autem eſt ſcienti legendas, quod tempore Theoneſti erat translatum imperium in Græcos, & tunc Romæ nec erat ſenatus nec Imperator, ſed Archadius & Honorius Chriſtianiſſimi Imperatores Conſtantinopoli degebant, & Leo Papa Romæ reſidebat. Inſuper tunc temporis erant omnia idola pene eliminata, ſed trucidabantur tunc Chriſtiani propter hæreſim Arrianam, quæ per mundum diuulgabatur, & multos habebat defenſores. Dicit etiam, quomodo per nobiles fides fuit eorum gladio inducta in Alemaniam & Sueuiam, quod non poteſt ſtare, cum Sueuia dudum ante per martyres & alios fuerit conuerſa. Dicit etiam de quodam Patriarcha poſito in Sueuia prope Vlmam, de quo tamen canones nullam faciunt mentionem, nec alicubi habetur, quod in Sueuia fuerit aut Patriarcha aut Primas. Dicit etiam quod viſio Conſtantino facta de ſigno Crucis, in quo vincendos inimicos ſuos dictum ei erat, expoſita fuerit ſibi a Duce Sueuiæ, & quod cum Sueuis vicerit Maxentium, quod contrarium eſt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ & Tripartitæ. Mentionem etiam facit de Owia maiori & de Vlma, & de Wingarten ſub alio colore, quam contineatur in antiquiſſimis litteris conſtitutionum illorum locorum; & procedit, ac ſi Vlma pertinuiſſet ad Owiam maiorem ante Conſtantini tempora, cum tamen conſtet Vlmam datam Abbati ordinis ſancti Benedicti Owiæ maioris, qui ſanctus Benedictus quaſi ducentis annis fuit poſt Conſtantini tempora, & monaſterium Owiæ maioris aliquibus annis poſt ſanctum Benedictum fuit fundatum: niſi dicere velimus, quod ante inſtitutionem ordinis S. Benedicti fuerit ibi alius ordo vel clericorum congregatio, ſicut ſcriptor præfatus videtur velle, quod tamen demonſtrare non poteſt. Præter hæc multa alia incongrua ponit in eadem hiſtoria, quam ſine correctione imprimi fecit quidam in ** Vlma, & iam vndique mendacia diſperguntur in Alemania in præiudicium illuſtrium Comitum de Montfort, & aliorum nobilium, quibus confictis mendaciis complacere æſtimabant. Continet enim prima riga vel linea apertum mendacium, dicens anno Domini CIV. Romæ Curionem imperaſſe, & ſenatum ſibi conſentientem habuiſſe, & Theoneſtum patrem Vrſi & Albani martyrum ipſum conuertiſſe, &c. Conſtat autem prædicto anno Traianum Imperatorem fuiſſe, & Euariſtum Papam, prope circa tempora Apoſtolorum. Sanctus autem Theoneſtus Phipenſis Epiſcopus ab hæreticis de ſua ſede pulſus Arrianis, cum Vrſo & Albano & aliis duobus diſcipulis Romam venit ad Leonem huius nominis primum, a quo miſſus in Alemaniam contra hæreticos diſputauit, & Vrſus Auguſtæ martyrizatus per hæreticos, Albanus autem Moguntiæ. Fluxerunt autem inter Traianum & Theodoſium Imperatores anni plures quam centum; vel inter Euariſtum Papam & Leonem primum inueniuntur mediaſſe anni multi, cum Euariſtus præſederit anno Domini CIV. & Leo ſecundus anno Domini CCCC. XLIV. & ſub hoc Papa venit ſanctus Theoneſtus in Alemaniam. Multis autem ſignis notare poſſum, quod hiſtoria prædicta non eſt omnino conficta & abſolute falſa, ſed in rebus geſtis eſt vera quidem, alium tamen colorem & alia tempora aſſignat & alias cauſas. Æſtimauit enim compoſitor, quod nemo cum induſtria lecturus eſſet eam: ideo honeſtius quo potuit rem facti colorauit alio tempore & cauſis, quod ei indulgemus, quia poſſibile eſt mihi ſimile contingere. Saluando autem hiſtoriam in facto dicere poſſumus, quod translato imperio in Græcos circa tempora Theodoſii & Archadii, Honorii & Theodoſii Iunioris, fuit pax in oriente, vbi regebant, quia deuotiſſimi Imperatores erant: ſed Huni, Wandali, & Gothi vltra modum occidentem vexabant, Italiam turbabant, & Romam multipliciter quaſſabant. In iſtis tribulationibus potentes Romani & alii Italiæ nobiles cordibus fracti dicebant, Chriſti fidem horum malorum

* *à Thoma Lyrer Ranckvilenſi, qui vixit circa annum Chriſti 1200.*

** *Apud Conradum Dinckmut anno Chriſti 1486. die 12. Ianuarii..*

Digitized by Google

esse causam, & nitebantur reinducere antiquorum idololatriam, sub qua Romam ad pristinas fortunas sperabant venturam. Et ob hoc orta est grauissima contentio inter fideles, illis in fide manere volentibus, aliis idola patrum resumere & apostatare contendentibus. De quibus factis Augustinus de Ciuit. Dei, & Orosius historiographus multa scripserunt. In hiis litigiis venit Theonestus Romam, & facta sunt, quæ sequuntur, quæ reperi in vulgari Theutonico multis implicationibus verborum, quibus præcisis nucleum in Latinum deduxi.

CAPUT XXI.

* *Historia translata de Theutonico in Latinum, quam credit esse confictam.*

POst Constantinum Magnum & ante Carolum Magnum anno Domini CCCC. XLIV. crescebant hæreses, crescebant & mundi prophanationes, in tantum vt plerique in fide debiles vacillarent, & melius ac securius viuendum sub idololatria æstimarent, erant pugnæ bonorum Christianorum extra cum barbaris, circa cum hæreticis, & intra cum malis Christianis. Ea autem tempestate sanctus Papa Leo, cui beata virgo Maria manum, quam sibi absciderat, restituit, in fide vacillantes confortauit, cuius adiutor sanctus Theonestus Episcopus fuit. Quidam Romanus illustrissimæ nobilitatis homo ** Curio dictus, non multum dissimilis Curioni, de quo Cæsar 2. Commentariorum mentionem facit, sollicitabatur quottidie a conciuibus suis relinquere Christi fidem, resumere patrum idololatriam, & restituere in pristinos honores collapsam Romam. Erat enim Curio ille quasi totius nobilitatis Romanæ pater, ornatus fratribus & filiis, vxorem habens fidelem nomine † Dockam, quatuor fratres, octo filios, & tres filias. Porro fratres sui omnes cum aliis Romanis ad instituta antiqua gentilium remigrare cogitabant, nec aliquod impedimentum habebant id perficiendi, nisi Curionem qui omnibus totius vrbis nobilibus eminentior habebatur. Vnde videntes eum in fide stabilem, & foueri consiliis Leonis Papæ & Theonesti Episcopi, ad eius interfectionem aspirabant. Perpendens autem periculum, Curio conuocatis filiis & amicis omnibus mysterium cordis sui aperuit dicens, ad alias sedes esse migrandum, & nullo modo Romæ manendum. Captato autem oportuno & quieto tempore multis curribus & ordinatis turmis cum omnibus liberis, vxore, & amicis nobilibus, & copiosissima supellectile Roma derelicta de consilio Leonis Papæ versus Alemaniam seu Sueuiam profecti sunt, perreptantes niuosa Alpium confragra & vadosa vallium concaua in Rhetiæ montana deuenerunt, de quibus Rodanus & Rhenus flumina erumpunt. In ipsis autem montanis populum fidelem dudum per S. Lucium ad fidem conuersum inuenerunt, paucum tamen & miserum. loca enim illa tempore illo vt in plurimum deserta erant. Ceperunt ergo ibi in locis munitis castra construere & domos more nobilium collibus deserti superædificare. Vnde hodie tam in Tamlesco quam in Taphaso ruinæ reperiuntur fortissimorum murorum. & consequenter ad caput Rheni, vbi primum emanat, ædificare castrum ceperunt, & per descensum fluminis se paulatim diffundentes ab inuicem diuisi sunt, & inuentum populum sibi subiecerunt. Ab hiis ergo nobilibus prodierunt Sueuorum nobiles vt in plurimum, nec solus Curio cum suis filiis erat, sed multi Romani, & duæ præcipuæ generationes de Columna & de Vrsinis fuerunt eis iunctæ, & ita vallem illam, per quam Rhenus defluit, primo repleuerunt. & quia autem Italici fuerunt, & Theutonicis nunc propinqui, commixtim loquebantur Italicum cum Theutonico. ideo eorum locutio & terra dicebatur Curwalchen, & hodie dicitur Curwalchen a lacu Venetico vsque ad montem Settner, quamuis iam Theutonicum sit totaliter introductum. Filii autem Curionis diuisi castra ædificauerunt Starckenberg vel Montfort, quod hodie est, & Hochtreutz, Gutenberg, & ceperunt castellum Bolando, quod nominauerunt Lutkirch, & construxerunt Wartow. Porro vnus de filiis Curionis celibem ducens vitam dicebatur Burgundus. hic discendit profundius in Sueuiam cum suis, & sibi habitationem construxit supra in monte non longe a loco vbi Ylarus fluuius Danubio iungitur ex opposito oppidi Vlm. hic Burgundus suæ habitationi ecclesiam iunxit & Kirchberg nominauit. & hodie creditur stare ad minus pars aliqua ecclesiæ illius, cui etiam annorum numerus lapide sculptus consonat istis temporibus. Nam in introitu ecclesiæ ad angustum sinistrum est in pariete lapis, qui habet sculpturam CCCC. XLIV. annorum. Hunc Burgundum dicunt * Primatem Sueuorum a Papa constitutum, & erat tam honestæ vitæ, quod celebre factum est nomen eius. Vnde quottidie Vlmenses deuoti ad eum exibant, quibus monita salutis dabat. Alii autem de Vlma alterius mentis murmurabant contra eum, & facta fuit in oppido scisma maior. nam hæresibus tota ecclesia deprauata erat illis diebus. Audiens autem Dux Sueuorum Saturninus, qui residentiam habuit in Tignopoli, vulgariter *Rauenspurg*, diuisiones fieri in terra, & Catholicam religionem crescere, turbatus est animo. Erat enim & ipse Arrianis consentiens, vt opinor, vel Romanis illis, qui Christi ritum deponere & idolorum culturam resumere conabantur. Congregato autem exercitu descendit Vlmam, & pacem reformauit, intendens Burgundum & suos expel-

* *Eamdem transtulit & Martinus quoque Cruſius Annal. Sueuic. part. 2. lib. 9. cap. 16.* ** *Cruſ.* Curius.
† *Cruſ.* Eudociam. * Patriarcham *vocat Lyrer.*

Digitized by Google

expellere, & Kirchberg deſtruere. Burgundus autem vir pacificus nocte cum ſuis per ſiluas aſcendit, & in Curwaldiam ad patrem & fratres ſuos venit, rem geſtam eis exponens, & hoc facto alium quietis locum quæſiuit gyrans lacum Veneticum & Acronium, & ibi inuenta inſula, quæ nunc Diues Owia dicitur, eam purgauit, & habitationem ſuæ religioni congruam in ea fecit, quam poſt eum Domini ordinis S. Benedicti acceperunt, & hodie poſſident. Dux autem Sueuiæ Saturninus omnia, quæ fecerat Burgundus circa Vlmam, deſtruxit, & præfectum Vlmenſibus præpoſuit nomine Sigwaldum, virum vtique criminoſum & malum. Ipſe autem aſcendens Warthuſen caſtrum ædificare præcepit, ibique cuſtodiam vallis totius poſuit. ideo ei hoc nomen dedit. Porro Curio & filii eius, Burgundi expulſionem inultam relinquere nolentes, cum exercitu grandi de montanis deſcenderunt in pagum Vlmenſium, & caſtra, villas, & omnia quæ Ducis Sueuorum fuerant, demoliti ſunt. Ingreſſi autem villam Vlm, Sigwaldum præfectum occiderunt, & populum ad fidem Catholicam ab hæreſibus reduxerunt, ponentes clerum Romanum & ſacerdotes. Prope autem Vlmam erat quidam Comes in caſtro reſidens Wœlenſtetten de fauore & fide Domini Burgundi, nomine Hercules de Wœlenſtetten, quem Curio præfectum in Vlma conſtituit, & ei Kirchberg eccleſiam commendauit, & cum exercitu vniuerſo aſcendit Curio ad oppugnandum Rauenſpurg. Audiens autem Saturninus Dux occurrit ei, & commiſſo prœlio victoria ceſſit Curioni, & Ducem interfecerunt, & oppidum Rauenſpurg ceperunt, quod Curio tradidit Romulo ſexto nato filio, quem Ducem Sueuorum fecit, & vexillum aureum cum tribus nigris leonibus tradidit. Poſt decurſum aliquoti temporis Dominus Hercules de Wœlenſtetten præfectus in Vlma aliqua emendare & corrigere volens reſiſtentiam tumultuoſi populi inuenit, & niſi præfectus prudenter declinaſſet, in eum & in ſuos in ſultum feciſſent. Aſcendit ergo Hercules ad Ducem Sueuiæ Romulum, & populi rebellionem ei intimauit. Qui collecto exercitu deſcendit, & caſtigatos Vlmenſes emendauit, & oppidum ipſum Domino Burgundo in Owia appropriauit, dans ei omnem poteſtatem & iurisdictionem in temporalibus & ſpiritualibus, decimas, primitias, prouentus ex daciis & theloneis. Et ita redegit eos in ſeruitutem omnimodam, ne libertate habita iuſtitiam derelinquerent. Alio tamen modo dicitur Vlma in Owiæ poteſtatem deueniſſe. Dominus autem Burgundus Ducem Sueuiæ rogauit, vt oppidum ipſum in ſuam reciperet protectionem, quod & fecit, & poſt eum annis multis in tuitione Ducum Sueuiæ fuit. Interea Curio in immenſum creſcebat quottidie, & ædificauit ſibi domum forte caſtrum, quod ex nomine vxoris ſuæ Dockæ nominauit Dockenburg, & infra caſtrum conſtruxit monaſterium Fiſchingen, in quo ſtatim poſt ſepultus eſt. & filius caſtrum in portionem accipiens, Dominus de Dockenburg nominabatur. & hæc generatio manſit vsque ad noſtra tempora, quo eſt totaliter extincta, & per Swiceros eorum bona poſſeſſa. Duo autem nepotes Curionis, quos ſecum de Roma traxerat, Iurgo & Hego, terram, quæ nunc Hegowia dicitur, acceperunt, & Hewa caſtrum conſtruxerunt, a quibus Barones de Hewen ſunt, & plura alia caſtra in eodem diſtrictu fecerunt. Alius de filiis Curionis ædificauit Werdenberg caſtrum, & nomen inde retinuit. Alius * Rinegg, cui etiam ceſſit Gutenberg in hereditatem. Alius ædificauit ** Schellenberg, a quo Domini de Schellenberg proceſſum habent. Horum trium auus fuerat Curio, & erant filii Domini Anshelmi de Montfort, qui ſex habuit filios, ſcilicet Wolfrandum, quem heredem eſſe voluit nominis & caſtri Montfort. ſecundus fuit ille de Werdenberg. tertius Anshelmus de Rinegg. quartus Heinricus de Schellenberg. quintus Wilhelmus, & hunc miſit ad Palatinum Rheni, qui ei tradidit filiam vxorem, & partem in Sueuia contulit iuxta Tubingen cum clipeo aureo & rubro in eo vexillo. hic caſtrum & oppidum Tubingen fundauit, & Palatinus de Tubingen nominatus fuit. Sextus filius Anshelmi de Montfort erat † fratre prædicto, cui deſponſauit filiam Baltaſar de Herrenberg vnicam. ſicque Baltaſar obiit, & omne dominium Anshelmo manſit, a quo Domini de Herrenberg fuerunt profuſi. Quartus filius Curionis Wilprandus Dominus in Lutkirch, qui duas habens filias cum vxore nobili de Sunnaberg, vnam dedit cuidam de Roppoltzſtein, alteram Domino de Rotenburg tradidit. ædificauit autem caſtrum Hochentan in valle. Poſt obitum Wilprandi, eius cepit hereditatem Anshelmus de Montfort, eo quod filium heredem non dereliquit. Poſthoc facta eſt contentio inter duos fratres filios Anshelmi de Montfort, ſcilicet inter Wolfrandum & C. de Werdenberg, qui caſtrum Vadutz ædificauit contra fratrem, vt ex eo ſibi inſidiaretur. Oppidum etiam Towenfeld, quod poſtea dictum fuit Feldkyrch, contra Wolfrandum fuit, quibus C. de Werdenberg auxilium præbuit. Dominus autem Wolfrandus de Montfort Ducem Sueuorum Romulum patruum ſuum de Rauenſpurg aduocauit, oppidum Towenfeld cepit, eiusque nomen mutauit & Feldkirch appellari voluit. Deinde Dux Sueuorum Romulus audiens Comitem de Teck male de fide Chriſtiana ſentire, aduocatis fratribus & amicis contra prædictum Comitem proceſſit, cui in adiutorium contra Comitem venit Dominus de Helfenſtein de caſtro eiusdem nominis, quod conſtruxerat. Venit etiam de Tubingen

* *Sc.* Anshelmus. ** *Sc.* Heinricus. † *Hic a Lyrero vocatur* Rulandus. *Ceterum locus eſt corruptus: & videntur duo illa verba*, ſratre prædicto, *eſſe inducenda.*

Digitized by Google

nepos Ducis Palatinus, & Dominus de Herrenberg, & Baro de Stœffel, & Dominus de Gerhuſen, & Comes de Achalin, factusque eſt exercitus magnus in parte Ducis. Vt autem innotuit res Comiti de Teck, aduocauit Wendelinum Marchionem de Burgow filium ſororis ſuæ in adiutorium. qui venit cum ingenti multitudine Bauarorum habens XXXVIII. milia pugnatorum. Dux autem Sueuiæ tantum habuit XXIV. milia. Congreſſi ergo ſunt duo exercitus ſub caſtro Teck in campo iuxta villam Huſen, & victoria ceſſit Duci Sueuorum. Marchionem ergo de Burgow captiuum cepit, & quatuor de Rechberg, qui tunc dicebantur de rubeis leonibus, & reſidentiam habebant in Marchionatu Burgow, & duos de Ybach, & vnum de Lamberg, tres de Weſterſtetten, duos de Ringingen, & vnum de Mulhuſen. Capti ergo gratiam Ducis petierunt: quibus non indulſit redire ad propria, ſed eis montem grandem tradidit Rechberg dictum, & ædificare caſtra licentiauit. tunc ædificatum eſt caſtrum Hochenrechberg & alia caſtra in circuitu. A tergo vero montis Rechcerg ædificauerunt in nemore curiam in valle pro ſolatio venatorum, ne cogerentur tantum montem ſemper aſcendere, & in hac curia tantum gaudium fuit, quod eam *Gamundiam* vocauerunt, id eſt, gaudium mundi. De hac curia facta fuit poſtea ciuitas. Sed & Comes de Teck in præfato prœlio captus fuit: qui in loco ſuæ captionis eccleſiam fundauit & caſtellum, eumque Eccleſiopolim dici voluit, vulgariter *Kyrchen*. erat Comes ille vir prudens, & ideo Dux Sueuorum eum ſecum aſſumpſit in Rauenſpurg, & Ducem de Teck creauit. qui cum prole careret, filium ſororis ſuæ Wendelinum de Burgow Marchionem heredem conſtituit, & poſt mortem Ducis Ducatum Teck poſſedit. Sueuorum autem Dux Romulus adepta vndique pace ordinem regium ſuæ curiæ fecit, & prope Rauenſpurg Bietenberg caſtrum conſtruxit, & inter vineas eccleſiam ſancti Iohannis erexit, eamque Wingarten appellauit, & villam ſubtus Altorff. Deinde famulo ſuo Gebhardo in nemore domum quandam vetuſtam venatorum tradidit, qui eam muniuit & Waldpurg nominauit, dictique ſunt ſucceſſores eius Dapiferi de Waldpurg. Cellerario autem ſuo commiſit ædificare caſtrum Radrach, vnde proceſſerunt Schencken de Radrach. Præfectus equorum ſuorum ædificauit Marckdorf, vnde ortum habent Marckſchelck de Margdorf. Camerarius ſuus ædificauit caſtrum Kemerlang. Ædificauit etiam Dux ille monaſterium Wingarten pro XXIV. ſacerdotibus religioſis, & obiit, vt dicit eadem hiſtoria, anno Domini CC. XXIV. quod mihi tamen non videtur verum. Hæc & plura alia continentur in Theutonica hiſtoria, quæ omnia tranſeo. Reperi enim in ea contradictiones multas & mirabiles, quæ quia carent auctore, ea nolui hic inſerere, præter pauca prædicta, quæ etiam non poſuiſſem, niſi de ſancto Theoneſto, *Vrſo*, & *Albano*, *qui fuerunt* temporibus ſancti Ambroſii, Auguſtini, mentio facta eſſet. Dicit etiam illa hiſtoria, quod Sueui quondam bellis & duellis creauerint inter ſe Regem etiam longe poſt natiuitatem Chriſti poſt nongentos annos. quod nullo modo poteſt ſtare, quia ſemper poſt Iulium fuerunt ſub Romano imperio, & præſertim poſt Carolum Magnum, qui nobilitatem in Sueuiam introduxit vel renouauit. Continet etiam quædam ignominioſa de aliquibus nobilibus Sueuiæ, vtputa de illis de Friberg, quæ ponere nolui, & multa indecentia, de quibus tranſiui.

FELI-

Digitized by Google

FELICIS FABRI MONACHI VLMENSIS *HISTORIÆ SVEVORVM*

Liber II.

CAPUT I.

De forma vel facie ciuitatis Vlmenſis.

VLma ciuitas a tempore ſuæ ampliationis, ab anno ſcilicet M. C. XXXVIII. vſque ad annum præſentem M.CCCC. LIIII. ſtetit in continuo incremento, quouſque deducta eſt in formam pulcherrimæ faciei huius, quam nunc in præſentia cernimus. Hanc formam dupliciter conſiderare poſſumus, ab extra ſcilicet & ab intra. Ab extra habet talem diſpoſitionem. Eſt Vlma ciuitas in litore Danubii quaſi in circulo collocata. contra meridionalem plagam habet portas duas, ſcilicet Laniſtarum, per quam eſt exitus in macellum & ad Blauium fluuium, qui ibi muris incluſus pertranſit. & dicitur Laniſtarum, quia ad eorum vſum tantum deſeruit, habetque arcem pulchram ſupereminentem. Alia porta meridionalis eſt porta Pontis gregis, per quam Danubius ponte tranſitur. & quia extra eam ſunt latiſſimi campi ad paſcua gregum, dicitur porta Gregis pontis. habet hæc porta celſam arcem & decoram pluribus culminibus in ſummo, & ſculptam crucem grandem in facie gerit, cum depictis imaginibus Principum Electorum & eorum armorum inſignibus. In ea ſunt ſemper duo tubicines vigiles clangentes & iubilantes mane & veſpere & media nocte & in aduentu armatorum. Contra orientalem plagam vna eſt porta, dicta Aucarum, quæ noua eſt. Hæc dum ædificaretur, interrogabant artificium Magiſtri præfectum operum & optimates, quo nomine eam vocarent. Ad quod quidam ait; Nomen habeat primi animalis, quod per eam iter acceperit vel exeundo vel introeundo. Statim autem, vt aperta fuit, aduenit grex aucarum exiens ad paſtum & ad aquam, & perpetuum nomen portæ reliquit. Hæc porta fundamenta quidem altæ arcis habet, ſed nondum eſt eleuata in altum. Contra ſeptentrionem eſt porta ſancti Leonhardi, iam beatæ Virginis nuncupata, quia per eam itur in eccleſiam ſancti Leonhardi, in qua beata Virgo miraculis clarere cœpit, & nomen portæ tribuit. Hæc porta turrim habet altam & firmam, cuius aſpectus auream ſculptam demonſtrat crucen, & in ea eſt etiam vigil tubicina vel tubicem clangens dum debet vel dum vult. Inter ſeptentrionem & occidentem eſt porta Noua, ſic dicta, quia nouiter facta, cum turri alta & ornata inſignibus paſſionis Domini. Contra occidentem vero eſt porta Gœglingenſis, quia ducit in villam proximam Gœglingen dictam, quam inſcii nominant *Glæglis thor*. Hæc porta firmam arcem habet & ornatam cruce glorioſa, in qua etiam cuſtodes & tubicines vigilant: quæ bene diceretur porta iudiciaria, quia extra eam rei torquentur & occiduntur. In latere meridionali in extrema parte ciuitatis contra occidentem, a qua venit Danubius, eſt turris piſcatorum alta & fortis. quæ ideo ſic nomen habet, quia iuxta eam ſunt habitationes piſcatorum aquaticorum animalium & piſcatricum fatuorum hominum. Cohæret huic turri protenſum uſque in Danubium fortalicium firmum cum pluribus propugnaculis, vbi etiam vna pars Blauii deſcendit per foſſatum ciuitatis, labiturque per fauces firmiſſimis cancellis concluſas in Danubium in ciuitatis cornu. Ab illo cornu & turre piſcatorum deſcendit in aqua Danubii profundatus murus, altus & ſpiſſus, anno in Chronica ſequenti ſignato factus, quia antiquus murus domibus & ædificiis inualidus & peruius fuit factus. Stat autem murus ille in rapidiſſimo fluuio protenſus vſque ad Danubii pontem per DC. LX. paſſus, habetque in ſpiſſo X. pedes communes, & prohibet ab vna parte aquas Danubii, ne in ciuitatem ruant; ab alia vero, ne aquæ Blauii extra fluant in locum ſuum. In iſto nouo muro ſunt propugnacula & fortalicia ſeptem ornata & culmina ad modum turrium, ex quibus bombardis & aliis iaculis contra venientes per aquas defenſio fieri poteſt. Sunt etiam ab extra multi circuli ferrei ad alligandas naues, & vnci ferrei, in quibus tempore guerrarum tegumenta murorum ſuſpendi poſſunt, ne machinis e contra poſitis lædi poſſint, & plura foramina pro emittendis iaculis lapidum. In medio muri ſunt quatuor oſtia, per quæ Blauius de vrbe erumpens in Danubium labitur. Supra maius Blauii oſtium eſt turris, in qua ſemper cuſtos auſcultat, vt det reſponſa clamantibus ex alia parte Danubii. Contingit enim ſæpe, vr quis propter aliquam cauſam non velit per pontem & portam ciuitatem intrare: & ſi clamauerit ad cuſtodem illum, nauigio transducit eum pretio recepto.

pto. ſic qui negligunt & poſt portarum clauſuram veniunt, & nuntii vrgentes cauſas afferentes ibi inducuntur, dum cauſa magna ſubeſt, quam magiſtro ciuium oportet exponere.

Poſt nouum murum ſequitur turris portæ pontis Gregis & pons, qui latus eſt & fortiſſimus propter impetum fluminis. Sepe enim aquis exundat, & niſi pons bene fundatus eſſet, abduceretur, ſicut anteactis annis ſepe contigit. Vnde etiam quondam inceperant Vlmenſes ædificare pontem arcuato opere lapideum, ſed dum eſſent in opere & plurimas feciſſent præparationes & ædificia in aqua, venit ſubito vndatio, & in una hora noctis omnia abduxit. Nam aliquando in tantum creſcit fluuius, vt per portam ingrediatur, vt contigit anno Domini M. CCC. LXXIIII. Ideo oportet pontem grauem eſſe, ſicut modernus pons præter neceſſarias trabes habet duo tabernacula in medio ſolatia quaſi turres, non tantum propter ſolatium, quantum propter pondus. Vltra pontem eſt ſuburbium & multæ fullonum domunculæ; ſuntque ab ea parte munitiones, foſſata, phalæ, & valla, ita vt nemo poſſit equeſter etiam ad aquam ex oppoſito ciuitatis accedere. Sub illo ſuburbio eſt laborarium carpentariorum ciuitatis, & locus vbi omnia in Danubium funduntur, quæ de ciuitate ducuntur, vt purgamenta & murorum ruinæ, vbi etiam eſt portus Danubii primus & ſupremus, de quo deſcendunt onerariæ naues & rates ſiue ſtrues, & aſcendunt de Bauaria in eum, nec vlterius eſt aſcendendi locus. Conſequenter a turre pontis & porte Gregis deſcendit in aqua murus ciuitatis altus vſque ad turrim nouam, quæ nouiter facta eſt ſub arce malefactorum, cuius eſt quaſi propugnaculum. Stat autem illa turris noua in aqua, nec habet feneſtras alias niſi foramina bombardarum. Dicunt autem, quod in fundo habeat foueam profundam aqua repletam, in qua ſubmerguntur illi, quos non expedit manifeſte occidere ad præcauendum maius malum. Supra eam eſt turris olim dicta Baliſtarii, eratque antiqua ciuitatis orientalis porta, iam eſt turris malefactorum firmiſſima & alta, collulis ligneis repleta pro cuſtodia captiuorum. in qua etiam locus eſt, vbi tormentantur & librantur ſuſpecti ad confitendum publice arcana cordis ſui. Et dum iam occidendi ſunt, educuntur de cuſtodiis arcis in habitaculum turri annexum, vbi depicta & lucida camera, in qua ſqualore carceris laſſati refouentur, & religioſis exhortationibus ad patientiam animantur, & ſacramenta eis miniſtrantur; & ita ad mortem ducuntur. Hæc habitatio a fundamentis conſurgit de horto fratrum Prædicatorum, vnde rei per feneſtram in eorum hortum reſpiciunt, & videntes aliquos fratres manus extendunt per aperturam, ſupplicantes, vt Deum pro eis intercedant. Sub camera reorum habent fratres cellulam, in qua diſtillantur aquæ medicinales. Ante turrim abintra eſt aliud laborarium ciuitatis, in quo reſpub. ciuitatis tractantur. Ab illa turre reflectitur murus ciuitatis a meridie contra orientem, & incipit ibi Danubius a ciuitate fugere. ideo inter ciuitatem & aquam eſt foſſatum latum aqua plenum, ſupra quod in mœnibus ciuitatis eſt conuentus fratrum Prædicatorum, quibus longus muri tractus commiſſus eſt, habentque XLIIII. mœnia a turre malefactorum vſque ad hoſpitale, & triplici muro eſt in loco illo ciuitas munita. Primus eſt principalis, cui imminet conuentus Prædicatorum. ſecundus eſt valli, inter quem & principalem murum eſt tranſitus, & eſt murus ille ſpiſſus & mœnibus ac fortaliciis munitus & ornatus per totum gyrum ciuitatis. tertius murus eſt inter foſſatum & Danubium. in medio autem muro eſt vnum propugnaculum inter Prædicatorum conuentum & hoſpitale, quod etiam imminet principali muro, ſicut conuentus Prædicatorum, nec eſt per totum muri gyrum aliqua domus imminens muro principali, niſi domus Prædicatorum & hoſpitalariorum. In muro autem, cui hoſpitale adiacet, *eſt arx alta & firma cum propugnaculis*, a quibus conſequenter recuruatur murus magis in orientem vſque ad portam Aucarum, inter quam & hoſpitale eſt in muro exteriore fortalicium. A porta autem illa vſque ad turrim rubeam reſpicit ciuitas e regione orientem, & ſupra eam deſerit Danubius murum tangere exteriorem, & infra eam eſt foſſatum aqua Blauii plenum: quia Blauius fluuius circumplectitur gyrum ciuitatis a Danubio in Danubium, & ipſam ciuitatem alluit, vt patebit. In ſpatio medio inter portam præfatam & turrim rubeam eſt in muro exteriori vnum propugnaculum. Turris rubea eſt arx alta & firma in cornu ciuitatis erecta, vbi ab oriente reflectitur in aquilonem, dorſum Danubio dans. In hoc cornu ab intra in ciuitate eſt armamentarium ciuitatis grande & refertum ingeniis & inſtrumentis bellicis. ab extra vero ſunt propugnacula & vnum fortalicium pectorale, in cuius medio ſtat defenſorium firmum, quod olim Vlmenſes fecerunt contra timorem Delphini Regis Franciæ & Carmaniacorum, qui Alſatiam deuaſtarunt, & ab illo fortalicio fecerant vallum & foſſatum vſque in Danubium, quæ iam deſtructa ſunt. A turre rubea contra aquilonem procedendo extra foſſatum eſt candidatorium, & grandis latitudo pratorum, quæ per gyrum foſſato aqua viua pleno vallata eſt, & in ea latitudine candidantur panni bombycini, qui * Vaſtanicæ dicuntur, numero maximo per æſtatem. in negotiatione illorum pannorum Respub. Vlmenſium miro modo profecit annis præcedentibus. De quolibet *enim* panno cedunt in vſum Reipub. ad *minus* tres *ſs.* ſuntque panni vltra LX. milia. *Supra* foſſata canditatorii non longe a foſſato ciuitatis eſt

* Veſcanicæ.

Digitized by Google

est tabernaculum ædificatum, domuncula cum rota, quæ aqua agitatur, & ibi trabes magnæ perforantur & dolantur terebro ingenti industrioſe aquæ motu. ex oppoſito tabernaculi vltra ciuitatis foſſatum in muro vrbis eſt baſſum fortalicium, quod nominant turrim Theodorici, qui fuit artifex, fecitque in eo molendinum, in quo puluerizantur illa, quæ ad incenſionem bombardarum exiguntur. Supra molendinum illud ſunt duæ arces non multum a ſe diſtantes contra candidatorium reſpicientes directe e regione domorum, quæ ſunt in candidatorio. in hoc candidatorio tractantur æſtiuo tempore, vt præmiſi, panni in tanta multitudine, vt numerus in æſtimatione ſexaginta milia computetur, demptis * Veſtanicis, quæ colorantur nigro. ideo vulgare prouerbium eſt *quod non ſit ciuitas nedum in Alemania, ſed nec in Italia aut Francia, quæ habeat ita delitioſum roſarum hortum ciuitati annexum, ſicut Vlma*, quæ reſperſum albis floribus habet grande pratum, de quibus multa milia hominum pauperum & diuitum viuunt & nutriuntur. Conſequenter extenditur murus ciuitatis vſque ad portam beatæ Virginis, cui alta innititur turris ſepta propugnaculis. ante pontem huius portæ eſt pectoralis munitio muris & foſſatis fortiſſima, in qua ſupereminent VII. propugnacula. Ab illa porta vſque ad portam Nouam ſunt in principali muro VIII. turres, & in muro inferiori tres nouiter factæ fortes & firmæ. in vna autem illarum turrium de foſſato ruit aqua & vertit grandes rotas in fundo turris, quibus artificioſe euehitur aqua ſurſum in ſuperius habitaculum, ibique effuſum in receptaculum ab eo per cannam plumbeam deorſum relabitur, & per dracones diuiditur per ciuitatem, & in diuerſis locis in fontes ſalientes erumpit. ab ea enim turri & ab alio quodam loco etiam tali modo diuiditur in XXIII. fontes per ciuitatem. ab illa aquarum turre venitur ad arcem altam portæ Nouæ, quæ arx ornata eſt picturis & munita propugnaculis, ante cuius pontem eſt fortalicium pectorale munitiſſimum cum VII. propugnaculis. Ab illa porta reflectitur murus omnino in occidentem vſque ad angulum & cornu ciuitatis, & propugnaculis munitiſſimis iungitur ad turrim viridem, ſic nominatam, quia viride habet tectum. Olim tamen dicebatur turris *der Gremlinger*, ſicut vicus ab ea procedens dicitur *Gremlinger gaſs*, a quibusdam antiquis ciuibus *Gremlinger* nominatur. & eſt turris rotunda, in qua, vt dicunt, nemo noctu audet habitare propter ſtrepitus & impetuoſas concuſſiones, quas faciunt in ea maligni ſpiritus. munita eſt hæc turris propugnaculis & antemurali. ſupra eam ab occidentali parte aduenit fluuius Blauius, & contra ciuitatem irruens per duas patentes fauces ciuitati illabitur. & ſunt fauces illæ cancellis ferratis munitæ. in illo loco eſt domuncula baſſa ad murum, in qua etiam per rotæ agitationem aquæ per canalia per ciuitatem diuiduntur. Ab interiori parte muri eſt domus fratrum ſanctæ Mariæ Theutonicorum: ab exteriori vero ſunt molendinæ, & Iudæorum quædam domus eorumque cimiterium. inde flectitur murus reſpiciens occidentem in meridiem, habens ibi vnam turrim nouam in antemurali, poſt quam maius brachium Blauii accurrens quatuor faucibus muri excipitur & ciuitatem ingreditur. Iuxta has fauces, quia patentes ſunt, erectæ ſunt munitiones fortiſſimæ, & tres turres, & ferrea cancella ductilia, quæ poſſunt ſurſum trahi & remitti. & habetur ibi diligentiſſima cuſtodia, ne pariter cum aqua ingrediatur inimicus. Ab illis faucibus extenditur murus vſque ad portam occidentalem Iudiciariam vel Gœglingenſem, cui imminet arx alta, ornata, & fortis cum propugnaculis. Ante pontem huius portæ eſt terribile fortalicium rotundum pectorale cum VII. propugnaculis. Ab illa arce deſcendit murus per flexuram contra meridiem vſque in Danubium, vbi angulum & cornu ciuitatis obſerat arx piſcatorum, a qua incepimus deſcriptionem cinguli & muri ciuitatis. Ibi per foſſatum ciuitatis deſcendit per fauces fortiſſimas reliqua pars Blauii, quia ita fluuius ciuitatem ingreditur, quod tamen vndique foſſatum implet, & ita per illas fauces ea pars Danubium petit, quæ a ciuitate excluſa foſſato ſeruiuit. Foſſatum autem ipſum gyrans a Danubio in Danubium, ſine interſtitio eſt muris incluſum & profundum, in quo piſces multi ſunt & anſeres non domeſtici, & alia aquatica. Magnam commoditatem ſimul cum decore ciuitatis recipit Vlma de aquis iuxta eam confluentibus, de quibus dictum eſt. Nam ab Ylaro recipit ligna, a Danubio diuerſa mercimonia deſurſum, ſingulariter tamen ferrum, per ipſum etiam remittit aliis gentibus ſua. Blauius vero nihil nauigiis inducit nec abducit, ſed per ſeipſum plurimam ſalutem ciuitati affert. ideo non ab extra ciuitatem tranſit, ſed contra eam currens ingreditur tanquam domeſticus & potens ciuis, ipſam ciuitatem alluit, ſordes abducit, farinam molit, vicos omnes aquis ſuis alit, & nunquam ad momentum ſeruitia ſua intermittit, nec viam aut gurgitem alium facere poterit niſi per mediam Vlmam. Non ſic Danubius, qui, vt dicitur, a ciuitate auerti poterit, licet multo labore. Quondam enim quidam Dux Bauarorum inimicus Vlmenſium conſiliabatur, quo in loco poſſet Ylarum per alium gurgitem auertere, ne Danubio iungeretur, ſciens quod Danubius ſine Ylaro inutilis Vlmenſibus eſſet. Sed de Blauio auertendo conſiliari non poteſt, cum ſit impoſſibile fieri. Quamuis autem ipſe Blauius, vt ciuis & amicus, ſemper aſſit vrbi, tamen ab ipſa ſua genetrice nympha interdum importunius euomitur, & tunc intumeſcens quaſi iratus, furens & ſæuiens contra ciuitatem, non vt ciuis & domeſticus, ſed vt hoſtis terri-

* Veſcanicæ.

terribiliſſimus irruit, & turbulento fremitu rumpit & deuaſtat quæ inuenit, & omnia repente replet. Vnde anno Domini M. CCCC. LXI. in Quadrageſima ſubito intumuit, & rapidiſſimo curſu contra ciuitatem in muros irruit, non contentus faucibus ipſos euertere conabatur, & de facto inualdauit, & in ciuitatem veniens rotas omnium molendinarum deſtruxit, & fullonum ac cerdonum ac aliorum circa aquas laborantium ſcamna & inſtrumenta diſſoluit, & XVII. domus a fundamentis eruens, & omnes pontes quaſi deprædator & effractor crudeliſſimus de ciuitate eduxit, ſpolia ditiſſima in lignis Bauaricis & Auſtralibus afferens ex Vlma rapta. vnde in vnius horæ ſpatio vltra X. milia florenorum nocumenta ciuitati intulit. Ex eo autem tempore ampliauerunt Vlmenſes fauces fluminis, vt ſic veniens non petat murum euertere. Sed & Ylarus quandoque de montanis quaſi ſaltum capit & impetuoſiſſime Danubio iunctus muris inſilit, rates diſſoluit, pontes concutit & abducit, & ciuitatem turbatam reddit. Similiter & Danubius turbinibus auctus omnia quæ tangit, euertit, & nouos gurgites per agros, hortos & prata ſcindens terram ſuffodit & recipit. Non autem ſimul & ſemel omnia tria flumina fremunt. ſi enim ſimul omnia tria ſæuirent, non credo poſſe ciuitatem Vlmenſem manere. Propter iſta flumina nullus Alemaniæ Princeps poſſet eam ciuitatem ſufficienti vallatione obſidere ſuo exercitu: quia eam obſidens neceſſe eſt, vt tribus legionibus eam vallet, nec poteſt vna legio ad aliam venire. & ſi tempore obſidionis inundatio fieret, ipſam obſidionem ſoluere neceſſe foret. Inſuper præter aquas delectabili latitudine per gyrum cincta eſt Vlma, a quatuor plagis latas valles habens. Nam ab oriente & occidente vallem amœniſſimam Danubii habet; ab aquilone autem vallem Blauii, qui per amœniſſima arua decidit; & ab auſtro vallem fertiliſſimam Ylaris. inter occidentem autem & aquilonem ſanctum Michaëlis montem fructuoſum & ſolatioſum habet, vt terra Vlmenſis non ſit nimia latitudine tædioſa, nec nimia montuoſitate anguſta. Et tantum de exteriori forma & diſpoſitione ciuitatis.

Abintra eſt ciuitas amœna, aquis irrigua, non ſolum accurrentibus, ſed etiam ex corde ciuitatis emanantibus, vt eſt fons antiquarum cannarum & putei, qui non aquas de pluuia collectas habent, ſed de venis terræ ſcaturiunt. Vnde puteum, qui eſt in ambitu fratrum Prædicatorum, nemo unquam euacuare poteſt, quia quantum extrahitur, tantum repente influit ex fundo. Vicos habet Vlma latos non tenebroſos, & domos altas ligneas vt in plurimum, quia lapides non ſunt ibi niſi igne cocti. Plateas habet latas tres principales, ſcilicet totam plateam ante Prætorium, & plateam vinariam, & plateam ante eccleſiam beatæ Virginis. alia eſt platea granorum vel bladorum: alia platea equorum in arena iuxta portam Aucarum: alia platea viridorum iuxta Prædicatores, &c. nec ſemper ita fuit. nam platea ante domum Conſulum ante paucos annos multis domibus & mercatorum pategis occupata fuit: & in loco, vbi ſtat iam fons in platea piſcium, ſtetit olim domus, in qua vendebatur panis, quæ iam ſtat ante eccleſiam beatæ Virginis, & in eo loco tunc erat domus bladorum & platea granorum. Domus Conſulum egregia eſt & decora, habens campanile deauratum vndique & multa habitacula, & campanam horarum cantatricem magnam, ad cuius tactum etiam in turri eccleſiæ beatæ Virginis cuſtos magnam ictibus percutit campanam, vt qui primam obaudiuit ſignaturam, ſecundam conſideret. In eadem turri beatæ Virginis ſunt ſemper duo cuſtodes, qui mane & veſpere tubis concrepant. ante paucos annos habebant vxores ſecum ſuperius: ſed Plebanus modernus eiecit feminas propter eccleſiæ emunitatem ſeruandam. Studio ingenti ſeruatur ciuitas in mundicia, nec ſunt ibi cloacarum & latrinarum fœtores ſicut alibi, ſed per ſubterraneos meatus omnia tranſeunt. Tantum diligunt ciues ciuitatis mundiciam, vt quadam vice decernerent *nullum amplius mortuum intra muros ſepeliri.* & omnino ſepulturas ſuas ad omnes Sanctos tranſtuliſſent, ſi Prædicatores & Minores non obſtitiſſent. Nihil eſt quod tantum deturpet vicos, & aërem fœtore inficiat, ſicut porcorum multitudo, qui vndique ſtercorizant. credo ſi porci non eſſent, quod tam munda & ſana ciuitas vix reperiretur. Non vidi ciuitatem, in qua homines tam libenter ſint communiter, ſicut in Vlma, tam pauperes quam diuites. Ibi omnia ad humanam vitam ſpectantia reperiuntur pro denario. Sabbatinis diebus eſt hebdomadale forum, & tantus eſt tumultus in plateis ementium & vendentium, ac ſi eſſent nundinæ annuales. ſingulariter tamen in platea, vbi eſt vini forum, vbi nonnunquam ſtant CCC. currus & plauſtra onuſta vino. non credo ſimile forum vini eſſe in Alemania, vbi tantum non vino in plauſtris habeatur venale, & tam repente ſit venditum. nam ante meridiem omnia ſunt vendita tantum pro groſſa pecunia. non enim ſoluitur vinum obulis, denariis, aut cruciferis, ſed florenis & behemis ad promptum, &c.

CAPUT II.

Quomodo Vlma data fuit monaſterio Ovviæ magnæ.

CArolo Magno anno Domini DCCC. V. regnante, cum iam plura monaſteria ordinis S. Benedicti inſtituiſſet, & collegiatas eccleſias fundaſſet, & bonis temporalibus dotaſſet, *aliquos* Abbates ad decorem imperii *Romani* Principes ſpirituales imperii eſſe voluit, eisque ad hoc competentiam temporalium delegauit. indignum magnificus & religioſus Princeps iudicauit imperium habere tantum auro fulgentes

gentes Principes, & non magis habitu ſanæ religionis ornatos. Videns autem Abbatem Owiæ magnæ pauperem, nec poſſe Principis ſtatum ducere, ei Vlmam villam ſuam regalem donatione donauit, litteram donationis conficiens ſolemnem, in qua multi Principes imperii ſe ſubſcripſerunt. & hæc littera adhuc hodie præ manibus eſt. In hoc autem facto & monaſterium exaltare voluit, & ciuibus Vlmenſibus complacere. Erant autem tunc temporis in Owia & in ceteris monaſteriis patres ſancti, viri religioſiſſimi, quibus nobiles & ciues & quique ſeculares ſubeſſe optabant, ſeque eo feliciores fore æſtimabant, quo religioſioribus viris ſubiecti eſſent. Vnde Principes, Barones, & Comites ſe & dominia ſponte monaſteriis ſubiiciebant, & vehementer dolebant, quibus impedimenta erant, quod religioſis dari non poterant, quia in tractatibus & dictis nobilium præ ceteris honorabantur illi, qui monaſteriis incorporati erant. Vnde Imperator Carolus tam in fauorem monachorum quam ciuium Vlmenſium hanc donationem fecit. & poſſibile eſt ciues Vlmenſes tum petiuiſſe incorporari aliquo monaſterio pro ſui maiore gloria, & Abbati plus iuris contuliſſe in ſuam ciuitatem quam Imperator ipſi dederit. Imperator enim donationem fecit cum certis limitibus Abbati. Ciues autem ita religioni affecti ſupra limites & vltra ius Abbatis extenderunt. vnde non ſolum decimas omnes & primitias, thelonea & dacias, vngeltum ac ſturam recipiebat Abbas, nec ſolum inueſtiuit Plebanum, nec tantum præfecit Scultetum, ſed minima accipiebat & officia exilia offerebat. Dicunt enim Abbatem habuiſſe claues portarum, & cuſtodias earum ad ſuum placitum contuliſſe. ſic etiam cuſtodiam pecorum non Vlmenſes ſed Abbas contulit cui voluit, & omnia officia publica magna & parua conferre habuit, nec fuit domus, nec hortulus, a quo cenſus annuos non exigeret. Semper enim aliqui monachi VI. vel VII. de Owia Vlmæ erant, & in domo, in qua iam Magiſter ciuium Magnus Kraft degit, habitabant, & officia ſua in capella S. Ægidii dicebant. Curia enim illa tota cum platea, quam nominant *Grienhof*, ad monachos pertinebat, nec erant tunc domus ibi ſicut iam, dempta domo monachorum Prædicatorum, & domo S. Nicolai, quam de fortiſſimis muris fecerunt, & feneſtras ac oſtia ferreis valuis obturauerunt propter theſauros ibi reconditos, & propter tuitionem in ſeditionibus concitatis per ciues contra eos. vnde curia vel platea *der Grienhof* fuit pomerium & viridarium monachorum, vnde & nomen retinuit: & domus Wilhelmi Lew erat horreum, pars ſcilicet lapidea, pars annexa non erat: ſicut nec domus Matthæi Rem, nec domus Nicolai Beſſerers, nec domus Abbatis de Ochſahuſen, nec domus dicti Ferwers, nec domus turri annexæ & curiæ S. Nicolai erant: ſed læta erat monachorum platea & amœna, ſicque longo tempore res ſtetit. Non ſolum autem monachi Owiæ, ſed etiam monachi Ciſtercienſes de Bebahuſen iuxta Tubingen in Vlma dominabantur magnis priuilegiis vtentes. vnde paruum monaſterium in ciuitate conſtruxerunt, eccleſiam ſcilicet S. * Gregorii, cui domicilia adiunxerunt pro monachorum manſione, & habebant ibi grande ſpatium, quia nec eccleſia B. Virginis nec cimiterium erat, nec domus chorearum, neç pategæ mercatorum. in illo monaſterio grande cellarium habebant, in quod reponebant multa vina, & ſemper duobus torſellis vendebatur vinum ſine omni ciuitatis aut ciuium vtilitate, quia libere vinum imponebant & libere vendebant. nec emebatur vinum ab aliquo Vlmenſi niſi de illo Cellerario, & hoſpites ibi prouiſionem ſibi faciebant. Introitus ad hoc cellare erat, vbi hodie eſt capella S. Vallentini in cimiterio eccleſiæ parrochialis. Sic ergo Vlmenſes longo tempore ſub iugo Monachorum & regimine eorum degebant, eosque tanquam dominos ſuos recognoſcebant, & miniſtri eorum voluntarii erant, quandiu monachi miniſtri Dei deuoti manſerunt. tandem autem religione tepeſcente & ſeculari pompa in monachis creſcente, Deo permittente tepuit in Vlmenſibus amor & affectus ac obedientia ad monachos illos. videbant enim quod de bonis eorum nutriebatur ſuperbia cum multorum ſcandalo. Vnde Abbates illi illo tempore magnis ſumptibus a ſede Apoſtolica impetrauerunt Pontificalia inſignia ſupra ſuas dignitates. contra quod tamen S. Bernhardus, qui illis temporibus adhuc in humanis erat, multa ſcripſit. Dicit enim; *Si attenditur rerum dignitas, hanc monachi abhorret profeſſio: ſi ** miniſterium, ſolis liquet congruere pontificibus*, &c. vide in Spec. hiſtor. lib. 2. cap. 84. Vnde Abbates infulatos, nequaquam ego, ſed Iohan. in decretali vt Apoſtolicæ, de priuil. lib. 6. nominat *aſinos cornutos*, dicens *eos ideo non poſſe exercere officia pontificalis ordinis.* ideo vulgariter dicitur, quod *inſignia pontificalia in iſtis Prælatis tantum operantur, quantum in mulis genitalia:* quia licet habeant, tamen non generant, ſic nec iſti infulis coronati fructificant. Sic ergo, ad propoſitum, indies expenſis creſcentibus creſcebant neceſſario exactiones ſubditorum & grauamina indebita. Vnde Vlmenſes onerati gemere ceperunt, & de excutiendo iugo illo inter ſe tractauerunt. quia tamen prudentes erant, non ſubito ſed paulatim libertatem quæſierunt cum amicitia ſuorum Dominorum. Porro ambo illa monaſteria Bebahuſen & Owia indies decreſcebant in temporalibus, quia ſpiritualia iamdiu deſierant florere. vnde coacti Abbates iura ſua Vlmenſibus paulatim vendere cœperunt. Emerunt autem Vlmenſes primo omnia iura Abbatis de Bebahuſen, & habitationes eorum & cellare, & ea in vſum Reipub. conuerterunt, omnia deſtruentes præter eccleſiam,

* Georgii. ** Myſterium.

Digitized by Google

quæ adhuc hodie Domino de Wirtenberg attinet, qui ius patronatus a monachis prædictis emit. In illo autem contractu Vlmenſium cum monachis duo intendebant efficere Vlmenſes. primum quod eorum iura & bona in ciuitatis venirent vſum & poteſtatem: ſecundum quod ipſos monachos excluderent a ciuitate; & utrumque factum eſt. Vnde Abbas Owiæ frequenter erat in Vlma, & quaſi curiam non Principis ſed Regis ibi habebat. cui Vlmenſes pecunias ad deſiderium commodabant, quibus decimas, cenſus, thelonea, & iura impignorabat. multa etiam ad vitam quorundam tribuebat: alia ſponte propinabat, nec erat dies in quo non aliquid alienaretur ab eo, conſentiente eo. Aliquando, vt audiui, ante Carniſpriuium quaſi omnes de Owia Vlmæ erant, & cum ciuibus haſtiludiis, choreis, nuptiis, conuiuiis, & omnibus voluptatibus deſeruiebant, & tantas expenſas faciebant, quod non erat dies, in quo non vna villa vel decima in caſſum tranſibat. & cum hoc in tanta debita deductus fuit in Vlma Abbas, quod non fuit iam quæſtio de rebus Abbatis in Vlma, ſed quærebantur iam res extra etiam procul ab Vlma. in his Sculteto & conſulatui multa dedit & indulſit, & coactus diſtributis iura ſua continue reſignauit. Sed & curiam ſuam *den Grienenhof* ciuibus vendidit, qui ex toto plateam publicam fecerunt, in qua olera & fructus vendebantur, & de horreo, quod iam eſt domus Wilhelmi Lew, Zecham vel tabernam ciuium fecerunt. Manſit autem platea illa forus venalium rerum vsque ad ciuitatis ampliationem. Hæc auten omnia non vnus Abbas, ſed plures ſucceſſiue agebant, & ad tantam peruerſitatem res deuenit, vt Abbate aliquo defuncto Vlmenſes promouerent quem vellent, qui nullum vtilem monaſterio, ſed ſuæ ciuitati beneuolum eligi permiſerunt. In tanto autem contemptu & deſpectu haberi cœperunt Abbates ab Vlmenſibus, vt mortuo aliquo Plebano ipſi eligerent, & pro eius confirmatione & inueſtitura ad ſedem Apoſtolicam mitterent, & non ad Abbatem, ad quem de iure ſpectabat. Nam in omnibus hiis Vlmenſes multa de facto fecerunt, quæ ſacris canonibus & legibus contraria erant, & monachi ius pro ſe habebant, ſed negligentes, formidoloſi, & dormientes erant. *Vigilantibus autem & non dormientibus iura ſubueniunt*, vt habetur 4. q. §. 1. & ſeq. ff. de hiis quæ in fraud. cred. l. pupillus, in fi. Multis autem bonis perditis & iuribus amiſſis aperti ſunt monachorum oculi, & cœperunt cum Vlmenſibus contendere, & in litem trahere, & nouas expenſas inutiles facere: ſicque multis annis in diuerſitate ſteterunt. vnde per XIV. annos Vlmenſes in excommunicatione erant Apoſtolica propter monachos: nec tamen ad monachos illos inclinari poterant, ſed inſtanter apud Papam & Imperatorem laborabant, vt liberarentur ab eis, quod tamen videbatur nullo iure poſſe fieri. Tandem autem inuenta eſt via liberationis eorum ſubtili practica iuris, de qua longus eſſet tractatus conficiendus, & abſoluti ſunt Vlmenſes a monachis & monachi ab eis, quibus Vlmenſes aurum non modicum promptum dederunt, ſcilicet XXIV. milia florenorum, & omnia iura & bona in ciuitate Vlmenſi & in circulo ad quatuor miliaria redemerunt. & hanc redemptionem Concilium, Papa & Imperator ratificauerunt litteris & ſigillis ſolemniſſimis cum multorum Principum ſubſcriptione. Et hæc redemptio ad plenum facta eſt æuo noſtro, & non multo poſt, propter varietatem cauſarum, ſi Vlmenſes in duplo plus de auro dediſſent, nihil effeciſſent. Vnde Abbati & monachis ingens accreuit contritio, quod tanti pretii bona pro tantillo vendidiſſent. Venerabilis Dominus Heinricus Nithard ſacrorum canonum & legum Doctor, modernus plebanus Vlmenſis primus fuit, quem Domini Vlmenſes ordinario Domino Epiſcopo Conſtantienſi inueſtiendum præſentarunt. Porro in hiis litibus Vlmenſium cum monachis, nobiles Sueuiæ & ciuitatenſes Vlmenſibus auxilio & conſilio erant, animabant & confortabant. Plures etiam de nobilibus domicilia ſua Vlmam tranferentes conciues manebant. inter quos erat Comes vnus de Werdaberg monoculus, cui *dum de prolibus ſpes non eſſet, omnia* quæ habuit, vendidit, & accepto pretio emit ab Vlmenſibus pro ſe & ſex perſonis ad vitæ ſuſtentationem ſub hac conditione, vt cum ſuis in quocumque hoſpitio placeret, manere poſſet & ad placitum hoſpitium mutare, & propter hanc conditionem multam ſuperaddidit pecuniam. Erat enim vir, qui nouis delectabatur, & vbicunque audiebat aduenisſe nobiles vel alienos homines, ibi intrabat & manducabat, vt nouos rumores audiret. vnde in prouerbium verſum fuit inter nobiles volentes ire Vlmam, quod dicebant ſe ire *ad curiam Comitum de Werdenberg*. Hanc deriſionem Comites illi ægre ferre cœperunt, & cum Vlmenſibus contractum fecerunt, vt extra oppidum Vlmam habitationem Comiti congruam conſtruerent & ſufficientem prouiſionem ordinarent, in qua Comitem ſuum conſanguineum nutrirent, & in recompenſam conſtructæ domus tres perſonas de vitalicio defalcarent. Conſtruxerunt ergo Vlmenſes domum pulchram pro Comite in littore Blauii ſub oppido in ſuburbio, & in illa domo comedit, bibit & dormiuit quamdiu vixit. Dicunt autem quod nobilis reſidens in oppido in caſtello, quod iam inhabitat Georgius Strœli, diſcors fuit cum illo Comite, & quod iaculis ſe de domo in domum petebant: quod poſſibile eſt, quia non longe diſtant a ſe. Mortuo autem Comite & omnibus ſuis commenſalibus, deuoluta fuit domus illa ad Vlmenſes, quam quidam dictus Behem emit ab Vlmenſibus, cuius poſteritas vltra CC. annos domum poſſedit. tandem ciuitate ampliata muris incluſa fuit. Deinde noſtro tempore Vlmenſes reemerunt domum, eamque officinam Reip. eſſe ſtatuerunt, in qua menſurarentur vaſa, & dicitur vulgariter *die Eych*. in domo vero alia ſupra memorata, quæ eſt curia ciuium

Digitized by Google

uium Strœli, fecerunt Vlmenſes Imperatori curiam, quæ vsque hodie *curia Imperatoris* dicitur vel *curia Regis*. vnde anno Domini M.CCCC. LXXIII. cum Vlmenſes Friderico III. iuramenta præſtare vellent, in foro ante prætorium, vt iam mos habet, interrogati fuerunt, cur non in curia Regis, ſicut antiquitus facere conſueuerant, id agerent. & reſponderunt, ſtatum ciuitatis mutatum eſſe poſt eius ampliationem, & locum iuramenti translatum in publicam plateam, in qua forum de nouo conſtituerant. nam ante ciuitatis ampliationem aliam faciem habuit oppidum, nec erat platea ante domum Conſulum, ſed in ſuburbiis erant fori & in platea ante capellam S. Ægidii, poſtquam eam a monachis emerunt. Et tantum de ſecundo principali.

CAPUT III.

Quomodo ciuitas Vlmenſis deſtructa & reædificata fuit.

TErtium principale de Vlma & ciuitatis Vlmenſis eſt de eius deſtructione, reædificatione, ampliatione & continuo incremento, eiusque menſura. Anno Domini ab incarnatione M. C. XXIV. mortuo Heinrico huius nominis V. Imperatore, conuenerunt Principes Electores ad eligendum alium, & diuiſi in electione propter Papæ legationem, quæ obſtabat, ne aliquis de Sueuis eligeretur, duos elegerunt. Vna pars Papam ſequens elegit Lotharium Saxoniæ Ducem: alia pars elegit Conradum Ducem Sueuorum: ſicque diſcedentes cum diſturbio abinuicem vterque electorum geſſit ſe pro Romanorum Rege, & facta eſt periculoſa diuiſio in Alemania, & præcipue in Sueuia, quia illi ſequebantur Lotharium, alii Conradum. Verum Lotharius fortior Conrado erat, & Papam & maiorem Principum partem habebat. Ingreſſus autem Sueuiam Lotharius eam artare cœpit, & veriti eius fortitudinem intromiſerunt quam plurimi: ſicque vsque Vlmam deuenit. Vbi dum eſſet, clauſerunt Vlmenſes portas, dicentes hoc oppidum non Saxonibus nec Italicis, ſed Sueuorum Ducibus & Romanorum Regi ex eisdem electo Conrado fore aperiendum. Obſedit ergo Lotharius Vlmam, & primo ſuburbia incendit, deinde machinis muros impetens eos pluribus in partibus rupit, tandemque cepit, & munitionibus deiectis ciuitatem deſtruxit, & multis interfectis ciuibus ceteros captiuauit, alios diſperſit. & ita Reſp. Vlmenſium in nihilum redacta eſt. Diſſipatis ergo Vlmenſibus vocatus Imperator a Papa intrauit Italiam, ibique exiſtens mortuus eſt Veronæ. Quo defuncto congregati Principes Electores anno Domini M. C. XXXVIII. vnanimiter prædictum Ducem Sueuiæ elegerunt in Romanorum Regem Conradum. Factus ergo Rex Vlmenſibus propter ſe excidium paſſis miſertus reædificari ſuam ciuitatem præcepit, & multa contulit priuilegia, eisque in adiutorium plures laboratores miſit. Inſuper multi nobiles cum eis ad ædificandum conuenerunt, & multi de aliis ciuitatibus ciues ad eos commigrauerunt, allectaque eſt grandis multitudo ad inſtaurandum deſtructam Vlmam. Videntes autem Vlmenſes multitudinem & forte adiutorium animati ſunt, & non antiquum oppidum exile & paruum, ſed nouam vrbem ædificare decreuerunt. Die ergo ſtatuto, populis ad laborandum paratis, iunctis bobus aratro in littore Danubii hiatum ſulcare cœperunt per gyrum antiqui oppidi multum ab omni parte ſpatium vrbantes vltra terminos antiquæ ciuitatis vsque in aliam Danubii partem. Spatium enim antiquæ ciuitatis non erat niſi duorum milium & centum paſſuum: ſed ſpatium nouæ vrbis aratro deſignatum fuit ſex milium & quadringentorum paſſuum, connumeratis paſſibus etiam illius lateris, vbi Danubius muris iungitur, quod arari quidem aratro non poteſt, ſed cimba ſulcari. Eſt autem vrbs in circulum deducta, in quantum erat poſſibile. curuitates enim multas habet, quia impedimenta diuerſa circulus accepit, tum propter petroſitatem, tum etiam propter vliginoſitatem. Antequam autem quicquam ædificaretur, foderunt per gyrum vallum aut profunda foſſata, & terram effoſſam ad interiora foſſata antiquæ ciuitatis comportauerunt. Cimiterium etiam ad omnes Sanctos, quod tunc non ita eleuatum erat ſed dimiſſum, ſicut pratum candidariorum, quod ei cohæſit, muro cinxerunt alto, & in murum terram de foſſatis comportauerunt quaſi ipſum replentes, & tilias arbores ibi plantauerunt. Hæc ad oculum patent conſideranti murum terra repletum, & poliandrium longe ſub terra quaſi infoſſum. cetera vero in agros circumiacentes comportauerunt. Foſſatis ergo paratis inceperunt paulatim murum ædificare, multisque annis ſtetit cum imperfecto muro: & in eis locis, vbi murus nondum erat, palos & ligna fixerunt, & multa bella etiam inter lignea mœnia pertulerunt, quia valde inquieta erant tempora. Cito autem foſſatis factis intermiſſum erat murorum opus, & conuerterunt ſe ciues ad inſtaurandum & ædificandum domos ſuas. Semper tamen & quottidie conducti laboratores in ædificio murorum & aliquarum turrium laborabant. Ante omnia enim turres trium portarum erexerunt, ſcilicet turrim portæ Gregis pontis, vbi in antiqua ciuitate nec turris erat nec porta nec pons, ſed ampliata ciuitate tranſtulerunt pontem ſurſum ad turrim & portam illam. Portam etiam S. Leonhardi, quæ nunc dicitur B. Virginis, ſublimauerunt eamque cuſtodiis munierunt, quia ibi murus non erat, ſed tantum ſepibus & lignis erat ciuitas vallata ab illa parte. Tertiam etiam portam, ſcilicet Gœglingenſem, per quam itur in Gœglingen, turri firma & alta munierunt. Et hiis factis claudere & aperire poterant cui volebant. Non enim habuit in principio ampliationis niſi præfatas tres portas,

Digitized by Google

tas, ſed ſucceſſu temporis factæ ſunt aliæ portæ, videlicet porta Aucarum, porta Noua, & porta Laniſtarum, quæ quaſi nulla eſt. Fuit autem locus ſpatioſus in ciuitate, & populus paucus pro tanto ſpatio: verumtamen quottidie confluebant nobiles & diuites, & ciuitatem meliorabant. Translata etiam fuit tota villa Schweickhofen cum omnibus domibus & hominibus in ciuitatem, ita quod non manſit aliqua domus extra nec homo. Vnde hodie adhuc multæ vetuſtiſſimæ domus ſunt in Vlma de illa villa, & progenies plurimæ in vulgo communi originaliter ab illa profuſæ. Sed & villæ Offenhuſen & Phul cum aliis villulis reſolutis ſuis domunculis eas in Vlmam duxerunt, & ibi erexerunt. Inſuper oppido, caſtro, & dominio Albegg in Vlmenſium ſubactis poteſtatem, hebdomadale forum, quod ibi celebrabatur Sabbatinis diebus, Vlmam tranſtulerunt, ſoluentes domum negotiationum, eamque Vlmam duxerunt, in qua hodie merces reponuntur & librantur, quæ domus vulgariter *die Gred*, quæ ſtetit in Albegg. ſicque fuit Vlma non modicum per ingreſſum ruralium aucta hominibus & ædificiis ac diuitiis. Ex quo forte eſt occaſio ſumpta, vt Vlma nominetur *imperii villa*. Inſuper illi, qui in ſuburbiis habitabant muris non incluſi, domus ſuas in ciuitatem transferebant. Et ita per multos annos ſtetit ciuitas in continuo incremento. Inchoata eſt autem eius reædificatio & ampliatio anno Dom. M. C. XL. vel circa, & ſucceſſiue creuit multum. Hoſpitale etiam, quod prius ſtetit ante portam Geglingenſem tranſtulerunt iu ciuitatem ad murum, vt prope eſſet iuxta aquam, in quam immunditiæ transmitti poſſent.

Deinde anno Dom. M. CC. XXIX. venerunt Vlmam fratres Minores de Gamundia petentes ſibi aſſignari locum pro monaſterio conſtruendo. quibus ciues ſpatioſum dederunt locum iuxta portam Leonum antiquæ ciuitatis, & ipſam turrim cum antiquo muro ibidem eis aſſignauerunt & locum pro ſpatioſo horto. Ibi ergo ædificare cœperunt & fructificare. Non multo poſt ſecutæ fratres Minores Sorores S. Claræ petentes ſibi etiam dari locum inter foſſata ciuitatis. quibus ciues in Arena locum ſpatioſum dederunt, & dicebantur Sorores S. Claræ in Arena. Has comitatæ ſunt etiam Sorores de tertia regula S. Franciſci venientes de Buren, vbi domum inceperant, quibus datus fuit locus ad latus muri fratrum Minorum, quia locus fuit ibi ſpatioſus & vacuus. Nam eccleſia B. Virginis non erat ibi nec cimiterium, nec erat platea ibi mercium, ſed fuerunt horti, qui dati fuerant fratribus Minoribus & ſororibus de Buren iuxta eos, quarum domus ſtetit in loco, vbi nunc eſt laborarium latomorum in cimiterio eccleſiæ B. Virginis, vulgariter *die Steinhutt*, ſtabatque ſupra antiqua foſſata, quæ nondum plene erant impleta & reliquæ terræ coæquata. vnde totus vicus, qui modo dicitur Longus vicus, vbi fuerant antiquæ ciuitatis foſſata, erat adhuc fouea longa in fundo lutoſa, & ab vtraque parte ædificabantur domus & fuerunt poſitæ itæ ſiue tranſitus lignei, per quos de domibus vnius lateris tranſibant ad domus alterius lateris, & ita ſtetit vicus ille multis annis, quod non erat tranſitus in eo per longum, ſed ſolum per transuerſum, & hoc per itas ſiue trabes & ligna poſita. Non multum poſt tempus prædictum data fuit villa Seflingen Sororibus in Arena. vnde derelicta ciuitate & loco monaſterium extra tranſtulerunt in Seflingen, monaſterium hortum B. Mariæ Virginis & Virginum nominantes. Deinde anno Domini M. CC. LXXXI. venerunt Vlmam fratres Prædicatores locum pro monaſterio quærentes. quibus contulit quædam deuota Chriſti famula dicta Mechtildis Hunrorin hortum ſuum iuxta hoſpitale, & inſignis vir dictus antiquus Kraft actu ſcriba Domini Imperatoris fundatorem ſe exhibens Fratres vt filios cariſſimos fouebat, cuius adiutorio eccleſiam & conuentum ædificabant, & ſpatium ſatis magnum ciuitatis acceperunt illi Fratres. emerunt nihilominus a ciuibus ſpatium pro cimiterio, de loco vbi antiquæ ciuitatis foſſata fuerant. *Sic ergo Vlmenſes quadam ſingulari* benignitate hiis duobus ordinibus affecti Prædicatoribus & Minoribus vtrisque portas antiquæ ciuitatis commiſerunt. Prædicatoribus quidem portam orientalem, Minoribus occidentalem. Eſt tamen iam alia diſpoſitio cum turribus *illa*rum portarum, quam fuerit illo tempore. Habent autem Prædicatores ſatis amplum ſpatium intra muros, & de muro ciuitatis poſſident in longum CLXV. paſſus, in quo ſpatio ſunt vltra XL. zinnæ vel mœnia ſub clauibus & cuſtodia Fratrum verſus Danubium. Poſt prædicatores venerunt Vlmam Domini Fratres ordinis Theutonicorum de..... inſtantes pro loco monaſterii conſtruendi. quibus vltra Blauium locum ſpatioſum contulerunt ad mœnia ciuitatis. Dicunt tamen nonnulli eos ibi ante ciuitatis ampliationem occupaſſe locum & mœnibus incluſos eſſe. Deinde pluribus annis euolutis Canonici Regulares, qui in monte S. Michaëlis habitauerunt, & iamdudum in loco, qui dicitur Wenga, extra Vlmam conſederant, etiam in ipſam ciuitatem ſe contulerunt. Multis autem annis habitauerunt trans Blauium in domo, vbi nunc reſidet ciuis dictus Theobaldus Huter, & tandem obtinuerunt locum, in quo hodie ſunt, quem ædificare inchoauerunt anno Domini M. CCC. XCIX. Difficultata autem fuit intromiſſio Fratrum Theutonicorum & Canonicorum Regularium, quia iam Vlmenſes in translata parrochia ſtructuris grauati erant. ſiquidem poſt Fratrum Minorum & Prædicatorum ingreſſum, & monaſteriorum ædificationem cogitarunt ciues Vlmenſes etiam parrochialem ſuam eccleſiam, quæ erat extra ad omnes Sanctos, transferre in vrbem propter timores & pericula. Timebant enim, quod populo exiſtente extra in eccleſia poſſent vna dierum proditiones & tradimenta ciuita-

tis

tis fieri & ciuitas capi, & populus foris periclitari, quia erant tunc tempora satis inquieta: Non etiam bene poterant in magnis festiuitatibus interesse nocturno officio, cum portæ non aperirentur. & multi etiam diebus Dominicis extra parrochiam manebant, qui exire vel non poterant vel nolebant. Videbant etiam populum largiter Prædicatoribus & Minoribus ad suas ecclesias & structuras contribuentem, & multa eisdem monasteriis dari, quæ ecclesiæ parrochiali data fuissent, si in ciuitate esset posita. Insuper multi suas sepulturas ad monasteria statuerunt, quas non mutassent, si parrochialis ecclesia cum cimiterio in ciuitate esset facta. Concluso ergo consilio omnino transferre parrochiam in ciuitatem decreuerunt. quod tamen graue eis fuit propter sepulturas suorum, & propter ecclesiæ antiquæ egregium ornatum & decorem. Erat enim, vt supra dictum est, ecclesia valde pretiosa & multarum lampadum perpetuo ardori ordinatarum. Elegerunt ergo locum pro noua ecclesia construenda in honorem B. Virginis quasi in centro & medio ciuitatis, in quo loco iamdudum æstuarium vnum ædificatum stabat cum pluribus aliis domibus. Has domos ciues emerunt, locumque mundauerunt ad fundamenta iactanda. Sed & pro cimiterio emerunt domum Sororum de tertia Regula S. Francisci, quæ dicebantur Sorores de Buren, eisque locum in Arenis assignauerunt. & quia templum, quod ædificare volebant, grande futurum erat, acceperunt maiorem partem horti Fratrum Minorum, vt iacerent turrium ecclesiæ fundamenta, & postea esset ante ecclesiam libera platea. Sicque satis angustus factus fuit Fratrum Minorum locus, qui tamen fuerat amplus, quia quasi totam plateam complectebatur. Designata in complanato & mundato loco quantitate, longitudine, & latitudine ecclesiæ ædificandæ in ipsum circulum ædificauerunt ecclesiam ligneam & altaria lignea cum portatilibus, in qua diuina celebrarentur vsque ad suscitationem ecclesiæ. Festinabant enim, vt citius introferrent ecclesiam in ciuitatem, quia paratæ eis erant insidiæ, & opus grande erat, & cum hoc ciuitas nondum per gyrum murum habebat. vnde omnis homo, feminæ & viri, senes & iuuenes, diuites & pauperes, spirituales & seculares ad laborandum accurrerunt. Anno ergo Domini M. CCC. LXXVII. dissoluerunt Vlmenses antiquam parrochiam, ecclesiam ad omnes Sanctos, & omnia induxerunt & humeris intulerunt in ciuitatem in locum pro ecclesia construenda ordinatum. cumque omnia illata essent, foderunt murorum fundamenta vsque ad aquam, & luto infigentes palos de vlmorum solidissimis lignis ad superponendum lapides fundamentales & saxa grandia, quæ sustentarent tam ingentem molem. Erat autem horrendum videre profunditatem, magnitudinem, & per circuitum ingentem circulum fossaturæ. Habet enim circulus ille per gyrum quadringentos sexaginta quatuor passus. Cumque locus fundamenti paratus staret, denuntiauerunt præfecti operum Consulibus fundamenta iacienda. & quia opus consulum erat, potiores ex eis primum lapidem merito ponere debuerunt: siquidem hoc grande ædificium incipere, perficere, & consummare intendebant in suæ communitatis expensis, nec aliquam petitionem ad hoc fieri extra Vlmam decreuerunt, nec indulgentias speciales ad hoc impetrauerunt, nec Principum adiutorium inuocauerunt, dempto Comite de Wirtenberg, cuius videbatur pars fundi esse ratione ecclesiæ S. Georgii & monasterii olim in illo loco a Wirtenbergensibus fundati. ab illo enim Comite consensum requirere necesse erat. Libenter autem annuit Comes ammiratus magnitudinem illorum ciuium, quod tam stupendum opus suis viribus perficere præsumebant. Anno igitur præfato vltima Iunii cum dies illuxisset, congregato in loco structuræ omni clero & populo solemniter fundamenti lapidem primum ponere paratis, de consensu Consulatus insignis vir Ludwicus Kraft pro tunc magistratum ciuium tenens in defossum fundamenti descendit cum quibusdam de optimatibus ad suscipiendum saxum grande, quod dispositione artificum desuper in sublime mordaci bidente suspensum erat. Hora ergo tertia diei, qua Spiritus S. missus est Apostolis, inceperunt submittere saxum in foueam, non artifices sed maiores Vlmenses, quorum aliqui rotam trahebant vel tenebant, aliqui funem manu habebant. Magnificus autem vir Iohannes Echinger dictus Habfast, & Conradus Besserer ciuitatis Capitaneus, & ceteri magnates supra fossam stantes lapidem manibus tangebant & dirigebant deorsum ad manus Ludwici Kraft Magistri ciuium & ceterorum in fouea expectantium. Omnia autem illa maturitate magna fiebant, cantante clero, orante populo, & diuerso musicorum genere sonante, quasi ad modum sicut legitur Esdræ 3. Suscepit ergo dictus Kraft saxum, & in locum iam cemento stratum direxit & posuit. Cum autem positum esset saxum, eius locator peram aperuit, & aurum proferens petram centum florenis fulgidis texit & ornauit. Post quem ceteri optimates etiam descendentes fundamentum auro & argento ornauerunt. Similiter & illi de honorabili populo fecerunt, & vulgi deuotio, sicque dona grandia die illo sunt pro structura collata. Creuit ergo opus in manibus eorum, & in centum & XI. annis, scilicet ab anno suæ fundationis vsque ad annum modernum M.CCCC. LXXXVIII. in stupendum & ammirandum cunctis gentibus & seculis templum euasit: nec tantum ammirantur videntes ingentem structuram, quantum ammirantur magnificentiam & audaciam fundatorum, quod tam in parua ciuitate sine peregrinorum aduocatione, sine adiutorio & mendicatione tantum ædificium erigere ausi sunt, cuius immensa & celsa campanarum turris hodie in diuinæ maiestatis ho-

Digitized by Google

norem, quasi in cœlum crescere velit, exaltatur. Ipsum vero tabernaculum dudum completum abintra tanto nitet splendore, vt exteri eo venientes decorem ammirati non tam mortalium quam cœlestium id domicilium dicant. Multum autem admodum decori illius ecclesiæ conferunt antiquæ parrochiæ sculptilia porticibus & ostiorum superliminaribus illius superposita, antiqua manu fabrefacta. Habet autem ecclesia hæc nouem insignia singularia præ omnibus ecclesiis, quæ in toto sunt Christianismo, parrochialibus. Primum est, quod est ecclesia parrochialis maior quam quæcunque alia. non enim est nec collegialis nec episcopalis nec abbatialis, sed tantum simplex parrochialis, maior multis episcopalibus, &c. plerisque patriarchalibus solemnior; non tamen eam æquare audeo templo Sophiæ Constantinopoli, quod est toto orbe famosissimum, nongentis quondam sacerdotibus celebratum, mirabili opere pretiosa materia constructum, quod iam heu spurcitiæ Machometi subiacet, sed eadem ecclesia erat patriarchalis. Secundo habet illa ecclesia cunctis aliis maiorem pulchritudinem, non quidem in ornatu parietum aut structuris pauimentorum aut lapidum sculpturis, aut picturis aut tabulaturis, sed in splendore luminis, in quo formalis consistit pulchritudo. vidi enim multas ecclesias opere & materia splendidiores, sed nullam adeo copioso lumine perfusam, nullam ita claram in omnibus angulis, sicut istam: nec habet aliquem tenebrosum angulum, aut opacum diuerticulum, aut fuliginosum habitaculum, sicut ecclesiæ grandes solent habere: nec capellas habet occultas, sed peruias & lucidas. Tertio altaribus numerosior cunctis parrochialibus est illa. habet enim altaria LI. quæ omnia prouisionem & competentiam habent, & dotata sunt non per Principes aut nobiles aut per alienos, sed per ipsos incolas Vlmenses: & sicut patroni sunt ecclesiæ, sic & collatores omnium altarium sunt. Multa autem altaria sunt, quæ habent quinque aliqua quatuor, aliqua tria beneficia. Et ex illo sequitur quartum, scilicet quod nulla parrochia sola & simplex tantum habeat clerum in numero, quantum Vlmensis ecclesia. Quinto ecclesia ista est oblationibus ditior cunctis aliis. quantæ autem sint eius oblationes, quæ quotidie per populum Vlmensem offeruntur, ad cippum vel peluim pro eius structura, & ad altaria in argento & cera in Domini Plebani vsum, qui scire voluerit, penset pretia laborantium artificum quotidie, & adducentium a remotis locis lapides, quorum emptio & adductio incredibile pretium requirit, quia lapides illius ecclesiæ non de solo Vlmensi, sed a remotis locis aduehuntur: pensetinsuper Domini Plebani magnificum statum. non enim habet statum Plebani aut Canonici, sed statum ducit habundantis Episcopi, quinque habens in cura adiutores & familiam copiosam, nec tamen aliam prouisionem habet aut competentiam, nisi suorum subditorum spontaneas oblationes. idcirco communiter parrochia illa virum habet aliquem egregium, generosum & doctum, dignum & meritum tanto beneficio. Sextum est quod illa ecclesia est cunctis aliis (audenter dico) in tota Christianitate populosior. quamuis enim grandis sit, tamen diebus festiuis est in condensis vsque ad cornu altaris: & nisi essent monasteria, non posset capere populum. communi cursu tempore Paschali communicantur vlta XV. milia hominum in ea. Septimum, quod ex illo sequitur, est, quod ipsa in sacramentorum vsu est cunctis frugalior. nulla parrochia reperitur, in qua dietim tot pueri baptizentur. nam proportionabiliter omni die quinque pueri baptizantur in baptisterio illius ecclesiæ, quod regio decore ornatum extat, & omnes baptizati notantur & inscribuntur. Similiter est de confessione & eucharistia. raro enim transit dies Dominica, quin præter Missas sacerdotum sint communicantes vel grauidæ aut personæ infirmæ aut deuotariæ. Octauum est, quod excedit in sepultura. habet enim parrochia illa præter particularia cimiteria duo grandia cimiteria. vnum extra ad omnes Sanctos: aliud intra iuxta parrochiam, *in quibus quotidie laborant* polinctores. Cimiterium extra habet poliandrium adeo ossibus repletum, ac si omnis Sueuia ossa suorum defunctorum in eum congereret. Dicunt autem sepelitores mortuorum, quod dum fodiunt ibi in altum, ubique attingunt firmissimos muros, puta fundamenta prioris ecclesiæ parrochialis, quæ haut dubium glorioſa fuit, vt produnt artificiosæ sculpturæ de ea translatæ & insertæ muris illius modernæ ecclesiæ super ostia omnia, dempto ostio principali occidentali iuxta campanarum funes, quod habet nouam sculpturam, cetera omnia sunt de antiqua parrochia. In interiori vero cimiterio dum fodiunt, inueniunt ædificia subterranea & testudines vacuas & alia, quorum causa ignoratur, de quibus homines mirari solent. & carnarium illius cimiterii olim fuit cellarium monachorum S. Georgii sub capella S. Valentini. Nonum singulare illius parrochiæ est magnus affectus & dilectio parrochianorum ad eam. valde enim tam consulatus quam communitas ibi afficiuntur ecclesiæ sicut suæ matri: & tam viuentes quam morientes eam beneficiis honorant & decorant, perpetuas lampades ordinando & anniuersaria statuendo. Nam omnes lampades antiquæ ecclesiæ, quæ valde multæ dicuntur fuisse, in translatione eius abrogatæ fuerunt, & prouentus ex eis in structuram illius cesserunt. sic & anniuersaria vetera extra constituta dimissa fuerunt in ecclesiæ nouæ fauorem. Decimum & vltimum est, quod Plebanus illius ecclesiæ magnis priuilegiis gaudet in ecclesiæ fauorem & suam non modicam vtilitatem. nam interdicto a iure lato & posito non subiacet, quam cito nuntius ad Episcopum Constantiensem missus extra ciuitatem venerit; vtputa si sacerdos percussus aut occisus fuerit, mox vt iura disponunt ordinis a diui-

nis

nis ceſſant, ſed nuntio egreſſo contra Conſtantiam reaſſumunt diuina officia. item ſi cimiterium vel eccleſia prophanata fuerit, occulte eam poteſt Plebanus per quandam aquam reconciliare. quod certe neceſſarium eſt: quia multitudo populi confuſa eſt per varia, & ſtat eccleſia tota die aperta, per quam omnis homo tranſitum facit. eſtque in ea tumultus varius, maxime tamen cleri otioſi, qui ibi conuentionem & collocutionem habent ſecundum quod in os eis venerit, per quod multum gloria illius eccleſiæ dehoneſtatur, & populus valde ſcandalizatur. ſed & cimiterium noctibus non clauditur, & timor eſt, imo indubitata experientia habet, quod multa committantur enormia perſepe, quibus locus ſacer execratus & prophanatus redditur. ideo neceſſe eſt Plebanum aliquorum actuum Epiſcopalium habere auctoritatem; præcipue tamen maioribus priuilegiis gaudet aliis Plebanis in caſibus Epiſcopalibus, & in pluribus aliis quæ tranſeo. Igitur poſt eccleſiæ parrochialis translationem & reædificationem & conſecrationem regreſſi ſunt Vlmenſes ad ſuæ ciuitatis completionem, & murorum per gyrum concluſionem. non enim erat adhuc vndique clauſa ciuitas. Ad conſummationem autem operis omnes manus apposuerunt, etiam optimates ciuitatis, & quo adhuc probiores fuerunt optimatibus Ieruſalem, in cuius *reſtauratione non appoſuerunt manus*, vt habetur Neemiæ 2. & erexerunt etiam alias turres præter arces portarum. & quia populus indies multiplicabatur, fiebatque ciuitas negotiatiua, addiderunt adhuc duas portas tribus aliis prius ædificatis, portam Nouam & portam Aucarum. & ibi factæ ſunt quinque portæ, ſcil. porta pontis Gregis, porta B. Virginis, porta Noua, porta Gœglingenſis, & porta Aucarum. Sunt & aliæ portæ contra Danubium paruæ & non vſitatæ, de quibus non eſt ingreſſio nec egreſſio alienorum: ideo non numerantur, &c.

CAPUT IIII.

De profectu Vlmenſis ciuitatis, & quomodo dominia ſua acquiſiuit.

ROmani, teſtante Auguſtino de Ciuit. Dei lib. 5. cap. 16. & lib. 2. cap. 16. *orbis promeruerunt dominium*, quia *optimis viuebant legibus* primo, & *amore patriæ flagrabant* ſecundo, & *zelo iuſtitiæ ardebant* tertio, & *pace ciuilis beneuolentiæ concordabant* quarto. Hiis, inquam, Roma olim mundo incognita, exilis, & parua, exaltata eſt & domina totius orbis facta. Sic pari modo ſecundum proportionem poſſumus loqui de Vlma noſtra, quæ olim parua, cuius nec nomen notum erat in tota Sueuia. vnde nullis antiquis codicibus inſcriptam reperimus. ſub vnius enim Abbatis regimine longa marcuit inertia & in ſe tabeſcens ſomnolento torpore depreſſa nec ratione viguit nec diuitiis floruit, nec multitudine creuit, ſed viuens mortua ſine nomine & fama quaſi cyfra ſtetit. Subito autem hærens fatali rotæ in excelſum eſt acta, & inter glorioſas & antiquiſſimas ac ditiſſimas vrbes eſt locata, nominata & famoſa facta, adeo vt nunc domina ſit nobiliſſimorum Comitatuum & Baroniarum, dominiorum, oppidorum, villarum, caſtrorum, camporum, ſiluarum, habeatque illuſtres Comites, generoſos Barones, & ſtrennuos milites, ac inſignes quam plures nobiles ſeruos & famulos, ſitque horrendis Principibus formidini, contra quos plerumque prœlia concitantur ex ea, ad quam tanquam ad caput tota Sueuia reſpectum habet. Obſeruatio enim traditarum ſuarum legum ciuibus illis oculos aperuit, rationem acuit, audaciam, vires, potentiam, & diuitias attulit, & quod mirum dictu eſt, quinque magnifica & grandia opera aggreſſi ſunt, quæ quaſi vno & eodem tempore in ſpatio quinquaginta annorum perfecerunt, quæ ſi quis potens Rex ſimul feciſſet, proculdubio magnanimus & audax atque potens prædicatus fuiſſet. hæc quinque Vlmenſes eodem tempore perfecerunt, ſicut patebit. I. fuit ciuitatis munitio. II. eccleſiæ B. Virginis fundatio. III. prœliorum & obſidionum perpeſſio. IIII. dominiorum in gyro emptio. V. ciuitatis a monachis redemptio. De primo notandum, quod dum ciuitas Vlmenſis ampliata eſſet, vt ſupra dictum eſt, multis annis ſtetit ſine murorum ambitu, ciuibus in erectione propriarum domorum occupatis. A tempore enim Conradi Regis, qui fuit anno Dom. M. C. XXXIX. vſque ad annum Domini M. CCC. ſine muris Vlma quaſi villa ſteterat, ex quo hodie famant Vlmam villam fuiſſe. Ciues ergo aſſumpto animo foſſata foderunt profunda per gyrum, & murum cum turribus circumduxerunt aquam Blauii inducentes & circumducentes per foſſata. & hic labor ſufficiens pro vna generatione fuiſſet. Dicunt autem antiqui, quod feſtinantiſſime hoc agebatur, & omnes nobiles ciues & ignobiles, viri & feminæ operi inſtabant, quia neceſſitas vehementer vrgebat, ſicut patebit. Aliud opus pariter cum iſto inchoatum fuit, profecto grande & magnificum. quia enim timore obſidionis ciuitatis coacti vrbem munierunt, ipſam etiam ſuam eccleſiam parrochialem, quæ extra vrbem erat, intus tranſtulerunt, vt ſecuri in eccleſia eſſe poſſent, & templi mirabilis & magni fundamenta iecerunt, relinquentes nobis figuram depicta charta eccleſiæ, quam ipſi magnificis mentibus conceperant erigendam. quæ quidem charta multo pretioſius templum demonſtrat, quam illud ſit, in quo hodie laboramus, quaſi moderni paruifici non audeant proſequi intentum antiquorum, & quottidie multa ſpectantia ad pretioſitatem & decorem ſtructuræ detrahuntur. Hiis operibus inſtantes, acceſſit aliud nimis importunum & graue. Nam Ludwicus Bauarus, qui imperium inuaſerat, quem Papa cum omnibus ſibi adhærentibus excommunicauerat, Vlmam venit. & cum Vlmenſes nollent eum primo recipere, exercitu ciuitatem vallauit. interuenientibus autem quibusdam Principibus eum

Digitized by Google

receperunt, ſicque ab eis receſſit. Non multo poſt Heinricus alter Bauarus Ludwici prædicti conſanguineus, cui Papa imperium tradiderat, & Cardinales, Rex Bohemiæ & Rex Franciæ eidem fauebant, venit Vlmam cum multitudine Bauarorum, requirens Vlmenſes vt ſibi adhærerent: ſed nihil proficiens obſidionem ſoluit & receſſit, ſtatimque poſt leproſus factus obiit. Deinde paucis interiectis annis Carolus IIII. contra Ludwicum Bauarum electus & confirmatus etiam Vlmam graui vallauit exercitu, ſed ſine effectu captionis ciuitatis receſſit. In hiis obſidionibus nulla violentia fuit muris aut turribus ciuitatis Vlmenſis illata, ſed tantum poſtulatum vt amicitias inirent. Hæc omnia Vlmenſes magis virtute & magnitudine animi ac prudentia quam bellis & armis vicerunt. Inſuper eodem tempore Duces Bauariæ, Duces Auſtriæ, Duces de Teck, Comites de Wirtenberg, diuerſis modis infeſtabant Ulmenſes, ipſis infatigabiliter inceptis operibus mœniorum & turrium ac eccleſiæ B. Virginis perſiſtentibus, ſicut quondam filii Iſraël non curantes gentium impedimenta muros & turres Ieruſalem & templum ædificauerunt, vt patet. Eodem fere tempore deficientibus nobilibus Comitibus de Helffaſtein, poſt multas reuolutiones & vertigines caſtrum Helffaſtein cum oppido Gislingen, & vniuerſum dominium illud in latum & longum cum villis, caſtris, prædiis, poſſeſſionibus, & omnibus theloneis in ſortem Vlmenſium cecidit, pro quibus omnibus ingentem auri theſaurum prædictis Comitibus dederunt. In hac emtione practica inuidorum trina vice de manibus Vlmenſium fuit Comitatus raptus, & ſemper reſtitutus cum vacillatione quadam, quouſque contractus fuit per Papam & Eccleſiam & per Imperatorem & Electores & patriæ nobiles approbatus & ſigillis omnium roboratus, adeo quod nulla ratione poteſt ſe quis amplius opponere. Hoc facto Comites illuſtres de Werdaberg ab infelicibus Iudæis Vlmæ morantibus pecuniam ad vſuram accipientes in tanta deuenerunt debita, vt deficientibus pignoribus mobilibus pignora immobilia dare cogerentur. vnde nobilis comitatus Albegg cum caſtro & oppido & omnibus attinentiis Iudæis impignoratus ſtetit, & iam apud Imperatorem laborabant, vt dominium & caſtrum, quæ iam eorum erant, per vſuræ conſumptionem inhabitare & poſſidere poſſent. Quod vt Vlmenſes perpenderunt, Comitatum illum de manibus Iudæorum redemerunt & poſſederunt vſque in hunc diem. Dicitur autem communiter, quod quidam Comes de Werdenberg illum comitatum conſumpſerit pro lebetis. Recipiebat enim continue Vlmæ pro pecunia ſoluendo lebetos, & in tantum creuit debitum, vt illud non poſſet ſoluere, niſi vendendo comitatum. Interea eodem quaſi tempore deuenit ad manus Vlmenſium totum dominium Hochberg, cum oppidis Rotenburg & Horw, & caſtris ac villis, & multis annis id poſſederunt quousque Dux Auſtriæ redemit. Quomodo autem hoc dominium in manus Vlmenſium deuenerit, & quando redemptum ſit, Chronica Vlmenſium docet. Sic ergo non obſtantibus expenſis grauiſſimis, quas Vlmenſes ædificando munitiones ſuæ ciuitatis faciebant, & conſtruendo eccleſiam ingente B. Virginis, & ſe vndique ab inſidiantibus defendendo magna emerunt dominia & nobiliſſimos Comitatus. vnde poſt emptionem Helffaſtein Domina Comitiſſa de Helffaſtein, quæ erat Regina Hungariæ, in omni locutione, quando faciebat mentionem de Vlmenſibus, appellabat Vlmenſes filios ſuos, dicens; *Filii mei Vlmenſes dicunt hoc*, vel *faciunt illud*. & dum interrogaretur, quare Vlmenſes nuncuparet filios, dicebat, quia ipſi virum meum & me hereditabunt. & ita factum fuit. Quintum & vltimum, quod etiam ea tempeſtate fuit factum magnæ difficultatis, quod tamen Domini Vlmenſes virili animo aggreſſi ſunt. Cum enim Vlmenſes adhuc ſub ditione monachorum Owiæ magnæ eſſent, & indies, vt prædictum eſt, monachi iura ſua, bona & cenſus ac thelonea Vlmenſibus venderent, & debita *magna contraherent*, *quæſierunt Vlmenſes*, vias, qualiter totaliter ab monachis liberari poſſent. quibus poſt multas Vlmenſium excommunicationes inuentis, auctoritate Papæ & Eccleſiæ & Imperatoris emerunt Vlmenſes omnia iura Abbatis Owiæ in Vlma & extra Vlmam ad quatuor miliaria cum omnibus bonis & attinentiis, ſolueruntque Abbati in prompta pecunia XXIIII. milia florenorum. & ſi contractus ille & eccleſiæ determinatio prolongata fuiſſet per menſem, vix recepiſſet Abbas centum milia florenorum pro illis iam venditis iuribus tantis, quia illuminati fuerant oculi eius. Abbas ergo accepta pecunia ita receſſit ab Vlma, quod nec vngula in ea manſit quæ ſua eſſet, cuius tamen fuerat ius patronatus eccleſiarum & altarium, omnes decimæ rerum, omnia thelonea, pedagia, & gwidagia, cenſus, redditus de omni domo, foco, & horto, de omni perſona adulta angariarum, pecuniæ & violentiarum pretium, inſpectionis * veſtanicarum prouentus, ex libratione rerum librarum lucrarium, pars quaſi in omni re, & officiorum omnium prouiſio, & munera quotidiana ciuium, quæ omnia emerunt Vlmenſes vſque ad vnguem. Similiter iura, poſſeſſiones, & bona Abbatis in Bebenhuſen, qui multa habuit in Vlma, emerunt, ita vt non feſtucam ibi haberet. Ab aliis etiam ſiue religioſis ſiue ſecularibus, qui videbantur aliquid iuris in ciuitate habere, emerunt iura illa, & ciuitatem ſuam liberam reddiderunt. nec eſt hodie ciuitas in imperio (audenter dico) liberior quam Vlma, in qua nullus Princeps, nullus Epiſcopus, nullus Abbas, nullus nobilis quicquam habet, niſi ſub cenſu communi ciuitatis. Præter prædicta inceperunt etiam emere

* *Veſcanicarum.*

Digitized by Google

emere villas & caſtra per gyrum ciuitatis, imo multi ruſtici ſponte ſe Vlmenſibus tradiderunt & ſua. Plures etiam diuites & nobiles heredes non habentes ſua Vlmenſibus reliquerunt, quaſi Reſpublica Vlmenſium quiddam numinis eſſet. Sic recitat Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 3. cap. 11. de Attalo Rege Syriæ, qui moriens Romanos regni ſui conſtituit heredes. Et meretrix quædam in vrbe moriens Romanis ſua bona legauit, propter quod eam honorifice ſepelierunt & inter Deas Romani populi retulerunt, vt Auguſtin. de Ciuit. Dei lib. 6. habet. Sic & Vlmenſes anniuerſaria eorum, quorum bona poſſident, ſolemniter peragunt annuatim, ſc. Dominorum de Helffaſtein, & Comitum de Werdenberg propter Albegg apud Prædicatores; eos non Deos ſed deificandos optant & orant. Sic ergo antiqui Vlmenſes quicquid poterant ad ſui dominii ampliationem emere & accipere, repente faciebant nullis parcentes pecuniis. Non ſic faciunt modernis temporibus Domini Vlmenſes paruifici & puſillanimes. nam æuo noſtro oblatus fuit eis nobilis comitatus Kyrchberg pro exili emptione, & ſepenumero rogati vt acciperent. quod dum facere nollent, emit eum comitatum Dux Bauariæ, factusque eſt Vlmenſibus comitatus ille ſpina oculis & lancea in latere. Sic & caſtrum Ellerbach ad latus eorum venale cum omnibus attinentiis dum emere recuſarent, emit eum hoſtis & inimicus eorum. Similiter ſuperioribus annis dum dominium Hochberg adhuc eſſet in Vlmenſium poteſtate, obtulit eis Dux Auſtriæ pro eo totum Marchionatum Burgow, qui ſine medio fines Vlmenſium contingit: ſed dum Vlmenſes commutationem facere nollent, recepit Dux Auſtriæ nihilominus dominium Hochberg, parum Vlmenſibus ſoluens, & poſtea Duci Bauariæ Marchionatum Burgow impignorauit, ſicque Vlmenſes conterminios ſentiunt inimicos. Ad antiquos Vlmenſes regrediar. Cum enim, vt dixi, ciuitatem ſuam foſſatis & muris erexiſſent, & inimicos ſuos viciſſent, & dominia emiſſent, ſeque a monachorum iugo liberaſſent, & omnia illa ſimul & ſemel agerent, facti ſunt Vlmenſes Principibus omnibus formidabiles, vnde eorum inimicos perſequebantur longe lateque & in terris Principum Bauariæ & Ducum Auſtriæ & Marchionum de Brandenburg, & Baden, & Comitum de Wirtenberg capiebant ſuos æmulos etiam nobiles, eosque Vlmam ducentes condigna plectebant pœna. nec erat Princeps aliquis, qui eis bellum indicere auſus fuiſſet. vnde etiam quædam loca in terris Principum, ſub tuitione Principum non ſecura, Vlmenſium quæſierunt tuitionem, vt Medingen monaſterium ordinis Prædicatorum prope Laugingen, Vlmenſes ſuos defenſores eſſe elegerunt. Dum autem Vlmenſes ſic extra augmentarentur, miro modo abintra in ciuitate profecerunt, & multiplicabantur omnia, ſcil. homines, nobiles, diuites, pauperes, artifices, religioſi, clerici, ſcholares, & omnium rerum negotia. quia enim communitas ex dominiis emptis ditata fuerat, & multæ diuitiæ ciuitati affluebant, neceſſe erat multiplicari etiam homines. vnde Eccleſiaſt. 5. *Vbi multæ ſunt opes, multi & qui comedant eas.* & Matth. 24. *Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* & vbi multi ſunt homines, eſt negotiatio multa, multa artificia. Vnde plures adhuc in humanis ſunt de antiquis, qui recordantur in Vlma fuiſſe non tertiam partem hominum & artificiorum, quæ modo eſt. Nam ante LXX. annos vix erant duo piſtores, vbi iam ſunt XX. non duo aurifabri, vbi iam ſunt XX. duo barbitonſores, vbi iam ſunt X. vnus hoſpes, vbi iam ſunt XX. duo pannitonſores, vbi iam ſunt XX. vnus Medicus, vbi iam ſunt XXX. vnus ſacerdos, vbi iam ſunt X. Et ante multiplicationem vniuerſitatum tot erant alieni iuuenes ſcholares, quot iam ſunt * ſuppoſiti in aliqua vniuerſitate, & grandis bachantria ac nominata erat Vlmæ. Et breuiter, omnia artificia ſunt in triplo hodie maiora, quam ante LXX. annos, & indies creſcunt, quia non tantum laborant pro ciuibus, ſed pro tota Sueuia, & ad longinquas partes Vlmenſium merces & opera deferuntur. Duo autem improportionata artificia & quaſi pro nihilo computata fiunt in Vlma, quæ longe lateque diſperguntur, ſc. panis ſacrificii & chartæ ludi. Multi enim coquunt hoſtias, easque in Alpes deferunt vsque Pontinam, Bolſatium, & Tridentum. Sic & factores ac pictores chartarum tot ſunt in Vlma, vt in vaſis chartas mittant in Italiam, Siciliam, & in extremas inſulas maris, & ad omnem plagam. Taceo de ** veſtanicis, & aliis pluribus, quæ ab Vlma in vltimas mundi regiones deferuntur. Sunt ergo in Vlma tot & tanti homines, quot & quanti ſunt in aliquibus ciuitatibus duplo maioribus, non quia bona ſit & fructuoſa regio circa Vlmam, vt ex terræ naſcentibus ſe nutriant, ſed quinque ſunt, quæ ad multitudinem illam faciunt. Primum eſt, quia ciuitas & communitas in ſe habundat, vt ex ſuperioribus patet, & per conſequens etiam ciues habundantes ſunt, ideo plures poſſunt ibi nutriri. Secundum eſt, quia iuſtitia pauperi & inopi fit, ſicut diuiti & nobili. hoc enim præconio antiqui Vlmenſes clari habebantur. Vnde audiui a quodam ſene, quod quondam quidam cauſam habuit contra alium, quæ per iudices Vlmenſes & communem conſulatum determinari deberet poſt auditas partes. Die autem præcedenti iudicium vnus illorum porcum ſaginatum circumduxit ad plures domus conſulum, iudicum & magiſtrorum Zunftarum cuilibet eum offerens, vt in parte ſua eſſet in iudicio, ſed omnes eum cum porco repulerunt, ſicque reduxit ille porcum in Vrſperg vnde erat, & in corruptam recepit

* Depoſiti. ** *Veſcanicis.*

Digitized by Google

cepit ſententiam. Propter illam etiam claram iuſtitiam olim dietæ & congregationes & diſceptationes Principum, nobilium & ciuitatenſium coram Vlmenſibus fiebant, & eorum iudicio ac ſententiis parebant. vnde iudicium Rotwilenſe Vlmæ fuiſſe fertur, de quo litteræ habentur in Herwatingen monaſterio, vt dicitur. Tertium quare tot homines ſunt in Vlma, eſt libertas. non enim ſunt ibi graues angariæ, ſed leuiter poteſt quilibet pauper ibi ſtare. Quartum eſt negotiorum generalitas. nam omnia negotia ibi tractantur. ideo non ſolum adulti, ſed pauperum pueri poſſunt in die denarium vel duos lucrari. Quintum eſt delectatio & voluptas. nam ſi homo delectatur diuinis officiis & religione & verbi diuini auditione, organis & ornatu, & dulci cantu ſcholari, aut ſuaui melodia, eccleſiaſtico longo vel breui officio, totum reperiet quottidie in Vlma in propinquo. Si autem homo ſeculari & mundanis delectatur, in omni ſpecie reperiet exceſſum in Vlma. ibi ludi, ibi ſpectacula, ibi ſocietates, ibi crapula, ibi ſpecioſa & ornata femina, ibi intemperata luxuria, ibi ſecularis & mundana præeminentia, ibi otioſitas, ibi laborum aſſiduitas, ibi quottidiani rumores audiuntur de oriente & occidente magis quacunque alia ciuitate Sueuiæ; ibi lætitia, ibi triſtitia, ibi mors, ibi vita, ibi virtus, ibi vitium, quæ Vlma cum aliis habet communia. Ex hiis omnibus patet ciuitatis Vlmenſis profectus, in quo vsque in hanc horam perſiſtit. nec computari debet pro defectu quod moderno tempore Bauarorum inſultibus exercentur, qui ab anno Domini M. CCCC. LXXVIII. vsque præſens Vlmam, vbi poſſunt, vexant & tribulant: quia licet in hiis videantur diminui inuiſibiliter, tamen magis augentur viribus, experientiis & virtute ac intrinſeca pace. Prudenter autem cum patientia Vlmenſes diſſimulauerunt vsque in præſens, & direptionem violentam & iniuſtiſſimam ſuarum rerum ſuſtinuerunt, vt maioribus damnis obuiarent, & poſtea audentiori animo ſua cum lucro reſumerent. Vnde Auguſtin. lib. 3. cap. 5. de Ciuit. Dei dicit, *Romam magis deſtructam pacis tempore quam bellorum:* quia tempore pacis voluptatibus & vitiis operam dabant, & inter ſe inteſtina bella concitabant, ſicque in deſolationem ibant, quæ omnia bella fieri prohibent. Quanuis enim Vlmenſes iam ad plures annos vexati fuerint per Bauaros, & ſuæ potentiæ aliquam iacturam ſuſtinerint, multaque damna pertulerint, nunquam tamen fuit ciuitas Vlmenſis opulentior diuitiis, copioſior populis, audacior animis, fortior armis, munitior muris, ſecurior adiutoriis, felicior amicis, formidabilior aduerſariis, intollerabilior malis, dilectior omnibus Sueuis nobilibus & plebeiis & patriæ totius, ac imperio & Principibus neceſſarior, quam hoc tempore anno M. CCCC. LXXXIX. Niſi enim Vlmenſes fuiſſent, anno præterito tota Sueuia & Ducum Auſtriæ terra inter Sueuos vel Sueuis vicina in alienorum tyrannorum manus vendita & tradita nunc eſſet. Quid autem futura afferent tempora, nouit temporum ſyderumque conditor, & Chronicæ ſcribendæ edocebunt.

CAPUT V.

De Principatibus & Comitatibus conterminis Vlmenſibus.

ORdo promiſſus ſupra exigit nunc loqui & nominare regiones conterminas Vlmenſibus per circuitum. Eſt enim Vlma vallata & cincta dominiis Principum ſecularium & religioſorum in modum ſpecioſiſſimæ coronæ aureæ gemmis & margaritis ornatæ. Circulus aureus illius coronæ cum excreſcentibus per gyrum eius liliis fabricatus eſt ex dominiis Principum cum Comitatibus & Baroniis: gemmæ vero & margaritæ illi coronæ inſertæ ſunt monaſteria religioſorum monachorum & monialium, ex quibus omnibus reſultat & reſplendet corona valde pretioſa Vlmam cingens & quodammodo coronans. producamus ergo coronam illam in lucem. Ab oriente contingit *Vlmenſium terminos dominium* Ducum Bauariæ: A meridie dominium Ducum Auſtriæ: Ab occidente dominium Ducum iam dictorum: Ab aquilone vero dominium Ducum de Teck & Ducum Sueuiæ de Staufen, quod iam generoſi Comites de Wirtenberg totum obtinent. Et ille eſt circulus aureus coronæ. Lilia vero de eo conſurgentia, & in eo circulo fundata: in orientali parte Bauarorum, quæ reſpicit meridiem, eſt nobilis Marchionatus Burgow domus Auſtriæ, in quo Vlmenſes caſtra, villas, & poſſeſſiones habent non modicas. in eadem orientali parte, quæ eſt ad aquilonem, eſt comitatus Albegg, poſſeſſione quondam illuſtrium Comitum de Werdaberg nobilis, quem nunc Vlmenſes cuſtodiunt. in parte meridionali Ducum Auſtriæ eſt Comitatus Kyrchberg vicinus Vlmenſibus, cuius termini eorum terminis ſunt intricati. in parte occidentali Ducum Auſtriæ eſt Comitatus Schelklingen & Baronia Iuſtingen, in qua Barones imperii Domini de Stefflen reſidentiam habent, quæ finibus Vlmenſium iunguntur. in parte aquilonari eſt Comitatus Ruggenſis inter Burronem & Gerhuſen. & vlterius magis in aquilonem declinando eſt Comitatus Helffaſtein Vlmenſium, in quo tamen Domini Comites de Helffaſtein reſident in munitiſſima arce Hiltaburg inter Gyslingen & Wiſaſteig, oppida dicti Comitatus. Ex hiis habetur conflata aurea corona cum liliis per gyrum ciuitatis Vlmenſis. Sed ſicut corona aurea tantum non reputatur ornata & pretioſa, niſi gemmæ ei ſint inſertæ, & margaritæ pretioſæ, ſicut nec prædictus circulus ſeculari nobilitate aureus ſatis pretioſus & decorus habetur, niſi gemmis ſpiritualis dominii ornaretur, vt corona aurea eſſet ſigno ſanctitatis expreſſa. In parte ergo orientali prædictæ coronæ emicant gemmæ Rogga-

Digitized by Google

Roggaburg & Vrſperg ordinis Præmonſtratenſium, quorum primum ab antiquo ſub tutela Vlmenſium fuit vsque ad moderna tempora. Dux enim Bauariæ Georgius monaſterium cum eius territorio inuaſit, & ſibi iurare compulit. de quo latius infra dicetur, & in Chronica Vlmenſium. Eſt etiam ibi Wettahuſen Canonicorum Regularium, & Ettliſtetten feminarum Canoniſſarum. Sed & Epiſcopus & Canonici ciuitatis Auguſtenſis, & clerus multa in hac parte habent. & inſigne monaſterium Ottenburen ordinis S. Benedicti huic cohæret regioni. Gyrando conſequenter in occidentali parte coronæ, ad dexteram vertendo vultum contra Vlmam, & transeundo vltra Danubium occurrit in acie ſeptentrionali egregium monaſterium Elchingen ordinis S. Benedicti, de quo infra dicetur. Et poſtea eſt Nauhuſen eiusdem ordinis, a quo non longe eſt Herwartingen monaſterium Canonicorum Regularium. & prope eſt monaſterium ad Fontem Regis ordinis Ciſtercienſium, iuxta quod tria emanant flumina, ſc. Brentza, Coganus & ..... Supra Brenzam eſt monaſterium Medlingen ordinis noſtri, a quo non longe eſt Medingen monaſterium eiusdem ordinis, de quibus poſtea dicetur: à quibus non longe eſt Echabrunnen monaſterium S. Benedicti ordinis ſuper litus Danubii inter oppida Gundelfingen & Laugingen. In parte occidentali prædicti circuli prope Vlmam eſt ſolemne monaſterium S. Claræ Seflingen, reformatum multis laboribus expenſisque Vlmenſium, à quo aſcendendo per litus Blauii venitur ad ortum fluminis, vbi eſt monaſterium iuxta Burronem ordinis S. Benedicti, a quo non longe eſt incluſorium Virginum Wiler, & ſupra eſt monaſterium monialium Vrſpringen ordinis S. Benedicti: & magis aſcendendo eſt Zwifaltum vetuſtum S. Benedicti monaſterium, a quo tendendo ſurſum in Alpes Sueuorum eſt monaſterium monialium Cellæ Dei ordinis Prædicatorum. & poſtea eſt monaſterium Boni Lapidis Carthuſienſium, a quo non longe eſt oppidum Vrach, in quo ſunt iuxta parrochialem eccleſiam Canonici Cappuciati nouæ inſtitutionis, & in Metzigen & Dachahuſen. ibi prope iuxta oppidum Kyrchen eſt monaſterium monialium ordinis Prædicatorum S. Iohannis Baptiſtæ. In parte coronæ prædictæ meridionali ex oppoſito Vlmenſis ciuitatis trans Danubium eſt inſigne monaſterium Wiblingen ordinis S. Benedicti, & monaſterium Ochſenhuſen magnum eiusdem ordinis, & monaſterium dictum Rott Præmonſtratenſium, & Buchshaim Carthuſienſium. duo monaſteria monialium Ciſtercienſis ordinis Hegbach & Bonacella. Et præter nominata religioſorum loca per circuitum ciuitatis Vlmenſis ſunt adhuc alia plura, de quibus tranſeo. Nam quaſi maior pars regionis ad eccleſiaſticos ſpectat, cum quibus omnibus Domini Vlmenſes in poſſeſſionibus communicant, ſicut cum Principibus & Comitibus circumiacentibus. Porro nimis longum eſſet omnia prædicta deſcribere loca, quamuis pulchrum foret origines, fundationes, defectiones & reformationes & alias habitudines deſcribere: ideo maiorem numerum dimitto, & aliqua loca per circulum prædictum deſcribam breuius quo potero.

CAPUT VI.

Nomina deſcribendorum monaſteriorum hic exprimuntur, & plagæ ſituationis.

INcipiam ergo in parte aquilonari ad latus orientis, & deſcribam Elchingen primo, & poſtea Medlingen & Medingen. in parte orientali deſcribam Roggaburgum & Ottenburen. in meridionali vero parte Wiblingen & Hegbach. in occidentali autem Burronem, Vrſpringen, Wiler, & Seflingen.

CAPUT VII.

Deſcriptio monaſterii egregii Elchingen ſecundum ſubiectum ordinem.

ELchingen in lateribus aquilonis monte ſuſpenſum, orientem & meridiem proſpiciens, Vlmam in occidente vt globum tranſpicit, & vndique longe & late, quæ procul ſunt, intuetur, olim quidem abhominabile phanum, demum terribile caſtrum, iam vero gratia Dei honorabile & amabile eſt monaſterium. de quo ab exordio incipiendo ſex dicenda veniunt. I. qualis ſit eius naturalis ſitus. II. quis olim in eo fuerit gentilis ritus. III. quantus ibi fuerit ſecularis abuſus. IV. per quos & quando ibi ordinatus ſit diuinus cultus. V. quomodo tandem ibi defecerit religionis ſtatus. VI. qualiter nunc vigeat inexhauſtæ religionis pretioſus conuentus. Primo videndo loci illius naturalem ſitum, oportet habere reſpectum ad nomen loci, quod in ſua interpretatione loci qualitatem demonſtrat. Dicitur enim Elchingen vel Eichlingen, quæ nomina omnia reperiuntur & ad idem tendunt, & meo videre vltimum Eichklingen fuit, primum & ſecundum fuit Eichlingen, & primum Elchingen fuit corruptione & truncatione vulgi impoſitum, & eſt iam vltimo vſitatum. Nam *Eichklingen* vulgare Theutonicum eſt compoſitum ex duobus nominibus, *Eich* & *Klingen*, diciturque quercuum nemus, quia quercus *Eich*, nemus *Kling*. vnde ex certis coniecturis colligimus ante omnem hominum in loco habitationem ibi fuiſſe in monte illo & vallibus quercuum horribile nemus, & montem dictum Eichklingen. Secundum nomen ad idem ſeruit, cui vulgus vnam litteram detraxit, & dicitur *Eichlingen* quaſi quercuum & ilicum locus. Tertium nomen, quod hodie habet, iunctum duobus præcedentibus primam loci habitudinem importat, & demum vetuſtiſſimorum & primi temporis hominum in loco operationem demonſtrat. Ex quo

Digitized by Google

quo enim conditor mundi ibi primum plantauit nemus quercuum, primi temporis homines, quorum cibus glandes erant, vt dicit Isidor. lib. 14. Etymolog. & Poëta inquit;

Mortales primi ructabant guttura glandes,

in hoc veniebant nemus & glandes ad placitum eligebant, quod forte præter intentionem vulgi hoc nomen *Elchingen* importare videtur, quod ab eligendo impositum sonat. vel si malumus Hebraicam sequi interpretationem secundum Hieronymum, *Elchim* idem est quod *consurgens ad Deum, & Dei possessio:* sic mons Elchingen consurgit ad Deum, vt eum in suum recipiat possessorem. Est ergo Elchlingen aut Elchingen nomen montis, qui mons est singularis, vndique vallibus circumdatus, nec patet cuiquam transitus in eius cacumen, nisi conscenderit de aliqua valle. mediocris tamen est eius altitudo non nimia celsitudine tædiosus, nec remissione nimia despectus. & quanuis non sit altissimus mole propria, est tamen excelsus valde situatione regionis. vnde a quacunque plaga venientes contra montem illum, procul eius cacumen vident cunctis illius regionis supereminere montibus. Totus mons ille vliginosus est & spongiosus, desudantque vndique ex eo aquæ, quas ab imo attrahit in supremum. & videtur imaginanti quod ex aquis consurgat radicesque suas in subterraneis aquis fixas habeat, & tantæ molis grauitas aquis supernatet. vnde quia mons humidus est, fecundam habet glebam, præcipue cum ad hoc habeat Solis & aliorum syderum valde generosum aspectum, & nulli dubium, quin ante hominum in loco habitationem fuerit mons ille ingentibus ilicibus plenus. excissis autem arboribus produxit humus diuersi generis medicinales herbas & aromaticas plantulas. nam hodie herbarii in lateribus montis illius quærunt radices virtuosas & herbas odoriferas pro aquarum medicinalium distillatione, & balneorum confectione, & vngentorum compositione. Nam ea, quæ in remotis & calidis regionibus crescunt, ibi inueniuntur, quia gleba molis illius videtur singulari quadam fecunditate esse a conditore imprægnata. Ibi aër serenior, terra fecundior, aqua sanior, & ignis quodammodo clarior rutilans inuenitur. Ibi non solum terræ nascentia sponte genita valent, sed omnia plantata, seminata & locata vberius fructificare constat. sed & animalia ibi generata robustiora & cariora sunt, & præcipue equi adeo boni & fortes ibi gignuntur, vt Principes a longe positi a loco illo sibi mitti equos procurent, aut a regionibus suis mittunt equas in locum, vt ibi nutritæ & imprægnatæ genita recipiant. similiter vaccæ, tauri, oues, porcelli lacte & fetibus, carne, cute & lana præcellunt. sed & gallinæ magis ibi ouant, & cetera omnia vi generatiua valent. & hoc ex naturali terræ situ, respectu cœli & syderum.

Secundo de gentili ritu in hoc loco olim celebrato videndum venit, de quo licet veteres nostri nobis nihil reliquerint, sane tamen opinari possumus gesta in loco ex præfata loci & montis qualitate, & ex veterum ad huiusmodi loca affectione, prout docemur carminibus Theologiæ Poëticæ. Ea enim, quæ veteres egerunt in vno loco, postea pro Diis habiti in omnibus orbis locis æqualibus aliquo modo loco primæ actionis celebrabant, & veterum actiones præsentabant, locumque sacratum habebant, ac si Dii ibi personaliter fuissent, sicut patet de Venere, quæ in Cypro libidini vacans Paphum montem cauernosum sibi sacrabat, & quoslibet ad eum montem venientes ab omni absoluebat pudicitia, licentiam dans ad nutum lasciuiendi. Post cuius mortem non solum mons ille Cyprius, sed in multis regionibus montes sacrati habebantur, & tam stulti erant homines, vt sicut Cyprii dicebant apud se fuisse & adhuc in monte habitare, sic Apuli contendebant, eam apud se deguisse, & iam in suo monte Apuliæ cum Diis delitiis frui: quod Hybernici negantes signis & portentis ostendebant, Venerem nusquam nisi apud eos fuisse, eamque delitiis vacantem in monte frequenter audire & sensibiliter percipere dicebant, *& plures apud se esse, qui eius delitiis interfuisse se affirmabant. sic &* alii putabant Venerem apud se in monte esse. vnde accidit vt in multis regionibus mons Veneris sit, & tamen non potuit esse nisi vna Venus, quam in omnibus cauernosis colebant montibus. Idem patet de Ioue, qui in Olympo monte habitans colebatur, cui postea pene in omnibus mundi regionibus montes dicabantur. vnde hodie montes multi Iouis habent nomen. Præcipue tamen montes nemorosi venerabiles erant antiquis. ideo sepe legimus, quod in locis, vbi nemora non erant, lucos plantabant, vt inter frondes sacrificarent, & sub omni ligno frondoso diuinis esse vacandum docebant. quem ritum Iudæis sepe fuisse improperatum & prohibitum legimus. Et quia quercus sunt frondosæ densitate ramorum, latitudine foliorum, & multitudine glandium, altæ & vetustissimæ, ideo in nemoribus quercuum maxima erant ab antiquis instituta sacrificia, cuius primi homines dederunt causam, qui nullum alium sciebant cibum nisi quercuum fructus glandes, quos primo ab eis inuentos dicit Isidor. & Poëtæ vbi supra. vnde rodentes glandes suæque esuriæ consulentes, arbores ipsas tanquam suos colebant Deos. Sed Iupiter aduenies sibi honorem illum exhiberi voluit, dicens, se esse arborum Deum. vnde in Chaoniæ regione mons Dedona nomine nemorosus, quercubus plenus, templum sacrum Ioui habebatur, de quo Ouidius inquit;

Et quæ desiderant patula Ioui arbore glandes.

Ad illum enim montem de longinquis mundi partibus homines veniebant, & sub quercubus stantes responsa Deorum quærebant, & columbæ quædam veteribus quercubus insidentes petentibus respondebant tanquam a Ioue missæ.

Vnde

Vnde ipsius Iouis responsa nusquam facilius reperiebantur, quam in nemoribus ilicum, cui singulariter quercus dicatæ erant. Pro summo enim Deo se coli iubebat, & templa sua ac statuas & simulacra non nisi ex quercinis lignis fieri ordinauerat, quia solidissima sunt & per longa secula duratura, ideoque templis construendis aptissima. Quapropter Isaiæ cap. 44. de fabris simulacrorum ex quercu & ilice inuectio habetur. vnde apud gentiles ritus arborum, lucorum & nemorum mansit quasi vsque ad ætatem nostram etiam in Europa. sed & sacra scriptura videtur consentire in quercuum diuinitatem. Nam Abrahæ ad ilicem Mambre ostensa fuerunt grandia mysteria. Præter ea quæ dicta sunt, antiquorum stoliditas montes Orchaidis Nymphis sacrabant: & si siluosi montes erant, Nymphas Dryades prædictis iungebant: & si cum hoc aquosi erant, Naiades Nymphas sociabant dictis. Ex omnibus hiis patet montem Elchingen sacratum quondam Diis fuisse, vel absque hæsitatione sacrabilem fuisse. & primo, quia ibi glandes tanquam meliores eligebantur a siluestribus hominibus in cibum, propter quod montem tanquam habitaculum suorum Deorum, id est quercuum, sacratum habebant. Secundo Ioui Dodaneo vel Ioui Olympio & propter quercus & propter altitudinem sacratus erat. vnde sepe legimus Diuum Benedictum phana Iouis & Apollinis de montibus præcipitasse. sed & Faunis, Satyris, & Nymphis, montium, siluarum, humiditatumque Diis sacrabilem eum montem nemo intelligens dubitat. Et ita patet secundum promissum.

Tertio de abusu seculari in loco illo videre restat. Quia enim idolorum cultura perhennis esse non potuit, sed per temporum decursum deficiebat, inde accidit, vt in locis vbi quondam Deorum templa stabant, ibi tyranni castra, arces, & fortalicia erigerent, ipsa dirutis templorum muris superædificantes, sicut accidit in monte Cassino, vbi de vetustissimo Apollinis phano castrum fuit factum firmissimum, & postea S. Benedicti cœnobium. & in legenda B. Dominici habetur, quod Comes Montis Fortis tradidit beatissimo patri nostro Dominico in monte castrum Sannuel, in quo olim phanum Iouis fuerat, & ecclesia ipsius castri nomen idoli retinuerat, dicebaturque phanum Iouis etiam post fratrum Prædicatorum inhabitationem. sic & factum fuit in monte Elchingen. Dum enim templum Iouis ibi defecisset, aut forte a Christianis primis dirutum fuisset, tyranni & domitores regionis veteribus fundamentis superædificarunt turrim & arcem altissimam omnem circumcirca regionem prospectantem, quam non tam præ sui altitudine & fortitudine, quam inhabitatorum inhumanitate & crudelitate nominabant turrem Babylonis, quia in modum eiusdem turris nubes suo culmine tangere videbatur, & noua stirps Nemrothica omnibus formidabilis in ea resuscitata æstimabatur. Hæc autem terribilis arx in eo montis stabat loco, vbi nunc torcular est & diuersorium monasterii, sub quo tempore suo feminæ linum parant, & currus ac carri & aratra locantur, ne a pluuia lædantur. Iuxta turrim autem per gyrum ædificauerant cruenti illi & sæui prædones habitacula cum mœnibus & propugnaculis in formidinem & terrorem totius regionis: nec alio vacabant, nisi quod transeuntes sursum in arcem ductis, spoliatis & tortis vitam eis duro cruciatu extorquebant, & corpora occisorum intra tyrannicam mansionem terræ visceribus immergebant. vnde vsque hodie in omni loco, vbi fossum fuerit, reperiuntur humana ossa, quæ sunt haut dubium reliquiæ aut hominum a latronibus occisorum, aut ab idolatris in sacrificiis Deorum immolatorum. Sed & solidissima & ingentia fundamenta reperiuntur in terræ profunditate, & testudines muratæ, & specus subterraneæ olim habitacula gentilium aut latronum. Multo autem tempore stetit locus ille sub hac truculenta conditione, & oppido Vlmensi multa intulit nocumenta, eratque ei in oculis spina. Ad reprimendas autem insolentias illorum latronum creditur ædificata fuisse arx Albegg, & multa certamina hinc inde fuisse vsque ad tempora Conradi Imperatoris fratris Friderici primi, sicut dicetur in sequentibus. Parrochia autem castri & arcis Elchingen erat ecclesia S. Pancratii, quæ hodie monasterio annexa est, ad quam multus populus spectabat etiam de Transdanubianis locis. Nam Liphaim oppidum ad illam parrochiam pertinebat. vnde anno præterito Dominus Augustensis cum suis numerum parrochialium ecclesiarum suæ diocesis scire cupiens, inter alias reperit etiam ecclesiam S. Pancratii, & nemo sciuit quicquam de illa ecclesia vbi esset, vel quis ibi Plebanus esset, vsque ad vltimum compertum est, quod esset ecclesia parua in Elchingen, olim parrochia, nunc autem capella.

Quarto videamus, qualiter locus ille Elchingen ad diuinum cultum sit deductus. Anno Domini M. C. XXVIII. cum Heinricus huius nominis V. Imperator obiisset, conuenerunt Principes Electores ad alterius Regis electionem. Et diuisi in partes duos elegerunt Reges, sc. Lotharium Saxoniæ Ducem, & Conradum de Staufen Sueuiæ Principem. erant autem ambo Duces sibi affinitate iuncti, quia Conradus frater Lotharii sororem Conradi Ducis Sueuorum coelecti Dominam Luciam vxorem habuit, cui castrum Elchingen turris Babylonis, quod erat Ducum Sueuiæ, pro sorte suæ hereditatis cessit. Cum ergo ambo electi essent, nec tamen nisi vnus regnare posset, non obstante affinitate graues guerras simul habebant, & vterque sibi populum imperii attrahere satagebat, plurimum turbantes patriam. Verumtamen Lotharius maiorem adhærentiam habebat, vtpote cui Papa & Cardinales fauebant, & multos sibi Italicos in adiutorium miserant, & Rex Hungariæ, & Duces Saxoniæ, & Duces Bauariæ. Sueui autem suo adhæro-

Digitized by Google

bant Conrado, & crescebant mala inter partes, præcipue tamen Sueuos & Bauaros, qui se inuicem in conterminiis lacerabant. Ex Vlma enim pars Conradi deprædationis in Bauaros faciebat. vnde ad reprimendam Sueuorum audaciam & terrendam Vlmam posuit Lotharius præsidium militum in turrem Babylonis Elchingen, quæ ad Duces pertinebat Saxoniæ ratione Dominæ Luciæ sororis Conradi electi, vt dictum est. Ex arce ergo illa Elchingensi quotidiana fiebant latrocinia, & Sueui transeuntes captiuabantur, sursum trahebantur, spoliabantur, & occidebantur, humumque cadaueribus implebant; & viceuersa armati de Vlma in Saxones, Lombardos, Hungaros, & Bauaros sæuiebant, & quosdam valde caros & pretiosos Lothario electo spiliatos & in Vlmam ductos occiderunt. Quod Lotharius ægre ferens collecto exercitu ingenti Vlmam ascendit, eamque obsidione artissima vallauit & cepit, & occisis habitatoribus ciuitatem ipsam funditus destruxit, & spolia multa ex Vlma rapta in arcem Babylonis reposuit. Quo facto Lotharius, quia æstimabat in destructione Vlmensi cor Conradi confractum, cum exercitu grandi versus Romam benedicendus a Papa intrauit, sed morte præuentus in Verona obiit, cui per concordem Principum Electorum electionem dictus Conradus Dux Sueuiæ successit, & Vlmam desolatam reædificare præcepit & ampliari. Saxones autem & Bauari ac Italici in sua manentes pertinacia, Conrado rebellarunt ad Papæ iussionem, cui electio displicuit, & fuit grauis concertatio inter partes, in qua concertatione initium sumpsit maledicta & pestifera diuisio populi Christiani in Gibellinos & Gwelfinos, quæ vsque hodie Italiam infectam tenet. Ædificabatur autem Vlma & erat Gibellina, id est, de parte Regis, & Elchingen Babylonis arx erat Gwelfina, hoc est, de parte Papæ. Porro Gibellini proficiebant in dies, & post multas stragges humiliati sunt Gwelfini, & Conradus obtinuit imperium, & reddita est terræ pax. Verum multis suspecta erat pax, & dolum in pace formidabant, interim quod arx inimica Elchingen militia Saxonum esset munita. Quapropter Conradus Rex demandauit Conrado Duci Saxoniæ præsidium militum tollere de arce, & eam reddi & vendi Ducibus Sueuiæ, & si nullum horum fieret, vi eam capere vellet & funditus euertere. Veritus autem Dux Saxoniæ Regis Conradi potentiam, cum vxore sua Domina Lucia, de qua arcem habuit, contulit de imperato facto. Et ecce Spiritus Domini instinctu deificum & salubre inuenerunt remedium, vt arx illa nec Sueuis nec Saxonibus munitio ad patriæ & regionis turbationem esset, & cui Conradus Rex etiam non posset contradicere. Vnde de consensu Dominæ Luciæ & ducum Sueuiæ anno Domini M. C. XLII. Conradus Dux Saxoniæ cum Domina Lucia vxore sua, Ducissa Sueuiæ, sorore Conradi Regis & Friderici primi huius nominis, postea Imperatoris, deuotissime arcem Elchingen cum omnibus attinentiis obtulerunt Deo, & B. Mariæ Virgini, & SS. Apostolis Petro & Paulo, & D. Benedicto, & Præsuli Apostolicæ sedis Lucio huius nominis Papæ secundo, abdicantes omnia iura sua in perpetuum, & huius donationis seriem sigillatis litteris ad sanctissimi Domini Papæ pedes per solemnes nuntios proiecerunt, qui oratione ornata facta in consistorio Romæ coram Papa & Cardinalibus de turre illa disseruerunt per longum, quomodo ab antiquo refugium fuerit desperatorum hominum & pacis turbatorum, & quod ea stante sub secularium potestate non posset dari regioni securitas & pax, nec expediat tam egregium montem per arcis subuersionem sine habitatione stare, & quomodo consensu Principum ideo oblatus sit mons ille cum turre Babylonis Deo & suo in terris vicario Papæ, quatinus terra illa mundanæ confusionis semota & prædonibus eiectis titulum sacræ religionis ibi erigat, & monachos armatos disciplina regulari in locum ponat, qui turbatam pacem in regione reforment, & cunctis in consolationem spiritualem fiant, vt, vbi habundauit delictum, superhabundet gratia: & vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret. *Hæc vt Papa cum* omnibus assidentibus audiuit, Theutonicorum Principum plurimum ammiratus deuotionem, factum commendauit, dictumque montem Elchingen cum turre Babylonis cum gratitudine & gaudio in suam & Ecclesiæ recepit sortem, & ab omnium secularium potestate exemit, & de facto absoluit, sibi suisque in sede Petri successoribus immediate subiecit in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Statim autem misso Legato in Alemaniam collegit probatos monachos, cum quibus in Elchingen veniens eis locum Apostolica auctoritate designauit sectarique bona opera iuxta D. Benedicti instituta demandauit, præcipiens eadem auctoritate, vt in signum immediatæ subiectionis Apostolicæ sedi singulis annis perpetuis temporibus vnum aureum duntaxat Romam in cameram Papæ mitterent. Sed vt huiusmodi facti perpetua maneret memoria, fecit Papa confici plumbeam bullam, in qua dictam donationem ratificauit, & montem illum cum habitationibus & hominibus immediate sedi Apostolicæ subiecit, districtius prohibuit quo potuit, ne quis amplius se de hoc intromitteret loco. Si quis autem ausu temerario hoc attemptauerit, & in posterum grauare monasterium conatus fuerit, eidem imprecatur Papa æternam maledictionem & indignationem Dei & eius Apostolorum Petri & Pauli, & vinculo anathematis durius, quo valet, stringit. Et quia Romanus Pontifex loco personaliter adesse non potest, vt ipsum a malis custodiat hominibus, commendauit montem & conuentum illum Romani imperii Imperatori, præcipiens eidem tueri locum ab insolentibus. Hanc tuitionem multo tempore Imperatores per se fecerunt, nonnunquam autem in eorum absentia Comitibus propinquioribus commiserunt, vt Dominis

Digitized by Google

nis illustribus Comitibus de Helffastein, qui tunc potentes in Sueuia erant, qui loco Imperatoris tutabant hoc monasterium, nec regebant, nec Domini aut Procuratores aut Aduocati monasterii erant, sed tantum substituti loci tutores, quæ tutatio etiam aliquando aliis quam Dominis de Helffastein fuit commissa ab Imperatore. Sed quia Imperatores monasterio aliquando tutores Dominis & monachis minus acceptos & inutiles substituerunt, priuilegium impetrauerunt ab Imperatore, vt Abbas cum suis sibi placitos & vtiles possent eligere tutores. Igitur Monachi in locum positi, turrim Babylonis arcem prædonum, speculam tyrannorum, molem Diaboli funditus eruerunt, & e regione eius ecclesiam cum alta campanarum turri erexerunt, vt Christi fideles, qui prius arcem insignibus tyrannorum ornatam cum formidine solebant inspicere, & clamores custodum, ac speculatorum clangores cum terrore audire, iam visa turri cum signo crucis lætificarentur, & securitatem acciperent, & ex sonitu campanarum in locum ad diuinas laudes ascenderent. Annexuerunt autem ecclesiæ grande monasterium multorum seruorum Dei habitaculum, ad quorum sustentationem Principes & nobiles etiam longe positi bona sua contribuebant. Nam in Baccenis Silua quam nos Nigram siluam nominamus, villas, prædia, & possessiones non paucas habebant in terminis monasterii S. Blasii in eadem silua situati. & monasterium idem plures habebat possessiones in terminis Elchingensium. Quapropter anno Domini M. C. LX. conuenerunt fundatores amborum monasteriorum, & Principes aliqui & multi nobiles Sueuiæ, in villam Naw, & partiti sunt villas, prædia, & possessiones amborum dictorum monasteriorum, & ea quæ ad S. Blasium pertinebant, vicina Elchingensibus, ipsis Elchingensibus assignabant, & e contra quæ Elchingensibus propinqua S. Blasio erant, ad S. Blasium pertinere ordinabant, ne patres amborum conuentuum cogerentur in remotiora sollicitari & euagari. Hæc mutatio villarum & prædiorum facta est per manus aduocatorum vtriusque ecclesiæ, Conradi Regis aduocati Elchingensis cœnobii, nec non & æquiuoci eius Conradi Ducis aduocati monasterii Blasii, &c. Ex hiis colligere possumus, quod tunc erant aurea tempora, dum Principes & nobiles tantum pro religiosis sollicitabantur, & bonis suis eos ditabant, sed tanto feruore, quanto nunc infelicibus temporibus nostris ad monasteriorum anhelant spoliationem. sed & religiosi hiisdem temporibus regularibus disciplinis diligentissime intenti in se prouocabant cœlestium & mundanorum affectus, ex quibus consequebantur spiritualium & temporalium augmentum. Non solum autem virorum conuentus in Elchingen erat, sed deuotissimæ virgines in eum congregabantur locum, & ibi iuxta Abbatis consilium mansionem ad latus Fratrum conuentus ædificabant, & Deo pariter seruiebant in sanctitate, deuotione, & castimonia viuentes. Communiter enim ad conuentus virorum ordinis S. Benedicti adiuncti erant conuentus mulierum eiusdem ordinis antiquitus ante nostra miserrima & criminibus plena tempora. Quamdiu ergo Domini bene viuebant, tamdiu moniales sanctæ erant. sed deficientibus monachis & monachæ deficiebant, prout sequentia declarabunt.

Quinto videre restat de religionis miserabili defectu in Elchingen. Nam successu temporis cum religio D. Benedicti vbique pene deficeret, incepit & in Elchingen languere adeo grauiter, vt monasterii structuræ materiales minarentur ruinam cum religiosis moribus Dominorum & Patrum. Sublatis enim spiritualibus fugerunt a loco temporalia, & in tantam deuenit locus diffamiam & inopiam, vt conuentus sororum penitus deficeret & in nihilum redigeretur. Conuentus etiam fratrum in tantum dilapsus est defectum, vt non haberet tantum, quod possent nutriri ibi tot fratres, qui saltem horas canonicas psallerent; & deficiente vel moriente Abbate non erant monachi, qui alium eligerent; & tandem ad hoc venit, vt non esset ibi nisi vnus monachus Abbas vel Abbatis loco cum seruo seculari & ancilla coqua. Credo autem locum illum in tantum deuenisse defectum anno M. CCC. XLVI. quando maxima pestis totum occupauit mundum, in qua non solum monasteria euacuata fuerunt monachis, sed ciuitates & villæ grandes sine habitatoribus manserunt, & in ista peste religio pene omnium ordinum in nihilum fuit redacta, sublatis ex hac vita senibus. Eadem fere etiam tempestate fuit persecutio Romanæ ecclesiæ & omnium ei fauentium, excitata per Ludwicum Bauarum, in qua plura monasteria penitus defecerunt. Insuper circa eadem tempora Abbas de Owia & monachi in Vlma triumphantes dominabantur, & inexplicabiles expensas faciebant, dilapidantes bona sui monasterii, quæ Vlmæ habebant. Ad hoc autem aduocabant monachos sui ordinis Vlmensibus vicinos de Elchingen, Wiblingen, & Blaburen, & Ochsenhusen, & ad idem faciendum inducebant. quo in tempore Elchingen in temporalibus non modicam ruinam sustinuit. Dicitur quod circa illa tempora monachus prouisor conuentus in Elchingen omni die cum seruo Vlmam intrauit, & in tabernis Bacchi officiis intentus vsque ad vesperam, vespere transito, cum repleti essent, replebant etiam flascones pro nocturna cœna, extra in monasterio fienda, sicque de ciuitate exibant lætis mentibus & vertiginosis capitibus. & cum per arua descenderent, sepe magnas difficultates patiebantur in fossis pratorum, ita quod nonnunquam luto infixi exire non potuissent, nisi confortationem ex flasconibus suscepissent. Ex hiis & aliis sacer ordo D. Benedicti illis remissis temporibus nimis vilipendebatur vbique. Vnde seculares calamitati ordinis compatientes nonnulla monasteria ad suas recipiebant manus,

Digitized by Google

& vices Abbatum, Præpoſitorum & Priorum gerebant. Nam & Elchingen, de quo loquimur, aliquibus annis in deſolatione ſtetit.

Sexto & vltimo videre reſtat de Elchingen, quando & qualiter ibi refloruit conuentus, religio, & obſeruantia cum temporalium notabili augmento & vtilium perſonarum incremento. Anno enim Domini M.CCCC. XII. reſumere cepit S. Benedicti ordo cornua. Nam inſignis vir Dominus Ludowicus Berben eiusdem ordinis monachus, ad S. Iuſtinam Paduæ incepit congregationem S. Iuſtinæ, in quam multi conuolauerunt deuotiſſimi viri, qui paſſim monaſteria dilapſa erigentes reformationem inducebant ordinis, vt ſupra dictum eſt. Multi autem Abbates timentes obſeruantiam, per ſe vigilantius regere ceperunt, ne argui poſſent negligentia & reformari. vnde loca lapſa erigere ceperunt, & collectis monachis Abbates locis præfecerunt, quæ diu vacauerant, & diuina officia multis annis ſuſpenſa reſumpſerunt, non quidem propter deuotionem, ſed vt haberent apparentem reformationis excuſationem. Et illo in tempore Elchingen in conuentum recreuit, Abbatem habuit, & officia diuina perfecit, & in temporalibus reuireſcere cepit, ſine tamen ceremoniis ordinis viuebant, nec obſeruantiam fieri optabant, vſque ad tempora Domini Friderici Zwirna Abbatis, qui erat Abbas anno M. CCCC. L. Illius venerabilis viri Deus cor tetigit, & de reformatione cogitare & tractare cepit. vnde iuuenes ad ſtudia miſit, & ad loca reformata direxit, vt mores addiſcerent religioſorum. Quibus reuocatis adiutorio reuerendiſſimi in Chriſto Domini Petri de Schomberg Cardinalis & Epiſcopi Auguſtenſis, & Domini Abbatis in Wiblingen conuentum reformauit. Sed quia ſenex erat, & fratres & conuentum ſequi non poterat, reſignare officio cogitabat, quatinus aliquis iuuenis & laborioſus inſtitueretur, qui ſciret & poſſet conuentum regere. & quia ſine auctoritate & licentia Domini ordinarii Auguſtenſis reſignationem facere non poterat, deſcendit in Dilingen ad Dominum Cardinalem & intentum ſuum eidem expoſuit. Noluit autem Dominus Cardinalis vt reſignaret, ſed met perſonaliter in Elchingen aſcendit, & conuentum per ſe viſitauit ſingula perſcrutans. Viſitatione ergo accepta Abbatem exaudiuit, qui officio libere reſignans in manus Domini Cardinalis & conuentus ceſſit dignitati. Depoſito igitur Abbate hortabatur Cardinalis monachos, vt de alio ſibi prouiderent capite, de aliquo religioſo & bono viro. & tres iuris vias eligendi Prælatum eis propoſuit, vt eligerent aut per communem inſpirationem, aut per compromiſſionem, aut per ſcrutinium. Electa eſt ergo media via compromiſſionis concorditer ab omnibus, & in tres perſonas totus compromiſit conuentus, ſcilicet in Dominum Petrum de Schomberg Cardinalem & Epiſcopum Auguſtenſem, & in Dominum Vdalricum Hablutzel Abbatem in Wiblingen, & in Dominum Leonhardum Goſſel vicarium Epiſcopi Auguſtenſis. Statuto ergo die celebrabatur ex more Miſſa omnibus de iure ſeruandis rite & ſolemniter ſeruatis: proceſſerunt prædicti tres ad electionem, & concorditer elegerunt in Abbatem Elchingenſem venerabilem virum Dominum Paulum Kaſt de Vlma de honeſta Kaſtenſium non infima Vlmenſium familia, de qua etiam præcedens Abbas Dominus Fridericus fuerat. & quanuis dictus Dominus Paulus adhuc iuuenis eſſet, vtpote qui nouiter de vniuerſitate Wiennenſi aſcenderat, & primitias celebrauerat, tamen ſenile cor æſtimabatur gerere & venerandam mentis caniciem habere. ideo multis ſenioribus ſe fuit præelectus anno Domini M. CCCC. LXI. die X. Ianuarii menſis, & vſque hodie XXVIII. annis feliciter gubernat, quandiu Deo placuerit. Statim enim vt electus eſt, incepit non ſegniter agere, ſed toto niſu ad inſtaurationem conuentus, in perſonis religioſis, in ſtructuris & in ſtructis, & in temporalibus bonis aſpirabat. Quantum autem monaſterium Elchingen ſub hoc venerabili viro profecit in religione, fama, perſonis, diuitiis, ſtructuris, etſi ſileant ora, clamant opera, effectus demonſtrant. nec eſt apud me dubium, quin a prima inſtitutione illius monaſterii vnquam fuerit tam glorioſum tamque famoſum ſicut hodie. A fundamentis enim renouauit ſpectabilis vir ille ſtructuras conuentus, quæ vſque ad ſua tempora nimis artæ & indiſpoſitæ fuerant, & tam magnifico præclaro opere perfecit, vt absque ſtupore videri non poſſet. Verumtamen multo plura & conuentui vtiliora, quæ non oculis videntur, induſtria huius viri conquæſita ſunt. Inſuper propter magnificentiam illius Prælati & lucidam conuentus ſui famam, ſanctiſſimus pater Dominus Papa Sixtus huius nominis IIII. ſingularia quædam contulit priuilegia & gratias ſpirituales. Et ſereniſſimus Imperator Fridericus III. eum conuentum de nouo in ſuam recepit protectionem, & multas contulit grandes prærogatiuas imperialibus ſigillis perpetuatas. Ex hoc denique conuentu electi ſunt æuo noſtro ad loca alia inſignia Prælati, & nonnulli conuentus reformati per patres aſſumptos ex eo. Inter omnia autem præcipue reddit conuentum illum fama præclarum, ſicut & alios ordinis illius conuentus, quod hoſpitalitas ſedula omnibus exhibetur aduenis, & largiſſimæ eleemoſynæ pauperibus tribuuntur, & omnia præconia poſita ſupra ordinis S. Benedicti in hoc, de quo loquimur, reperiuntur conuentu. Placuit autem mihi diffuſius loqui in hoc meo euagatorio de illo inſigni conuentu, quia ſingulare adiutorium ex eo habui de gratia præfati patris & Domini Abbatis pro exſequendis peregrinationibus meis in terras transmarinas ad Dominicum ſepulchrum in Ieruſalem, & ad alia loca ſancta.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De Monaſteriis Medingen & Medlingen.

POſt Elchingen ſequuntur ordine promiſſo ſupra Medingen & Medlingen monaſteria duo monialium ordinis Prædicatorum. Volui autem de hiis duobus ſingulariter loqui in tractatu de Vlma, quanuis ſint ambo in parte Bauarorum, ex eo quia in vtroque monaſterio multæ Vlmenſium degunt filiæ, eaque quodammodo regunt.

Medingen monaſterium ancillarum Chriſti ſolemne & antiquum a generoſis Comitibus de Dilingen, Kyburg, & Habſpurg fundatum eſt, ſub regula S. Auguſtini & cura fratrum Prædicatorum, quod nonnulli æſtimant fuiſſe monaſterium monialium ante inſtitutionem ordinis Prædicatorum, & poſtea eidem ordini commiſſum & incorporatum. Multa enim monaſteria monialium ſunt incorporata ordini Prædicatorum, quæ tamen longe ante S. Dominicum ſub regula S. Auguſtini viuebant, & ſorores pœnitentes dicebantur, quales etiam fuerunt ſorores in Kyrchen & in Medingen, nunc ordinis noſtri. Non autem fuerunt per vim ordini ſubiectæ, ſed ordo ad eorum inſtantiam fuit per ſedem Apoſtolicam coactus eas ſuſcipere. Poſtquam autem monaſterium Medingen ordini fuit adiunctum, inceperunt miro modo proficere ſorores, & numero augmentari in tantum, vt nec locus eas capere poſſet, nec bona earum ſufficerent pro nutrimento tot perſonarum. Vnde paupertas earum & grauamen delatum fuit ad Papam Clementem IV. qui anno Domini M. CC. LXV. Eccleſiæ præfuit, & dedit eis licentiam aliud inſtituendi monaſterium ſui ordinis, in quod reponi deberent ſorores quindecim ex Medingen pro releuamine conuentus illius. Hoc vt inter nobiles vulgatum fuit, generoſus vir Waltherus Baro de Vaimyngen contulit ſororibus villam ſuam Medlingen cum omnibus bonis & attinentiis, cum adiutorio & in præſentia nobilis viri Heinrici Spet & multorum nobilium, qui manus adiutrices porrigebant ad ædificationem monaſterii Medlingen anno Domini M. CC. LXVI. Nonas Maii. Ædificato autem monaſterio miſerunt Medingenſes quindecim ſorores in Medlingen, quæ venientes in locum deuotiſſimo famulatu Deo ſeruiebant, ad quas multæ aliæ virgines nobilium filiæ confluebant. Tanto autem affectu Dominus Waltherus Baro de Vaimyngen fundator earum ad eas erat inclinatus, vt quottidie diurnis officiis intereſſet diuinis, & ſepe nocturnis horis de Vaimyngen aſcenderet ad matutinas. In agonia autem conſtitutus apud eas ſepeliri ſe mandauit, & rogauit eas, vt ſi contigeret eas ab illo migrare loco in alium, quod oſſa ſua pariter ſecum tollerent. Æſtimabat enim vir prudens, ſorores ſi multiplicarentur, non manſuras in illo loco propter aquarum defectum. Sed ariditate illa non obſtante vsque hodie in loco manent. Steterunt autem illa duo monaſteria longo tempore in vita deuota vsque ad totius ordinis Prædicatorum deſtitutionem. tunc enim indies decreſcebant ambo, & multiplicabantur ſcandala in totius ordinis confuſionem & patriæ turbationem, quæ propter honorem ordinis non expedit ſingulariter tangere. Tandem autem æuo noſtro creſcentibus reformationibus, cum iam conuentus Fratrum in Vlma eſſet reformatus per reuerendiſſimum magiſtrum Ludwicum Fuchs, cepit idem magiſter etiam tractare de reformatione illorum duorum monaſteriorum, & hortabatur venerabilem patrem Ægidium Swertinam Priorem Lantzhuttenſem, vt apud illuſtrem Principem Dominum Ludwicum Bauariæ Ducem rem hanc deduceret. & ita per Principem res illa poſtulata eſt a magiſtro Ordinis & commiſſa prædicto Patri Ægidio Swertinæ, qui anno Domini M. CCCC. LXVII. primum conuentum, ſcilicet Medingen, reformauit clauſuram ordinis multis laboribus inducens. Difficilius autem fuit ſecundum conuentum Medlingen reformare, quia erat valde pauper & magnis implicatus debitis, & ruinoſus in ſtructuris, graues & duras habens perſonas, & nemo libenter manum appoſuit. Verum Princeps terræ quieſcere noluit, quousque reformaretur. Anno ergo Domini M. CCCC. LXVIII. adductæ ſunt ſorores de Schonenſteinbach reformantes, & impoſitæ monaſterio Medlingen ipſum reformauerunt, & pluribus annis in magna penuria ibi deguerunt, adeo vt pene deſperarent ſe ibi poſſe manere, & propter penuriam & debita & ruinam ſtructurarum, & maxime propter inquietudinem aliquarum antiquarum ſororum, quæ cum ſuis amicis non ſolum conuentum, ſed totam vexabant prouinciam. Erat autem in Vlma quædam virgo, cui parentes defuncti multam relinquebant ſubſtantiam. Hæc votis ob Dei amorem ſe obligans monaſterium aliquod intrare deliberabat, & longe lateque Sueuiam circuiens & vsque Baſileam tranſiens, quærens locum in quo Deo melius ſeruire poſſet, viditque diuerſorum ordinum monaſteria & incluſoria. tandem autem cum multa inſignia illuſtraſſet loca, omnibus poſtpoſitis ad miſerrimum monaſterium Medlingen propter eius neceſſitatem animum concepit. Vnde anno Domini M. CCCC. LXXV. in die ſanctorum Criſpini & Criſpiniani receptis omnibus bonis cum grandi monaſterii benedictione ingreſſa eſt & habitu ordinis induta, cum magno gaudio ſororum, & ingenti fletu amicorum. Erat autem virgo illa de honeſta & vetuſta Schlicherenſium familia, dicta Margaretha Schlicherin, & cum ſuis fratribus ac ſororibus & multis amicis & magna comitiua ad nubendum Chriſto deſcenderat. Inducta autem nouitiatum deuote peregit, & anno reuoluto profeſſionem fecit. Adeo autem religiose, pacifice, & prudenter ſe gerebat, vt anno ſequenti a ſua profeſſione in Prioriſam eligeretur. Incepit autem non ſegniter agere,

Digitized by Google

ſed profectui monaſterii in ſpiritualibus & temporalibus indeſinenter inſiſtere, & proſperatum eſt opus in manu eius, & antiqua monaſterii bona dudum vendita, ſunt redempta, & debita ſoluta, & ruinola refecta, & ſingula in melius reformata. Multas tamen aduerſitates in omnibus hiis prudens hæc virgo ſuſtinuit, quas viriliter transcurrens vsque in hanc horam immunis euaſit, quam Ieſus Chriſtus ſponſus ſuus dignetur in longum cum ſuo merito conſeruare. Hanc non incongrue ſecundam illius monaſterii fundatricem nominauerim, quæ pene collapſum reſtituit. & niſi ipſa veniſſet, reuera ipſæ reformatrices manere non potuiſſent, ſicque deſolatio monaſterii illius per eius ingreſſum præpedita eſt. Ad ingreſſum autem eius multæ virgines in Vlma motæ, etiam de nobilibus patriæ & optimatibus de Vlma eam ſequi feſtinabant, quarum plures cum opulenta ſubſtantia ad eam ſunt ingreſſæ, aliæ in Medingen ſunt receptæ, aliæ ad alia conuolauerunt loca, ita quod ab ingreſſu prædictæ ſororis Margarethæ tot virgines cum tanta ſubſtantia ab Vlma venerunt ad monaſteria, quod vix aliquis crederet, ſi numerare voluero. Hæc ergo duo monaſteria, Medingen & Medlingen olim priuilegiis a ſede Apoſtolica ſunt multis dotata, quorum hodie bullas habent plumbeas, &c.

CAPUT IX.

De Roggaburg monaſterio.

IN parte orientali ciuitatis Vlmenſis ſunt plura monaſteria, vt ſupra patuit, de duobus tamen ſolum breue faciam verbum. Roggaburg monaſterium Præmonſtratenſium quinque annis poſt monaſterium Vrſperg fuit fundatum, anno Dom. M. C. XXX. impenſis illuſtris Comitis Berchtoldi de Byberegg, & vxoris eius Dominæ Demut de Hohenzorn, qui omnia ſua bona legauerunt monaſterio, & caſtrum ſuum, quod in acie & cornu ſtabat, vbi nunc eſt hortus arboribus conſitus. Hoc monaſterium valde emendauit & ditauit venerabilis vir Dominus Iohannes Turing primus Abbas monaſterii, ante quem ſolum fuerant prius Præpoſiti vel Priores. Ab eo autem tempore, quo nobiles defecerunt, fuit per Imperatores Vlmenſibus commiſſio facta illius monaſterii, vt eſſent eius tutores. Nouiſſime autem anno Domini M. CCCC. LXXIX. poſt obitum clariſſimi Ducis Bauarorum Ludwici, filius eius Dux Georgius incitatus contra Vlmenſes hoc monaſterium in ſuam curam ſuſcipere conabatur, & auferre Vlmenſibus tutationem eis ab Imperatoribus commiſſam, & in hac cauſa fuerunt multæ celebratæ dietæ. Tandem anno Domini M. CCCC. LXXXVI. in die ſanctificationis B. Mariæ Virginis aſcendit de Wiſahorn in monaſterium Ludwicus de Haſperg miles cum multis nobilibus, & venerabilem virum Dominum Georgium ..... Abbatem monaſterii & omnes monachos coegerunt abnegare Vlmenſium tutelam, & aſſumere Bauariæ Ducem in Dominum & protectorem. & hoc idcirco fecit, vt populum villarum monaſterii in ſua haberet ſeruitia, & in caſu bellorum eo contra Vlmenſes vteretur. Abbas autem nocte rem inique conſpiciens fugam arripuit, & omnia cleinodia aurea & argentea vaſa ſecum tulit, & ad Vlmenſes ſuos ordinarios tutores confugit eorum auxiliis & conſiliis fretus. Ceteri autem monachi in monaſterio manentes contra ſui Prælati præcepta & iuſſiones proterue ſteterunt, contra quos Abbas a ſede Apoſtolica grauiſſimas cenſuras extraxit, quas tamen minime curabant. Demum petiit a Duce Bauariæ ſibi reddi ſuum monaſterium, quod dum nollet dare, obtinuit a ſede Apoſtolica intolerabiles maledictiones in omnes qui inuaſerant monaſterium, & ab Imperatore Friderico III. accepit repreſſalias contra Bauariæ Ducem & ſuos, & bannum imperiale. Multi ergo armati Abbati adhærentes terras & gentes Ducis Bauarorum inuaſerunt, & aliqua caſtra iuxta Vlmam ceperunt, & quottidie fiebant ſpoliationes & deprædationes per circuitum *ciuitatis Vlmenſis, & ſpolia inducebantur* Vlmam, fuitque mirabilis tribulatio regionis, qualis nunquam fuit viſa. Non enim erant bella alia, niſi quod Abbas ille ſuos in ciuitatibus habuit ex Imperatoris mandato, qui omnes ad Ducem Bauariæ pertinentes ceperunt, & pecuniis mulctauerunt. inter quæ tamen multus humanus ſanguis effuſus fuit. Manet autem tribulatio illa vsque in præſentem annum, qui eſt a natiuitate Domini M. CCCC. LXXXIX. quid finaliter fiat, videbimus ſequenti tempore.

CAPUT X.

De Ottenburen monaſterio.

OTtenburen vetuſtiſſimum monaſterium ordinis S. Benedicti, corpore S. Alexandri vnius martyris de VII. fratribus celeberrimum, olim diuitiis affluentiſſimum, & potentia terrena non modicum. In hoc monaſterio dum omnis religio obliuioni tradita eſſet, & paſſim monaſterii bona dilapidarentur, reuerendiſſimus in Chriſto Dominus Petrus Cardinalis & Epiſcopus Auguſtenſis conabatur illud reformare ſuperioribus annis: ſed difficultatem videns deſtitit. Deinde poſt obitum dicti Domini Cardinalis venerabilis vir Dominus Iohannes de Werdenberg ſucceſſor Domini Cardinalis in Epiſcopatu Auguſtenſi inſolentias illorum monachorum ſufferre non valens, accepit monachos reformatos de monaſterio S. Vdalrici in Auguſta, & de monaſterio Elchingen, eosque in Ottenburen tranſtulit ad reformandum locum cum Abbatis monaſterii conſenſu. ſed monachi impatientes diſciplinæ redire ſibi miſſos in ſua monaſteria coegerunt. tandem res illa ad ſedem Apoſtolicam deuoluta fuit,

Digitized by Google

ta fuit, & missus est proprius legatus per Papam ad visitandum conuentum, &, si foret necesse, ad reformandum. qui vtroque peracto post multas turbationes & expensas monachi derelinquentes monasterium vagabantur per ciuitates & villas, & inexplicabiles faciebant expensas, & conabantur Swiceros contra monasterium educere, & infinita mala sunt acta. Tandem autem Abbas antiquus obiit, & vnus frater de Elchingen rite & ordinarie in Abbatem præfectus fuit. Quo non obstante monachi extra discurrentes conglobati in quodam hospitio inter se Abbatem elegerunt sine auctoritate & iuris forma, & in hiis omnibus augmentabantur expensæ grandes valde super monasterium. Post hoc Dux Georgius Bauarus Episcopo Augustensi infestus sub specie pietatis tanquam conuentum melius reformaturus monasterium inuasit, & pulso Abbate reformata destruxit. Mortuo autem Episcopo Augustensi reuerendo Domino Iohanne de Werdaberg, & instituto reuerendo Domino Friderico de Hohenzorn, Dux præfatus monasterium in manus Episcopi restituit, & Abbas in suum monasterium reductus fuit. Non vidi pretiosiorem infulam, nec pastoralem baculum pulchriorem, quam Abbas illius monasterii habet: nec audiui in aliquo monasterio meliores & maiores campanas.

CAPUT XI.

De Wiblingen monasterio.

DEinde ad partem meridionalem me conuertendo, de Wiblingen & Hegbach monasteriis aliquid inferam. Wiblingen cœnobium religione singulariter famatum, plusquam centum annis ante Elchingen fundatum fuit illo aureo tempore & placabili, anno Domini M. XCIX. quo Ierosolyma sancta ciuitas capta fuit a populo Christiano Duce Gottfrido clarissimo Lotharingiæ Comite, & in libertatem Christianæ religionis reducta, vt supra. Illo enim aureo tempore pene omnes nobiles occidentis & quasi totius Europæ cum infinitis legionibus in passagio terræ sanctæ erant. Illi vero nobiles, qui remanserant, expensas quas pro more facturi fuissent, in ecclesiarum, monasteriorum & eleemosynarum conuertebant vsum. Erant autem tunc temporis duo illustres Domini, puto Comites de Kyrchberg, Otto & Hartmannus fratres, qui deuotione fidei accensi crucem cum ceteris Principibus, Comitibus, Baronibus, militibus & nobilibus sumpserunt signati ad pugnam contra infideles pro ciuitate sancta Ierusalem. Sed vt sancta crux, sub qua pugnare volebant, & cuius signum vestibus suis assutum habebant, eos protegeret & defenderet, in perpetuum crucis honorem & suæ signationis memoriam præter expensas in passagio habituras, pecuniam copiosam elargiti sunt, conductis architectis pro fundatione & ædificatione monasterii sanctæ Crucis ordinis S. Benedicti in monte iuxta ecclesiam parrochialem; vt sic vnico crucis talento suscepto non tantum dupla sed tripla talenta redderent, scilicet animas pro orthodoxa fide, corpora pro Ierusalem sancta ciuitate, & temporalem substantiam pro Dominico sepulchro & sancta cruce, quatinus in transmarinis partibus crucis blasphematores gladio necarent, & cum hoc in suis partibus crucis adoratores in ampliorem amorem crucis ædificato monasterio inducerent. Sancta igitur ciuitate Ierusalem per nostros liberata, cum prædicti Comites rediissent sani & incolumes, didicerunt ab artificibus structuram in præfato monte non posse tenere, & nullum grande stabile manere ædificium propter montis arenositatem. quapropter inito consilio fundamentum pro monasterio iecerunt in loco, vbi hodie gratia Dei persistit. & non multo post mons, in quo ædificare inceperant, scissus est, & pars antiquæ ecclesiæ, quæ constructa fuit anno Domini CCCC. XLIV. sicut sculptura docere videtur, corruit in præceps cum parte cimiterii. Vnde dum inferius foditur, adhuc ossa humana reperiuntur, quæ simul defluxerunt. Continue enim mons ille fluit. vnde antiqui rustici dicunt, eum suis temporibus multo latiorem fuisse quam nunc sit. Prudenti ergo consilio facta fuit monasterii translatio in alium locum. Credo tamen si translatores sciuissent, quod nunc patres monasterii experiuntur, quod non in illum locum monasterium fundassent, quia Ylarus fluuius, qui tempore fundationis longe a monasterio per media decurrebat arua, rupto veteri suo alueo successu temporis vsque ad muros conuentus cum fremitu decurrit, & continue tanquam fur & raptor terram horto detrahit, & nonnunquam tanquam hostis crudelissimus in ipsum monasterium irrumpit, & nisi sancta crux volens stare contra torrentem obuiaret, ipsum monasterium dudum penitus dissolutum fuisset. Vnde quodam tempore, inundatione grassante, omni humano auxilio destituti fratres genibus flexis & manibus in cœlum protensis diuinum & sanctæ crucis deuotius flagitabant adiutorium. & mox videbatur adesse quidam cœlicola, qui contra aquam cum cruce procedens fluctus a muris potenter repulit. Fundato igitur monasterio glorioſi illi Domini Otto & Hartmannus ipsum dotauerunt multis temporalibus bonis per gyrum omnia iura sua super huiusmodi bonis libere resignantes monasterio, ipsum monasterium deuotissime obtulerunt Vrbano huius nominis Papæ II. abdicantes sua & suorum successorum omnia & singula iura pure & sincerissime. quod Papa gratanter accipiens conuentui in illius donationis perpetuam memoriam imposuit, vt singulis annis ad Romam mittat vnum bisuncium aureum ducatum ad Papæ cameram. Dicti autem Comites Otto & Hartmannus omni studio præcauebant, vt nec posteri eorum occasionem inuenirent grauandi locum & ius in eo quærendi. Vnde simpliciter sua nomina

mina sine agnomine dominii & genealogiæ scripta reliquerunt, nec sepulchra armorum apparatu signauerunt, nec parietes aut lapides monasterii simulachrum suarum imaginum occupauerunt, sicut moderni faciunt, & ita inutiliter suas reliquerunt memorias, vt apud plures in dubium vertatur, an fuerint Comites de Kyrchberg vel non? Ego tamen absque hæsitatione credo eos fuisse prudentes & illustres & Deum timentes Comites de Kirchberg, qui parum curauerunt nomina sua in terris suis vocari. Annis autem præteritis fuerunt, vt audiui, litteræ repertæ in Ottenburen, in quibus stabant nomina duorum Comitum de Kyrchberg Ottonis & Hartmanni. Primus huius monasterii Abbas vir sanctus & admodum religiosus fuit Dominus Wernherus de Ellerbach nobilis genere, & multo nobilior religione. Hic Abbas quia deuotissimos nutriebat monachos, rogatus fuit a multis Deo deuotis virginibus, vt & conuentum vel clausstrum pro eis iuxta suum ædificaret monasterium. inclinatus autem precibus earum, ad latus conuentus recluſorium fecit, in quo multo tempore virginum deuotarum fuit congregatio iuxta capellam B. Mariæ Virginis, quæ hodie stat in cimiterio, in qua sepultura fuit prædictarum sororum, inter quas multæ sanctæ creduntur fuisse. Nam ab antiquo vsque in moderna tempora multi homines de Vlma & aliis districtibus capellam illam visitant ob honorem trium Virginum, quas nominant tres Virgines sanctas occultas vel absconsas. Mansit autem hæc sororum congregatio in Dei sedulo seruitio vsque ad fratrum defectionem, quibus in deuotione tepescentibus dissoluta fuit congregatio sororum. Nam fratres incipiebant passim frequentare & societatibus se immiscere, præsertim cum sui ordinis fratribus conuentus Augiensis, qui deliciis Vlmæ vacabant, eosque de Wiblingen & Elchingen inuitabant, vt essent adiutores eorum in dilapidatione bonorum Owiæ magnæ, quæ Vlmæ habebant, & in tantam inuerecundiam monachi deuenerunt, vt spectaculis secularium, hastiludiis & choreis ac nuptiis interessent. Stetitque diuini Benedicti sacra religio fere vbique sub tali dissolutione vsque ad illud tempus, quo ab incarnatione Domini numerabantur anni M. CCCC. XII. in quo anno nouum sydus fulgere cepit clarissimus vir Dominus Ludwicus Berbus patricius Venetus ordinis S. Benedicti, qui collectis ad se zelosis viris sui ordinis congregationem religiosissimam S. Iustinæ Paduæ inchoauit, & conuentus lapsos structuris & disciplinis releuauit & reformauit. Exemplo ergo illius spectabilis viri Domini Ludwici multa monasteria per orbem ceperunt reformari per suos Prælatos & Abbates. inter quos primus de omni Sueuia insignis vir Dominus Vdalricus Hablutzel manum ad aratrum misit & conuentum suum Wiblingensem reformauit anno Domini M. CCCC. XLV. annis XXIII. post primam reformationem, quæ Paduæ ad S. Iustinam vigere cepit in vita adhuc existentibus primis reformatoribus. Quantas autem difficultates sustinuerit venerabilis pater ille Vdalricus in reformatione sui conuentus propter suorum fratrum contradictionem, non faciliter potest narrari. Nam in tanto vitæ suæ stabat periculo, vt secrete lorica sub tunica indutus in choro, capitulo, & refectorio conuentui impatienti assisteret. Grandi ergo labore, & multa sollicitudine conuentum illum ad tantam perfectionem perduxit, vt exemplar omnium Alemaniæ conuentuum fieret, aliaque ex eo monasteria reformarentur, quia plures zelosos & maturos viros habebat. Successit huic generoso patri venerabilis Dominus Iohannes Abbas, qui per aliquot annos functus officio curam penitus resignauit, quieti studere cupiens. in cuius locum successit reuerendus pater & Dominus Conradus Ruch, qui hodie feliciter & vtiliter regit sibi creditum religiosum conuentum. Dicitur autem monasterium hoc Wiblingen a riuulo iuxta monasterium decurrente, qui dicitur Wien. & dicitur *Wiblingen* a *Wien* & *ligen*, quia iacet ad riuum Wien, &c.

CAPUT XII.

De Hegbach manasterio.

HEgbach, vel Hettbach, vel Hebbach, vel Hebacht, monasterium S. Mariæ Virginis sanctimonialium Cistercienſis ordinis supra Wiblingen, nunc describendum venit. Est igitur Hegbach monasterium hodie odore bonæ famæ vbique per Sueuiam notum, quod nominibus præfatis nominari & dici consueuit, non quidem casu sed ratione. Dicitur enim Hegbach, pro eo quod ante fundationem locus fuit virgultis, rubis, & cespitibus, & spinis condensus, & inter medias frutices paruulus defluebat fons riuulumque faciens. locus nomen ab vtroque sortitus est, a frutectis & riuulo, & dicebatur *Hegbach*, & hodie emanat ibi aqua licet exigua. Vel dicitur Hettbach, quasi optatiue diceretur, vtinam locus haberet riuum. nam aquæ fluentes necessariæ & vtiles sunt, vbi habitatio est hominum. & quando locus ille datus fuit sororibus pro monasterio, & pene nullæ essent ibi aquæ, dicebant breuiter & cum patientia *Hettbach*, quasi dicerent, locus quidem placet, si haberet riuum. Dicitur etiam Hebbach, quia dum mulieres in locum venissent, conduxerunt fossores, & multis expensis & laboribus diuersis viis conabantur aquam fluentem monasterio inducere, quia feminis aquæ sunt necessariæ, sed incassum laborabant, & terra ubique videbatur aquas & riuulos continere ne fluerent. Vnde multo labore fessi dicebant modo Theutonico *Hebbach bebbach*, quasi dicerent, tene terra ne effluat riuus. Vel possumus dicere, quod, vt communiter monasteria Cistercienſium pulchra habent nomina ab aliquo effectu honesto, etsi

non

non in vulgari Theutonico, tamen in Latino, omnibus monasteriis eorum sunt nomina apta religioni imposita: sicut monasterium prope Hegbach eiusdem ordinis dicitur Bonacella, & in vulgari retinuit * nomen; sic hoc monasterium dictum fuit Considera, vulgariter *Hebacht*, forte a libro Considerationum B. Bernhardi nomen impositum. Et dicitur B. Mariæ Virginis, quia in eius honore est fundatum in montuoso, siluoso, & deserto loco ad modum primorum monasteriorum illius ordinis, qui incepit anno Domini M. XCVIII. ante S. Bernhardum longe. Quis autem hoc monasterium Hegbach fundauerit, videamus. Cum insigne monasterium Salem esset fundatum, & in toto ordine illo nominatum, & iam monasteria illa valde ditarentur, & glorioſa essent nimis, venerabilis vir Stephanus Abbas Cistercienſis exceſſum temporalium abhorruit, & conuocatis Abbatibus multis pericula in tantis diuitiis eis expoſuit, & ſedens ac conferens cum eis chartam caritatis conſcripſit anno Domini M. C. VII. quam auctoritate Apoſtolici ſigilli ſignauit. In qua charta modus præfixus fuit. *ab illo ergo tempore reiecerunt ab ordine furcos & pelliceas, flamina & capucia, & feminalia, & pectina, & coopertoria, & ſtramenta lectorum, & diuerſa ciborum in refectoria fercula, & ſagimen, & omnia quæ puritati regulæ aduerſabantur. Abdicauerunt etiam eccleſias, & altaria, & oblationes, decimas & ſepulturas aliorum hominum, & furnos, & molendina, & villas & ruſticos, quia nec in vita S. Benedicti nec in Regula legebant eundem Sanctum huiusmodi poſſediſſe, nec feminas ſua monaſteria intraſſe, aut mortuas in monaſterio ſepultas fuiſſe, dempta S. Scholaſtica ſorore ſua.* Hæc Sigebertus, & habentur in Spec. hiſtor. part. 2. lib. 27. cap. 1. Dum ergo Ciſtercienſes ſub præfata viuerent forma, tanta multitudo iuuenum ad eum confluxit ordinem, vt monaſteria eos capere non poſſent. Sed & virgines hiis exemplis motæ ſeculo renuntiantes turmatim ad monaſteria Ciſtercienſium confluebant, ibique ante portas ſe proſternentes ordini ſubeſſe petebant. vnde Abbates victi improbitate pulſantium loca eis aſſignauerunt in agris, ſiluis, montibus, & vallibus. Ea tempeſtate Abbas de Salem plura loca virginibus aſſignauit, in quibus hodie monaſteria egregia ſunt, quibus prouidere habet. inter quæ eſt Hegbach monaſterium, quod in illo feruore initium ſumpſit impenſis virginum ædificatum cum adiutorio Abbatis de Salem. nec alios habuit fundatores, licet nobiles de Friberg ſibi titulum fundatorum vſurpent, pro eo quod ibi ſuas habent ſepulturas & ſtatuta anniuerſaria. Tandem autem tepeſcente feruore caritatis perdita fuit & abiecta Charta caritatis, & religio Ciſtercienſium remiſſionem paſſa in defectum lapſa fuit, ſicut & ceteræ religiones, & multis annis in diſſolutione ordo ſanctus permanſit vſque ad illa tempora, quo religio S. Benedicti reuireſcere cepit, tunc & Ciſtercienſes erecti fuerunt. Porro æuo noſtro erat Abbatiſſa in Hegbach, mulier vtique bonarum memoria digna, haut dubium femina ſancta, Domina Elizabeth Krelin, quæ compaſſa lapſui ſui monaſterii intra ſe de reformatione cogitabat: & quia a ſuis ſuperioribus non magnum ad hoc adiutorium ſe habituram præſciuit, egit vt ſaltem non præſtarent impedimentum. Virginali ergo prudentia accenſam habens lampadem, rem iſtam ingenioſe per ſe paulatim induxit tali induſtria. Æſtate florente iuſſit ſeruos ſuos iungi currum & tanquam pro ſolatio euagatura & thermas aditura cum ſorore & famula egreſſa eſt monaſterium, & ad longas partes curru euecta adiit monaſterium ſui ordinis feminarum & virorum, intelligere cupiens an ſui voti aliqui eſſent. Reperit autem quædam reformata monaſteria, ad quæ intromiſſa, omnia quæ diſciplinæ erant notauit & conſcripſit, & dum plura monaſteria ſui & aliorum ordinum perluſtraſſet, plena ſpeciebus ad ſuum reuerſa eſt monaſterium, tanquam in thermis longius morata & ſanata reueniſſet. Nihil autem aliud fecit, niſi quod iuuenculas & innocentes ſibi attraxit, easque crebrius animauit, & ad fugam ſeculi induxit, & rotæ aditum interdixit, & ad aſpectum hominum nequaquam amplius procedere permiſit, & puellulas quas recepit, ad eandem obſeruantiam induxit, denuncians amicis & parentibus earum, quod eas amplius non eſſent viſuri. antiquas autem ſorores non tetigit, ſed ſicut conſueuerant facere permiſit, ſicque inter illas & iſtas medium prouida Domina tenuit, vt cum pace & quiete ſtarent aliquibus annis, in quibus numerus iuuenum creuit, & corda ſenum emollita ſunt, vt ſimul omnes in vno deſiderio integræ obſeruantiæ & omnimodæ clauſuræ anhelarent. Quod perpendens venerabilis Domina oportuno die aduocatis fabris carpentariis, cementariis & aliis artificibus clauſit omnes monaſterii aperturas, oſtiola, & feneſtras obſtruens per gyrum, ferreis laminis crates locutorii veſtiens & rotas muniens, portas fortiſſimis ſeris ferreis ac repagulis obfirmauit, & muros interioris monaſterii adeo exaltauit, vt non viderim alicuius monaſterii muros ita altos. Sed & curiam exteriorem ſepe prius circumdata muro cinxit, ſicque ſe & ſuas in captiuitatem diuinam redegit. Hæc omnia egit illa prudens Domina ſine diſturbio, ſine tumultu, ſine aduocatione reformatricum, quia ipſæ reformandæ met erant feruentiſſimæ reformatrices tam morum quam murorum, & factæ ſunt tam famatæ religionis, vt eo ** ſecundum non habeat Sueuia. Conuolauerunt autem ad eas multæ deuotæ nobilium filiæ & ciuium de Vlma, Bibraco, & aliis locis, factusque eſt honorabilis & famoſus conuentus. Obiit autem dicta Domina anno Domini M. CCCC. LXXX. me

 exiſtente

* Gutenzell. ** *Fort.* ſimilem.

Digitized by Google

exiſtente in Dominico ſepulchro in Ieruſalem, cuius deceſſum dum audiuiſſem, non modica triſtitia & mœrore affectus fui, quia fuerat mihi in Domino familiariſſima, vtpote ſpiritualis mater & in Chriſto filia, cuius meritis haut dubium factum eſt, vt poſt eam electa ſit imitatrix vitæ & morum Domina Agnes Sutterin mulier vtique religioſa & adeo ſimilis defunctæ, vt non facile ſit diſcernere inter prædeceſſorem & ſubſequentem, ſicque monaſterium hoc vſque hodie Dei gratia proficit ſpiritualiter & temporaliter, & eſt commutatio bona facta ad priora tempora. Opinari enim ſane poteſt, olim in illo loco fuiſſe ſacrum Orchaidum Nympharum Dearum montium, vel Dryadum Nympharum ſiluarum numinum, quia locus altus & ſiluoſus ſiue nemoroſus eſt, quem antiquorum inſania hiis numinibus dedicatum nequaquam dimiſit, ſuppoſito quod in regione illa tunc fuerint incolæ homines.

CAPUT XIII.

De monaſteriis ad plagam occidentalem ciuitatis Vlmenſis ſituatis. De Vrſpringen.

VRſpringen quondam Hamadryadum fontium Nympharum ſacrum: poſtea religione Chriſtiana creſcente S. Vdalrico & præcelſo monti Oliueti dedicatum conſtat. Porro poſt D. Benedicti ordinis inſtitutionem, dum in monaſterio S. Georgii in Baccenis ſilua ſingularis vigeret religio, nobiles longe lateque per Alemaniam fundantes monialium monaſteria, ipſæ vt eſſent ſub Abbate S. Georgii procurabant. vnde vſque hodie idem Abbas prouidere habet multis monialium monaſteriis non ſolum in Sueuia, ſed in Weſtrangia, Gallia, Alſatia, & Brisgaudia. Igitur anno Dom. M. C. XXVII. anno primo Lotharii Regis, qui Heinrico V. Romanorum Imperatori ſucceſſit, tres milites nobilioris proſapiæ fratres germani, ſcilicet Rugerus, Adalbertus, & Waltherus oppidi & caſtri Schelklingen poſſeſſores & illius dominii gubernatores tradiderunt pro ſalute animarum ſuarum eccleſiam non parrochialem Vrſpringen, ſed exemptam, Abbati S. Georgii, vt eidem eccleſiæ annecteret monaſterium monialium, cui & decimas, prouentus, & poſſeſſiones legauerunt. Accepit ergo Abbas S. Georgii dictum locum, & monaſterium ibi inſtituit ſanctimonialium, præficiens ſororibus magiſtram, quam ſibi ſubeſſe voluit: hocque monaſterium adinſtar diſciplinæ, quæ ad S. Georgium ſeruabatur, induxit & multis annis ita ſeruatum fuit. Dicitur enim quod propter ſanctitatem ſororum miraculoſe vinum in vaſis augmentatum fuit & bladum, quia pauperrimum erat primitus monaſterium. Poſt decurſum vero temporum cum religio apud S. Georgium deficeret, defecit etiam in Vrſpringen, ita tamen quod non omnino extincta fuit, ſed ſemper veſtigia antiquæ obſeruantiæ ibi reperiebantur plusquam in aliis monaſteriis monialium lapſis. Reducto ergo monaſterio Hegbach ad obſeruantiam, vt dictum eſt, Domina Gredanna de Friberg magiſtra in Vrſpringen, mulier virili animo pollens, quasdam de ſuis monialibus aſſumpſit, & currum aſcendens in Hegbach transuecta eſt, vt videret obſeruantiam, cuius fama vndique erat. Vt autem vidit clauſuram & viuendi ordinem, & audiuit clauſarum in Domino iocunditatem, cepit & ipſa cogitare de ſui monaſterii reformatione; & familiaritate contracta cum venerabili Domina Elizabeth Krelin Abbatiſſa reuerſa eſt in Vrſpringen tota accenſa in deſiderio obſeruantiæ. verum difficile nimis videbatur illum reformare conuentum, quia Abbas S. Georgii earum Superior nullum ad hoc habebat affectum, & maior pars conuentus, & tota iuuentus reclamabat, quia etiam amici nobiles & conſanguinei nec verbum de obſeruantia audire volebant, & illis, qui ad obſeruantiam aſpirabant, minas graues faciebant. Hiis tamen non obſtantibus *venerabilis Domina magiſtra* crebrius aduocauit zeloſos & doctos viros Prædicatores, qui ſine palpatione vitia & pericula remiſſarum religioſarum detegerent arguendo, obſecrando & increpando, vt ſic virtute diuini verbi materia præpararetur, quod & Dei gratia factum fuit, quia plures ad partem Dominæ magiſtræ confugerunt clamantes pro obſeruantia, ſicque facta fuit ſalubris diuiſio in conuentu. vna petebat obſeruantiam, altera pars reclamabat, eratque quottidiana contentio inter eas, & quia omnes moniales de nobiliori Sueuorum ſanguine erant, vtræque ſuos inuocabant amicos, quo factum fuit, vt Barones & milites partibus fauentes diſcordes fierent. Hoc vt ad aures peruenit illuſtris Dominæ Mechtildis Archiduciſſæ Auſtriæ viduæ, quæ in Rotenburga ſuper Neccarum reſidebat, potenti virtute vſa Abbatem S. Georgii parum tunc religioni affectum ad ſe inclinauit vel potius terroribus induxit, vt aſſenſum præberet pro reformatione conuentus. Quo habito miſit in * Euſtauiam & de monaſterio S. Walpurgis reformato ordinis S. Benedicti adduci fecit reformatrices, cum quibus in Vrſpringen venit, habens in comitatu Abbates reformatos Carthuſienſes & aliquos fratres Prædicatores & multos nobiles pro parte obſeruantiæ. Aduenerunt etiam nobiles pro alia parte multi utriusque ſexus, factaque eſt grandis congregatio in illo monaſterio. Sed quia Archiduciſſa potens erat, nemo ſe ei oppoſuit de ſecularibus. Anno igitur Domini M. CCCC. LXXV. cum Domina Archiduciſſa cum ſuis curiam monaſterii eſſet ingreſſa gratia reformationis, moniales abintra rem intelligentes abinuicem diuiſæ ſunt. vna pars & ſanior Dominæ Magiſtræ adhæſit, in

* *Eyſtadium.*

Digitized by Google

in qua erat Domina Helena de Hurnheim Prioriſſa conuentus cum aliis quibusdam beneuolentibus. Alia vero pars a Domina Magiſtra diſceſſit, in qua erat Domina Barbara de Lapide, & plures aliæ iuuenculæ & ſenes nobiles, quæ omnes vno animo toto niſu reformationi ſe opponere deliberabant. Et ingreſſæ infirmitorium, quod erat domus ſingularis, clauſerunt oſtia, repagulis obfirmantes, & menſas, ſcamna, truncos, ſaxa, & omnia grauia, quæ habere poterant, aduoluerunt, ne violenter poſſent dirumpere & ad eas intrare: ſtabantque in feneſtris ſuperioribus, habentes in manibus lapides & phalangas, celendria & colos, titiones & veru, & cum ingenti furia circumſtantem populum maledicebant, oſtendentes arma ſua, quibus accedentes impetere paratæ erant. Videns autem Domina Duciſſa tempus tranſire, mandauit ſuis militibus & clientibus capere domum. ſed mandato nullus paruit, dicentes militi & armato perpetuum improperium eſſe, ſi contra feminam armata procedant manu: & præter hoc cum ſint feminæ nobiles & velatæ religionis ſacræ velo, non ſit ſecurum violenter agere cum eis, ne quis incurrat eccleſiæ cenſuras, & amicorum earum inimicitias. Iuſſit ergo Domina in oppido Schelklingen ſigna cum campanis fieri ad arma. Quibus auditis ruſtica gens ad arma cucurrit; & ordinato agmine exiuit populus in monaſterium dimicaturus contra Amazonum ſectatrices. Vallata eſt ergo domus, & pugnaturis commiſſum ne rebellantes læderent. & induſtria virorum domus capta fuit, & moniales in pertinacia manentes ligatæ ſunt & in vincula coniectæ; reliquæ ſe ſubmittentes ſunt in gratiam receptæ. Tradito autem monaſterio in manus Dominæ Magiſtræ, inſtituit vnam de reformatricibus Prioriſſam, & ceteris alia commiſit officia. Moniales autem aliquæ de reſiſtentibus ad alia translatæ ſunt monaſteria; aliquæ vero nec in illo nec in aliquo alio volebant eſſe, ſed euagabantur hinc inde; aliquæ in caſtris manebant cum amicis, & poſt experientias miſeriarum reuerſæ ſunt, & cum venia receptæ. Incepit autem Domina Gredanna non ſegniter agere, ſed diligenti cura mores ordinis didicit, & cum ſibi adhærentibus in tantum profecit, vt maturitate, religione, omni diſciplina reformatrices præcellerent, quas poſt decurſum trium annorum ad propria remiſerunt cum multa gratiarum actione, & Domina Helena de Hurnhaim reaſſumpta fuit in Prioriſſam. Tandem autem cum Domina Gredanna de Friberg Magiſtra ab hoc ſeculo emigraſſet, electa fuit in Magiſtram venerabilis & religioſa Domina Helena de Hurnhaim, quæ fuerat Prioriſſa, & inſtituta eſt in Prioriſſam nobilis Domina Kunegundis de Friberg iuuenis quidem ſed matura & docta. Statim autem Domina Helena Magiſtra antiquas conuentus ſtructuras diſſoluit ex fundamentis, & nouum reſuſcitauit conuentum ita pulchrum, ornatum, lucidum & regularem, quod nemo ipſum videns non obſtupeſcat, tam ad ædificiorum ordinem quam ad feminæ induſtriam, ex cuius conceptibus hæc gerebantur. Ad hanc conuentus ſtructuram omnes laborabant Dominæ ſorores, & artificibus materialia in manus porrigebant. vnde Domina mane & veſpere & omni tempore laborantibus aſſiſtebat, vt opus celerius perficeretur, & ſorores in diſciplina cuſtodirentur. ſicque vſque hodie Dei gratia ſtat conuentus ille in profectu ſpirituali ſub præfata Domina Helena Magiſtra, quæ ſingulari religionis affectu & in antiqua vita ante reformationem & in illa mihi fuit familiaritate iuncta. Ex omnibus hiis infero, quod in hoc loco ſucceſſiue quinque fuerunt habitationes. Primo fuit ibi Nympharum ſacrarum Hamadryadum Dearum fontium, cum ſit ibi grandis vomes aquarum, ex quo erumpunt & emanant largiſſimæ aquæ, a quo & nomen habet locus, quod dicitur *Vrſpringen*. Ebullit enim ibi de abyſſo aqua, & primo locum facit latum & profundum, ex quo fluuius proſilit, qui Ach habet nomen, & elabitur per vallem, & iuxta Burronem Blauio iungitur, in quo vſque Vlmam defertur ibique Danubio illabitur. Puto autem hoc nomen *Ach* huic fluuio aduenisſe ex nomine Nymphæ, quam Virgilii carmina *Abam* decantant, cui forte phanum vetuſtum in loco fuerat ſacratum. habetque fluuius ille meliores piſces, herbas dulciores, & aquas ſaniores quam Blauius. Antiqui ergo iuxta morem in loco illo, vt dixi, primo fundarunt pro Nymphis. Deinde religione Nympharum ceſſante, Tyranni ibi cruentum habitaculum ſuperædificarunt, ſed inducta fide Chriſtiana Eccleſiam ibi fundauerunt regionis nobiles, quam Apoſtolica auctoritate liberam & exemptam fecerunt, quæ nulli ſuberat Epiſcopo aut Plebano, vt littera fundationis monaſterii continet quam vidi. Deinde nobiles illam eccleſiam, & omnia iura eius Domino Abbati in S. Georgio reſignauerunt, qui in loco monaſterium monialium erexit paruum & exile, quod vſque ad noſtra tempora ſtetit. Hoc autem Domina Helena funditus pro maiori parte auulſit, & ſolemne quod hodie eſt ædificauit, in cuius fundatione in terræ viſceribus reperierunt grandia fundamenta antiquarum ſtructurarum & humanorum oſſium congeries, & alia huiusmodi vetuſtatis ſigna. Super Vrſpringen in alia parte montis erumpit fons ingens, & in fluuium creſcens per alias valles tendit in Danubium. dicitur autem fluuius ille Schmiecha, de quo memorabile, quod ſequitur, ad oculum videmus. Dum enim ex ſuo fonte importunius euomitur, per vallem decurrit in arua, moxque in ipſis pratis abſorbetur & penitus diſparet, quaſi in terræ ſinum occulte abſcondatur, quia non manifeſtas terræ fiſſuras ingreditur, ſed quaſi inuiſibiliter nunc fluit, & poſt modicum non eſt, qua ex re æſtimo, riuo illi nomen hoc Schmiecha eſſe datum: quia *ſchmiechen* in noſtro vulgari idiomate ſignificat occultare, &

quia fluuius ille sub terra per aliquod spatium occultatur, quasi in sinum *geschmiecht*, ideo *schmiech* vocatur, a quo etiam villa prope suam originem nomen accepit. Dum ergo terræ immersus fuerit, & per longum spatium in visceribus & venis terræ processerit, tandem quasi impatiens suæ inclusionis iuxta villam Almadingen ruptis petris & scissis rupibus importune resultat, & molendinarum rotas agitat, progrediensque suum nomen resumit, & quasi lætus de sua liberatione festinus contra oppidum Echingen decurrit, quo ingresso & rigato per arua decidit, Danubioque inter Nasgastat illabitur villam, & Berg, &c.

CAPUT XIIII.

De locis inter Vrspringen & Burronem, & de Wilerio incluſorio.

AB Vrspringen procedendo per descensum fluuii Acha statim occurrit oppidum Schelklingen nominatum, cum munita arce in rupis summitate eius nominis. Vnde autem huic oppido & castro hoc nomen aduenerit, non alio nisi ex nominis sono accipi potest. Componitur enim hoc nomen *Schelklingen* ex duobus Theutonicis nominibus, scilicet ex *schalck* & *klingen*: quorum primum nominat nequam; secundum, nemus. ex quibus suspicari potest, quod olim ibi fuerit nemus insecurum propter nequam in eo latitantes, contra quos credimus arcem ibi constructam in monte, & postea excisis arboribus villam in loco nemoris ædificatam, & agros plantatos, & nomen horridum tam arci quam oppido mansisse. Vel componitur ex *schal* & *klingen*, quia erat nemus iocundum, in quo nobiles delitiis vacabant. *Schal* enim dicit iocunditatem, & *kling* nemus; propter quod forte nobiles in rupe arcem illam erexerunt, vt solatiis ibi fruerentur. Nonnulli putant nomen componi ex *schel* & *klingen*, quia asserunt hoc nemus olim pertinuisse ad Dominos de Schellenberg. alii dicunt fuisse Dominorum de Klingenberg. Primum tamen verius videtur. & primi arcis possessores dicti fuerunt Comites de Schelklingen, quibus tandem deficientibus Archiducibus Austriæ hereditario iure cessit totum hoc dominium, quod nunc impignoratum possidet Burcardus de Stadion nobilis.

Ex oppido censequenter procedendo per vallem Aha fluminis venitur ad ingentem & altam rupem, quam spectabilem & admirabilem reddunt singularis e terra in altum elatio, horrida excauatio, & tyrannica habitatio. siquidem rupis illa quasi grandis columna rotunda e terra consurgit, ac si arte & industria esset facta humana, & in pede vel radicibus rupis est os patens, per quod ingressus est ad specum horribilem in montis ventrem, estque grandis naturæ molis excauatio in latum & in altum & in longum: nec potest ingrediens aliud suspicari nisi specum illum a conditore orbis esse factum pro habitatione alicuius monstri ingentis. Specus ille lumen habet in fine suo retro in profundo, quia quædam naturalis scissura montis & rupis grande causauit in superioribus rotundum foramen, per quod spargitur cœli lumen, & specus horribilis humanior redditur & mirabilior. In sui autem principio lumen per os eius immittitur. Ad latus oris speluncæ ab extra positus est grandis lapis rotundus ad mensuram oris, quo monstruosi habitatores specus os claudebant speluncæ. hunc lapidem multi non possent mouere viri. Ab illo lapide indubitatum accepi argumentum, specum illum habitationem fuisse alicuius monstruosi Cyclopis, aut ingentis Gygantis, aut Nympharum vel Musarum ibi fuisse conuentum, in quo nocturnis carminibus sua celebrabant gaudia. Dicitur enim rupis illa cum specu *Singrenstein*, forte ab eo quod Cyclops aut Gygas nomen habuit Singrenus, quasi lapis Singreni; vel ab herba *ingrien* dicta, quæ ibidem iuxta rupem crescit. Simile antrum habuisse legitur Cyclops ille, quem Vlixes cæcauit, & Gygas Eris aut Erihellus. Suspicatum fuit hiis annis in radicibus illius rupis esse mineram. vnde quidam *minerarius anno præterito in ore* speluncæ sartaginem parauit, & in profundum fodiens terram auri & argenti feracem inuenire sperabat, & profundius fodisset, nisi Archidux Austriæ ei laborem interdixisset. In ipso specu est optima resonantia ad cantandum. & tales sonorosos specus quærebant Musæ, quas Poëtæ filias Iouis & Memoriæ fuisse fingunt, & Apollini lyram pulsanti conclamasse & concinuisse. Has Pyrthenæus earum aduersarius in antris canentes quæsiuit & concluſit, quæ in picas conuersæ in perniciem sui detentoris euolauerunt, prout Ouidius recitat, & Isidor. Etymolog. memorat. Huius fabulæ fictio antro nostro satis conuenit, quia chorus Musarum in eo cantantium ratione dulcis resonantiæ aptissimus esse poterat. Non enim humanitus fabricata loca ad cantandum intrabant, sed quæ natura apta fecerat in montibus, siluis & desertis locis: qui cum essent Dii aut Deæ, non erat eorum conuersatio cum hominibus, licet etiam quædam Musæ vel Nymphæ humanas legantur inhabitasse ædes, non tamen nisi eiectis hominibus. Inuentis autem Musis a Pirthenæo gygante, aduoluta mole os speluncæ concluſit, quæ moles hodie ibi est: sed Iouis Patris earum inuocato auxilio mox in picas conuersæ per foramen, quod est speluncæ fenestra, euolauerunt, & inde genus hoc auium auguriis aptum per Sueuiam & Alemaniam est diffusum. Cessante autem Musarum ritu, homicidæ & latrones specum inhabitare ceperunt, pro quorum repressione quidam prapotens Sueuus in summitate rupis arcem erexit, quam postea prædones inhabitauere. quod regionis incolæ ferre non valentes, arcem ipsam deiecerunt, ex qua tamen vsque hodie ruinæ videntur.

Inde per descensum aliquantulum progrediendo,

Digitized by Google

diendo, vallis quædam profunda & longa ipſas Sueuorum Alpes ſcindit. vnde etiam a ſui profunditate nomen in vulgari habet, quod dicitur *Tiftbal*. In hac valle occurrit in cliuo montis inter rupes os ſpeluncæ grande & patens, per quod ingreſſus eſt in horribilem & tenebroſum profundiſſimumque ſpecum in penetralia petrarum, de quo ſupra mentio facta eſt, fuiſſetque optimus ſpecus pro exercitio ſuperſtitionum, quibus antiqui vacare ſolebant, vt ibidem.

Vlterius deſcendendo per vallem fluuii Ach eſt Wilerium villa, in qua etiam euomit terra largiter aquas, ſanas & bonas. nec vomitem illum credo, ſi antiqui eum viderunt, absque delubro Nympharum fuiſſe, loco cuius hodie ſupra vomitem eſt religioſus conuentus, & recluſorium velatarum virginum, quod tale fertur habuiſſe initium. Ante multa tempora erant quidam nobiles, qui arcem ſupra vomitem aquæ habebant in loco, vbi nunc eſt hortus vel cimiterium ſororum retro eccleſiam verſus vomitem, vbi iam via eſt. Hii nobiles accepta licentia Epiſcopi Conſtantienſis ædificauerunt capellam prope ſuam arcem, inter quam & capellam mediabat hortulus conſitus arboribus. Anno autem Domini M. C. LV. fuit eadem capella conſecrata in honorem B. Mariæ virginis & S. Ægidii Confeſſoris. Eodem igitur anno, inſtante quadam feſtiuitate, cum filia illius nobilis, qui arci præerat, ſe ſeculariter ornaſſet, & ad eccleſiam procedere vellet, ecce manus Domini affuit. mox enim, vt virgo in hortum medium deuenit, tranſire volens pedem radici arboris illiſit adeo fortiter, vt in terram proſtrata corrueret. quæ dum per ancillas pediſſequas releuata eſſet, dixit imprecando ſibi & ea Deo poſtulando; Fiat, quæſo Domine, hæc corporis mei offenſio & caſus, animæ meæ reſurrectio & ſalus. Et ſtatim regreſſa domum, omnem mox ſecularem pompam depoſuit, veſtem mutauit & mores. Ad eccleſiæ autem parietem tugurium cum aſſeribus ſibi fieri conſtituit, in quo longa ætate confecta ſolitariam vitam in artiſſima pœnitentia duxit. Dicebatur autem Domina ſoror Adelheidis, & vitam optimo finiuit fine. Poſt eam cum religio S. Franciſci inſtituta eſſet, erat in villa Wilerio quædam eiusdem religionis ſoror tertii ordinis, quæ etiam dicebatur Adelheidis. hæc imitata exemplum prioris in prædictum ſe recludi fecit tugurium: ſed difficultates paſſa a paſtore eccleſiæ parrochialis in Blaburen, & propter tugurii artitatem, non propter inſtabilitatem ſed propter neceſſitatem incluſorium egreſſa Romam petiit, & ad pedes vsque ſanctiſſimi Papæ venit. qui, auditis cauſis, nec bullas, nec alias litteras ſignatas aut breuia dedit, ſed viuæ vocis oraculo omnia, quæ ſoror petierat, contulit, & in ſignum conceſſionis dedit ei tabellam ligneam imaginem B. Mariæ Virginis cum puero Ieſu habentem, omnino aſſerens quicunque verbis eius credere nollet, ei tabulam oſtenderet, & aduerſari ceſſaret. quod & factum eſt, ſeque cum illa tabula cunctis diebus defendit. & quia primum recluſorium ruinam minabatur, petiuit prædicta Adelheidis germanum ſuum, qui erat carpentarius, vt aliud ſibi fabricaret tugurium. Fecit ergo ei exiguam domunculam iuxta eccleſiam, in qua homo in modum crucis ſtans vtraque manu ambos tangebat parietes per quadrum. In illo itaque recluſorio multis deguit annis feruenter Deo ſeruiens, ſtupendum exemplum vitæ omnibus poſt ſe relinquens. Poſt illam alia Deo deuota virgo Yta nomine hoc recluſorium ingreſſa multos annos in Dei ſeruitio exegit, ſicque poſt illam alia locum poſſedit, fuitque pluribus annis habitatio ſolitariarum. Inter quas multæ ſanctæ feminæ fuerunt, quæ mirandis miraculis claruerunt, & ſæuiſſimas inimici temptationes ſuſtinuerunt. vnde cuidam Sanctæ tempore famis de cœlo per coruum annona fuit transmiſſa: alteri videbantur molares & grandia ſaxa in domum irruere: alia in pane reperit vermes, araneas, & quæcunque immunda. vnde vna earum tam horribiliter quottidie vexabatur, quod ſupra vires humanas fuit. Quadam autem nocte, terrore nimio victa recluſorium effregit, & in molendinum ſub eccleſia transfugit, nec vnquam depoſt ad reditum induci potuit, licet ſancta fuerit, & vitam in Blaburen finiuit, faciens ſe alteri includi domui. Hæc ſingulis diebus fudit preces ſingulares, quatinus Deus locum Wilerii emundare dignaretur ab inimici intolerabili furia, & impetraſſe creditur loco & perſonis pacem. nam depoſt nihil auditum fuit inſolitum. Deus enim ab hoc tempore domum illam a Dæmonis poteſtate eripuit, ab inſania & ſcandalis cuſtodiuit, & a periculis conſeruauit. Nam ante prædictam ſolitariam reſoluebantur ſepe ſcopuli & rupes ſupra domum de motis cliuo, & irruentes de alto in domum impingebant. Sunt enim montes ibi in modum dentium ſcopuloſi, & ſi rupes reſoluta ceciderit, domum cum eccleſia contereret. nec murorum ruinæ de caſtro Gintzelburg, quod ſupra domum in capite rupis eminet, aliquatinus domui illi nocuerunt. Anno Domini M. CCC. LVII. erat in domo illa quædam virgo ſolitaria de Blaburen Adelheidis nomine, exemplaris & religioſæ vitæ, frequentabaturque a nobilibus dominabus per gyrum in caſtris habitantibus. Tunc autem in arce Gerhuſen Comes quidam de Helfaſtein cum vxore habitauit, quæ ancillam clauigeram nobilem habuit nomine Gerdrudis Schwelherin, quæ ei XXXII. annis ſeruierat. Hæc Gerdrudis exemplo ſororis Adelheidis mota mundum reliquit, & omnibus reſignans ad ſororem Adelheidem ingreſſa artum habitaculum, cum ea pariter Deo ſeruiuit. Mortua autem Adelheide, ipſa Gerdrudis Swelherin famatæ religionis facta a multis virginibus viſitabatur, quæ imitatrices virtutum eius fieri optabant. Cernens autem Gerdrudis quod multas Chriſto poſſet lucrari animas & ſegre-

Digitized by Google

gare ſpenſas, artum reſoluit tugurium, & domum ſuperædificat nouam, capacem multarum ſororum, ingreſſæque ſunt ad eam XIII. virgines, quæ deuotiſſime Deo pariter ſeruiebant. Poſt decurſum autem temporis augmentatus eſt numerus, & domus ampliata. Nam de Vlma ciuium filiæ multæ optabant ibi Deo famulari, & de aliis regionibus, & in tantum infeſtabantur ad recipiendum filias, quod coactæ ſunt aliud ædificare habitaculum, Vnde anno Domini M. CCCC. LXXVII. antiquam reſoluerunt domum, & in locum ſuperædificarunt grandem & altam domum adiutorio Domini Abbatis & conuentus in Blaburen & Vlmenſium, quorum filiæ ibi degebant. Domum autem ſuam antiquam nouæ domui coniunxerunt pro receptaculo hoſpitum & ſuorum amicorum. Facta autem ſunt hæc anno præfato ſub deuota & religioſa ſorore Adelheidis a Sweldin de Blaburen, quæ tunc mater domus erat & hodie eſt, & multis rexit annis cum tranquillitate magna. Eſt enim mulier ſingularis innocentiæ, probitatis, & religionis, & efficacius regit quadam nobili benignitate, ſuauitate, mititate, quam quicunque alius regere poſſet poteſtate & acrimonia. Sunt autem in ea domo hodie numero XII. ſorores incluſæ: de non cluſis ſunt decem, ſicque in toto ſunt XXII. Anno autem Domini M. CCCC. LXXVI. receptæ ſunt ad fraternitatem ordinis fratrum Prædicatorum per reuerendiſſimum magiſtrum ordinis patrem Leonardum de Manſuetis de Peruſio, qui eis transmiſit litteram fraternitatis cum ordinis ſigillo appenſo. Quapropter ſingulari affectu fratribus noſtri ordinis inclinatæ ſunt, & pro bono ſtatu noſtri ordinis Deum interpellant. quare etiam latius placuit mihi de eis ſcribere.

CAPUT XV.

De Blauio flumine & eius origine, & de loco Blauburenſi, & de monaſterii inſtitutione, & aliis condependentibus.

SVb Wilerio non longe gyrando montem venitur in ſtrictum angulum montium, vbi montes conueniunt, faciuntque rotundum angulum, ex quo non eſt progreſſus, niſi quis altos montium cliuos ſcandere velit, aut per vallem per quam ingreſſus eſt regredi. In hunc angulum decurrit fluuius Aha quaſi vsque in vomitem Blauii, qui in eius extremo in radicibus rotunditatis montium & anguli e terra erumpit tam mirabili & ſubita emanatione, vt nemo inſpiciens non obſtupeſcat. Nam ex fouea abditiſſima ſaxei calicis & petrei ſine fundo conchæ tanta aquarum erumpit abundantia, vt abyſſi putes aperiri fontes. Exundat enim ſupra calicis circumferentiam, & impetuoſa effuſione repente defluit. & cum concha profundiſſima ſit & aqua clariſſima, cœli ſuperlucentis induit colorem, a quo colore ſuum vulgare ſortitur nomen, vt dicatur *Blaw*. Primo enim eructat terra ex ſuo abyſſali corde per inueſtigabile os ſuum aquas, quæ in orificio collectæ amnem rotundum & profundiſſimum faciunt, aſpectu delectabilem & mirabilem. Deinde aquas ex orificio euomit ex concha pellens, ita vt ſupercreſcentes calicis limbum impetuoſe effundantur in lacunam, & alueo receptæ fluuius eſſe incipit, qui quaſi torrens ſonans molendinarum mox rotas euoluit, ſed poſtea mitior factus per arua voluptuoſa quietus & ſilens ſerpit, feraxque eſt optimorum piſcium, trutarum, fundulorum, & aliorum; producens in fundo ſuo herbam adeo beſtiis ſapidam, vt ad collum vsque ingrediantur, & demerſis ad illam carpendam ſub vndis capitibus aſſidue paſcentes fere ad ſubmerſionem & ſuffocationem vsque detineant. Ex aruis autem vt euaſerit, curſum mox reſumit, & quaſi lætus Vlmam faucibus ſibi ſoli & ſemper apertis ingreditur, multam illi ciuitati afferens commoditatem, vt ſupra dictum eſt. Expeditus vero in Vlma ſine mora per fauces murorum erumpit, moxque in ſacrum Danubium exultans ſalit, a quo ſine contradictione ſuſceptus & Iaſoni dicatus in pontum Euxinum & mare defertur, ibique peregrina conditione ſuſcepta impatiens amaritudinis occulte venas ingreditur terræ, & per inueſtigabiles vias vadens artiſſimas penetrat terræ & petrarum ſciſſuras, ita vt pellem amaram, qua in ponto veſtitus fuerat, ſabulo, petris, & terræ hærentem derelinquat, ſicque tandem in locum, vnde emanauerat, perueniens, dulcis, clarus, & potabilis iterum de terra erumpit, vt iterum fluat, iuxta illud Eccleſiaſt. 1. *ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant*. Si quæ vero aquæ per terræ viſcera ad loca ſua de mari reuerti non potuerint, mox hauſtu ſyderum de mari tolluntur, & in nubibus ad ſuæ regionis loca transmittuntur, ibique terræ fecundandæ infunduntur diuerſis in ſpiciebus, vel roris, aut pluuiæ, pruinæ, niuis, grandinis. vnde a natura paratæ ſunt quædam foueæ in terra ad quas confluentes aquæ recurrunt & in foueis per venas transfluunt in locum vnde effluere habent. Hoc ſignanter notatur in Alpibus Sueuiæ, vbi videntur multæ foueæ quaſi calices in fundo perforatæ, ad quas pluuiales & niuales aquæ transfuſæ demerguntur in ſtagna ſubterranea, de quibus iterum ebulliunt. Idcirco quando in Alpibus Sueuiæ ſunt multæ pluuiæ vel reſolutiones niuium, Blauius fons & alii fontes redundant magis aquis & habundantius eas fundunt. Ex quibus patet Blauium a polo & a ponto habere aquas, quas antiqui crediderunt miniſterio & regimine Nympharum & Muſarum ſub aquis moras habentium deduci in terram. vnde contingit in ſonitu aquarum ſub terra & ſuper terram audiri ſuauem melodiam cum harmonia omnium carminum & inſtrumentorum muſicorum, quæ audiens conceptu forti audire cupit, ſicut ego ipſe ſepe expertus ſum, & præcipue in thermis Pfefers, vbi ex importuno aquarum concurſu cauſatur ingens

ſonitus

sonitus, in quo omnium musicorum resonat melodia. In eisdem etiam locis dicitur esse quidam mons, in quo frequens auditur resonantia quædam dulcissima, quasi humanarum vocum in figuratiuis cantu colludentium. hanc autem resonantiam ex aquarum concursu in petris cauis & sonoris in penetralibus montis causari minime dubito. antiqui autem huiusmodi causari ex Nympharum Dearum aquarum concentu miris fictitiis asserebant, sicut etiam eruptiones fontium eis ascribebant. quare iuxta eruptiones aquarum templa Nymphis sacrata habebant, in quibus oracula earum consulentes plura inuestigabant. sic etiam iuxta & supra montium cauernas & terræ scissuras oracula habebant ad consulendum Demogorgonem. Cum autem Creator mundi districtum illum & montium angulum, ex quo Blauius fluit, satis mirabilem fecerit, & habitudinem montium circumiacentium insuetis rupibus & cauernis repleuerit, antiqui nescientes Deum qui hæc facit mirabilia, suis multiplicibus delusi erroribus Diis attribuebant, eaque loca eis sacrabant. vnde intenti poëticæ Theologiæ multitudinem posuerunt Deorum: aliquos dicebant cœlestes, vt Iouem; aliquos terrestres, vt Demogorgonem; aliquos infernales, vt Plutonem; aliquorum aliquos marium & fluminum, vt Doridem, Neptunum, & Nymphas siue Musas. & has Nymphas plurificauerunt dicentes, aliquas esse Nymphas marinas, quas Nayades vocabant; & Nymphas dicebant Hamadryades; & puteorum Nymphas dicebant Naptayades; camporum Nymphas, Nayades; montium, Orchayades; siluarum, Dryaides. & hoc in generali. In speciali autem assignauerunt cuilibet fonti & fluuio propriam Nympham, vt Castalio fonti Castaliam Nympham dederunt, a qua & nomen habet vsque hodie. tali autem fictione rem sic colorabant. Dum Neptunus Medusam speciosissimam in templo Palladis violasset, ex illo concepit concubitu genuitque Pegasum, hoc est, equum alatum, ænea habentem cornua & pedes ferreos, igneum anhelitum spirantem, & cursum vento similem habentem. Qui equus mox natus euolans dum ad locum Parnassi montis venisset, remisit se in vallem super terram vt quiesceret, & stans in angulo & districtu montium pede, vt natura est equorum, scalpsit, & adeo valenter pedem terræ incussit, vt vsque ad aquam penetraret, & de fonte abyssi aqua prosiliret, sicque mansit perhennis & vomes perpetuus fluuius. Eleuato autem Pegaso a loco in aëra ad alia transuolauit mundi loca, & vbicunque quiescere eum contigit, ibi scalpendo aquam euocauit. In locis ergo emanantium fluminum antiqui illi Pegaso, quem deificatum credebant, adolebant templis constitutis. Et hiis præhabitis, quis dubitat antiquos Pegasi cultum cum multa celebrasse solemnitate iuxta Burronis spectabilem fontem, cuius similem in toto oriente non æstimo inueniri? Sed & de Lernæo fonte dicebant, quod Amonidam virginem venationi in montibus vacantem quidam Satyrus rapuit, quæ clamans Neptunum aduocauit, & accurrens ipsam e silua a Satyro in vallem deduxit. vbi dum eius frueretur concubitu, locum defloratiouis tridente percussit, moxque aqua erumpens perhennem constituit fluuium, cui præfecit Amonidem Nympham, cuius cultum antiqui celebri ritu ibi obseruabant. Sic enim Neptunus suas remunerabat concubinas, faciens eas Deas Nymphas fontium & fluminum. Suspicari autem ab antiquis conuenienter potuit in loco Burronis Neptunum lasciuia resolutum profundius fodisse, aut tridentem terræ fortius incussisse, & suæ lasciuiæ pellicem aliquam ibi reginam Hamadryadum Nympharum constituisse, & exinde locum sacratissimum veterum deliramentis fuisse, & grande Nympharum sacrum ibi stetisse, quanuis nostri prædecessores nihil de hoc nobis reliquerint in scriptis, vel scripta eorum a posteris neglecta periisse. Græci autem & Romani omnia quasi ab initio vsque nunc in scriptis mandauerunt prædecessorum acta, ex quibus sapientia & potentia plurimum profecerunt. Ea ergo, quæ in Græcorum & Latinorum scriptis reperimus ex poëtica Theologia de fontibus, fluminibus, montibus & cauernis, ad nostras regiones optime spectant, etiamsi mysticus fabularum sensus, qua naturæ designatur cursus, requisitus fuerit. Bene ergo & congruenter ea, quæ de fontibus orientis scripta sunt, de nostris intelligi possunt ceterisque paribus. Non autem fontem Burronis solum, sed & scopulos rupesque montium per eius gyrum sacratos fuisse cum suis antris, nemo est, qui legit antiqua carmina, & non credat: vel qui vidit Augustinum de ciuitate Dei, aut Hieronymum in suis epistolis, aut Eusebium de præparatione euangelica, aut Iohannem Boccatium de genealogia Deorum gentilium: cum per gyrum Burronis in cliuis montium cernantur horrenda Nympharum habitacula. Quis enim ascendens cliuos, & penetrans opaca & condensos virgultorum rubos, non miretur? etiam attonitus stupore videns cauernas & speluncas, scissuras petrarum mirabiles, angusta & lata rupium antra? Ex omnibus hiis infero, fontem Burronem cum suis montibus, vallibus, & siluis olim Diis consecratum fuisse, vel ad minus sacrabilem, cum etiam supra fontem in cliuo reperiantur fundamenta vetustissimarum structurarum templorum signa, præcipue tamen in loco monasterii, vbi est confluentia duorum fluminum Ach & Blauii. Loco ergo illo diu manente sub istis prophanis cultibus, tandem Nympharum destructo ritu Tyranni ex templo Burronis refugii turrem fecerunt. Post hoc cum iam mundus illuminatus esset fide Christi fideles super fundamenta iacta Nymphis ecclesiam susciteuere in honorem S. Iohannis Baptistæ,

—— Qui meruit lauantem tingere lymphis.

Statim autem vt locus dicatus fuit Iohanni Baptiſtæ, omnis Nympharum repulſa eſt ſpurcitia, & lympharum eſt ſanctificatum elementum, & concurſus populorum, qui fuerat ad conſulendum oracula Nympharum, commutatus eſt ad honorandum ſanctificatorem lympharum. vnde ſicut antiqui certo die anni ad templum Nympharum veniebant, & vigilias infania plenas celebrabant, ſic poſt S. Iohannis ſucceſſionem conueniunt ad locum, & vigiliis, orationibus & oblationibus celebrant feſtum cum magna populorum frequentia, ſicque honor & cultus Nympharum translatus eſt in Paranymphum lympharum. Porro in tanto honore erat locus ille, vt Chriſti fideles indignum putarent tam ſacrum locum & paranymphi templum eſſe absque continuis eccleſiæ officiis. Itaque anno Domini M. XCV. generoſi viri nobiles Domini Heinricus & Hugo Comites Palatini de Tiwingen conſtructo ibi cœnobio ad S. Iohannis eccleſiæ latus, adduxerunt religioſos viros ordinis S. Benedicti fratres, eis eccleſiam cum cœnobio tradentes abdicatis iuribus ſuis, & plures alias poſſeſſiones pro eorum ſuſtentatione eis aſſignauerunt. Sed & ingenuus vir Hartmannus ſenior Comes de Rugga contulit monaſterio fontem ipſum Blauii cum cliuo & riuo fluminis vsque in Nydegg. Sic & alii Comites, Barones, & nobiles religione Dominorum allecti ſua in eorum ſubſidium S. Iohanni tradiderunt. Et ne poſteri eorum nobilium & fundatorum heredes aliquod ius æſtimarent ſe habere in loco & in bonis loci, de omnium communi conſenſu oblatus fuit conuentus ille, eccleſia, cœnobium cum omnibus attinentiis Vrbano II. huius nominis Papæ & ſedi Apoſtolicæ, qui oblatum deuote accipiens ipſum monaſterium ab omni iurisdictione ſecularium exemit, eumque in SS. Apoſtolorum Petri & Pauli protectionem & poteſtatem redegit anno Domini M. C. VIII. Primo autem creditur fuiſſe Præpoſitura, ſed poſtea commutata in Abbatiam.

Porro prope monaſterium eſt alius aquarum vomes & fons ſatis delectabilis, iuxta quem etiam Nympharum ritus celebris habebatur aqud veteres. De hiis diabolicis Nymphis vide Auguſtinum de ciuitate Dei, & Thomam Anglicum ſuper lib. 3. c. 12. & Iohannem Boccat. lib. 7. cap. 14. de genealog. Deor. gentil. & præcedenti folio. In hoc ergo loco monachi Burronis diuinarum Nympharum conſtruxerunt habitaculum monaſterium Virginum, & S. Nicolaum conſtituerunt eccleſiæ patronum, vt has mundas tueretur Nymphas, ſicut olim perſequebatur ſordidas Nymphas Dianæ ſodales, vt habetur in eius legenda. Huic S. Nicolao adiunxerunt eccleſiæ illius patronam S. Nympham, quam puto illam eſſe, cuius meminit Paulus Apoſtolus ad Coloſſenſ. vlt. quæ ex Phrygia prouincia de egregia ciuitate Laodicea nata ex gentilibus parentibus Nympha dicta fuit, quia in eadem prouincia cultus Nympharum maximus fuit, & eſt regio illa contermina Lyciæ, vnde S. Nicolaus ortum habuit. Prædicante autem Paulo cum Barnaba Laodiceæ conuerſa eſt Nympha ad fidem cum vniuerſa domo ſua, & tam ſanctæ vitæ fuit, vt S. Paulus de vinculis e Roma in epiſtola Coloſſenſibus miſſa eam ſalutari ex ſe mandaret, fuitque hoſpita Prædicatorum primorum, omnesque diuini verbi præcones ſuſcepit & prouiſionem fecit, vt colligitur ex gloſſa Magiſtri ſuper Apoſtolum, & ex Petro de Tharentaſia, & Nicolao de Lyra colum. 4.

Igitur in ambobus locis tam monachorum quam monialium diuinus cultus multis annis celebrabatur cum multa deuotione. Accidit autem anno Domini M. CCC. XLVIII. fieri per vniuerſum fere mundum immaniſſimam peſtem, qua tot homines moriebantur quottidie, vt ciuitates & villæ euacuarentur, & multa monaſteria ſine monachis eſſent. Illi enim monachi, qui ſuperſtites erant, non in monaſteriis ſed in ciuitatibus erant, & aſſueti ſecularium morum de malo in peius labebantur, factusque eſt omnium religionum lapſus grauis in iſta peſte, quia maturi moriebantur, & pauci remanentes apud medicos in ciuitatibus *degebant, vt in vita conſeruarentur & ſolatia* gauderent. Eo tempore monachi conuentus Augenſis pene omnes de Owia emigrantes in Vlma ſua ciuitate morabantur. & quia ditiſſimi erant, & parum de religione habebant, multos ſocios habebant, & bona ſui monaſterii absque omni cura & timore conſumebant in Vlma, vbi quottidie ſplendide viuebant. Ad quos haut dubium eorum confratres & Domini de Wiblingen, Elchingen, Blaburen, & Ochſenhuſen veniebant ad conuiuandum, ſicque bona temporalia amiſſione religionis monaſteriorum illorum dilapidabantur. Ad tantam autem paupertatem deuenit Burronis monaſterium, vt ad tempus non eſſet ibi nec Abbas nec Præpoſitus nec monachi. & tunc etiam monaſterium monialium omnino defecit & in nihilum redactum fuit, cuius hodie vix exiguæ apparent ruinæ. Erat autem quædam Domina prædiues vidua, puto de Vlma, in villa reſidens Blaburenſi, quæ compaſſa deſolationi conuentus manus porrexit adiutrices ad eius releuationem, & ita reuocatis Dominis conuentus ibi factus & in perſonis & in poſſeſſionibus proficere cœpit. verum ceremoniæ ordinis & regularis obſeruantia minime ſeruabatur. Ditato autem conuentu ortæ ſunt in electionibus Abbatum multæ diſſenſiones, cum multi ad dignitatem aſpirarent, & inter Abbates & monachos contentiones & lites. vnde quædam enormia acciderunt, propter quæ conuentus in magnam deuenit infamiam. Sed quia *cum tempore omnia tranſeunt, & quæ fuerunt, redeunt*, vt in Salom. habetur Eccleſ. 1. cap. cum conuentus poſthoc ad regularem obſeruantiam reformatus fuiſſet, rediit cum ſancta obſeruantia & bona, quæ perierat, fama. indies enim proficere cœperunt, & ſupra alios vicinos conuentus vtiles perſonas adepti ſunt, doctas in artibus, in

ſacra

Digitized by Google

ſacra Theologia, in Philoſophia, Medicinis, Hiſtoriis, & aliis, & per omnia ſunt tales Domini illius conuentus ſicut patet. Huic autem conuentui præſidet nunc Dei gratia inſignis vir Dominus Heinricus Fabri digniſſimus Abbas, qui noſtro æuo totam ſtructuram antiqui conuentus reſoluit, & nouum clauſtrum non tam pretioſum quam ordinatum pulcherrimumque a fundamentis ſuſcitauit in omnium ſtuporem & ammirationem. Solertia ergo illius reuerendi patris & ſuorum monachorum ſtudio & obedientia ſtat conuentus ille in magna fama, in multitudine diſpoſitarum perſonarum, in magnificentia ſtructurarum, & in augmento poſſeſſionum vſque hodie. Ad latus conuentus eſt hodie oppidum pulchrum, munitum, & populoſum, quod olim erat parua villa, quæ poſt fundationem monaſterii fuit in angulum illum conſtructa, & nomine fontis dicta *Blaburen*, quod Latine tamen ſonat quaſi fons cœleſtis coloris. Fontem etiam illum, oppidum & monaſterium inuenimus ſub nomine Burronis expreſſa, ita quod fons dicitur Burron, & monaſterium dicitur S. Iohannis iuxta Burronem, & oppidum ſimiliter. Hoc autem nomen Burron ſic æſtimo huic fonti adueniſſe. Antiquitus enim fontes dicebantur Theutonice *Burn*, ſicut adhuc hodie in Alſatia nominantur *Burren*, & nomen *Brunnen*. Facta eſt autem in Sueuia huius nominis mutatio per tranſpoſitionem litteræ r. & *Brunnen* fontes nominari cœperunt. hoc tamen non obſtante antiquum nomen fonti remanſit Blauburen, & inde ſumptum eſt nomen Burron in Latinam declinationem. Porro vulgus inſipiens audiens locum dici *Blauburen*, imaginatur eum ſic dici a ruſticis decoloratis blauio colore. vnde anno præterito cum Fridericum III. huius nominis Imperatorem rogarent, vt eorum oppido & communitati aliquod ſingulare ſcema, quo arma ſua conſignarentur, daret, interrogauit de oppidi nomine, & audiens Blauburen dedit eis ruſtici blauii imaginem, quam vſque nunc pro interſignio habent. Hoc oppidum tempore magnarum pluuiarum ſtat in magno periculo propter decidentes aquas a montanis. vnde fit, quod rapidiſſimus torrens per medium eius elabitur cum multo nocumento. Et tantum de illo dictum ſit.

CAPUT XVI.

Via a Burrone in Seſſingen & Vlmam.

SEquendo curſum Blauii fluminis venitur in villam Gerhuſen, quæ quaſi inter duas arces ſuper flumen eſt ſita. Vna arx dicitur Rugga in ſcopulo ſuper rupem ædificata in cornu, quod diuidit vtramque vallem Blauii & Acha. in iſta valle quondam nobiles Comites de Rugga reſidentiam habebant, quæ progenies dudum defecit. Alia arx dicitur Gerhuſen, quæ mirabili rupi eſt ſuperædificata, & alte ſuper abruptiſſimam petram. ſub ipſa petra ſunt cauernæ horribiles, habitacula apta Muſis & Nymphis. & æſtimari poteſt hoc nomen *Gerhuſen* a Gera Nympha ſumptum, quaſi domus Geræ. Deinde contra Vlmam deſcendendo venitur in locum, vbi Nydegg eminenti petræ imminet, quondam arcem continens, nunc vero S. Nicolai capellam: deinde in caſtrum Arnegg deſtructum, & Herlingen, & poſtea Clingenſtein, quæ eſt arx fortis. Poſt hanc arcem eſt Seſlingen monaſterium egregium S. Claræ, quod creditur viuente ſancto fratre Franciſco inchoatum fuiſſe primo in Vlma ciuitate in Arena, vbi adhuc locus eſt in quo ſtetit, & dicebantur ſorores in Arena. quibus dum a quadam vidua collata eſſet villa Seſlingen, & poſſeſſio Strubel, tranſtulerunt monaſterium extra ciuitatem in villam, & in exitu earum permutationem fecerunt cum fratribus Minoribus dantes eis ſuam campanam, quæ ſonoroſior erat, & fratrum campanam accipientes. Ædificantes autem locum appellauerunt Hortum virginum, in quo multo tempore carpebant flores roſasque odoriferas virtutum. fuitque vt dicitur, primum S. Claræ monaſterium in hac prouincia ſuperioris Alemaniæ anno M. CC. XXXII. conſtructum ab Vlmenſibus, de quorum mœnibus poſtea emigrauerunt, vt dictum eſt, in Seſlingen, vbi beneficiatæ a Comitibus de Tylingen. hiidem Comites ſibi titulum fundatorum vſurpauerunt, dicentes quandam viduam Comitiſſam de Tylingen ipſum fundaſſe monaſterium ibique ſepultam eſſe. Succeſſu autem temporis poſt lapſum religionis S. Franciſci & fratrum defectionem, defecerunt & a religione declinauerunt etiam ſorores, ſicque vterque conuentus, fratrum ſc. in ciuitate, & ſororum extra muros, multo tempore absque obſeruantia ſuæ ſanctæ regulæ ſtetit ſub multa diſſolutione, & plurima committebantur ſcandala, incidebantque ſeculares per ingreſſum ad moniales pericula excommunicationum Papalium frequenter. Dum autem iam fratres Prædicatores reformati eſſent in Vlma, cœperunt eorum Prædicatores contra non reformatos clamare, & pericula detegere, & excommunicationes latas contra ingredientes monaſteria S. Claræ promulgare, & ſibi confitentes ad Papam remittere, & ex multis talibus aperti ſunt oculi Dominorum conſulum & multorum ſecularium in Vlma, & ad tanta pericula cœperunt horreſcere & timere, quærentes qua via cum pace & tranquillitate tantis malis finis imponi poſſet. In hiis autem Dn. Vlmenſes conſultum habebant expertum virum & venerabilem patrem ſacræ Theologiæ profeſſorem Magiſtrum Ludwicum Fuchs, Priorem tunc Prædicatorum in Vlma, cuius conſilio & opera prius reformauerant conuentum Prædicatorum cum multa pace. Accepto autem conſilio & obtenta a Papa bulla reformationis amborum monaſteriorum anno Domini M. CCCC. LXXXIIII. opus aggreſſi ſunt Domini Vlmenſes cum multa ſagacitate. Studebant enim ante operis inchoationem totam ſibi attrahere

communitatem, vt Dominum Doctorem Magiſtrum Heinricum Nithart Plebanum, & clerum ac religioſos, & Magiſtros Zunftarum, & omnes ciues ac Zunftales. Et hoc facto aduocauerunt fratres Minores reformatos, eisque conuentum in ciuitate tradiderunt, & alios non reformatos penitus extra conuentum & ciuitatem expulerunt. Et illa fratrum reformatio difficultatem habuit, ſed paruam, quia pene omnes, qui reformandi fuiſſent, receſſerunt, ita quod reformatio fuit murorum & domus & non fratrum, quia ipſi reformatores erant loci tantum poſſeſſores & non fratrum reformatores. Reformato autem conuentu fratrum, ſtatim ad reformandum ſorores in Seflingen manum appoſuerunt. Et quia hoc arduum, laborioſum & periculoſum erat, aſſumpſerunt ſecum plures viros doctos & expertos, religioſos & ſeculares, & conſiliarios Domini Eberhardi de Wirtenberg, & plures nobiles affectum boni habentes. Sic ergo Domini Vlmenſes ſtipati doctoribus religioſis diuerſorum ordinum, nobilibus, ſuis conciuibus & Zunftalibus, armatis & communiter veſtitis exierunt de ciuitate cum ingenti multitudine, tanquam ad certamen pro gloria Dei, habentes ſecum in curribus Abbatiſſam inſtituendam cum monialibus S. Claræ multis de obſeruantia. Et ingreſſi monaſterium antiquam Abbatiſſam Dominam Chriſtinam Strœlin de Vlma auctoritate Apoſtolica deſtituerunt, & omnes officia habentes abſoluerunt, & in earum locum adductas ſubrogauerunt. Quantæ autem in omnibus hiis fuerint monialium illarum inſolentiæ, clamores, eiulatus, rugitus, & fletus, maledictiones, blaſphemiæ, imprecationes malorum in conſulatum, improperia in magiſtros ciuium, deſpectiones Doctorum, contumeliæ & minæ, non poteſt enarrari. Quantæ autem ſecutæ ſint difficultates, quantæ turbationes, quot pericula, quot dietæ, quot ſcandala, quantæ expenſæ, quantæ denique diuiſiones in ipſa ciuitate & partialitates, quantæ ſententiarum ſedis Apoſtolicæ & Imp. mutationes, interpretationes, inuocationes, renouationes, & reſtitutiones, & quam acutæ practicæ fratrum minorum non obſeruantialium, & ingenioſæ obſeruantialium obuiationes, & quot pro vtraque parte annullationes, fugæ, conuentiones, & receſſus, quot Dominorum conſulum de Vlma apud ſedem Apoſtolicam & Imperialem maieſtatem proclamationes, infamationes, accuſationes, & apud Epiſcopos delationes, & apud Principes inculpationes, & quantæ contra Vlmenſes ex hiis ortæ ſint Principum, Epiſcoporum, Nobilium, & Communitatum indignationes, detractiones, iræ, minæ, non facile dixerim. Sed in omnibus hiis quanta fuerit Dominorum de Vlma conſtantia, fortitudo, ſtrenuitas, patientia, prudentia, & infatigabilis perſeuerantia, rei euentus indicat. Nam ſi quis velit omnia, quæ in hoc facto contigerunt, pro & contra ſcripto mandare, neceſſe haberet plures implere quaternos. Igitur cum Abbatiſſa antiqua ab officio eſſet depoſita, & aliæ officiales cum noua Abbatiſſa inſtitutæ, eadem hora Abbatiſſa abſoluta, ſe non abſolutam nec abſolui poſſe cum ſuis vociferans, per conuentum diſcurrerunt parantes ſe ad egreſſum de monaſterio. Collectis autem ſuæ propriæ rei ſeruaculis, ciſtis, & capſis, clauſis & colligatis ſequebantur pene omnes Dominam Chriſtinam Strœlin abſolutam Abbatiſſam ad egrediendum, & nec promiſſis nec minis retineri poterant, niſi Abbatiſſa abſoluta declararetur eſſe adhuc Abbatiſſa, & non abſoluta. Sed cum hoc Vlmenſes minime facere poſſent aut vellent, & ipſæ moniales cum ſua Abbatiſſa iam ſubſiſterent, & pedem ab egreſſu retrahere vellent, iuſſerunt Domini Vlmenſes eas per ſeruos educi. Sicque eductæ ſunt, & cum proceſſione ciuitatem Vlmenſem introierunt ad domum congregationis Dominarum tertiæ regulæ B. Franciſci. Non autem multis elapſis diebus fautores partis earum nequaquam eas Vlmæ inter æmulas manere ſuadebant, ſed ſub protectionem & alas alicuius Domini confugere. Sic ergo conſurrexerunt, & in Gintzberg oppidum, cui tunc præerat Dominus Auguſtenſis, *migrauerunt, & inde diſperſæ cum parua ſecularium ædificatione euagabantur*, & mille cum ſuis fautoribus practicas excogitauerunt ad turbandum Vlmenſes. Duobus autem annis ſic elapſis rediit Domina Chriſtina Strœlin antiqua Abbatiſſa ad cor, ſeque ad obſeruantiam dedit, & cum pluribus aliis reducta eſt in ſuum monaſterium. Aliæ vero redire nolentes prouiſæ ſunt & ductæ ad alia monaſteria, & ita usque hodie monaſterium Seflingen ſub regulari vita degit in multorum ædificationem. Eſt autem monaſterium grande & habundans, ac delectabile, aquis irriguum, in cuius ſeptis emanant aquæ de fundo terræ, dempto Blauio, cuius pars ibi pertranſit.

CAPUT XVII.

De locis prope Vlmam extra mœnia Ciuitatis.

EX prædictis patet usque huc, quomodo Vlma circumamicta ſit varietate religionum per gyrum: nunc pro concluſione videre reſtat, quibus vallata ſit deprope murum ſanctis & eccleſiis & patronis. Villa proxima eſt Seflingen, in qua eſt B. Virgo præſidens in Horto virginum, & ab occidente muros ciuitatis Vlmenſis cuſtodiens. Ad meridiem eſt villa Wiblingen, in qua eſt eccleſiæ patronus & Vlmenſium cuſtos S. Martinus armatus militia ſpirituali & temporali. Ibi etiam propius eſt Sweckhofen, olim villa, vbi hodie eccleſia eſt, in qua S. Iohannes Euangeliſta Vlmam obſeruat. Ad orientem eſt Pful villa, iuxta quam mauſoleum eſt beatiſſimæ Virginis Mariæ in publica ſtrata, quod inhabitare ſe demonſtrat quibusdam miraculis, ex quo Vlmam miſericordiæ oculis inſpicit & tuetur. In ea villa eſt

patronus

patronus S. Vdalricus ecclesiæ optimus, ciuium se implorantium custos. Ad aquilonem regio monte Elchingen excelsus beatissimæ Virginis thronus collocatus in omnium terrorem ciuitati Vlmensi nocere volentium. Et sub ea in villa Thalfingen residet in ecclesia armis accinctus S. Georgius miles strenuissimus, paratus in Vlmensium defensionem. Supra in monte est origo medicinalium aquarum, & fons salubris, iuxta quem est grandis domus cum multis cellulis pro balneari volentibus, vbi suo tempore Vlmenses in magna multitudine balneantur viri & feminæ pro sanitate & solatio. In ea plaga propius Vlmam est ecclesia, in qua S. Leonhardus patronus est, qui paratus semper est soluere vincula compeditorum se inuocantium, & capere ac ligare Vlmensibus nocere volentium. Ad hunc beatissima Virgo Maria suam collocauit sedem, & miraculis se ibi fauere Vlmensibus demonstrat. Ibi etiam pene ad murum sunt in ecclesia omnes simul sancti Patroni custodes Vlmensium, & B. Virgo in medio eorum stans in arce cimiterii supra pobiandrium, & extra cimiterium in capella cimiterii pauperum de hospitali etiam miraculis se adesse demonstrat Vlmensibus præsidio. Et supra in monte contra occidentem residet speculator S. Michael, ab omni parte circumspiciens Vlmam & armatus protegens. Sed & S. Iacobus Apostolus ab antiquo occidentalem ciuitatis Vlmensis partem tuitus est, residens in capella villæ Seflingen. Est autem capella illa vetustissima, & consideratis circumstantiis credo ipsam esse à Karolo Magno ædificatam, qui in cunctis locis sibi singulariter placitis & comendatis ob S. Iacobi venerationem, quem maximo prosequebatur honore, capellas extra muros S. Iacobo consecratas ædificari constituit, vt qui eius limina in Compostella visitare non posset, saltem capellam extra, tanquam ad sanctum peregrinarentur Iacobum. Nam ipse Karolus reysam & peregrinationem ad S. Iacobum in Compostellam instituit, & indulgentias contribui ac libertates obtinuit, quia ante eum ignorabatur Apostoli sepulchrum. Cum ergo Vlmam oppidum multo diligeret affectu ille magnificus Karolus, sui Patroni S. Iacobi fecit in Seflingen oratorium, sicut prius fecerat ante ciuitatem Thuricensem, & ante vrbem Basiliensem. Visitabatur ergo ab antiquis Vlmensibus hæc capella S. Iacobi; sed post monasterii constructionem & Horti Virginum insertionem & plantationem omnis frequentia populi ad Virginum Hortum, vbi, vt dictum est, B. Maria inter virgines splendidior refulget, confluxit. Ex hiis manifeste liquet, quod ab extra & ab intra beatissima Virgo Maria ab omni parte protectrix & Patrona est Vlmensium. Ab occidente enim habet, vt iam dictum est, eam in Horto cum S. Clara & aliis virginibus in Seflingen. A meridie habet eam in capella in cimiterio monasterii Wiblingen cum S. Martino & Benedicto: & in via communi, qua itur in Memmingen, in eadem plaga prope villam Zell dictam, vbi per inuentionem thesauri in puteo, qui est iuxta viam, constructa est capella. Ab oriente eam habet iuxta Pful custodem: & ab aquilone in Elchingen, & iuxta S. Leonhardum ad muros ciuitatis Vlmensis. Abintra vero monstratur beatissima Virgo Maria Patrona singularissima, cum sit Domina illius egregii templi ecclesiæ parrochialis in Vlma, & ecclesiæ Prædicatorum, & in omnibus locis & ecclesiis ei habentur sacrata altaria ad laudem Domini nostri Iesu Christi Saluatoris nostri, qui meritis suæ intemeratæ Virginis matris Mariæ me in euagatione ab Vlma vsque in terræ sanctæ loca ducere saluum & reducere dignatus est, cui sit honor & gloria per infinita seculorum secula, Amen.

EXPLICIUNT FELICITER.

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

Digitized by Google

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM.

A.

ABlas Roggaburgenſis confugit ad Vlmenſes cum magno monaſterii theſauro. 100
Abbas Ovvienſis reſignat & priuilegia tradit Vlmenſibus. 84
Abbati Ovvienſi Vlmenſes & claues portarum & pecorum tradunt. 83
Abbas de Salem. 103
Abbas Marbacenſis Lucernenſes non poteſt coercere, tradit igitur illos Comiti Habſpurgico. 48
Abbas Vrſpergenſis infulatus. 36
Abbates infulati aſini cornuti. 83
Academiæ Viennenſis quis fundator. 58
Accipitris aucupium. 2
Ach fluuii deriuatio. 105
Ach fluuius. ibid.
Acronius Lacus. 14
Calixto III. Papa ſublato ſubſtituit ſuum Cancellarium Æneam. 64
Adelheidis difficultates patitur in Tugurio a paſtore, ob id Romam adit. 107
Adelheidis a Papa donatur tabula lapidea, cuius tabulæ mira efficacia. ibid.
Adelheidis de Blabüren. ibid.
Adiluolchus Rex Sueuorum. 3
Adolphus Naſſovicus ſucceſſor Rudolphi. 46
Adolphus Naſſovicus a quibusdam Electoribus ab imperio deſtituitur. 47
Adolphus Naſſovicus incidit in Nobilium odium. ibid.
Aduocatus Ducis Auſtriæ Epiſcopum Conſtantienſem perſequitur. 54.
Ægidius Svvertina Prilautzbutenſis. 99
S. Affra duris ſuppliciis cum ſodalibus ad Auguſtam Sueuiæ ſub Diocletiano affecta eſt. 27
Agnes Alberti filia monaſterii coadiutrix. 47
Agriculturæ ſtudentium magnorum virorum aliquot exempla. 68
Aiax & Theucer fratres. 16
Alania prouincia quæ. ibid.
Alani in Hiſpanias. 3
Alani a Sycambris eiecti. 20
Alaramus Marchio Montis ferati. 17
Alax Galata Arrianus. 4
Alba Regalis a Maximiliano Imp. capta. 12
S. Albanus prædicauit Euangelium Moguntiæ, ibique occiſus eſt. 27
Albegg in manus Judæorum Ulmenſ. pervenit. 90
Alberti Ducis Auſtriæ filii. 55
Alberti Nepos poſt homicidium exulat 60. annis. 47
Alberti Regis eximia & Religioſa virtus. 63
Albertus M. Epiſcopus Ratisbonenſis. 43
Albertus M. Rudolphum Habſpurgenſem dignum iudicat Imperio Romano. 43
Albertus Dux Auſtriæ obiit. 55
Albertus primus Comes Habſpurg. eximiæ virtutis heros. 43
Alberti vxor Comitiſſa Phyrtarum obiit. 53
Albertus Habſpurgenſis Argentinenſium contra Gallos Capitaneus. 43
Albertus primogenitus Rudolphi Dux Auſtriæ. 45
Albertus Friderico fratri hoſtili animo infeſtus. 67
Albertus cur interfectus. 47
Albertus oppidum Rappersvvil combuſtum reſtaurat. 53
Albertus Rex ſecundam ſuſcipiens expeditionem Bohemicam interficitur a Nepote. 47
Albertus filius Rudolphi Habſpurgenſis eligitur contra Adolfum Naſſouicum. ibid.
Albertus Monoculus. ibid.
Albertus victo Adolpho ceſſis ex vtraque parte permultis victoriam reportat. ibid.
Albertus dubius eſt propter cives Baſileæ minoris, qui dicebantur fouere concordiam cum ipſius aduerſariis Suiceris. 55
Albertus Auſtriacus licet Claudus magni tamen vir conſilii. 51
Albertus Comes de Hochberg prouiſus Eccleſiæ Friſingenſis. 52
Albertus a Friderico reuocatur in Auſtriam, & alius in ipſius locum ſubſtituitur. 66
Albertus procedens contra Turcos, ſed dyſenteria diſſolutus ventris profluuio moritur. 63
Albertus procedit contra Wenceslaum Regem Bohemiæ. 47
Quinque Alberti unius lineæ in Imperio ſibi invicem ſuccedunt. 62
Albrechtsthal. 60
Alemania. 4
Alemaniæ, Germaniæ, Theutonicæ, Franciæ & Cymbriæ differentia. 23
Alemania vnde dicatur. 16
Alemani vbi conſederint. 16
Alemani ſunt Sueui. 7
Alemanicus Ducatus. 7
Alemania inops Literatorum. 31
Alemania propter tam multifarios Romanorum Reges electos in ſummo diſcrimine conſtituta. 36
Quæ cauſa irriſionis Alemannicæ. 41
Superiores Alemanni plerumque ſtavi. 13
Almansvviler. 7
Almansbofen. 7
Alpes Sueuicæ abundant aquis. 108
Alpio. i. e. locus Alpinus. 13. 37
Alpkerus Dux Sueuorum. 3
Alſatici vini nobiliſſimi penes Deum cauſa ruſtici Sueui. 25
Aman Comes Chriſtianus conſanguineus S. Alexii. 46
Aman Dux Corrodantiæ martyrium ſuſcepit. 46
Marquardus de Anavviler fit Dux Ravennæ. 35
Angli ſunt Sueui. 9
Anglici ferunt Brutum quempiam, Ilio euerſo, a quo Reges ipſorum trahant originem. 73
Angulus ſub Wilerio profundiſſimus. 108
Anna Rudolphi moritur Viennæ. 46
T. Annius Prætor ad Auguſtam Vindel. obtruncatur. 3
Anshelmus Sueuus Princeps. 1
Antonius Maria Seuerinas duellat cum Comite Sonnenbergenſi. 12
Apellæ pictor. 21
Apoſtolicus, Reges & prælati non vtuntur pane niſi Theutonica arte confecto. 21
Aqua infecta magna cadit pars exercitus Albertini. 47
Ex ſonitu aquarum decidentium dulcis quaſi harmonia, imprimis in thermis Pfeffers. 108
Aquila Imperi quieſcet in nido Leonis, prouerbii huius enodatio multifaria. 43

Aquileia

INDEX.

Aquileia aliquot Imperatorum domicilium. 70. 71
Aquileiæ origo. 71
Aquilegiæ vrbis ſitus ſiue Territorium. 71
Aqulegia ſub Duce Auſtriaco. 70
Aquilegia exercitui Romano aperit portas. 70
Aquilegiarum feminarum conſtans virtus. 70
Expugnata Aquileja liberalis mulier nobilis ſe de turri dat præcipitem. 71
Aquisgranum Otto cum ſuis aſſeclis obſedit. 36
Aquisgranum ſe dat in manus Ottonis Saxonis. 36
Quis Arborum Deus contentio gentilis. 94. 95.
Ardea auis. 2
Archiducum Auſtriacorum Imperium nanciſcentium pompa & ceremonia ridicula & nullibi obſeruata. 71
Argonautæ. 14
Argenſes. 4
Arma primeua Originis Habſpurgenſis in meliora tranſmutata. 44
Armiaci. 64
Arneg caſtrum deſtructum. 111
Arnolfus Romanos Formoſo Pontifici rebelles edomuit. 20
Ars imprimendi libros quo ſeculo & anno in Germania primum cœpta ſit. 21
Arriane ſectæ multi defenſores. 75
Arta vallis a quibus inhabitata ſit. 42
Artæ vallis incolentium triplex iuramentum. 42
Attalus Rex Syriæ Romanos conſtituit hæredes. 91
Atheſis fluuius. 14
Attila Hunnorum Rex. 2
Attila Aquileam occupat. 71
Attila obſidet vrbem Aquileiam, & quid coniecerit ex emigratione ciconiarum. 71
Attila iter ſumit ab Aquileja in Theutoniam. 71
Auar Rex. 3
Audicas Rex Sueuorum in monaſterium detruditur. 4
Auguſta Rauraca. 13
Auguſtæ vrbis antiquitates. 9
Auguſto Octauiano Parthorum & Indorum Reges munera miſerunt. 20
Auguſtus Octauianus nullibi vnquam niſi apud Germanos ſuccubuit. 20
Auguſtus Octauianus omnium Romanorum Imperatorum fortunatiſſimus. 20
Auguſtus Cæſar a Suenicis eius exercitus cæditur. 9
Aureum vellus. 14
Aurifabri Theutonici præ ceteris quid præſtent. 21
Auſtraſiæ. 2
Auſtriæ prima triplices Rectores. 45
Auſtriæ Duces cur ArchiDuces. 71
Auſtriaci Duces non diu Marchiæ Terriſinæ domini. 58
Auſtriaci Duces ducentes copias contra rebelles Suevos parum proficiunt. 24
Auſtriæ Ducum arma: cur rubeus clypeus alba zona diuiſus. 44
Duo Duces Auſtriaci Nobiles & plebeja ſortis homines cogunt ad ſuſcipienda feuda. 56
Dux Auſtriæ Suiceris dat licentiam redigendi totam Ergouiam in ſuam confœderationem. 48. 49
Auſtriæ Dux Comes Habſp. Patronus Judæorum. 51
Genealogia Ducum Auſtriæ. 63
Marchionatus Auſtriacus ſit Ducatus. 45
Alberti prodigalitas multa mala peperit Domui Auſtriacæ. 66
Subditi Auſtriacæ contra dominum inſurgunt. 59
Autoris parens vbi occubuerit. 49

B.

BAccenis. 13
Bachron oppidum Laci fulgure conſumitur. 56. 57
Marchiones de Baden unde originem ducant. 27
Baioarii fures. 5
Balbutientes oſculo accepto a Ducibus Auſtriacis ſublenantur. 60
Balduinus Leproſus. 17
Balduinus Leproſus Rex Balduinum adhuc puerum Wilhelmi & Sybillæ filium coronari in Ieruſalem in Regem fecit. 17
Baptiſta Mantuanus taxatur. 11
Barbulus piſcis. 14
Baro de Schiringen præficitur Duci Bauarorum. 32
Baro de Vainyngen quid in agone petierit. 99
Baro de Ropolſtein capitur. 47
Barones de Clingenberg. 30
Baronia Roplotzſtein & huius dominus. 75
Baronis de Grinenberg Coco amputatur manus. 48
Deſcriptio collapſionis ædificiorum factæ in terræ motu Baſileæ. 55
Baſtardi regno indigni & ſerui legitimorum fratrum. 2
Bavarorum aſtutia contra Fridericum III. 68
Fidi aliquot Nobiles Friderico III. omnem Bavarorum dolum detegunt. 68
Meinhardus Dux Bavariæ Comitatum Tyrolenſem diſponente matre dat Friderico Duci Auſtriaco. 56
Bavariæ quidam Dux conatur Ilarum fluvium a Danubio ſegregare. 81
Belgici ſunt germani, & cur. 16
S. Bernhardus Abbas Clareuallenſis quando vixerit. 32
Berengarius Italiæ regem ſeſe iactitabat. 20
ab Ottone Magno bello contritus. 20
Bernhardus ad Conradum Imperatorem a Papa pro reformanda pace in Alemaniam mittitur. 32
Bernhardus viſione B. virginis Mariæ conſolatus, & pacem impetrat. 32
Beroaldus reprehenditur. 7
Bertholdus de Zairingen Regnum Imperii oblatum renuit. 74
Berchtholdus Dux de Zairingen a Philippo veniam petit. 36
Berchtoldi de Zairingen origo. 74
Berchtoldus de Zairingen liberaliter hoſpitem Fridericum I. ignotum tamen excipit. 74
Berchtoldus ſitiit ſanguinem humanum. 36
Bertoldus III. Dux Sueuiæ occiditur. 31
Bertholdus de Zairingen per Fridericum I. creatur Rotvvilæ in Ducem. 74
Bertholdus de Zairingen Vicarius Imperii. 74
Bernenſes Comitem Kyburgenſem propter fratricidium eiiciunt & Comitatum Tunenſem occupant. 62
Beſſerer Conradus Capitaneus Ulmenſis. 87
Betica. 3
Blauius flumen. 13
Blauius fluuius vltra 10000. florenos Vlmæ nocuit. 82
Blauius vnde copiam aquarum ſortiatur. 108
Blauuius fluuius Vlmenſis. 81
Blavv defertur in pontum Euxinum. 108
Blavv fluuius, piſcifer. 108
Blavii inundatio. 81. 82
Blondus taxatur. 10
Bodma caſtrum. 15
Bodma familia nobilis. 15
Boemi hæretici. 5
Bogud Rex. 3
Bombycinum. 5
Bonaventura Cardinalis ordinis minorum. 45
Bonifacius ad conuertendum populum nondum credentem in Germaniam mittitur. 27
Bonifacius factus Epiſcopus Moguntinus. 27
Bonifacius Papa cur Albertum ad regnum admittere noluerit. 47
Brabantinorum & Flandrorum de Principe ſuo votum. 73
Briſacium oppidum & caſtrum. 28
Cives Briſacenſes contra Ottonem inſurgunt, & profugum eum faciunt. 38
Britanni a Cæſare inuenti. 8
Britannicus exercitus occupat Burgundiam & igne & rapinis Alſatiam devaſtat. 56
Burckhardus de Stadion. 106
Burronis fontis deſcriptio. 109

C.

CAcus. 3
Cæſarauguſtana regio depradatur. 3
Calve oppidum. 28

Digitized by Google

INDEX.

Comes de Calwe relicto castro confugit ad litus fluminis Nagalt, ibique domicilium struit & rustice vixit. 28. Dyoboldus Comes de Calwe movit in Suevia discordias. ibid.
Campana fratrum Basilienſium terræ motu adeo commota, vt trinum ſonum ediderit. 55
Campus Regis, vulgo Kingsfeld, ſub caſtro Habſpurgenſi. 47
Candidatorium Vlmenſe. 80
Canonicis Spirenſibus Eccleſia Eslingenſis donatur omnibus cum reditibus. 36
Capella conſecrata in honores B. Mariæ Virginis & S. Ægidii confeſſoris. 107
Capitulum generale Francofurti quando habitum. 61
Capitulum Prædicatorum generale. 40
Capitulum generale habitum Venetiis. 58
Capſa bene obſerata in caſtro Kyburgenſi, in qua olim reſeruabantur Romani Imperii inſignia. 37
Capſam oſculantes Imperialium ſignorum, ſanantur incolæ Kyburgenſes & vicini. 44
Carinthia vicina foro Iulii. 71
Carniola duplex. 72
Caroli parentes. 17
Caroli Magni ſepulchrum vbi. 33
Carolus Dux Burgundiæ obſidet Nuſiam. 67
Carolus Dux Burgundus ob res præclare geſtas formidini eſt Regibus & Principib. Galliæ. 24
Carolus Burgundus à Suitenſibus victus & trucidatus eſt. 25
Carolus Magnus in Moguntia pontis opus egregium quingentorum cubitorum latitudinis per Rhenum extruxit. 15
Carolus Magnus in Sueuia omnia reduxit ad vnitatem. 27
Carolus Magnus Nobilibus diſtribuit oppida, arces, prædia, &c. 57
Carolus Magnus ipſe Germanus. 17
Carolus Magnus in vniuerſis prouinciis Germaniæ idola & hæreſes funditus extirpauit. 27
Carolus Magnus Theutonicis dedit quaſdam leges, quæ adhuc habentur. 17
Carolus Magnus poſt Bonifacium Saxones & Weſtfalos præliis ad acceptandam Religionem Chriſtianam coegit. 18
Poſt mortem Caroli M. Imperium manſit apud Lotharium & ipſius filios, nec apud Reges Galliæ vel Italiæ. 17
Carolus M. grandi exercitu Romam ingreſſus Leonis aduerſarios horribiliter peremit. 44
Carolus Magnus monaſterio Owiæ magnæ donat villam Vlmam. 82
Carolus IV. Rom. Imperator pacatus à Würtembergicis Comitibus dimittit exercitum. 57
Carolus IV. Rom. Imperator ſuſcipit expeditionem contra Eberhardum Comitem Sueuorum. 56. ſeq.
Carolus contra Conradinum congreſſione validiſſima præualuit & Theutonicorum exercitum profligauit. 40
Carolus IV. voluit Thuricenſes & Albertum conciliare, ſed fruſtra hîc deſudauit. 53
Carolus IV. Ratisbonam accedit, quem Albertus contra Vallenſes implorat. 53
Carolus IV. contra Ludouicum electus Vlmam cingit, ſed fruſtra. 90
Carolus IV. Alberto ope ſuccurrit. 53
Carolus IV. honorifice a Thuricenſibus excipitur. 53
Carolus IV. in Alſatia pacem conſtituit. ibid.
Carolus IV. fratrem ſuum Iohannem Ducem conſtituit Lützelburgenſem. ibid.
Carolus M. multas Eccleſias honori S. Iacobi dicauit. 64
Carpo piſcis. 14
Carthaginenſes prouincia. 3
Caſtra continentia dominia & e contra. 57
Caſtri Suabeggenſis deſtructio. 37
Caſtri Kyburgenſis eiusque Comitum ſiue poſſeſſorum deſcriptio. 37
Caſtrum Hugſtein. 48
Caſtrum Hochwiel. 30
Caſtrum Badenſe a Suiceris deſtructum. 62
Caſtrum Friburgum quis conſtruxerit. 36
Catalogus doctorum virorum quos Academia Viennenſis produxerit. 58
Cauſa offenſionis inter Epiſcopum Conſtantienſem & Albertum. 54
Cauſæ cur Eberhardus Comes Würtembergenſis ab Imperat. Norimbergam ſit vocatus. 56
Caucaſus mons. 14
Chartarum pictoribus Vlma repleta. 95
Cella Rudolphi quæ. 14
Ceremonia creatorum Auſtriæ Archiducum vnde ſit exorta. 72
Cherſoneſus Cymbricus latine dicitur Dacia. 23
Chriſtiani olim habebantur pro hoſtibus Romani Imperii. 27
vid. infra: Fides Chriſtiana.
Ciſara. 3
Ciſa Dea. ibid.
Ciliæ multæ reliquiæ. 73
Cilia vetus oppidum. 73
Cimbria. 16
Cimbrica diripitur 4
Circulus rubeus circa ſolis orbem quo anno in Alemania viſus. 59
Ciuitates rogant Albertum vt reſeruatos Iudæos Vulcano obferat, quibus annuit. 58
Claranna de Honburg adeo religioſa vt clauſuram totalem inchoaret. 61
Claranna de Honburg adeo docta vt Dyonifii ſcripta intelligeret. ibid.
Claranna factum attinens refectionem corporalem & ſpiritualem monialium. ibid.
Clingenſtein arx munita. 111
Clodoueus Rex Francorum regnum diuidit inter liberos. 2
Colchis regio Aſiæ. 14
S. Columbanus Abbas in Sueuiam venit. 27
Comes de Calwe relicto caſtro confugit ad litus fluminis Nagalt, ibique domicilium ſtruit & ruſtice vixit. 28
Comes de Kyburg recenter electum Regem Fridericum ducit per Rheni lineam Baſileam. 37
Comes monoculus de Werdaburg. 84
Comes de Werdaburg ex Vlma migrat in ſuburbium. ibid.
Comes de Werdaburg nouitatis ſtudioſus. ibid.
Comitatus Romandiolæ. 45
Comitatus Tunenſis. 42
Comitatus Tyrolenſis cui & a quo ſubiugatus. 56
Comitatus nobilis Tyrolis. 56
Comitatus Albegg in manus Iudæorum Vlmenſium peruenit. 90
Comitatus Helffenſteinius ter ab Vlmenſibus raptus, aſt demum reſtitutus. 90
Comites Habſpurgenſes ab vtero materno cruce notati aurea. 60
Comites Goriciæ, & ipſum caſtrum Goricia. 72
Comites Habſpurgenſes conſanguinei Iulii Romani. 45
Comites Habſpurgenſes facti Duces Auſtriaci. 44
Comites Werdabergenſes incidunt in debita decepti per Iudæos Vlmenſes. 90
Comites Sueuorum confugiunt ad Imperatoris fidem. 57
Comites de Thylingen. 111
Comitum Habſpurgenſium inſignia & vaticinii impletio. 44
Comitum Würtembergenſium origo. 57
Concilium Conſtantienſe cur inchoatum. 62
Concilium Conſtantienſe. ibid.
Confœderati dicuntur Heluetii. 7
Conradi Imperatoris edicta pacis quæ. 28
Conradinus vltimus Dux Sueuorum. 40
Conradinus captus vna cum Lupoldo Duce Auſtriæ, &c. 40
Conradinus optima membrorum ac colorum diſpoſitione proportionatus iuuenis lamentabili aſpectantium clamore cum multa Nobilitate decollatur. 40
Conradinus fortiſſimo exercitu properat in Lombardiam. 40
Conradus Frid. fil. Ratisbonæ volens dormire per cujusdam inſidias vitam amiſiſſet, niſi ope & auxilio cujusdam militis vitam ſuam poſtponentis & amittentis diminutus ſeruatus fuiſſet. 39
Conradus coronatur corona ferrea. 35

Con-

Digitized by Google

INDEX.

Conradus Ottonis Hungari Austriam ex Marchionatu rursum fecit Ducatum. 46
Conradus pecunia exhaustus redit in Alemaniam. 31
Conradus Imperator multa prælia circa Damascum gerit. 33
Conradus Imperator vivus Ierosolymam venit. ibid.
Conradus Imp. Bauariam sibi subneruauit. 32
Conradus Imperator obiit sepultusque est in monasterio Loricensi ordinis S. Benedicti. 33
Conradus Imperator cum Ludouico Hungariæ Rege in Teutoniam reuertitur. 33
Conradus Imperator Salicus dictus. 28
Conradus II. Imperator 10. *gygantem Turcicum vincit.* ibid.
Conradus II. Rom. Imp. terram sanctam recuperare volens Saracenorum maximam multitudinem profligauit. 44
Conradus Sueuus Dux Franconiæ eligitur Imperator. 28
Conradus Friderici filius Francofordiæ degens ad Imperium suscipiendum ab Heinrico Landgrauio fugatur. 39
Conradus magno collecto exercitu Italiam attentat. 31
Conradus a Stauffen. 33
S. Conradus Episcopus Constantiensis. 28
Conradus de Prussia. 61
Constantia monialis quinquagenaria cui nupserit. 35
Constantiæ ignis erupit, & partem Niderburg consumpsit. 54
Constantiæ maxima aquarum inundatio. 51
Constantiæ eruptionem igneam cur quidam pœnam diuinam iudicent. 54
Constantiensis Episcopi sororius de Hornstein. 54
Constantiensis Episcopus indignabundus cum suo agmine ab exercitu Alberti recedit. 54
Constantiensis Episcopus propter multifarias lites a duobus Nobilibus a Stoffen interficitur. 54
Constantiens. Episc. obiit in excommunicatione. ibid.
Quantum thesaurum post se reliquerit. ibid.
Constantiensis Episc. probibet, ne quis suæ solemnitati clericus habitu politico interfit. ibid.
Constantinus Magnus in fine Monachus. 70
Conterinorum familia iactat se e Germanis ortam. 17
Corzanorum Reges de vtero nigram producunt aquilam. 60
Cristenes Daciæ, Suetiæ, Gothiæ, &c. Rex anno 1474. *Romam venit & a Rom. Pont. Sixto miro honore est exceptus.* 23
Cunradi religiosa pietas. 31
Cunrado emortuo in Imperio succedit Gener Heinrici Comitis de Calwe filius. 29
Cunradus Sueuus filius Hermanni in Imperatorem Rom. eligitur. 31
Cunradus binc emigrat. 29
Cunradus dum venationi nimis intentus nocte præoccupatus ad Comitem diuertitur, quidque ei ibidem obuiam venerit mirabili historia declaratur. 28. 29
Cunradus III. propter recusata ipsi Imperii insignia Heinrico Bauaro bellum infert. 31
Curia Grienhof monasterii Ouiensis. 83
Curio Romanus Nobilis, historia ficta de eo. 76
Cymbri latrocinando incertis errabundi sedibus ad paludem vsque Meothim militiam agitarunt. 23
Cymbri res Romanorum & Græcorum turbarunt. 23

D.

Dacia Germaniæ portio. 23
Dacia secundum Ptolomæum Cymbrorum Chersonesus. 23
Danubii nauigatio vbi periculosa. 14
Danubii aqua medicinalis. 14
Danubii descriptio. 13
Danubius. 2. 4
Danubius a Ianone consecratus. 14. *vel potius ab Heraclio Imperatore.* 14
Danubius fluuius mercifer. 81
Danubius Rheni origini vicinus. 13
Marchia Danorum Theutonice Denmarckt. 23
Satrapa de Deck incensis faculis prædicatores ad cantandum cogit. 51
Dedona Mons. 94
Delphinus Francicus cum Suiceris congreditur & 4. millia Suicerorum prostrauit. 64
Delphinus de stirpe Caroli cur a Deo contra Suiceros excitatus. 64
Delphinus Regis Franciæ primogenitus ingenti copia Armiacorum inuadit Suiceros. 64
Deorum & Dearum multifariæ differentiæ. 109
Desiderius Rex Longobardorum insultat Adriano Papæ, compescitur a Carolo Magno. 20
de Dillingen Comites. 111
Dimensio monasterii ordinis Prædicatorum Vlmæ degentium. 86
Discordia Comitum Würtembergensium. 57
Discordia ducis & Thuricensium quamdiu durarit. 54
Ditwinus Sueuici Principis filius auctor migrationis Sueuorum. 1
Diuina legio. 3
Dominis bene viuentibus & moniales manserunt integræ. 97
Domus Austriaca formidabilis facta toti Italiæ. 58
Domus Consulum Vlmensium magnifica. 82
Domus S. Nicolai Vlmæ thesaurum Monachorum custodiebat. 83
Drauus & Mura fluuii. 72
Drusus. 9
Duces Austriæ cur Archiduces. 71
Duces Austriaci non diu Marchiæ Teruisinæ domini. 58
Duces Austriæ ducentes copias contra rebelles Sueuos parum proficiunt. 24
Dunoueschingen. 13
Durius flumen. 4
Dyoboldus Comes de Calwe mouit in Sueuia discordias. 28
Dysenhofen oppidum. 56
Dysenhofen vnde suam trahat originem. 56
Iohannes Dapifer Dysenhofensis. 56
Dyopoldus Sueuus. 35

E.

Eberhardus propter duorum filiorum discessum e viuis in tantam incidit tristitiam, quod Austriam Ducatum mutarit in Marchionatum, & hac ratione Marchionatus peruenit ad Imperium. 46
Eberhardus Comes Würtembergicus ab Imperatore citatur Norimbergam. 56
Eberhardus Würtembergensis se opponit Romanorum Imperatori. 56
Eburicus Rex Sueuorum. 4
Ecclesiarum aliquot Vlmensium Patroni. 112
Ecclesiæ in Argouia a quibus conditæ. 44
Ioh. Ebinger dictus Habsast. 87
Echabrunna monasterium. 93
Edictum Friderici III. ad Principes Alemanos. 73
Elchingen monasterium. 93
Elchingæ templo Iouis deficiente Tyranni istius regionis Turrim Babylonis erexerunt. 95
Elchingen omnibus attinentiis sedi Apostolicæ incorporatum. 96
Elchingen siue Turris Babylonica cui hereditate cesserit. 95
Elchingen robustis equis dives. 94
Elchingensis monasterii inopia. 97
Elchingensis monasterii notationes. 93
Ex oppido Elchingensi Sueui magnum capiunt detrimentum. 96
Monachi Elchingenses Imperatori commendati. 96
Prouisor Monasterii Elchingensis prodigus. 97
Vicini Elchingæ crudeles prædones. 95
Electio Maximiliani Friderici filii in Regem Romanorum solemnis. 73
Electorum Conuentus in Andernach. 36
Elisabetha Tyrolina vxor Alberti in loco interfecti mariti eligit monasterium. 47
Elnhofen villa. 32
Emanuel Græcorum Imperator precibus compellit Conradum Romanorum Imperatorem. 32
Emanuel Græcorum Imperator Græcorum vsus infidelitate

Digitized by Google

INDEX.

Gypſum farina immiſcuit, & Chriſtiano exercitui comedendum dat. 32
Emericus Sueuorum Rex. 3
Marcus de Emps. 11
Encomium Theotonicorum in oratione Pii Papæ ad Principes Alemaniæ illuſtre apparet. 64
Erina filia regis Græcorum ubi inuenta & cui deſponſata ſit. 35
Erneſti Ducis Auſtriæ proba filiorum & de ſingulis iudicium. 62
Euſebius Nicomedienſis Epiſcopus Arrianus. 70
Exercitus crudelis Britannicus occupat Burgundiam & igne & rapinis Alſatiam deuaſtat. 56
Exercitus ille Britannicus vaſtans Alſatiam vbi ſit diſperſus & trucidatus. 56
Exercitus Teutonicus in Thracia fame periit. 32
Exilium auctoris Felicis Fabri, &c. 49

F.

FAbula Neptuni Meduſam comprimentis & Pegaſum ſuſcipientis. 109
Fabula Lernæi fontis & Amonidæ. 109
Familia Gonzagorum vnde ducat ſuam originem. 17
Familia Malateſtarum. 17
Familia Malateſtarum ex Theutonicis venit in Lombardiam & Italiam. 17
Familia Suardarum. 17
Fames ingens in Sueuia ſeptentrionali. ibid.
S. Felix prædicauit fidem Chriſtianam. 27
Fides Chriſtiana vltra mille & ducentos annos in Sueuia viguit. 27
Fides Chriſtiana ſucceſſiue tempore Martyrum in Sueuia creuit. 27
Fides Chriſtiana quamdiu apud Germanos durauerit. 27
Firenziolæ, quæ vrbs eſt Apuliæ, Fridericus diem ſuum extremum clauſit. 39
Flauienſis ciuitas. 4
Flauius Tholoſæ ciuitatis mutatus in ſanguinem. 59
Fœminarum genus apud Sueuos delicatum & formoſum. 25
Fontis Burronis deſcriptio. 109
Applicatio Romanorum ſcriptorum de fontibus. 109
Fortuna iuuat audaces. 32
Forliuienſes ſeſe dedunt Ludolpho. 59
Francia quandoque dicitur Alemania. 23
Franci raptores & mendicantes. 5
Francigenarum vel Gallorum Nobilitas omnis a Theutonicis ortum accepit. 17
Francio quomodo in Europam venerit. 20
Francio & Theucer implacabiliter diſcordes. 17
Francius Priami Regis Troiani nepos. 17
Franciſcus Petrarcha quo anno & ſeculo obierit. 21
Franconia cur ita appellata. 20
Franconia quomodo excellens facta per nobilitatem Troianam. 17
Francorum Imperium a quo & in quos translatum. 17
Francorum & Francigenarum differentia. 17
Francorum Troianorum origo. 17
Francus in Latina Lingua quid ſignificet. 20
Francus in Græca Lingua quid ſignificet. 20
Frantzig vox germanica quid ſit. 20
Franz vocabulum ironicum in quos competat. 20
Fratan Rex Sueuorum. 4
Fratres Vlmenſes cur electi. 51
Fratribus minoribus Gamundicis Vlmenſes deſignant locum extruendi monaſterii. 86
Gredanna de Friberg Magiſtra Vrſpringenſis de ſui monaſterii amplificatione cogitat. 104
Friburgi conditoris Nomen. 31
Friderici I. ſucceſſor Heinricus IIII. de Staufen Dux Sueuorum. 35
Friderici Ducis Sueuiæ coniugia. 35
Friderici III. dies natalis. 67
Friderici III. Romanorum Imperatoris filii & horum matrimonia. 69
Friderici III. tempore exortum Schiſma inter Eugenium & Felicem. 63
Friderico III. adoleſcenti mater ſurgendo honorem exhibuit, Albertum autem neglexit, & quid de hoc interrogata reſponſi dederit. 67
Friderico Duci Auſtriaco capto diabolus infeſtus. 50
Friderico I. Moguntiæ parantur inſidiæ. 74
Friderico II. Regi paruulo Principes Alemani promittunt fidelitatem. 35
Fridericus II. ad Aſiaticum bellum ſe accingit. 38
Diuerſæ opiniones de obitu Friderici II. 39
Friderico III. Sigismundus pronepos factus obuius & ambo in amplexu lachrymati ſunt. 68
Fridericus Auſtriacus propter eductionem papalem in grauc Imperatoris odium incurrit, tandem tamen eodem deprecante & Papam reſtituente venia donatus abit. 62
Fridericus Barbaroſſa creatur Rex Romanorum. 33
Fridericus Barbaroſſa in caſtro Stauffen natus. 33
Fridericus Barbaroſſa Dux Sueuorum. 33
Fridericus I. cum tribus ſibi fidis elabitur & in Briſgaudiam venit. 74
Fridericus I. in Aſia extinctus. 10
Fridericus III. cum 8. Papis rexit tranquille & pacifice. 64
Fridericus breui ſibi ablata recuperat. 39
Fridericus III. hortum ſuum propria manu excoluit, &c. 68
Fridericus collapſa ſepulchri Chriſti monumenta reſtituit. 39
Fridericus Imperator in oppido Cilia vitam ſibi reſeruat. 72
Fridericus ſumma cautela propter inſidias Ottonis ducitur ad acceptandum Imperium. 37
Fridericus prima coniuge mortua ducit alteram Iohannis Regis Hieroſolymitani ſiliam. 38
Fridericus non vulgariter doctus. 38
Fridericus cadit in indignationem Romanæ curiæ. 38
Fridericus prope Aulonem propter obſerata montium oſtia per deuia montium altiſſima tranſit & curiam Rhetiæ ingreditur. 38
Fridericus III. ciuitatem Brugenſem ob captum filium cingit. 69
Fridericus III. cum Leonora Regis Portugalliæ filia Romæ coronatur. 63
Fridericus III. confœderationem init cum ciuitatibus, Principibus, &c. 69
Friderici III. in caſtro Noua ciuitati Viennenſis hortus delicatiſſimus. 68
Fridericus III. Roma tendens Neapolim ſplendida pompa excipitur. 63
Fridericus III. ingreſſus Ferrariam Galeacium Ducis filium obuium habuit. 63
Fridericus III. ſecundum vulgus tardus & tenax. 63
Edictum Friderici III. ad Principes Alemannos. 73
Fridericus III. Carolum Burgundum a Nuſia repellit. 67
Fridericus III. omnes ſibi infenſos permultos quidem vicit & ſuppreſſit. 67
Fridericus III. ingenuorum morum. 63
Fridericus III. Imperator coronatur. 8
Friderici III. filius ducit filiam Caroli Burgundi. 67. 68
Fridericus III. acceptis pecuniis multum redemit ſanguinis. 68
Fridericus III. a Rege Bohemiæ regno pellitur. 68
Fridericus III. armato populo proditionem vlciſci cupit. 68
Fridericus III. eligitur in Rom. Imperatorem. 63
Fridericus auxilio Theutonicorum Remp. Italicam bene diſponit, aſt a Bononienſibus & aliis Italis male tractatur. 38
Fridericus ex concubina tres ſuſcepit filios. 38
Fridericus Romam ingreſſus applaudente populo & clero a Rom. Pont. coronatus eſt. 38
Fridericus audiens immanitatem Pontificiam relicta Syria & Iudæa in Siciliam reuocauit. 39
Fridericus de Staufen Dux Sueciæ factus. 33
Fridericus dum Conſtantiæ moratur Otto Vberlingæ præoccupat itinera, ne Rex neocreatus poſſet per Rhenum tranſcendere. 37

Digitized by Google

INDEX.

Fridericus memor beneficii siue coronationis Ecclesiæ Romanæ multa de Italia contulit. 38
Fridericus Stauffen. 33
Fridericus III. Pontinæ omnes proditionis conscios Imperiali bannо condemnauit. 68
Fridericus apertis sui Principatus vexillis terram sanctam aggreditur. 67
Fridericus a Soldano honorifica pompa acceptatur. 67
Fridericus D. Sueuiæ multa construxit oppida. 35
Fridericus titulum in carcere resignatum reassumit. 51
Fridericus Dux Sueuiæ cur non numeretur inter Reges Romanorum. 35
Fridericus Dux Sueuiæ in obsidione Ptolomaidæ occubuit. 34
Fridericus Dux Sueuiæ contra Henricum Bauariæ Ducem victoriam obtinuit. 32
Fridericus Lupoldi Austriaci filius Iohannem 23. Papam educit ex concilio. 62
Fridericus III. non solum Austriæ, verum amplissimis aliis ditionibus fere priuatus fuisset. 68
Fridericus Dux Austriæ electus Rex capitur a Ludouico. 50
Frisii Periuri. 5
Frumarius Rex Sueuorum. 3
Ludouicus Fuchs. 99

G.

Galeacius iunior Dux Ferrariensis a Friderico III. auratus creatur Eques. 63
Galli fabulantur Troianam prosapiam. 73
Galli quare Franci dicantur 20. dicti etiam Francigenæ. ibid.
Galli vel Francigenæ negant Carolum M. fuisse Germanum. 17
Gallicia, Gallici. 3. 9
S. Gallus idola iuxta lacum Constantiensem destruxit, & populum ad Christum conuertit. 27
S. Galli antiquissimi libri a Teutonibus conscripti ab Æneа Syluio reperti. 21
Gemmarii, Latomi & Carpentarii Theutonici inter Saracenos mira fecerunt. 21
Genealoga Rudolphi Regis & filiarum elocationes. 58
Genealogia Sueuorum Ducum de Waiblingen. 31
